LIBRARY OF THE

AMERICAN BIBLE UNION

~~Presented by~~

Purchased

No. ~~944~~ 946 Nov. 3d 1852

compendium hujus operis editum est a J. L. Vogel Halae 1713. 8. v. Ernesti neueste theol. Bibl. III 597.

de auctore. Ypey gesch. d. 18 eeuw VIII 53. — P. J. de Fren

2 volm.

ƒ 5, –

[illegible]

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Duke University Libraries

http://www.archive.org/details/liberjobicumnova01schu

LIBER JOBI

CUM

NOVA VERSIONE

Ad Hebræum fontem

ET

COMMENTARIO

PERPETUO

In quo Veterum & Recentiorum Interpretum cogitata præcipua expenduntur: genuinus ſenſus ad priſcum Linguæ genium indagatur, atque ex filo, & nexu univerſo, Argumenti nodus intricatiſſimus evolvitur.

CURAVIT ET EDIDIT.

ALBERTUS SCHULTENS.

TOMUS PRIMUS.



LUGDUNI BATAVORUM.

Apud JOHANNEM LUZAC.

MDCCXXXVII.

466550

14953.

PERILLUSTRIBUS

ACADEMIÆ BATAVÆ

QUÆ LUGDUNI EST

CURATORIBUS.

NATALIBUS, MERITIS, MUNERIBUS, DOMI, FORIS, SPLENDIDISSIMIS.

D. JOHANNI HENRICO

COMITI WASSENARIO,

DOMINO WASSENARIÆ, OPDAMI, HENSBROEKÆ, SPIERDYKI, ZUIDWYKI, KERNHEMI, LAGÆ ETC. ETC. ETC. EQUITI ORDINIS JOHANNITICI. EQUESTRIS HOLLANDIÆ ORDINIS MEMBRO SPLENDIDISSIMO. EJUSDEMQUE PROVINCIÆ NOMINE CELSIS AC PRÆPOTENTIBUS BELGII FOEDERATI ORDINIBUS ADSCRIPTO ETC. ETC. ETC.

D. ARENTIO BRUNONIS

VAN DER DUSSEN, J. C.

CIVITATIS DELPHENSIS SENATORI. ET CONSULARI. ETC. SOCIETATIS INDIÆ ORIENTALIS MODERATORI. ETC. ETC. ETC.

D. CORNELIO SYLVIO, J. C.

CIVITATIS HARLEMENSIS SENATORI. ET CONSULARI. TERRITORII BREDERODANI PRÆTORI. EJUSDEMQUE ÆRARIO, UT ET SYLVIS, AC REI VENATICÆ, PRÆFECTO. RHENOLANDICÆ PRÆFECTURÆ ASSESSORI. ETC. ETC. ETC.

EORUMQUE COLLEGIS

NOBILISSIMIS AMPLISSIMIS.

REIPUBLICÆ ORNAMENTIS,

ET COLUMINIBUS,

CIVITATIS LUGDUNENSIS

CONSULIBUS.

D. WILHELMO PAETS. J. C.

SEPTIMUM CONSULI, ET CONSULARIS COLLEGII CUM MAXIME PRÆSIDI. ETC. ETC. ETC.

D. JOHANNI VAN DEN BERGH, J. C.

DECIMUM QUARTUM CONSULI. RHENOLANDIÆ PRÆTORI SUMMO. IBIDEMQUE AGGERUM ET VIARUM PUBLICARUM PRÆFECTO. ETC. ETC. ETC.

D. GERH. ÆMILIO VAN HOOGEVEEN. J. C.

SECUNDUM CONSULI. ETC. ETC. ETC.

D. PETRO VAN HOOGEMADE.

ETC. ETC. ETC.

NEC NON

AMPLISSIMO CONSULTISSIMOQUE

VIRO

D. DAVIDI VAN ROYEN,

REIPUBL. LUGDUNENSIS A SECRETIS. ITEMQUE ILL. COLL. CURAT. ET CONS. A CONSILIIS ET ACTIS.

MUNIFICI SPLENDIDIQUE

V I R I

Ex pluteis, Archiviſque, Veſtris Orientalibus, ante quinquennium, Illuſtribus ſub auſpiciis, in lucem depromſi *Vitam*, *& Res geſtas*, *Abi Modaffiri*, *Joſephi*,

F. Jobi, *Saladini*, principis magnanimi, qui non ſuum tantum *Orientem*, ſed & *Occidentem* noſtrum, nominis ſplendore complevit, & ubique terrarum, ac gentium, immortali etiamnum laude floret.

Hunc Scriptores Orientales, anſa ex proprio, & paterno, nomine arrepta, *ſeculi ſui Joſephum* ſimul, & *Jobum*, vocitare ſolent, quod ad omnem religionem, pietatem, juſtitiam, fortitudinem, conſtantiam, bonitatem, munificentiam denique, cui quinque opulentiſſima regna non ſufficerent, exaggeratus, antiqua illa Virtutis, ſupra hominem ſcandentis, Exempla conſummatiſſima ipſis æquaſſe videatur.

Scilicet profundere ſeſe geſtiunt in Encomia illius; quem *Sacri*, ut & ipſis loqui placuit, *Belli conficiendi* Zelus tanto ardore, per univerſam vitam, ſuccendit, & inflammavit, ut quotidie dictitaret, ſe non ob aliud ex humili in celſiſſimum potentiæ faſtigium eſcendiſſe, & *Ægypto*, *Syriæ*, *Arabiæ*, *Meſopotamiæ*, *Aſſyriæ*, *Armeniæque*, impoſitum divinitus Regem, quam ut *Hieroſolymas* e manu *Francorum* extorqueret, atque pro Cauſa Dei, & Sacro-Sancti ejus Templi, opes, fortunas, ſanguinem, animam ipſam, profunderet, nil niſi ſepulchrale linteum ex omni opulentia ſecum ablaturus.

Non neceſſe eſt, ut quid ſimile for-

te ſit, in gemina collatione, quid diſſimile, & toto cœlo diſparatum, multis proſequar. Venio, citra ambages, ad id, cujus cauſa tum principis illius, tum operis a me procurati, mentionem præſtruxi.

Monumentum illud Vobis, VIRI ILLUSTRISSIMI, dicandum fuit, quod Veſtro nutu, juſſuque, in publicum prodierit, cum *Arabica Latinam* gerens *veſtem*; ut per tres inſignes Scriptores, quos editio illa conjunxit, tum *Hiſtoriæ univerſalis*, & *Geographiæ*, nobili particulæ lux adfunderetur haud pœnitenda; tum *Linguæ Arabicæ* ſtudioſis in omni genere ſtyli, ſive ſimplicis, ſive medii, modicis luminibus diſtincti; ſive ſublimiſſimi, & dithy-

dithyrambico cothurno gradientis, copioſa accederet ſupellex.

Sanctior me neceſſitas, nobiliorque ſtimulat impetus, ad graviorem huncce Laborem Vobis, VIRI PERILLUSTRES, AMPLISSIMI, NOBILISSIMI; inſcribendum. Quamvis enim non indignus Vobis tum viſus *Saladinus Jobides*, qui in ſplendore Nominum Veſtrorum compareret, dignior tamen haud dubie Sanctiſſimus noſter *Jobus*, quem Vobis in perpetuæ meæ obſervantiæ pignus, &, ſi dicere fas, in hoſtimentum perpetui Veſtri in me favoris, memori, gratoque, pectore offeram, conſecremque.

Nunquam ſane Commentationem

hancce in *Jobum*, in quo quicquid Lingua *Arabum* habet profundum, celſum, magnificum, omni grandita-te cumulatum, admirabiliter reſplen-det, ſuſcipere auſus fuiſſem, niſi The-ſauri Veſtri Orientales, mihi inde ab adoleſcentia patere juſſi, animos jam tum addidiſſent, atque ad arduum o-pus tentandum Veteris *Linguæ Arabi-cæ* copia aliqua, ex ipſis Fontibus hau-ſta, ſubornaſſent.

Per hæc ſubſidia effectum ſpero, ut cum *Lingua Jobæa*, quam illorum temporum *Arabicam* fuiſſe, in *Præ-fatione* adſtruimus, *ſenſus* quoque *Jo-bæi*, defectu idoneæ lucis nimis ſæpe obſcurati, & in alia omnia detorti, nativum ſuum decus, ac pondus, ma-

gna ex parte ſint recuperaturi.

In his ſi ad *Scopum*, & *ſtatum quæſtionis*, rite cuncta dirigantur, nihil non grande, excelſum, forti pectore dignum, quod Dei Athletam Cœlo exæquet etiam tum, quum *Humanæ imbecillitati* ſuccubuiſſe videtur.

Magnus procul dubio *Jobus* in Culmine illo felicitatis, & gloriæ, ad plenum meridiem provectæ, quod magnificentiſſimis coloribus, & radiis veluti Solis, depictum dedit *Capite* XXIX.

Major, nemine negaturo, *Jobus*, quod in tanta potentia, & opulentia ſimul, florentiſſimæ Domus, intactus manſerit ab iis vitiis, & criminibus, quæ magnas Fortunas adflare ſolent;

lent, atque omnibus numeris abſolutiſſimam integritatem, juſtitiam, innocentiam, aliaſque Virtutes, domi, foris, intus, extus, obtinere, & exercere, valuerit. Lucidiſſimum hocce ſpeculum pectoris nulla labe cupiditatis, avaritiæ, ſuperbiæ, injuſtitiæ, vanitatis, contacti, inſpectandum præbuit *Capite* XXXI.

Maximus tamen, meo quidem judicio, *Jobus*, quum uno die, uno ictu, omnibus illis fortunis evolutus, inauditam Domus præpotentis ruinam firmo gradu excepit.

Maximus, quum a capite ad calcem peſſimis percuſſus plagis, & *Satanæ* furoribus permiſſus a Deo, non *bona* tantum, ſed & *mala*, e manu Domi-

mini gratanter accipienda, quin amplexanda, uxori, muliebre quid & patienti, & ſuggerenti, repoſuit; ad impatientiam fæminæ, non tam malæ, quam vulgo pingitur, magnanimitate religioſiſſima comprimendam.

Maximus, quin imo, quum in amariſſimas tandem querelas oppreſſum, per longos menſes, pectus relaxans, atque ſtatim cenſuris ſuperbis Sodalium pro *Hypocrita* condemnatus, in *Certamen* illud *animoſiſſimum* magis magiſque implicari cœpit, quod *Tragici* hujus *Carminis Argumentum* conſtituit, & *Nodum* intricatiſſimum, non niſi per apparitionem ipſius Dei reſolvendum.

Eo conflictu, in quo *Innocentiam*,

nulla Hypocriſi, ſcelere nullo, taminatam, præclariſſima conſcientia ſubnixus, defenſavit, atque contra ipſius Dei judicia, ac ſupplicia publica veluti, magnifice tutari, & vindicare, auſus fuit, ab una parte quidem deprenditur aliquid *humani* paſſus, querelis, & expoſtulationibus, graviſſimis habenas permittens; attamen & ab altera parte *Hominem* in *Homine* exſuperaſſe reperitur, ſub illa Lucta tentationis ſæviſſimæ, nuſpiam ab infinita erga Deum reverentia deſciſcens, quin altiſſime radicatum Numinis *timorem*, & *amorem*, admirabili, & vere cœleſti, unctione, ſpirans.

Nil mirum proinde, quod glorioſiſſimo tanti Certaminis exitu coronatus,

tus, *Victor*, quodammodo, *Dei* ab ipſo *Deo* ſit *renunciatus*, atque ut Specimen Unicum Virtutis integerrimæ, & patientiæ invictæ Speculum, ad omnium ſeculorum memoriam, admirationemque, tranſmiſſus.

Hujus maximi Viri ſacratiſſimum Monumentum, in quo tantarum nobis Virtutum conſpectus panditur, Vobis, MÆCENATES HONORANDI, non conſecraſſe, piaculi loco ducerem, qui Civitatibus quoque Veſtris, ut Noſter, Religionis, & Juſtitiæ Vos Statores præſtatis, atque nihil in Veſtra fortuna ſplendidius agnoſcitis, quam tum Auctoritate, tum Exemplo Veſtro, hæcce Fundamenta Reipublicæ, Eccleſiæ, Academiæ, conſtabili-

liviſſe, atque ad ſeram poſteritatem immota propagaſſe.

Tales ut Reſpublica, ut Academia, Vos domi, foriſque, conſpectiſſimos veneratur, ita Soſpes utraque Soſpites, Florens Florentes, longos adhuc annos ſuſpiciat, atque admiretur. Dabam Lugduni in Batavis ad Kalendas Octobreis A°. MDCCXXXVI.

PERILLUSTRIBUS AMPLISSIMIS
NOBILISSIMIS NOMINIBUS
VESTRIS

Summe devinctus

ALB. SCHULTENS.

PRÆFATIO.

Quum ad Commentationem hanc in *Jobum* emittendam ante triennium ferme accingerer, longe diverſum deſtinaram curſum, quam tenui; atque opus mihi ſuſcipere videbar, quod & mihi amœnitatibus Philologiæ Orientalis jucundiſſimum ſub manibus redderetur, & Orbi Erudito ad aliquam ſeſe inſinuare poſſet gratiam, per Obſervationes, multos jam annos congeſtas, quibus *Linguæ Jobææ*, verum, merumque, *Arabiæ* genium ſpiranti, non pœnitendam lucem, poſt Viros excellentes, qui in hac palæſtra enituerunt, adfundere me poſſe confidebam.

Qui ad *Origines* nempe *Hebræas* ex ſororiis Dialectis veſtigandas jam inde ab adoleſcentia me dederam, quique illuc profeciſſe mihi videbar, ut me temporis, laboriſque, impenſi haudquaquam pœniteret, ab aliquot retro annis me novis identidem aculeis ſtimulari ſentiebam, ut *lumen Originum*, id eſt *Veteris Linguæ*, Vetuſtiſſimo huic Monumento accenderem, hoſque radios magnis ingeniis miniſtrarem, ad ea quæ in Libro obſcuriſſimo hactenus clauſa, aut minus dextre explicita, felicius reſerandum, atque clariore in die collocandum.

Hujus conſilii, votique, quod decennium, & ultra, mecum habitavit, hæc mora fuit unica, quod cum Bibliopola non uno agenti, ad Editionem talis operis procurandam, perpetuo repoſitum, frigere ubique regionum forum Orientis, & *Arabica* præſertim non invenire emtores, etiamſi vel *Sacri Codicis* uberior inde explanatio promittatur. Nunquam plane credidi, tum noſtris in oris, tum alibi terrarum, ubi aliquod Philologiæ Sacræ pretium, adeo rem rediiſſe: ſed nec meum erat cauſam eam adimere iis, qui ad negotia ſua me melius callere debebant: & alio in genere certius aliquid, præſentiuſque, iiſdem adfulgere, inverecundum fuiſſet non credere.

Non attigiſſem, quicquid hujus, niſi me & notorum judicio tangi, & ignotorum convicio perſtringi, didiciſſem, quod *Originum Hebræa-*

rum opus, ante tredecim annos adfectum, necdum profligatum, confectumve, dederim: quodque *Jobo* item *illuſtrando* maturiores pollicitus curas, *Catalogum* augeam eorum, qui expectationem publicam lactant, & ludunt.

In *Jobum* interim nihil aliud primitus a me, vel promiſſum, vel mente conceptum, quam *Arabicæ Linguæ longior* quædam *cultura*, & *cognitio*, non e Lexicis, ſed e Libris hauſta, ad bene multas tum voces, tum ſententias, redundatura in Monumentum, quod ex *Arabico fonte* in *Hebræum* ſermonem transfuſum, & *Arabiſmis* propterea refertiſſimum eſſe, a pleriſque ſtatui, quin & ab iis etiam ſupponi, videbam, qui alias de *Literaturæ Arabicæ uſu* ad illuſtrationem *Hebrææ* minus benigne pronunciare ſolent.

Eo itaque animo tandem, Bibliopolam nactus, ad hanc Scriptionem acceſſi, nil niſi mea ut darem, volumine ad octoginta admodum plagulas exituro. Nil niſi mea, dico, non ſane cujuſquam contemtu, quippe qui grande pretium ſtatuam, ut reliquis ſuo gradu, meritoque, Commentatoribus, ita excellentiſſimis ſine controverſia *Mercero* & *Coccejo* e Noſtris; e Pontificiis *Pinedæ*, ex Auguſtana confeſſione *Schmidio*: ſed potius omnium ob venerationem meritiſſimam; quod in omni genere Eruditionis, nova cum ſeculis incrementa capientis, ineptum, & puerile, ſit, altos ſumere ſpiritus ſupra eos qui ante nos fuerunt; quorum humeris niſi inſiſtere nobis contigiſſet, nec tam longe proſpiceremus certe, & forte humi etiamnum reptandum, atque in cunabulis jacendum foret. Illa ergo mea, intra quæ commentationem hanc continere decreveram, his ferme circumſcripſeram cancellis: *Primo*, ut antiquum *Linguæ* decus, & pondus, adſpiciendum præberem etiam iis in locis, in quibus nihil vel obſcuritatis, vel diſſenſionis, occurſurum ſuſpicabar. *Secundo* ut vocibus bene multis, parum intellectis, & non niſi ad lucem *Linguæ Arabicæ* intelligendis, nativam faciem, quantum quidem procedere eſſet, redderem. *Tertio*, ut quicquid nova ratione converſum, expoſitumve, eſſet, ad *ſcopum*, *nexum*, *ſeriemque*, velut triplici filo, adſtrictum adfirmatumque darem. Poſtremum hoc, in exorſu operis, non maximam partem curæ ablaturum opinabar, quod tam ſollicite de

tri-

tribus hiſce cogitaſſe mihi viderentur Quatuorviri ſupra laudati, ut ſi non omnia, pleraque certe ſatis expedita, ſcrupuliſque vacua, mihi ſponderem; ad minimumque duas tertias illi operæ deſtinaram, qua per amœna viridaria ſpatiando, florem, honoremque, Veteris Linguæ, huic venerandæ vetuſtatis monumento me reſtituturum ſperabam.

Hocce conſilium, cujus indicium annotationes ad duo prima Capita præbent, minuere coactus ſui, quum e portu jam egreſſum, & vela dare cœptantem, magni illi fluctus acceperunt, quibus Sanctiſſimi Viri mens, mœrore penitus abſorpta, ſemet exonerat. Majores adhuc undas dederunt Quartum, & Quintum, Caput, in quibus tanquam turbine contra *Jobum* emiſſo illos motus certaminum cooriri vidi, qui Cymbæ meæ naufragium minarentur, niſi profundius in Adfectus diſputantium intrarem, atque ad eam normam non mea tantum, ſed & aliorum meditata, accuratius exigerem, atque elibrarem. Ad Sextum, & Septimum, deinde, Caput, immenſa quadam mole ægritudinis *Jobææ* me ſubito circumcinctum ſenſi, quæ ad aſperrimam *Eliphazi* declamationem tam vehementer conſurgere, & in omnem querimoniam, contra Amicos perfidos, contra Deum, innocentiſſimo cultori immeritas plagas imprimentem, exæſtuare, ut rem longius utrimque progreſſuram, & majores identidem motus animorum exarſuros, facile intelligere eſſet.

Huc delatus evidenter perſpicere cœpi, quod ante ſuſpicione tantum attigeram, Doctiſſimos Interpretum non ſatis ubique attendiſſe ad concitatos illos Diſputantium adfectus, qui nemine quicquam de *Hypotheſi* remittente, ſed fortius ſemper fortiuſque eam intendentibus cunctis, graviſſimum utrimque *Exceſſum* peperere, hinc *Contumaciæ* cum *impietate* conjunctæ condemnantium Sociorum, illinc intaminatam *Innocentiam* ita defenſantis *Jobi*, ut Deum ipſum criminari, & Providentiam ejus labe injuſtitiæ adſpergere velle videretur. Hæc *generalis Libri Oeconomia* ſeſe mihi inſtantias *Amicorum*, *Jobique* reſponſiones, aliquoties relegendo, & commeditando, luce meridiana clarius tunc inſinuavit, ſimulque detexit fontes omnium errorum, qui in obſcuriſſimo hocce ſpecimine priſcæ ſapientiæ commiſſi; dum alii *Providentiæ negatæ* dicam *Jobo* ſcripſere, alii *Vitam futuram* ab ipſo

pariter & ſociis ignoratam contenderunt, alii alia conſectaria hinc illinc elicuerunt, quæ cum *ſcopo*, & *nexu*, hujus diſputationis, nihil commune habent, vel & adverſa fronte ei repugnant.

Detexi quoque uno quaſi ictu oculi præcipuam cauſam magnæ illius varietatis, diſſenſionis, atque adeo confuſionis, qua Interpretes Libri hujus non tantum a ſe invicem toto Cœlo diſſident; verum etiam a ſe ipſis δὶς διὰ πασῶν diſcrepant; & quod uno, non jam capite, ſed verſiculo, ſtruxere, altero deſtruunt: nuſpiam eundem tenorem, eandem aciem Diſputationis, ſeſe magis magiſque animantis, & accendentis, præſtantes.

Ut hi *Cardines* rerum ſimul, ſimul verborum ac ſententiarum, ad quos commentatio hujus Libri haud dubie dirigenda, in oculos omnium defigantur, adverti velim, *Bildado Eliphazi* incudem tundente, & acerbis cenſuris denuo Noſtrum inceſſente Capite VIII. eouſque irritatum Viri Religioſiſſimi dolorem ſeſe inflammaſſe, ut Capite IX. & X. frenum quaſi mordere inceperit; atque effuſis jam mœroris habenis, poſt graviſſimas de providentia, ſontem & inſontem juxta habente, expoſtulationes, Deum provocaret, in certamen, congreſſumque, ad æquiorem Arbitrum; ignominia, & confuſione ſcilicet omni, obrui paratus, ni contra Magnum Adverſarium Innocentiam ſuam pervictam dediſſet. Nova hinc, Capite XI. tertii ſodalis Caſtigatione acrius adhuc Noſtrum perſtringente, eumque *longe infra merita* plecti tendente, Capite XII. XIII. & XIV. expoſtulationes, defenſationeſque Virtutis oppreſſæ, ſic iterat, ampliat, cumulat, ut altera vice ſolemnem cum Deo congreſſum ſibi dari depoſcat: negans ſe ulli crimini adfinem, quo haſce plagas commeruiſſet. Hinc, orbe primo certaminum evoluto, anſa miniſtrata *Eliphazo*, ſæviſſime denuo in caput innoxium detonandi, & Capite XV. non ea tantum, quæ prima aggreſſione dixerat, confirmandi, ſed iras diraſque Cœleſtes directius quam ante Noſtro, ut apertiſſime improbo, intentandi, & ingerendi. Quid faceret miſerrimus mortalis fulminibus maledictionum undique impetitus? Cumulatiſſime obtinebat in eo illud *Pſ.* 42. *Abyſſus abyſſo reboat, ad vocem Canalium tuorum omnes fluctus, undæque tuæ, ſuper me tranſiverunt.* Horum gurgitum æſtu ſæviente circuma-

ctus,

ctus, Capitibus XVI. & XVII. eas ſortis ſuæ complorationes fundit, & miſcet, ut nihil unquam lamentabilius, ardentiuſque, ab una parte, ab altera nihil fidentius, animoſiuſque, humanum *Pathos* vel concipere, vel efferre, valeat. Hæc fuit tertia *Jobi* provocatio, qua *a Deo*, immeritis plagis pium cultorem exſcindente, *ad Deum ipſum appellare* ſuſtinuit, *contra ſemet jus dicturum*, *ſi ad Cauſæ hujus cognitionem* ſe *Judicem*, & *vindicem*, *dare* dignaretur. Novo hinc torrente *Bildadi* obrutus, *Cap.* XVIII. ac ſi *Alaſtoris* meritiſſimas pateretur diras, & ſcelerum furiis vexaretur; Ipſe viciſſim *Cap.* XIX. poſt iteratos planctus, queſtuſque, ſolenniſſimam illam ſuſcipit conteſtationem, qua ad *Judicii ultimi Tribunal* a Deo, hominibuſque, damnatam cauſam remittit, ſepulcro interim ſuo inſculpi poſtulans Magnificum carmen, quo *Coronam Juſtitiæ ſibi*, in illo die, *deſpondet*, qui *Alaſtoris* nomine extirpatus, infamatuſque, jacebat.

Hoc illuſtre documentum Fidei ſimul, & Conſcientiæ, invictæ; quum non aliter refelleret *Tſopharus Cap.* XX. quam veterem cantilenam occentando, *momentaneam* eſſe *improborum felicitatem*; & *hos ſolos de Cœlo tangi*, atque *fulminibus Judiciorum Divinorum feriri*: iſtam tandem *Hypotheſin* funditus convellere aggreditur Noſter *Cap.* XXI. *Improbis ut vitam jucundam*, ac *fortunatam*, ita *mortem facilem* atque *honoratam* plerumque obvenire contendens: quum *probis* ferme *miſeris contemtiſque vivere*, atque *emori*, contingat. Hoc in curſu rerum humanarum omnibus ſeculis obſervatum, & ſæpiſſime Providentiæ ad gubernacula ſedenti objectum, quum refutare non poſſet *Eliphazus*, ad calumnias convertitur, *Cap.* XXII. γυμνῇ τῇ κεφαλῇ Virum Sanctiſſimum *ſuperbiæ*, *avaritiæ*, *concuſſionis*, quin *profanitatis* adſpergens notis. His diluendis poſt ternam Numinis provocationem, ad *Tribunal* illud *ſupremum* quodammodo perrumpit Animoſiſſimus innocentiæ ſuæ defenſor, atque Litem quaſi cum Deo, quantumvis congreſſum negante, conteſtatur, jura pientiſſimi cultoris prodi dictitans: quum contra profanis, & ſceleratis, cuncta ſuper votis vecta fluant, atque in atrociſſimis criminibus indulgentiſſima contingat impunitas. Hæc *Capite* XXIII. & XXIV. Ad ea deinde nihil á Triumviris repoſitum; niſi quod *Bildadus* ſpecioſa declamatiuncula receptui

canens, *Cap.* XXV. opportuniſſimam occaſionem Noſtro ſubminiſtraverit, de *Majeſtate*, *ſanctitate*, *juſtitia*, *potentia*, *Sapientia* denique *infinita* Dei, multa magnificentius diſſertandi, quam vel ſocii, vel Ipſe, antea feciſſent. Capite XXVI. certe Cœleſti lumine & flumine orationis ante oculos proponit *Tremendum* illud *Numen* quod *Verbo potentiæ omnia e Nihilo extracta ſuſtentat*, atque *pro Arbitrio moderatur*. Inde *Cap.* XXVII. prudentiſſime progreditur ad *Syſtema* ſuum de *Improborum felicitate* elucidandum; atque injuſtis conſequentiis liberandum; ita eos *fortunatos vivere* & *mori* oſtendens, ut tamen, O Divinum Fidei radium! *ſuam* hancce *fortunam* conclamatiſſimam, *cum ipſorum illa*, ad mortem exſpiratura, commutare ſe nolle teſtetur. Magno hinc excurſu dato *Cap.* XXVIII. in Sapientiæ contemplationem ſublimiſſimam, quæ Adfectui præſenti recinebat, Scopoque propoſito ſubſerviebat, ad *Apologiam Innocentiæ* extremo, omniumque graviſſimo, conatu redit, omnia prægreſſa confirmaturus & cumulaturus. Eum in finem *Cap.* XXIX. exponit quouſque rei & ſpei Divinitus evectus fuiſſet. Sequenti XXX. ſubnectit, quouſque nunc vilitatis, ignominiæ, & calamitatis immeritæ, dejectus eſſet. Poſtremo *Cap.* XXXI. ad Tribunal Supremum ſeſe penetrans denuo, abſolutiſſimam illam ſui defenſionem ad pedes Dei deponit quaſi, atque ſuper vita religioſiſſime acta judicari poſtulat, certus ſe ſplendidiſſima cum palma Juſtitiæ diſceſſurum, ſi modo Deus convictioni huic locum concedere dignetur.

Pugnam vehementiſſime depugnatam excipit, tertio velut Actu, *Elihui* moderatiſſima illa quidem, ſed tamen Zelo Dei flagrantiſſima, redargutio, qua *Jobum* ſubtiliter non minus, quam graviter compeſcere aggreditur. Ea Viri juvenis actio admirabilis in conſeſſu ſeniorum, pluſquam ſenili prudentia a *Cap.* XXXII. ad XXXVIII. quatuor ſermonibus ita ſuſtinetur, ut a nullo mortali in cauſa implicatiſſima quicquam divinius proferri potuiſſe appareat. Quando interim Hominis non erat, tantam Litem perimere, atque nodum inauditi caſus diſſolvere, in congreſſum tandem cum *Jobo* deſcendit ipſe Deus, *Cap.* XXXVIII. XXXIX. XL. XLI. atque *Apparitione* gemina conflictibus hiſce decentiſſimum imponit Finem, *Jobi* imprudentiores illas provocationes, & gloriationes, ita caſtigans, ut tamen Viri *innocentiam*

ſi-

ſimul, ſimul *patientiam*, poſt agnitionem, & deprecationem, culpæ, promulget, & glorioſiſſimo exitu coronet.

Elucet ex ſtricturis hiſce exiguis, quæ acerrimorum certaminum conſpectum pandunt, quicquid *Tragœdia* vetus unquam *Sophocleo* vel *Æſchyleo* molita eſt cothurno, infra magnitudinem, gravitatem, ardorem, animoſitatem, horum Adfectuum, infinitum quantum ſubſidere. Nempe illa ficta, & picta, hæc vera πάθη. Illa in umbra, & otio, concepta, hæc dolore ipſo, & conflictu, cum maxime ardente, expreſſa. Illa per imaginationem adinventa Poëtæ, longiſſime a ſenſu eorum, quæ docuit, remoti; hæc ab Ipſo illo conſignata, & fideli memoriæ ſacrata, qui *Veriſſimæ* hujus *Tragœdiæ* Heros fuit, & Actor præcipuus, ſuorum ſibi ſenſuum, motuum, Adfectuumque, profundiſſime conſcius. Illa, ut omnia ſimul amplectar, de rebus fere levibus, & humanis: hæc de Divinis, Entheo quodam ſpiritu ultro, citroque, profuſa, e quibus univerſæ Religionis, cum Naturalis, tum Revelatæ, compendium, ad illorum temporum menſuram, & diſpenſationem, hauriri queat.

Inter tot, tantoſque, fluctus, perpetuo æſtu in ſe colliſos, non verba tantum ſingula mihi expendenda, ſed ſenſus quoque pertentandos, judicavi, & quidem pro *Adfectu* vehementiore, quo talia dicta ex ore concertantium emiſſa.

Hoc admonebant me tot abſurdæ, confuſæ, erroneæ, impiæ, ſententiæ, partim *Jobo*, partim *Amicis* ejus impactæ, non ſolum propter obſcuritatem inacceſſam Linguæ, verum vel maxime ob profunditatem concitati, & ferventis ſtudii, quo hi Diſputatores aciem quiſque ſuam animoſiſſime inſtruxerunt, & ad extremum uſque, ſine ulla remiſſione, intenderunt.

Hoc adfirmabant quoque tot *diſſenſiones* hominum Eruditorum, circa *Syſtema Theologiæ Jobææ*, totque *Dogmata* ſuperſtructa dictis ferme omnibus frigide explicitis, ultra, vel & contra, Scopum, extra calorem ſaltem adfectus: in commoda, & gratiam cœtus, cui ſe quiſque Interpres addixiſſet.

Hoc inculcabat denique omnium, qui Mare hoc ingreſſi ſunt, exemplum, quorum nemo unus, quantum quidem mihi, omnes undique Commentatores conquirenti, & excutienti, conſtare potuit, *Hypotheſin*

a ſe ſemel jactam, ubique ſuſtinere, atque ad certaminis finem educere ſine varietate, relaxatione, & contradictione, potuit.

In tanta jam mole non tam verborum, quamvis ea haud dubie graviſſima, quam quidem rerum, ſenſuum, adfectuum, παρακεκινδυνευμένων, &, ut ſic dicam, in præcipiti ſtantium, longe ſane mihi amœna litora, quæ legere, longe quieti, & tranquilli, ſinus Linguæ, in quos evehi, commentatione mea deſtinaram.

Quacunque oculos circumferrem, brevia, ſcopuli, gurgites, ſyrtes; pelagus navigantium erroribus, periculis, naufragiis, intractabile conterrebant, atque in tam arduo curſu perſequendo eo adigebant, ut nuſpiam meo lumini crederem, ſed omnia tum mea, tum aliorum, novo examini ſubjicienda ſtatuerem: ex illa ut collatione, & contentione, dilucere poſſet, & Lectoribus meis, & mihimet ipſi, ad quam *Cynoſuram* navigaſſem, & difficultates, ac moleſtias, quæ mihi inſuperabiles multis in locis videbantur, eluctari conatus fuiſſem.

Id diffidentiæ de me ipſo, libere dicam, & ingenue, novam mihi addidit confidentiam, ad iter ſuſceptum alacrius, quam ante, decurrendum; quamvis laborem mihi conduplicatum, atque adeo ſupra quam ſuſpicione attingere potuiſſem, adauctum viderem. Scilicet ſuſtentabat me, atque fortiter animabat, præclara ſpes, & cogitatio, etiamſi magnis auſis excidiſſem; per apparatum tamen a me congeſtum aliquid fructus, & emolumenti, ad Eccleſiam, orbemque Literatum, eſſe perventurum, quum uno ſub conſpectu paterent diverſiſſimæ illae viæ, & Hypotheſes, ſecundum quas ab omni ævo intricatiſſimis hiſce diſceptationibus enodandis inſudatum fuit.

Enimvero multa erant, quæ me a novo hocce conſilio exequendo deterrerent, atque ſatis diu adhuc, per aliquot Capita, materia invitum ſæpius trahente, identidem interim retraherent, quo minus vela tam late panderem, quam inde a Capite XIX. ad finem uſque factum. Vicit tamen abſolutiſſima tandem neceſſitas, quod adeo nihil remitti perſentiſcerem a fervore, & impetu, certandi, ut omnia magis contra magiſque exardeſcerent, atque velut oleo in caminum adfuſo inflammarentur. Vicit ſtudium bene de *Jobo*, ſi pote, merendi, vel eo nomine, ac titulo, quod noſtri ſeculi felicioribus ingeniis, ad Librum hunc-

ce

ce commodius explanandum, non omnino nihil collaturus eſſem, in medium prolata ſupellectile copioſiſſima, unde optima quæque excerpere, & ad juſtiorem normam revocare, ac digerere, poſſent.

Non diffitebor quoque, me ipſum vel maxime hujus meæ ampliatæ Commentationis utilitatem, & fructus præſentiſſimos, tuliſſe. Etenim *primo*, ex illa multum ſane tædioſa in ſe, & φορτικῇ, recenſione verſionum, atque interpretationum diverſiſſimarum, percipere licuit, quam vagas, ſæpe, incertas, abſonas, ne quid gravius dicam, rationes ſecuti eſſent illi, quibus omnia, in ſuo cuique cœtu, & communione, ab omnibus deſeruntur. *Secundo*, ex eadem illa diſcuſſione, cauſæ, & occaſiones, mihi pateſcere cœpere errorum latiſſime ſeſe diffundentium per cujuſque *Hypotheſin*, qui diverſis diverſarum Societatum Interpretibus in hujus Monumenti expoſitione ſubrepſerunt. *Tertio*, eadem luſtratio omnium ſententiarum, toto ſæpe Cœlo inter ſe diſſidentium, quarumque nulla ſcrupulis exemta, me ad molliorem viam veſtigandam plerumque non impulit ſolum, ſed & animavit, quum tantum palmæ in medio poſitum, tantum nodorum cernerem inſolutum.

Non diffitebor, *Quarto*, ex hac ſcrupuloſiſſima percenſione variantium opinionum, qua omni ex materia ſcintillas evocare conatus fui, jucundiſſimam mihi ſæpe numero lucem promicuiſſe, ad tenebras quibus cum maxime circumvallabar, evincendas.

Hoc *Methodum* commentationis hujus inſpicienti, ad ultimum præſertim volumen, ſingulis fere verſiculis ſe offeret, & dicere ut poſſum, ſic debeo, non tantum bona Interpretum, ſed & mala, inſignem mihi uſum præſtitiſſe: & tam quod Scopum feriret, quam quod inde plus, minuſve, deflecteret, ad maximam meam utilitatem, ac directionem, exuberaſſe.

Omnibus itaque me Debitorem profiteor, ut, nullo plane excepto, profeci ex omnibus illis, quos ad filum Tragici hujus Carminis evolvendum conſulere vel decuit, vel licuit.

Horum conſpectum, brevemque notitiam, impertiiſſe, e re communi fuerit; ut ſelectus noſtri ratio inde dilucescat. Inter Veteres conturbatiſſimi in *Jobo* reddendo LXX. qui dicuntur; quamvis dubitari nequeat quin diverſus plane ſit Interpres, non multæ in *Hebraicis* peritiæ, & in-

credibilis licentiæ, in quidvis e quovis exſculpendo, & proprii fœtum cerebri effingendo; qui ad *Hebræum* textum collatus, non *deformis*, ſed *informis* plane, & *abortivus partus*, appellari mereatur. Reliqui *Græci*, *Aquila*, *Theodot.* & *Symm.* a ſuo quiſque Charactere non abeunt; in vocibus ſeparatis aliquid, in ſenſu unniverſo ferme nihil contribuere apti, quod fragmenta tantum, & laceræ tabularum partes, ſuperſint. Rara horum mentio a nobis facta. Frequentior laudatio *Catenæ Græcorum Patrum*, Collectore *Niceta*. In ea primas tenent *Origenes*, *Chryſoſtomus*, *Olympiodorus*, *Julianus Halicarnaſſ. Severus*, præter alios complures quorum catalogum texuit Cl. *Fabric. Bibl. Græc. Vol.* VII. p. 137--739. Non erat tamen, cur nimis ſæpe meditata excuterem e fonte parum limpido hauſta, & in pleriſque erroris manifeſta.

Chaldæum, *Syrum*, & *Arabem* porro parcius in partes vocavi, quam ab initio mihi propoſueram; quod Criſis, quam in eos exercere deliberatum erat, me nimis avocaſſet, atque in longiores diſcuſſiones abſtraxiſſet. Nempe *Syrus* ille, cum ſecutore ſuo *Arabe*, mirifice ſoluti, quin diſſoluti. *Paraphraſtes Chaldæus* totus in Scholæ *Rabbinicæ* commentis, & gloſſematis, conſarcinandis, nihil penſi habuit an ordo temporum, rerumque, conſtaret, ſi modo magna eventa *Eccleſiæ Iſraeliticæ*, & *hoſtium ejus*, hoc in Libro adſpicienda præbere poſſet. *Vulgatæ verſioni* ut plurimum tribuo generatim, ita ſpeciatim in *Jobum* palmam ei præ Veteribus deferre non dubito. Eſt etiam non parum ſæpe, ubi Recentiores vincat: quod ut ſuis in locis libere indicavi, ita eadem libertate errores quoque ejus ſine inſectatione nudari oportuit. Commentarium qui ſub nomine *Hieronymi* attextus, *Bedam* auctorem habere, vel potius *Philippum Presbyterum*, excerptum a *Beda*, ſatis jam innotuit. Is totus ferme *Allegoricus*, aut *Myſtico-Propheticus*, id eſt, a noſtro inſtituto tam diverſus, quam diverſa ſunt ingredi humi, & aëra, nubeſque, ſublimi tranare volatu. Totum id genus amatoribus ſuis relinquimus, terram ſub pedibus habere contenti, & *Literæ* conſtituendæ unice dediti: alicubi tantum locorum, materia cogente, id tactum ex *Gregorio Magno*, *Gloſſa Ordinaria*, *Thoma*, *Nicolao*, aliiſque nonnullis, præſertim ad *Cap.* XL. & XLI. quæ *Allegoriæ* in hoc libro quaſi hæreditaria ditio, & ſedes. Quum illuc deventum eſſet, ad manus meas opportu-

ne

ne pervenit *Anonymi Explicatio Gallica Libri Jobi, in qua ad Methodum S. S. Patrum Myſteria J. Chriſti &c. enucleantur.* IV. *Volum.* in *form.* 8. Eſt Docti Presbyteri, jam fato, ut audio, functi non nova quidem, ſed novo plane modo deducta *Hypotheſis*, qua *Jobus* ſtatuitur Typus *innocentiſſimi* & *immaculati Agni*, tum in plagis immerenti inflictis, tum in dictis, verbis, ſenſibus omnibus, ex ore ejus per *Spiritum Prophetiæ* emiſſis.

Confidentia, qua Vir Eruditiſſimus ad ultima illa Capita *Literam* explodere, & ridiculam pronunciare, ſuſtinuit, neceſſitatem mihi impoſuit eam vindicandi non tantum, ſed & preſſius, prolixiuſque, quam alias feciſſem, arguendi, quantopere ſeque, alioſque, luſerint, qui ſe ſolos Nucleum ſapientiæ eruere, alios corticem rodere, gloriantur. In diſſertationibus, quas meditamur, *Jobæis*, ut alias Hypotheſes Myſticas, ita hanc quoque, peculiare ſub examen mittere, σὺν Θεῷ, animus eſt. Habeat interim *Anonymus* ille promeritam eruditionis *Hebrææ* laudem; ob notulas criticas ſolido ſæpe judicio interſperſas ad Literæ explanationem.

Redeo ad propoſitum, & compendi jam facio. Inter Commentatores nempe Pontificios inſtar omnium magnus apud ſuos, apud nos quoque, quibus ubique virtus laudatur, *Joan. de Pineda*, *Hiſpalenſis*, S. J. *Theologus* idem & *Literator* eximius, qui II. *Volum.* in *Fol.* completiſſimum dedit commentarium, in quo omnes fere Veterum, & Recentiorum, e communitate præſertim *Romana*, explicationes ſummo judicio, & ordine, percenſuit, atque exactiſſima trutina penſavit. Ex eo hauſi quicquid nomine *Alberti*, *Dionyſii*, *Cajetani*, *Oſorii*, *Titelmanni*, *Steuchi Eugubini*, *A Stunica*, qui & *Didac. de Zuniga*, aliiſque nonnullis prolatum. Hujus opera ut pars non exigua laboris mihi deceſſit; ita per ſane magna acceſſit lux, uno ſub conſpectu habenti quicquid Eccleſiæ Pontificiæ Doctores in Monumentum hocce ad illud uſque tempus, i. e. finem ſeculi XVI, elaboraſſent: quum lucem primam adſpexerit opus *Madriti* 1597. ſæpius deinceps recuſum. Minor ſuis, nobis major, fuiſſet Vir ille, ſi libertatem, quam in priore Tomo uſurpare cœperat, ad Veritatis *Hebraicæ* normam caſtigando *Vulgatum*, conſtanter tenuiſſet; nimis enim vereor ne virgula tactus cenſoria poſt-

modum ſuis fidus, ſibi infidus, pedem nonnihil verterit, *Hieronymum* non erraſſe contendens etiam ibi, ubi ipſe errorem, & manifeſtam ab *Hebræo* textu diſſonantiam, enudat. *Pinedam* æmulatus *Bolducius*, *Pariſinus*, Theologus ex *Ord. Capucin.* cujus *Commentar.* in *Jobum* item II. Volumina in *Fol.* occupans, prodiit *Pariſ.* 1637. Hic quicquid habet eruditi, & ſolidi, Doctiſſimo *Jeſuitæ* debet, Paradoxas explicationes, quibus totus ſcaturit, ſibi ſoli deberi jure merito gloriatus, quum nec ante, nec poſt eum, talia cuiquam in mentem fuiſſe facile crediderim. Nempe *Eccleſiæ Pontificiæ hodiernam faciem*, præſertim in *Sacris Sodalitatibus*, & *Cerimoniis*, ex Monumento hocce Antiquiſſimo exſculptum ire voluit, qui *Cœtus ſui antiquitatem ultimam*, jam ante *Moſen*, demonſtrandam ſumſerat, in Opere cui titulus *de Eccleſia ante Legem* &c. Excludi tamen e noſtra recenſione non potuit, qui ſatis magna *Ling. Hebr.* cognitione præditus, majorem profeſſus, *Editioni Vulgatæ* apponere, quin opponere, auſus fuit, *ſuam verſionem juxta Hebræum;* in qua nihil non ſibi permittens viri audacia, & ingenii luxuriantis impetus, aliquid tamen mihi exhibebat aliquando, quod juſta falce coërcitum, atque temperatum, boni fructus erat, & ſaporis. Latino interpreti addictiores *Caſp. Sanctius*, & *Franc. Vavaſſor*, e *Soc. Jeſ.* ambo, multæ eruditionis laude inſignes, vel eo nomine omitti non potuere, quamvis *Hieronymi* potius, quam *Jobi*, ſenſus exequantur, *Hebraizantibus* quos vocant, non valde æqui.

Hunc chorum producturus, redordior a *Rabbinis*, quibus uſi principes illi *Hebraizantes.* Præcipui *Aben Eſra*, *Salomon Jarchi*, & *Levi Gerſonides;* quibus adjungendi *Moſes Nachmanides*, ſive *Ramban;* & *Abraham Ben Mardochai*, *Perizolides.* Horum præſtantiſſimus ſine controverſia primus, *Sapientis* nomen inter ſuos promeritus. *Jarchius* cum *Paraphr. Chald.* in Hiſtorias ſuæ gentis, quin & Fabellas, imminens, more ſuo, ingenium ubique prodit *Thalmudicum.* In Philoſophicas argutias totum ſe induit R. *Levi*, unde nec intacti *Ramban*, & *Perizolides.* His omnia detrahere, audax, temerarium, impudens; omnia deferre imprudens, ignavum, ſervile. Ipſi quoque inter ſe toto ſæpe Cœlo diſſident, ſive *Linguam* quæras, ejuſve vim, ac proprietatem; ſive ſenſum, & rerum ſeriem. Hoc omnis pagina commentationis noſtræ oculis ſubjicit. In Linguæ *facie* & *forma externa* nihil vidiſ-

diſſent, qui rem *Hebræam* e ruinis excitare, & recreare, cœperunt, ſeculo potiſſimum XVI. niſi his ducibus gaviſi fuiſſent. In ſenſu ipſo conſtituendo Doctoribus illis plus viderunt omnes, ſi ab iis diſceſſeris, qui ne latum quidem unguem ab iis diſcedere decreverant. In his *Munſterus*, *Iſidorus Clarius*, *Vatablus*.

Selectu, & judicio, uſi, qui vernaculas, Latinaſque, condidere verſiones, nec non paraphraſes, & breviora in *Jobum* Scholia, *Lutherus*, *Tigurini*, *Caſtalio*, *Beza*, *Deodatus*, *Genevates*, *Angli*, *Belgæ*: item *Junius* & *Tremellius*, *Piſcator*, *Druſius*, *Grotius*, *Codurcus*, de quibus ſigillatim dicere haud neceſſe, quod nemini non, ut nomina, ſic merita horum omnium, notiſſima. De *Codurco* tamen ſubmonendum, eum nonnunquam alienam gloriam magnificis in ſe verbis tranſmovere; atque etiam, neſcio quomodo, in *Grotiana* ſæpe veſtigia pedem ponere, nulla ejuſdem adjuncta mentione.

Magnum quoque ingenium, cum pari judicio conjunctum, relucet ex *Paraphraſi Anglica Sim. Patricii*, *Epiſcopi Elienſis*, nec non *verſione Gallica Crinſozii*, unde non exiguum fructum percipere licuit, quamvis *Hypotheſin*, ab Ill. *Grotio*, aliiſque inductam, nullus probem, de *ſperata* non ſolum, ſed & *credita firmiter a Jobo rerum perditarum inſtauratione in hoc ſeculo.* Hanc ſpem in explicationes ſuas admittere, & admiſcere, eſt totum *Libri Pathos* minuere, ſubnervare, & magna ex parte delere. Et hoc peculiari diſſertationi ſeponitur.

Hos omnes ad omnem verſiculum laudare, nec potui, nec debui; quod in infinitum res exitura fuiſſet. Delectus adhibitus, & ſuus cuique honos ibi habitus, ubi Operis ratio id vel exigebat, vel permittebat. Serius etiam nonnulla ad manus meas venerunt, inter quæ Clariſſ. *Reimari Paraphraſis Germanica*, novæ *verſioni Hoſmannianæ* adjecta, cum ſolidæ frugis, & doctrinæ, notis. Paulo tardius quoque acceſſi ad Conciones *Calvini centum undeſexaginta in Jobum*, non tam preſſam, enucleatamque, Literæ curam, cum perpetuæ commentationis ſerie, ex iis mihi promittens. Deprendi tamen deinde multos, etiam nomini ejus infeſtiſſimos, multa inde hauſiſſe; quin *Mercerum* quam plurima hinc in rem ſuam derivaſſe.

Hujus Viri Eximii *Commentarium* reliquis qui ante ipſum fuerant,

 pal-

palmam præripuiſſe, iiſque qui poſt venturi erant, *Phari* inſtar præluxiſſe, nemo temere inficias iverit. Quæ tamen in eo deſiderari putem, non ſubticebo; nihil maximis ejus meritis detrahens, ſed officium, quod ut Commentator *Jobi* ſuſcepi, vel cum periculo implens, bono animo, adfectuque, dicta, ſecus interpretaturis forte nonnullis; & invidiolæ, quam candida nunquam fovent pectora, aſſignaturis, quæ veritatis amori a me dantur, & debentur. In *Merceri* illis, quos reverenter attingo, defectibus, jam non numero paulo rudiorem adhuc tunc temporis *Hebrææ Linguæ* cognitionem; ea enim ipſi cum reliquis ſui ſeculi Viris Doctiſſimis communis: ſed proprie ei imputandum cenſeo: *Primo*, quod per *Rabbinorum* oculos etiam ibi ſæpe videre voluerit, ubi meliora ſuiſmet cernere potuiſſet. *Secundo*, quod nimis abſolute, & præciſe, negaverit, *Seculi Futuri rationem* in has diſputationes immiſceri. *Tertio*, quod hanc ob cauſam ſcrupuloſe reſiluerit a magnis veritatibus, illuc aperte tendentibus; quamvis de cetero *cognitionem fidemque* vitæ melioris *Jobo*, & *Amicis*, neutiquam adimat. *Quarto*, quod ubi aquam ſibi hærere, pro vi ingenii, & judicii, ſentiebat, id mollioribus, quam par erat, verbis circumvelaverit; vel per fidiculas ſenſu utcumque expreſſo; quum tamen a talibus potiſſimum ingeniis, judiciiſque, loca impervia indicari, & male cohærentes partes nudari debeant; prout peritiſſimi tantum Medici loca adfecta, & ulceribus ſubdola, denudare valent, Aliptis colorem induxiſſe contentis.

Quanti tamen, cum nævulis hiſce, faciam *Mercerum*, quantumque ex eo profecerim, & profeſſus ſum ſatis, & omni pagina legi poterit, quum ad omnem verſiculum eum ante oculos habuerim, ejuſque ſeriem, præ reliquis teretem, & rotundam, non reliquerim, niſi ubi ipſum ſemet reliquiſſe, atque a Scopo declinaſſe, cernebam.

Cum *Mercero* omnino mihi conjungendus, & contendendus perpetuo fuit *Coccejus*, qui poſtquam *Linguæ* & *Philologiæ Hebrææ profeſſionem* in Gymnaſio *Bremenſi* primum, deinde in *Academia Friſiorum*, quæ *Franequeræ* eſt, annos quatuordecim ſplendide ornaſſet, atque Eruditionis *Hebraicæ* principatum jam teneret, A°. 1644. *Jobum* ſibi clariore in luce collocandum deſumſit; ut cum *Eccleſiaſte*, quem *Bre-*

Bremæ emiſerat, alterum hunc obſidem maximorum in Scripturam laborum Eccleſiæ exhiberet. Conſilii rationem in Epiſtola Dedicatoria ſic pandit Magnus Interpres. *Quum inter omnes Sacrarum literarum Libros non parva difficultas, cum maxima utilitate, eſſe Libri Jobi videretur, mihique Sanctæ Linguæ ad intelligentiam Sacrarum Tabularum omni ſtudio illuſtrandæ incumberet neceſſitas, cauſa permagna viſa fuit, in* hoc Libro *meditationis fructum experiendi; quod &* Linguæ *proprietate, &* Phraſeos affectuoſæ *reſolutione, &* Scopi *rerumque diſceptatarum* oſtenſione, *argumentorumque inventa coagmentatione & reſponſu, obſervato ſtatu Jobi & Veteris Oeconomiæ, tum ſervata analogia fidei, ad Doctrinam Prophetarum, & Apoſtolorum, difficultas plurimis in locis minui videretur. Hoc liquido cognoſci, &* Librum hunc, *facilitate aliqua donatum, diligentius teri, non tantum ſtudioſis Linguæ S. & S. Min. Candidatis, ſed & omnis generis hominibus utiliſſimum putavi, quippe qui in luculentiſſimo Exemplo explicet* Anhelationem Patrum *ad libertatem Novi Teſtamenti, & Variæ tum Sanctæ, tum Politicæ, Ethicæ, Oeconomicæ, Phyſicæque, ad Sanctum finem relatæ, Doctrinæ copia refertus ſit.* Apparet a quibus principiis profectus ὁ πάνυ, conceperit *Hypotheſin*, quæ a reliquis omnibus longiſſime abit: *Jobum nunquam de Dei in ſe amore, & gratia, addubitaſſe*, ab una parte: ab altera, *Amicos Viri pietatem etiam neutiquam in dubium vocaſſe*: quin vehementibus illis Actionibus, quibus juncto umbone in eum conſurrectum, *Triumviros veram Jobo conſolationem impertiiſſe*, atque evincere voluiſſe, ipſum non eſſe *improbum*, nec *pro Hoſte a Deo tractari.*

Ad hujus mollitiem ſententiæ omnia dicta emollire, & attemperare coactus, Vir potens in Scripturis, potens quoque in *Hebræa*, aliiſque Doctis Linguis, ſua ſibi lumina quodammodo obſtruxit; & *Jobi* atque *Amicorum* concitatos, & in ſe invicem ſummo ardore colliſos, animos, & Adfectus, reduxit ad concertationem de *Oeconomia Fœderis Gratiæ* parcius, vel uberius, diſpenſandæ, de *modoque crucis*, & *calamitatum*, quas pro temporum ratione, & diverſitate, Fœderati Numinis exantlandas haberent.

Hypotheſin indicare neceſſe fuit, ut quo e fonte diſſenſiones illæ per-

pe-

petuæ Cl. *Cocceji*, aliorumque Interpretum, circa *Scopum, nexumque*; emanarint, uno oculi ictu notari poſſet, ſimulque intelligi, cur concinnam rationem vertendi, in qua nulli ſecundus *Coccejus*, lucidaſque ad veritatem *Hebræam* ſententias, in cujus Emphaſi exprimenda reliquos omnes poſt ſe relinquit, comitetur Explicatio profundioribus ſæpe meditationibus involuta, nec cuivis facile pervia; niſi qui hanc partem *Theologiæ* ad mentem Viri Celeb. ubique præſentiſſimam habuerit, atque a cardine iſto nuſpiam oculos dejecerit.

Eſt & aliud ſubmonendum, quod boni Arbitri ad rem vel maxime facere non diffitebuntur. *Commentarium* nempe in *Jobum* tum edidit Vir ſummus, quum Anno 1643. *Profeſſioni Ling. Hebrææ* adjecta *Theologica*, Illuſtribus *Almæ Friſ. Academiæ Statoribus*, *Curatoribuſque*, operam, induſtriamque ſuam, in utraque Sparta ornanda, elaboratiſſimo ſpecimine approbandam duxit. Inde longiores illi excurſus *Theologici*, qui ſine hac recenti cauſa haud dubie afuiſſent. Inde diſcuſſiones, & vindiciæ, contra Adverſarios Orthodoxiæ noſtræ, eſt ubi opportunæ, & neceſſariæ, eſt etiam ubi minus. Inde denique privi *Syſtematis* perpetuus in hanc Commentationem influxus, auctus ex Lectionibus publicis, quibus *Epiſtolam ad Hebræos* enucleare cœperat eodem tempore, diſcrimina *Veteris* & *Novæ Oeconomiæ* in clariorem diem educturus; atque ita reliquis Meditationibus in V. & N. Teſtamentum præluſurus.

Hæc paulo latius, ut cum perſona, ſtatione, & ætate, magni Commentatoris, character & finis ſcriptionis diluceſceret (his enim ignoratis oculus judicii non parum præpediri ſolet) utque iis qui *Coccejum* nimis abſtruſe in *Jobum* ſcripſiſſe dictitant, conſtare poſſet, penes ipſos potiſſimum culpam reſidere, non ſatis attendentes quo animo, propoſitoque, ad opus hocce acceſſerit; quippe in quo communem interpretandi viam in pleriſque ſatis notam ſupponens, ſuæ tantum *Hypotheſeos*, ſuique *Syſtematis*, duxerit rationem; parcus in aliorum ſententiis tangendis; parcior in iiſdem examinandis, cum ſuaque contendendis. Hoc ut in ſe aliquid abſtracti habet, & abſtruſi, præſertim in noſtro monumento, ita difficultatem illam forte adauxit ſubtilis, profunda, & per ſane quam doctiſſima veſtigatio vocabulorum *Hebraicorum*, quoad *Origines*, & *proprietates*, qua omnes, qui ante ipſum fuere, Commentatores acu-

mi-

mine, & judicio, longe ſuperavit, *Hebrææ Linguæ* non ſuo tantum ævo, ſed & noſtro, inſigne Lumen ac Columen, cui inter *Lexicographos* principem locum deberi, adfirmare ſuſtineo, quantumvis in *Methodo* tractandi, & perditas illas *Origines Hebræas* indagandi, aliquantum diſſideamus, *Coccejo* ad ingenii ſui vim, & venam, plerumque recurrente; quum nobis ſoli *Dialectorum ſontes*, a quibus nec alienus in totum *Coccejus*, adeundi, & conſulendi, eſſe videantur, ſi aliquid in publicos uſus Eccleſiæ, Verſionemque S. Scripturæ, collatum cupimus, quod & ætatem, ac ſecula, ferre, & dubitationem piorum dirimere, & contradictiones impiorum confundere tandem, atque confutare, valeat. Magnus locus, in quem longius non evehor, paucula infra daturus. Opus *Originum*, quod jam prælum denuo exercere cœpit, atque, Deo vires, vitamque, largiente, ſine ulteriore mora detextum dabitur, iſti curæ dicatum, quæ ſcrupulos, ſi qui forte hærent doctis arbitris, facile evellet; atque tum numero, tum pondere, exemplorum efficiet, ut qui diſſenſus jam non nimis doctus, & literatus, ſed tamen ignoratione veræ noſtræ *Hypotheſeos* quodammodo tutus, pro indocto, illiterato, illiberali, ab omnibus agnoſcatur, atque communi conſenſu illuc relegetur, quo lux Eruditionis Orientalis nunquam penetravit.

Merceri & *Cocceji* laudes æquat *Seb. Schmidius* S. S. *Th. Doct.* & *Profeſ. Argentoratenſis*, inter *Lutheranos* Commentatores facile princeps. Commendat præclarum opus, quod Anno 1670. in lucem prodiit, aliquoties deinde recentatum, *collatio ſedula* multarum verſionum, & ſententiarum, cum *Epicriſi*, ſine qua labor iſte injucundus ferme, & ſterilis: *diligens examen* omnium prope vocabulorum: *Cohærentiæ cura* intentiſſima: *ſenſuſque* tandem *conſtituendi*, atque *ad ſcopum revocandi*, *Methodus* perquam facilis, ac commoda.

Cum maximis hiſce opportunitatibus, quas longum, arduumque, curſum mihi ubique allevaſſe, & adjutaſſe, lubens profiteor, non celabo, quæ quotidie Viri Doctiſſimi curas præ manibus, præ oculis, habenti, requiri poſſe viſa. *Primum*, & præcipuum, eſt, quod nec *Jobo*, nec *Amicis*, eandem ubique *Hypotheſin*, & *Sententiam*, animoſiſſime ab ingreſſu in certamen ad exitum uſque retentam, attribuat. Quod proinde, *ſecundo*, ſummum fervorem diſputandi ſæpe deſtituat,

atque velut reſtincto omni Adfectu ea ori certantum indat, quæ ſedato animo dicere debuiſſent, nón quæ commoto dixere. *Tertio*, quod in *Syſtematicam Theologiam* nimis intentus, ſæpicule, materia parum favente, deflectat ad *Quæſtiones* inter *Lutheranos*, & *Noſtros*, agitatas, non ſine ſtudio partium, quo inclementius nonnunquam *Calvinos*, *Merceros*, *Coccejos*, &c. &c. perſtringit. Non loquor de libertate *critica*, qua *ſcapham* appellamus *ſcapham*, & contorta, frigida, rejicula, ridicula quoque, ut talia, notamus, atque ad egregium publicum indicamus. Hanc veniam damuſque, petimuſque, viciſſim. Ea ut ſine ſale, ſic ſine liberali quadam acrimonia, exerceri nequit. Toto cœlo inde diverſa acritudo, quam gignunt diſcidia circa Religionem, ac præſertim diſſidia inter Fratres, quæ omnium illiberaliſſime plerumque exercentur. Omitti nequit, *quarto*, Eximium Theologum a *Dialectorum* notitia non adeo paratum, & inſtructum, ultra *Rabbinos* in *Hebraicis* vix progredi, niſi quod nonnunquam, ad invaleſcentem jam tum Methodum, *Formales* ex ingenio, & conjectura, fabricet notiones, quibus *res Hebræa* nunquam rite conſtabilietur.

Defectum hunc notarunt, & ſupplerunt, Duo *Auguſtanæ* confeſſionis Lumina, & ornamenta, Cl. *Michaëlis*, & *Reimarus*, ille *Halæ*, hic *Hamburgi* L. L. O. O. profeſſionem ſumma cum laude, & celebritate, ſuſtinentes. Hi ut ex *Dialectorum* fontibus multa feliciter explanarunt; ita liberalioris quoque Commentationis decus ferunt, ab acriore partium ſtudio immunes. *Dialecti Arabicæ* lucem *Jobo* præcipue accendere conatus eſt, poſt Literaturæ illius principes *Grotium*, *de Dieu*, *Hottingerum*, *Bochartum*, *Hinkelmannum*, *Danzium*, Cl. *Cromajerus* in *opuſculo*, cui titulum fecit *Filia Matri obſtetricans.* Multa in eo docta, ſolida, certa, quæ ſuis locis laudare non neglexi: multa quoque infirma, incerta, extra juſtos fines euntia, neque rotundam illam *Dialectorum Harmoniam* ſatis ſervantia, ad cujus normam omnia nobis dirigenda, ſi poſteritati ſatisfactum cupimus. Hæc itidem, ubi neceſſe fuit, tacta, cum debita docti Nominis veneratione.

Idem honos habitus Cl. *Guſſetio*; qui in *Commentario Linguæ Hebrææ* abſtruſiora quædam loca *Jobi* illuſtrare ſtuduit: eſt ubi dextre, & feliciter; eſt ubi infelicius, & longe a ſcopo. Id evitari nequit, ubi loca

ex-

extra filum fere, & ſeriem, educta, tractamus, voces, & phraſes, in ſe tranquille conſiderantes, non in æſtu illo diſputandi, & adfectu fervidiſſimo, quem perpetua demum commentatio, & omnium ſermonum libratiſſima deductio, ſentiendum tradit. Acceſſit & aliud, de quo *Lib.* II. *Originum* diſſerui ex profeſſo contra Virum Doctiſſ. & præclare ceteroquin de *Ling. Hebr.* meritum; quod *Dialectorum* lucem, & opem, præfractius excludens, diem, & viam veritatis feliciter eruendæ, ſuiſmet ſibi manibus præcluſerit.

Inter eos porro, qui ſelecta *Jobi* loca, periodoſve, attigerunt, atque ex Eruditionis ſuæ recondito penu illuſtrare aggreſſi ſunt, memorandum mihi par nobile Philoſophorum, *Niewentytius in contemplationibus Mundi* &c. & *Scheuchſerus* in *Jobi Phyſica ſacra.* Eximia ſunt, quæ uterque in medium contulere; ſed aliorum ferme oculis videre coacti in *Hebraicis*, non ſemper recta collineare, genuinumve *Jobi* ſcopum ferire, potuere. Longiuſcule etiam optimæ cauſæ ſtudio evectus Acutiſſ. *Niewentyt:* eam *Jobo* & *Amicis* vindicans *Philoſophiæ arcanorum* cognitionem, quæ hiſce demum ſeculis patefacta, non niſi ab Auctore Naturæ, eodemque Scripturarum inſpiratore, cum iiſdem potuerint communicari. Carere potuiſſet his ſubſidiis opus præcellens, quod gravibus armis *Atheiſmum* profligans, nollem anſulam infelicibus ingeniis porrexiſſet ad cavillandum, quum elabendi nulla in ceteris rimula ſit relicta.

Electas pericopas præterea illuſtrandas ſumſere *Bootius* in *Obſerv. Sacris; Bochartus* in *Hierozoico; Ludolfus* in *notis* ad *Hiſt. Æthiop.* & *Haſæus* in *Opuſculo* de *Leviathane.* Laudatiſſimorum Virorum curæ potiſſimum in *Capita* XXXIX. XL. XLI. incubuere. Hinc natæ prolixiores illæ diſcuſſiones circa *Bovem Sylveſtrem*, *Equum bellatorem*, *Struthocamelum*, itemque *Behemothum* & *Leviathanem.* Merita immortalia omnium, & univerſi noſtri laboris Oeconomia, exigebant, omnium ut ſententiæ, cum præcipuis ſuis firmamentis, in illuſtri locarentur, ne calculi a nobis ſubducti ratio quemquam fugere poſſet: quin occaſio ſubminiſtraretur obſcuriſſimas haſce materias majori adhuc lumine perfundendi, atque ex multiplici errore, & fluctu, in tutam, firmamque, ſtationem perducendi.

Deſinet ſubſidiorum meorum longior hicce Catalogus, *Meibomio* miſſo,

qui ad *Cap.* XXXI. confutatus, in Clariſſ. *Clerico*, cujus nova in *Jobum* verſio, & paraphraſis, cum Commentario perpetuo, neſcio an aliorum, meam certe expectationem, in pleriſque non implevit.

Agnoſco copioſiſſimam in Viro eruditionem; *Criticæ artis* aliquam laudem, Sacris exceptis, ubi ruere ſolet, ei nullus detraho; ejuſdem ingenium, & judicium, longa ſcribendi, docendique, palæſtra ſubactum, ſuſpicio; in privas opiniones *Philoſophicas*, & *Theologicas*, quibus ſemet addixit, me non immiſceo; multo minus arbiter, judexque, de iis ſedeo: ſed quod ad viam & methodum commentationis in *Jobum* attinet, multum eſt, per ſane multum, & magnum, quod in ea requiro. *Primo* non prudentiſſime revictam dudum, exploſamque, ſententiam, adſcivit, qua ſtatuitur, *Jobum non veram eſſe*, ſed *fictam*, & *Dramaticam*, *Perſonam*, *ſub cujus involucro deſcribatur vir ab omnibus Amicis & Inimicis juxta peſſime habitus, ut in eo luculenta extaret imago piorum inter Hebræos, in Captivitatem Babylonicam una cum Impiis avectorum.* Addubitat quidem *Cap.* I. & II. nec non alibi, num *vera* ſit *Hiſtoria*, an potius *parabola*, ſed ſatis apparet, poſtremum hoc ei tam alte ſediſſe, ut illuc perpetuo recurrat, eique fundamento totum ſuperſtruat commentarium, Corpus ſine Anima quodammodo ex Monumento hocce conficiens, & *mortuam* quandam *Tragœdiam*, cujus vivum Exemplum in rerum Natura nunquam extiterit, nec, quod *Hypotheſis* illa tacite fovet, unquam extare poſſit. *Secundo*, ut hoc aliquo tamen colore ſe ſuſtineret, adoptanda fuit nec docta, nec ſcita, opinio, poſt *tempora demum deportationis Babylonicæ* hocce ſcriptum exaratum. Id confirmari ait *Cap.* 1: 6. ex *frequentibus* in hoc Libro *Chaldaiſmis*. Atqui nullus inter Sacros Codices tam genuinum remotiſſimæ antiquitatis præſert Characterem. *Chaldaiſmi* illi, quos nonnulli captant ex *terminationibus Plural.* in ין pro ים, etiam *Hebraicæ* & *Arabicæ* ſunt *ditionis*, atque vetuſtiſſimæ monetæ. Multo facilius *Enniane Linguæ* venerandum decus, & pondus, expreſſiſſet ſcriptor aliquis ferreæ ætatis, quam *Hebræus* ab exilio *Babylonico* redux grandiſſimum illud, magnificum, intemeratum, ultimæ vetuſtatis nota eminentiſſima impreſſum, quod e ſublimi hacce tam materia, quam ſtylo, Compoſitione relucet. Hoc qui diſcernere non valet, næ ille vel diſſipa-

pate, vel imperite, judicare cenſendus. *Tertio*, non poteſt non diſplicere *Confidentia* illa, qua vir magnis meritis in famam miſſus, pronunciat, & decidit, eo in genere *Literarum*, ad quod aliquam Eum curam, & culturam, attuliſſe nemo negat; ſed quod tam profunde ab Eo penetratum, tam diuque excultum, quam par eſt, ad pedem cum principibus in hac palæſtra viris conferendum, ſolis illis credere licet, qui parum, aut nihil, in hiſce intelligunt. Dolenda mihi, hac occaſione, conditio eſt *Linguarum Orientalium*, prout eæ a multis tractantur. Unus, alter, tertius ad ſummum, annus, iis percipiendis datur. *Analyſis* ſatis prompta. Explicatio ad receptam verſionem non omnino impedita. Placent profectus; & jam metam ſe tenere credunt, qui carceribus vix egreſſi.

Quid cauſæ? Tum alia, de quibus alias, tum hoc vel maxime, quod qui in *Græcis*, *Latiniſve*, non ſatis ſubactus, ſibi aliquid arroget, mox in ordinem cogatur, atque ad ſubſellia relegetur: qui in *Orientalibus*, etiam in re pauperi ditiſſimus, non ſibi tantum, ſed & reliquis, videatur, ſi modo ope *Lexici* aliquid in medium proferre, merceſque ſuas venditare queat. *Quarto*, gravius adhuc me offendit, quod cum cognitione non profundiſſima *Linguarum Orientalium*, tam liberam Criſin exercere auſus ſit Vir Doctus, tum in *Ordinem* hujus Libri, quem confuſum, & indigeſtum aliquoties inculcat; ſolemnem *Orientalibus* dictitans confuſionem, & ordinis neglectum: tum in *verba*, *phraſes*, *conſtructioneſque* ſaniſſimas, quas in ſuſpicionem vocat labis, & corruptionis, ut habeat in quo Cornicum oculos confixiſſe, & Viris Principibus palmam acuminis, eruditionis, & judicii, dubiam feciſſe videatur. Conſimiliter, *Quinto*, ferri nequit, quod *Criticus*, & *Literator*, in *Biblioth. Ant.* & *Nov.* profeſſus, ſe nihil *Commentario* huic inſerturum, quod *controverſias Theologicas ſaperet; quippe quæ aptiores ad rixas alendas in Orbis Chriſtiani probrum, quam ad Veritatem inveniendam, & hominibus perſuadendam;* nuſpiam non partium ſuarum intenſius ſtudium prodat: in ipſo Limine aſſeverans, nihil in hoc Libro contineri, quod *ſeculi futuri fidem*, ac *ſpem*, *Jobo*, *Sociiſque*, adſtruat; ſed contra totam ejus diſpoſitionem evincere, *beatæ reſurrectionis* & *Vitæ Cœleſtis* nullam eos cognitionem habuiſſe. Qui fundamenta hæcce commen-

tationi ſibi ſuæ locat, & præſtruit, eum nil niſi perpetuas ruinas dare poſſe in Libri hujus expoſitione, quivis facile intelligit; quum *ſpes*, Religioſis Dei cultoribus in Cœlis repoſita, quam inauditæ plagæ, calamitateſque uſque & uſque ingraveſcentes, ſollicitabant, & funditus ferme convellebant, quum, inquam, ſpes illa beata vel maxime *tempeſtatem* ſuſcitarit *querelarum*, & *lamentationum*, in quas oppreſſum Noſtri pectus erupit: ac præſertim *animoſiſſimas* illas accenderit *Provocationes*, quibus ad ſupremum Tribunal admitti poſtulavit, ut *integritatem* ſuam ſub oculis Judicis juſtiſſimi aſſertam, & evictam, dare liceret. Tam grandia πάθη nec concipit, nec effert, niſi qui de *Salute*, de *jure fœderis gratiæ*, de *præmio* ſinceros Dei cultores poſt hanc vitam manente, deque *corona juſtitiæ* pugnat, *ſuamque partem in Hæreditate ſanctorum in luce* omni animi contentione, & ardore, tutandam ſuſcepit.

Hæc, hæc ſunt, quæ *Amicorum* criminationes, & cenſuras, cum minis adverſus *Hypocritam* & *impœnitentem*, ut putabant, deſtrictis, Noſtro plane intolerandas, & plagis ſuis acerbiſſimis acerbiores reddidere: quæ ſi tollantur, nihil plane nec in *Jobi*, nec in *Sociorum*, vehementiſſimis Actionibus intelligi poterit, ſed omnia in ſenſum tenuem, dilutum, frigidum, & Sapientiſſimis ævi ſui Viris indignum, diffluent, atque evaneſcent. Accedit, *Sexto*, quod Vir Eruditiſſ. *Cap.* XIX. & alibi Noſtro tribuat *ſpem inſtantis* ex hiſce miſeriis *Liberationis*, & quidem, per *Revelationem* peculiarem, (ſi res *Hiſtorice* capienda) qua promiſſum ei fuerit, *Deum* ut *Goëlem*, & *vindicem* e præſentibus malis *venturum* ante, quam moreretur. Hoc enimvero eſt, totam *Tentationem Jobi* quodammodo eludere, atque *Libri* hujus univerſam *Oeconomiam* ita conturbare, ut quid ſibi voluerit *Jobus* cum amariſſimis ſuis querimoniis nemo mortalium expedire poſſit, niſi ſimul impatientiſſimum eum, atque adeo ineptiſſimum facere velit diſputatorem, quem nulla virtus, conſtantia, & magnanimitas, in adverſis, commendet. Pronunciare tamen non veritus Vir Doctus, *pravis interpretationibus tranſverſos agi*, qui ad *ſpem Reſurrectionis* contextum referunt; quin *velut per fidiculas eam inde extorqueri.* Si retorquerentur dicta, *ſtudium Theologicum* vocaſſet: ipſe videlicet ab eo in-

intactus, & moderatiſſime veritatem promens. Sed, inquit, *Si Amici meliorem vitam noviſſent, vetuiſſent eum uſque adeo perturbari, & lamentari, dixiſſentque, aliud eſſe Tempus præmiorum virtutis, idque expectari ab eo debere poſt hanc vitam* &c. Atqui *Jobi virtutem* in dubium ſtatim devocare cœperunt ſuperciliosi cenſores, eumque *Hypocriſeos, Impietatiſque, fulmina meritæ*, incuſare; graviores adhuc *plagas, pœnaſque*, ni reſipiſceret, ei intentantes. Secundo, *Jobus ipſe ſaltem*, inquit, *hoc ad animum revocaſſet, nec uſque adeo æſtuaſſet.* Immitem profecto regulam, ad quam ne nunc quidem *ſpes, fideſque, immortalitatis beatæ* in ullo Chriſtiano ſatis explorata, ſi ea cum *animi æſtuatione infinitos inter dolores*, & *tentationes ſæviſſimas, velut agmine facto undique ingruentes*, conſiſtere non poſſet. Quid? ne *tentatus* quidem fuiſſet *Jobus* ad *extremum* illum *gradum* uſque, qui *deſertionem* infert ipſius *Dei*, ſi *Gloriæ cœleſtis* intuitu, vivoque ſenſu, ſemet ſemper ſuſtentare valuiſſet. Hæc alibi latius. Tertia adhuc inſtantia adjectum: *quod ſi talia Eorum mentem non ſubiiſſent, Deus certe, ſi res jam revelata erat, monuiſſet Jobum, ſibi viſum fuiſſe tot malis virtutem ejus explorare, ut magis in ea firmaretur ipſe, aliique eam imitarentur: nec eſſe cur ſibi* duritiem *ac propemodum* injuſtitiam *exprobraret, ſe enim effecturum ne hominem conſtantiæ ſuæ pœniteret, æternis & eximiis in eum collatis præmiis. Hæc oratio (ſi rem jam tum pateſeciſſet Deus) multo ejus ſummæ ſapientiæ convenientior erat, quam* Creatio Crocodili & Hippopotami, *aliaque id genus, quæ Jobum quidem terrere potuerunt, Divinæ potentiæ metu, ſed ſolari vix potuerunt.* Atqui necdum *tempus ſolatii* aderat, & *Jobus* contentionibus ſuis adverſus Deum modum & modeſtiam ſupergreſſus, in ordinem ante cogendus erat, atque a præfidentia ad humilem ſub manu Creatoris ſubmiſſionem revocandus. Huc gemina illa revictio, quæ *Capitibus* XXXVIII. XXXIX. XL. XLI. exſtat, directa, in qua qui *Sapientiam Dei* deſiderat, niſi iſtis temporibus cæcitas & ignorantia tenuerit Vitæ Futuræ, illum cum ſua ſibi Sapientia merito valere jubemus, & parum, aut nihil, in *Oeconomia Libri* perſpexiſſe exiſtimamus; etiamſi de cetero vel *Scaligeros, Grotioſque* omnes, in omni genere Eruditionis, quin & *Erpenios, Gollios, Warneros, Bochartos*, in *Orientali Literatura*, æquaret.

In

In tanto numero Auctorum, ultra *ſexaginta* excurrente, quam pedetentim, & circumſpecte, mihi progrediendum fuerit, facile dijudicare eſt. Omnium ſententia nempe, pro *ſcopo*, quem ſibi quiſque præfixerat, libranda fuit, & ſcrupuloſe ad *nexum* exigenda. Hinc ortum genus illud lentum, circumductum, & perpetua fere *Epicriſi* interluſum, quo telam commentationis meæ exordiri, & detexere, ſuſtinui: non ſane ut *Arbitrium* mihi ullum arrogarem, multo minus *decidendi auctoritatem*, ſed ut qui ſenſus mentem inter meditandum pepulerint, qualeſque conatus ad veritatem ubique locorum veſtigandam fecerim, imperitis juxta & peritis liqueret: imperitis, ut tanta in diſſenſione, & varietate, Interpretum, judicium ſuſpendere ſimul, ſimul exercere, & acuere, diſcerent: peritis, ut & aliorum illa, & noſtra, ſimiliter expendendo, meliora Ipſi invenire, & docere poſſent, ubi, quod tam longo in curſu ſæpiſſime accidere debuit, aberraſſe, vel minus dextre judicaſſe, reperirer.

Non poſſum quoque, quin in Frontiſpicio operis profitear, atque declarem, quamvis de univerſa *Hypotheſi*, cujus lineas ſupra duxi, *Diſputationumque* inter *Jobum* & *Amicos* habitarum argumento, atque ordine, ſatis certus ſim, ac ſecurus, in multis tamen majorem adhuc lucem me deſiderare; utque ipſe eam quærere non deſino, ita excellentibus ingeniis, quibus dilucidior Monumenti hujus intelligentia cordi, curam iſtam etiam velle commendatam. Exempli cauſa ad *Caput* IX. *Vſ.* 24. liquidius aliquid requiro: item *Cap.* XII. 4. 5. non diſplicent, quæ tentavi, nec tamen ita placent, ut plane iis acquieſcam. Eadem ratio *Capitis* XXIV. *Vſ.* 12. cujus gravem illam *Pericopam*, quæ a *Vſ.* 18. ad finem uſque decurrit, quam magis volvo, ac revolvo, tam magis caliginem, atque adeo vertiginem, oculis offundi perſentiſco. Ad *Caput* XXVIII. ubi *in regnum minerale* profundiſſima meditatione deſcendit *Jobus*, lucida *Chemicorum* face indigemus, ad tenebras illas evincendas. In *Capite* XXX. *Vſ.* 24. nodus *Gordius.* Qui eum non ſecuerit, ſed ſolverit, dignum operæ pretium tulerit. In *Capite* XXXVI. *Vſ.* 18. 19. 20. 30. 32. 33. aliquid mollius, planius, & omni ex parte, quoad rem, & Linguam, rotundius, exſpecto. *Capita* extrema XXXVII. XXXVIII. XXXIX. XL. XLI. Commen-

mentatorem exigunt, cui Hiſtoria Naturalis, per claſſes, & regna ſua, late patens, cum miraculis quæ Theatrum Univerſitatis offert, propius penitiuſque introſpecta. Idem de reliquis materiis *Philoſophiam* ſpectantibus dictum eſto. *Theologica* etiam non attigi, niſi ubi *Literæ* meæ explanatio, aut gravior ratio, ex media materia ſubnaſcens, id poſtulavit. In totum quoque circumcidi eas diſcuſſiones vocum, ac phraſium, quæ Concioni aptiores, quam Commentationi Criticæ; quum una nobis ſederit cura, & cogitatio, *Literalem ſenſum* rite conſtituendi, atque ex ingenti fluctuatione, firma, ſi pote, ancora fundandi; ut ad eum & *Philoſophi*, & *Theologi*, & *Oratores Sacri*, Doctrinæ ſuæ opes ac theſauros explicare, atque in commoda Eccleſiæ, orbiſque Literati, expromere facilius, feliciuſque, poſſent.

In nova mea verſione, ſi quid quem primo adſpectu moretur, quod longiuſcule aliquando a reliquis diſcedam, atque crebro ex fontibus hauriam, quos præjudicata quorundam opinio ideo damnat, quia iis uti nequeunt, is hoc a ſe impetret, velim, ut ne judicet ante, quam legerit, & cauſæ noſtræ, ac *Hypotheſeos*, in *Hebraica* Lingua ex ſororiis *Dialectis* illuſtranda, legitimam ſaltem ſumſerit cognitionem.

Ea a plurimis hactenus, ut undique percipio, necdum intellecta. Creditur a pleriſque forte, certe a multis, intra & extra *Belgium*, mea circa rem *Hebræam* molimina a *veteri formula* deſciſcere, & neſcio quas ſupervacuas, otioſas, noxias etiam ferme, ſubtilitates, & innovationes, parturire. Cur quæſo? an quia vel in *Kimchii*, vel in *Pagnini*, vel in *Buxtorfii*, vel in *Cocceji*, vel in *Guſſetii*, vel in *Stockii Lexicon Hebraicum* non juro? Id quidem omnes dicere puderet. Cur ergo? an quia *Gallicam*, *Anglicam*, *Germanicam*, *Belgicam* vernaculas, itemque *Latinas*, vel *Vulgatam*, vel *Tigurinam*, vel *Caſtalionis*, vel *Junii & Tremellii*, vel *Cocceji* iterum aliorumque, verſiones ſuſpiciens, & venerans, aliquid etiam judicii mihi in eas vindico, eaſque ſuis quaſque defectibus laborare contendo? Ne hoc quidem quiſquam dixerit, cui aliquid liberalitatis & eruditionis. Nemo etiam in dubium revocare auſit, quin ut ad reliquas *Doctrinas*, & *Literas*, ita ad *Hebraicæ* quoque *Linguæ* culturam, acceſſio fieri poſſit lucis, & gratiæ. Quid igitur eſt tandem, cur Operam hac in parte noſtram, profeſſio-

ne *Academica* Deo, Eccleſiæ, veritati dicatam, ceſſare velit quiſquam, quominus recte a principibus Literaturæ noſtræ conſtituta confirmemus, & illuſtremus; dubia dirimamus; ſubleſta, & rejicula, detegamus; *Defectuſque* latentes indicemus? Nihil, quo me cumque vertam, invenio cauſæ, niſi quod Regia via, quia longior, & moleſtior, deſerta, per tramites, & compendia, iri cœperit, atque poſt Cl. *Guſſetium* quiſque ſibi clavim arrogaverit *Linguæ Hebrææ*, ad intima ejus penetralia reſerandum, citra ullam *Dialectorum Chaldaicæ*, *Syriacæ*, & *Arabicæ*, cognitionem, quam & *Rabbini*, ſeculo XII. XIII. XIV. & primi *Hebraizantes* Sec. XV. & XVI. & Flos ille Honoſque Virorum, qui ſeculo XVII. junctis in hanc operam manibus, viribuſque, conſurrexit, una voce, ac mente, commendarunt: *Scaligeri*, *Grotii*, *Salmaſii*, *Seldeni*, *Waltoni*, *Caſtelli*, *Pocockii*, *Schindleri*, *Buxtorfii*, *Capelli*, *Erpenii*, *Druſii*, *Golii*, *Hottingeri*, *Bochartí*, *Ludovici de Dieu*, *Altingii*, *Opitii*, *Noldii*, *Ludolfi*, atque alia nomina, ubique regionum, ac gentium, in famam atque celebritatem magnis meritis dimiſſa. Etiam *Coccejus*, ut in *Chaldaicis* & *Syriacis* ſubactus erat, crebro huc in *Commentariis*, & *Lexico*, recurrit. *Arabica* levius attigerat; quam plurimas tamen *Radices*, *voceſque* rariores, hinc elucidare non dubitavit. Aliquando iterum, ubi ex *Hypotheſi* aliud malebat, inde reſiluit, *peregrinam* eſſe *Linguam* cauſſatus, cui tantum juris vix competeret. Ab eo ferme tempore ſtudium *Linguæ Arabicæ*, quod per *Erpenium*, *Goliumque*, vivas in *Belgio* radices egiſſe videbatur, ſenſim langueſcere, refrigerari, ſub cineribuſque conſopitum jacere, accedente initio volventis ſeculi decretorio velut conatu Cl. *Guſſetii* in *Comm.* L. H. omnem *Dialectorum* uſum proſcribentis, & longe a finibus Scripturæ Sacræ exulare jubentis, quod *Lingua Hebræa* inſtar *ſolis* ſuiſmet reluceat radiis, atque ſibi ipſi omnem, qua indiget, lucem præſtare valeat. Nunquam quicquam abſurdius in Orbe Literato pronunciatum; & tamen, eloquar, an ſileam? nunquam quicquam avidius, forte, ſecuriuſque, receptum, non ab omnibus ſane, eo enim uſque ſe Veritas premi non patitur, ſed a quam plurimis, quibus per *Chaldaicum*, *Syriacum*, & *Arabicum* iter, vaſtaque illa, ut opinantur, viarum deſerta, ad *Hebrææ Linguæ* adyta ſe penetrare, poſtquam moleſtiſſimum viſum fuit, ut omnia ignota con-

conterrent, bona, credo, fide abſurdiſſimum ſimul videri cœpit, quod ſibi neſcio quas *Linguas Peregrinas* ſub iſtis *Dialectis* imaginentur, quas vel a Limine ſalutare vix unius ſit hominis, aut vitæ. Certe Vir Doctiſſ. quicum pedem contuli *Cap.* IV. *Lib.* II. ad *Orig. Hebr.* ſeſe adduci negat, in *Præfat. Comm.* L. H. *Deum, ut a nobis intelligeretur, nos tot Linguis addiſcendis onerare voluiſſe.* Abſona profecto ratiocinatio, quæ omnis *Eruditionis*, & *Literaturæ*, fundamenta ſollicitat. Hæc alibi ex profeſſo. Nunc quod inſtat. Ajo itaque, arenam ſpargi, quando *Dialecti* ut totidem diverſæ *Linguæ*, & quidem *Peregrinæ*, in contemtionem, & invidiam, vocantur; idque ab iis tantum, qui earum vel expertes in totum, vel ſaltem non adeo compotes, ut legitime pronunciare poſſint. Luditur in vocabulo *Peregrinitatis*, ut alibi quoque demonſtratum, atque uberius adhuc oſtendendum. Vel unum produci velim alicujus famæ, dignitatiſque, Virum, qui *Chaldaicis*, *Syriacis*, *Arabiciſque literis* probe imbutus, eas nomine *peregrinitatis*, vel &, quo tandem decurritur a prudentioribus, *degenerantis impuritatis*, excluſum iverit ab officio illo, quod ipſis, cum omnibus qui in iis calluerunt, aſſerimus, atque vindicamus. Si tam conſtans conſenſio omnium peritorum non valet ad *Evidentiam*, & *Demonſtrationem*, tantam, quanta hoc in genere attingi poteſt, neſcio quid in *Græcis*, quid in *Latinis*, quid in aliis partibus Humanitatis, *Evidens*, & dubitationis aleæ exemtum, dici, vel dari, queat. Sed & hæc alias, noſtro commodo, refutatis argumentis quæ tum alii, poſt Cl. *Guſſetium*, tum ipſe mihi ante biennium in *Diſputat.* ad *Orig. Hebr. Cap.* V. obmovi. Nunc teneatur id, quo cuncta hæc tendunt. Dixi *Hypotheſin* noſtram a multis ne quidem intelligi. Ajunt nempe nos præpoſtere *Matrem cogere in jura Filiarum*, & *Linguam antiquiſſimam* ex *noviciis* declarare, & reformare, velle. Id centies revictum a Viris Doctiſſimis, uſque tamen & uſque, amentatum velut telum, in nos intorquetur. Reſponſio noſtra in præſenti hæc eſto: *Materna jura* adeo non ſollicitari a nobis, & convelli, ut contra *Matrem* in priſtinam *libertatem*, *dignitatem*, & *opulentiam*, unde per injuriam temporum decidit, reſtituere connitamur; per fideles, diviteſque, ſive *Filias*, & *Miniſtras*, ſive *Sorores*, & *Socias*. Clarius. Quicquid ex *Chaldæa*,

Syria, *Arabia* adducimus, ad Sacri Codicis commodiorem explicationem, id vetuſtis *Hebræis* domeſticum, propriumque fuiſſe, non adfirmamus tantum, ſed etiam comprobamus, atque evincimus, omni illa demonſtratione, quam genus hocce vel poſtulat, vel recipit. Hoc certe in *opere* de *Originibus Hebr.* itemque de *Defectibus*, præſtare conati ſumus; in quibus ſi calculi male poſiti, refelli cupimus, non voculis, ſed bonis rationibus, evictionibuſque, quæ meas rationes, evictioneſque, vel ſuperare, vel æquare ſaltem, queant. Nimium exigo, pugnans quaſi, præfiſcini, intra præſidia. En quo deſcendam. Unum modo mihi probari poſco; quod pro *antiquo*, *genuinoque*, in *Lexicis* ſive *Rabbinorum*, ſive *Chriſtianorum*, comparet, id omne *genuinum* vere & *antiquum* eſſe. Qui poſſet? toto enim cœlo in pleriſque Radicibus conſtituendis diſſidetur, atque ita variatur ut neſcias ubi pedem figas. Et hoc ergo nimium poſui. En unicum! quod nemo non æquiſſimum largietur. Probari tantum depoſco, vel id quod *Buxtorfius* elegit ut optimum, vel id quod *Coccejus* dedit ut præſtantiſſimum, vel id quod *Guſſetius* exhibuit ut enucleatiſſimum, vel id quod quiſque ſibi ex omnibus excerpſerit, & ſecreverit, eſſe vere *antiquum*, *genuinum*, *Hebraicum*, in quo acquieſci ſine ulteriori indagine, aut examine, poſſit. Hoc ſi præſtetur, nemini magnopere Auctor fuero, ut ſe *Chaldaicis*, *Syriacis*, *Arabiciſque* maceret; & complanatam, compendique factam gaudebo viam, per quam *Hebraicæ* eruditionis faſtigium non ita magna moleſtia poterit conſcendi ab iis, qui nunc ferme ad pedem montis conterriti ſubſiſtunt.

Hæc in genere præſtruenda erant, ut fundamenta novæ verſionis, fonteſque ſimul noſtri, clarius cognoſcerentur; atque ad examen legitimum paterent. In ſpecie porro præmonendum, me hoc in opere eam ſæpe viam tenuiſſe, quæ *Arabizantium methodo* prima fronte contraria videatur, quum crebro ſeponam, quæ Viri Doctiſſimi ad diverſa loca ex illo penu attulere: quin & mea ipſius vineta cædam, retractans ſat multa, quæ in *Juvenilibus* conatibus Anno VIII. hujus ſeculi evulgavi. Nempe triginta fere annorum ſeries, & perpetua palæſtra, aliquid maturitatis addere potuere homini hoc agenti, & nunquam ſe ſatis profeciſſe credenti. Is ſerio gaudet, ſe, quod adoleſcens admodum,

dum, ad loca ſelecta, & libera, quum Librum *Jobi* necdum intelligere poſſet, minus rite ad *ſcopum*, *nexumque*, produxit, nunc ope maturioris Curæ potuiſſe emendare; luxuriem *Arabizandi* ſevera falce in ſemet ipſo primum caſtigans; in aliiſque temperare ſtudens, atque ad eam reducere ſobrietatem, quæ æquis judicibus ſeſe approbare, & poſteritatis examen ſuſtinere queat.

Quid, & quale, hoc ſit, planius ediſſerendum. Ut omnes diſciplinæ, & artes, inter initia multum trahunt imperfecti, quod cum tempore demum expurgatur, atque expolitur: ita *Linguarum Orientalium* ſtudium ſuis quoque ſcoriis, & fæcibus, non caruit; unde, ut fieri aſſolet, earum contemtoribus occaſio nata totum illud genus explodendi. Præſertim luxuriatum, & graviter offenſum, etiam a magnis ingeniis, in *Arabicis*, opulentæ ſylva Linguæ ne iis quidem ſatis dum pervia, quod *Gloſſaria* ditiſſima *Arabum*, unde *Lexica Giggeji*, & *Golii*, concinnata, *exteriorem* tantum *materiam Radicum*, & *propaginum*, exhibeant, ad inſtar *Heſychiani* alicujus *Gloſſarii;* quum ad convenientiam cum *Hebræa Linguæ* eruendam, & demonſtrandam, *interior forma* & *nativa* cujuſque *ſtirpis indoles* exploratiſſima eſſe debeat. Ad eam non penetratur nec in *Græcis*, nec in *Latinis*, niſi aſſidua Auctorum præſtantiſſimorum lectione. Qui e *Lexicis* tantum ſapiunt, *Stephanos*, *Fabroſque*, ſuos adeuntes, parum, aut nil, ſapere, ac poteſſe, ad Literas haſce nova luce, & gratia, mactandas, merito cenſentur. Similiter comparatæ Linguæ *Orientales.* In his Librorum idonea lectio oculos demum aperit, & de Natura, uſuque Vocabulorum, rite judicare docet. Specimina paſſim operi huic inſerta.

Ad primam hanc, altera accedit ratio *Methodi* haud dum ſatis defœcatæ, quod *Arabizantes* non magnam curam geſſerint *Harmoniæ;* quæ quaſi anima eſt *Dialectorum*, per quam disjecta earum membra in unum corpus junctiſſime coaleſcere debeant, ſi aliquid pulchri, firmique, exſtructum volumus, quod & noſtri ævi hominibus ſatisfacere, & gradum ad poſteritatem tueri queat. Ad hanc *Harmoniam* reſerandam duplex requiritur *Clavis:* quarum altera verſatur circa *materiam*, i. e. *literas*, & *vocales:* altera circa *formam*, i. e. *ſignificationes Radicum*, quæ in *Lexicis* δὶς διὰ πασῶν ſæpe diſſonantes, naturali inter ſe copula, quam *Originem*

appellare ſoleo, in concentum revocari debent, ut liqueat pro diverſitate tantum *Dialecti* diverſum quid ſonari, quum fundamenta ceteroquin pulchre conſonent, atque in unam primigeniam vim, ac indolem, conſpirent.

Ad has leges niſi adſtringatur religioſiſſime, quicquid ex *Dialectorum* ubertate, & copia, in uſum *Biblicum* derivatur, nulla ſententiarum conſenſio, nulla ſatis firma aſſenſio, ex luce evidentiæ, & perſuaſionis, oriunda, lites terminabit, ſed perpetua regnabit viciſſitudo, qualis ferme earum *ſcientiarum*, quæ ſingulis ſeculis, ætatibusve, habitum mutant, & nunc hanc, nunc illam faciem, pro ingeniorum, & temporum, diverſitate, induere ſolent. Per *Harmoniæ* ergo geminam hanc *Clavim*, ut adytis L. L. O. O. penitius recluſis omnia rotundanda, in unumque corpus redigenda, ita eaſdem nunquam amplius e manibus dimitto, ne quidem in hac ipſa commentatione eas ſeponere auſus, quamvis majorem quandam libertatem nemo improbaſſet; quod magno conſenſu a Doctis juxta, indoctiſque, teneatur, *Librum Jobi totum ſcatere Arabiſmis, Syriaſmis, quandoque & Chaldaiſmis, tum quoad voces innumeras, tum quoad loquendi modos.*

Habes verba ſummi *Spanhemii* in *Hiſt. Job. Cap.* XVI. *par.* IX. quibus ſuam de *Auctore Libri* noſtri ſententiam principe loco firmat. Ea fert, *Sermones, prout ultro citroque habiti, fuiſſe Arabicos, & Arabice primum deſcriptos, in domeſticaſque Tabulas relatos, jam ante Moſen, ab ipſo Jobo, & Amicis, poſt lætum diri caſus exitum, amica inter colloquia, ſua hæcce certamina recolentibus, & in memoriam ſeculorum mittere geſtientibus.* Hinc ſcriptorem *Hebræum*, non quidem *Moſen*, ut multi tetenderunt, inter quos Ill. *Huetius*, non *Salomonem*, ut *Grotius* aliique, ſed alium aliquem, vel ante, vel circa, tempora *Salomonis*, impulſore Spiritu, *Hebræa veſte*, & *civitate*, donaſſe hocce *Jobæi caſus monumentum*, ad uſuſque *Eccleſiæ* conſecraſſe, ſub forma *Tragici carminis*, ad *Archetypum Arabicum* fideliſſime expreſſi, ſive illud jam *ligata*, ſive *ſoluta*, oratione fuerit exaratum. *Hac de cauſa ergo non Vocabulis tantum, ſed & phraſeologiis, ac figuris, Arabicis ſcriptum hocce redundare, quas fruſtra ſint, qui Hebraiſmos eſſe velint, de Arabiſmis minus fortaſſe periti Judices.*

Ni-

Nihil meditatius, plauſibiliuſque, in materia per ſane obſcura, & doctorum hominum variantibus opinionibus magis adhuc obſcurata, dari poſſe cenſeo. In eo etiam pedem figere ferme auderem, niſi ſcrupuli graves aliquid planius, firmiuſque, circumſpicere hortarentur. Hos ut citra ſtudium expono, ita & citra illud examinari optem, non enim noſtra in hiſce quærimus, ſed orbis Eruditi, & Eccleſiæ, commoda augere ſtudemus. Obſervo itaque, *primo*, Clariſſ. *Spanhemium* ſupponere, ad vulgarem illam opinionem, de qua ſupra, *Linguam Hebraicam*, & *Arabicam*, tam diverſas fuiſſe jam tum, antiquiſſimis illis temporibus ante *Moſen*, ut ſine *verſione*, & *interprete*, dicta utrimque, ac ſcrippta, plane intelligi nequiverint. Hoc quo fundamento ſtatuatur, non exputo, nec invenio. Dici mihi velim, unde venerit iſta *Lingua Arabum*, ab *Hebræa* tanto opere diſſidens. Ex confuſione *Babylonica?* Hoc quidem confuſum, nimiſque indoctum eſſet, atque illi tantum condonandum, qui nihil omnino in hiſce diſpicit. Unde ergo? Ab *Hebræa Matre* dices. Recte vero. Nempe *Heber* Linguæ primævæ Stator, & Hæres, tum *Hebræos*, tum *Arabes Joctanidas*, qui *Arabiam Felicem* inſedere, proſeminavit. *Arabes Iſmaelitæ*, *Midianitæ*, aliique bene multi, ab *Abrahamo*, magno *Hebræorum* parente, *Originem* ſimul *Linguamque* traxere. *Arabes Idumæi*, qui *Petræam* tenuerunt, ex *Iſaaco* per *Eſavum* exiere, gemini germani *Hebræorum* fratres. Jam vero *Utzam*, *Jobi* patriam, in *Idumæa* locant plurimi. Verior tamen nobis *Spanhemiana* ſententia, *Uzitidem* hanc in *Arabia deſerta* quærendam, *Jobumque* ab *Abrahamo* deſcendiſſe, non per *Hagaram* & *Eſavum*, ſed per *Keturam*, cujus pallacæ *Filii*, & *Nepotes*, maximam partem, *Arabiam Deſertam*, nomine *Arabum Scenitarum* occuparint. Hæc, & & alia, quæ Amicorum ſpectant patrias, partem conſtituent *Diſſertationum Jobæarum*, in quibus multa ab Eximio noſtro *Spanhemio* in *Libr. de Antiq. & Obſcuris Hiſt. Jobi* eruditiſſime illuſtrata, ulterius confirmare; nonnulla, ſi fas, aut pote, aliter ordinare; plura adhuc, quæ vel intacta reliquit, vel ſtrictim tantum tetigit vir Magnus, clariore in die collocare connitar.

Ad hæc jam quocumque oculos convertam, *Arabes* reperio partim *Heberidas*, in receſſu *Felicis Arabiæ*, partim *Abrahamidas*, in *Arabiis*

Te-

Petræa, & *Deſerta;* ut *Sanguinis*, ita *Linguæ Heberi*, atque *Abrahami*, participes, & conſortes. Unde ergo illa vernacula *Arabum*, a vernacula *Hebræorum* tam diſſonans, ut ſine Interprete commercium inter ſe colere non potuerint? Degeneravit, inquis, *Arabum Dialectus*, atque a *puritate Hebraica* longum deſcivit. Hoc illi dictant, qui eam ſe ignorare non diffitentur: illuſtris chorus magnorum nominum conſona voce aſſeverat, eam non degeneraſſe; ſed *intimam* illam *conſanguinitatem* cum vel *Matre*, vel *ſorore Hebræa*, etiamnum, poſt tot ſecula, obtinere in univerſo ſuo ambitu. Mira res! creditur iis, qui nihil in hiſce laborarunt, atque Elementa attingere noluere: illis qui ætatem in ea diſcenda contrivere, non creditur. Atqui non *problema* tractatur, non *dubium* quid, & *controverſioſum*, *Eccleſiæ* obtruditur; ſed *Rei liquidiſſimæ*, & tanquam *Experientiæ naturali*, de qua nemo ambigit, qui ad eam propius acceſſit, ſuum jus vindicatur. Si ergo *Lingua Arabica* etiamnum *Origines* ſervat, atque, cum leviculis mutationibus circa corticem, ex *Dialecto* oriundis, poſt tantam ſeculorum intercapedinem, plane *Sororiam* cum *Hebræa* ſpirat *conſanguinitatem*, (quod ad oculum demonſtrari poteſt omnibus, qui modo rem inſpicere volunt) fieri profecto nequit, ut temporibus illis vetuſtiſſimis faciem a *Matris*, vel *Sororis* illa, multum diverſam induerit; atque in *peregrinum* habitum defluxerit jam ætate *Jobi*.

Ei Viro ipſe Cel. *Spanhemius* ſeu *Avum*, ſeu *Proavum*, vindicat *Abrahamum*, ex cujus ſanctiſſima etiam doctrina, fauſtiſque penetralibus, Veri Numinis hauſerit notitiam, in tam admirabiles ſapientiæ, virtutis, & pietatis, fructus exuberaturam. Hoc ut facile amplector, ita nullus cerno, quænam ſit, vel eſſe poſſit, illa *Lingua Arabica*, qua *Jobus*, & *Sodales*, *Collocutores*, uſi, ab *Abrahami Lingua* tantopere diſcrepans, ut deinceps per *Hebræum* aliquem vatem *veſte* & *civitate Hebræa* debuerit donari. Res, & ratio, potius concludere jubent, ſi *Jobus* ſuorum dictorum, ſenſuumque, teſtis idem, & narrator fideliſſimus, (de quo tam parum ambigo, quam ſolum *Davidem* nobis animi ſui ſenſus, motus, æſtus, fervidiſſimos, edere, ac cœleſti carmine memoriæ ſacrare potuiſſe) ea omnia ſic ab ipſo *Jobo* concepta, conſcripta, concinnata, ſublimi grandiloquen-

tiæ

tiæ *Orientalis* cothurno conveſtita fuiſſe, quemadmodum ea omne ſeculum adſtupuit, omne adſtupebit, ut inacceſſi & inimitabilis plane exempli Poëma, quod *Pindaros* omnes, quin & Sacram *Davidis* Lyram, longe ſuperſcandat.

Secundo, ut rectiſſime Cl. *Spanh.* urſit, *non aliunde melius conſtare potuiſſe de ſermonibus inter Jobum & Amicos habitis, de ordine dictorum, de tota ſerie, de cogitatis quin imo, interniſque animorum motibus, niſi ex illorum relatione, qui hæc ſenſerunt, atque experti ſunt ipſi: ac proinde ipſo Jobo neminem melius, neminem felicius, hæcce omnia in Commentarium potuiſſe referre*: ita ego viciſſim contendo, non ergo *Verſione* per ignotum *Hebræum facta* Divinam nos Providentiam mactaſſe, ſed *Originali ſcriptione*, & *compoſitione Ipſius Jobi Hebræo-Arabis*, id eſt ab *Hebero* per *Abrahamum* oriundi, cui hæc ipſa *Lingua*, qua monumentum hocce exaratum, vernacula fuerit, utpote illius ævi *Arabica*, quum aliam nullam *Arabes* habere potuiſſe, modo evicerim, ſive jam *Uzitidem Jobi* in *Deſerta Arabia* nobiſcum plaçeat collocare, ſive ex opinione aliorum in *Petræam* transferre.

Non perfunctorie, *tertio*, attendi velim, *Majeſtatem antiquiſſimæ Linguæ* ex toto Libro hocce relucere, in eoque paſſim eminere *characterem Archetypi*, aliquid *primævum*, & *Patriarchale*, præ ſe ferentis. Hoc ut nemo horum Sacrorum peritus negaverit, ita inde legitime inferri cenſeo, non *Verſionem* hanc eſſe, quam ſuſpicimus, & admiramur, ſed *Maximi Viri* ut *Mentem*, ſic *Manum*, quæ ſola tantum pondus, & decus, dictionis potuit ſuſtinere.

Quarto, quum *Verſio* nunquam tam fidelis eſſe queat, tamque potens, ut ubique *Archetypum* ſuum ea, qua par eſt, vel *Emphaſi*, vel *dignitate*, vel *gratia*, exprimat, non exigua hinc incommoda in *Librum Sacro Canoni inſertum* redundarent: in quæ nunc inſiſtere, nec vacat, nec attinet. Ad noſtras rationes omnia limpida; ut ne minimum quidem ſcrupuli, aut cavilli, hac in parte exoriri poſſe videatur.

Plura habeo argumenta, externa, & præſertim interna, quæ totius *Compoſitionis* & *Phraſeologiæ* genius larga mihi copia miniſtrat; ut magna cum fiducia confirmare ſuſtineam, non alium quam *Arabem*, hoc ipſum, quod nunc volvimus, ſcriptum, condere, & tanta ſubli-

mitate vocum ac ſententiarum efferre, tanto ſplendore figurarum illuminare, tanto exuberantiſſimæ orationis flumine inundare potuiſſe, ad indolem *Arabicæ*, & *Nationis*, & *Linguæ*, quam in hoc Monumento regnare omne ævum recognovit, omnis pagina demonſtrat.

Hunc *Arabem* eſſe ipſum *Jobum*, ex iis quæ deducta tam manifeſte conficitur, ut mihi quidem hoc in genere probatio nec evidentior, nec gravior, requiri poſſe videatur. Omnibus proinde perpenſis aliter ſtatuere, nec poſſum, nec audeo, quam ea quæ a *Cap.* III. ad finem uſque *Cap.* XLI. vel potius Vſ. 6, *Cap.* XLII. continenti carmine contexta, *Opus* eſſe *Jobi* jam in integrum reſtituti, *caſum*, *conflictumque*, *graviſſimum*, cui implicitus fuerat, pro ratione iſtorum temporum, *perenni memoriæ conſecrantis*, *ea ipſa Lingua*, *ſerie*, *concatenatione rerum ac ſententiarum*, *quam hodiedum*, *non ſine ſacro horrore*, *oculis*, *manibus*, *mentibus contrectamus.*

De *Introductione* Capitibus I. & II. ſtylo pedeſtri & Hiſtorico præmiſſa: itemque de *Clauſula*, quæ fortunatiſſimum diri caſus exitum ſoluta oratione enarrat, a Vſ. 7. *Cap.* XLII. ſic cenſeo, *Hebræi* alicujus *Collectoris* veſtigia in iis comparere, quæ probabilem moveant conjecturam, tum principium, tum finem, illo ſaltem habitu, adtextum eſſe ab aliquo *vatum Hebræorum*, quum in *Canonem Eccleſiæ Judaicæ* Codex hicce *Hebræo-Arabicus* reciperetur.

Quando, & cujus auſpiciis, id factum, jam diſquirere nil attinet. Id curioſum magis, quam ad intelligentiam Libri neceſſarium, majori otio deputatur.

Hebræo-Arabicum quod in hoc antiquiſſimo ſcripto ſplendide eminere diximus, luculento *Indice* inſpectandum dedit Rever. & Doctiſſ. *Hackmannus*, *Eccleſiæ Waſſenarienſi*, (& meis in Domino primitiis olim, deliciiſque,) deſignatus Paſtor, cujus *Præcidanea Sacra* ut amplam *Orientalis Literaturæ* ſegetem promittunt, ita ſuum ſibimet præconium præſtant. Grates, laudeſque, meritas, Eximio Viro mecum rependere non recuſabunt, qui Sacris hiſce aliquid ſtatuunt pretii, ob doctam, & ſingularem plane, curam, Indici noſtro contexendo impenſam. Is & Eruditos in medullam vocum, phraſiumque, deducet; & minus peritis faculam prælucere poterit ad profundum illud, & ſublime, quod in *Jobo* reg-

regnat, promtius aſſequendum.

Finieram; ſed ecce manum mihi injicit *Cel. Vitr. Obſ. Sacr.* L. [illegible] *Cap.* 4. ubi demonſtrare annititur *Dialectum Arabicam tempore Jobi nondum extitiſſe.* Colligit id Vir Summus ex nominibus איוב *Jobi*, itemque *Filiarum* ימימה *Jemima*, קציעה, *Ketzia*, & קרן הפוך *Keren Happuch*, quæ omnino *Hebraiſmum*, non *Arabiſmum*, ſpirent.

Rogat dein, *qua ratione fieri potuerit, ut Jobus Arabs Filiabus ſuis nomina Hebraica impoſuerit, ſi Arabica uſus eſſet Dialecto?* Validum profecto argumentum; quod tamen nil aliud evincit, quam id quod nos demonſtrandum ſuſceperamus, quodque & Ipſe tandem his ipſis verbis concludit: *Profecto non poſſum hinc aliud quid colligere, quam Dialectum Arabicam tum temporis haud multum ab Hebræa fuiſſe diverſam.* Quid mirum? ne nunc quidem, poſt tam longam ſeculorum ſeriem multum ab *Hebræa* diſſidet, atque deflectit. Etiamnum, non ſine Numine, opulenta illa *primævæ Linguæ* propago *Veteres* ſuas *Divitias* poſſidet, *illibataſque Origines* nobis tradit hauriendas ex *Fontibus*, quos in *Arabiæ Felicis* receſſu, feliciſſime non ſibi tantum, ſed & nobis, ad illuſtrationem *Sacri Codicis*, & *reſtaurationem uberiorem* priſcæ *Hebræorum Linguæ*, tanquam ſub ſigno, & ſigillo, *Providentiæ* conſervavit. Hoc in iis ipſis nominibus propriis *Jobi*, & *Filiarum*: hoc in *Amicorum* illis, *Eliphazi*, *Bildadi*, *Tſophari*, & *Elihui:* hoc in aliis quæ nunc *Commentario* huic inſerere non potui, quod graviores nos curæ circumſtarent, *Diſſertationes Jobææ*, quibus illas materias ſepoſui, confirmatum dabunt. Eædem quoque, ſalvo Nominis mihi ſemper Venerandi honore, pervincent, *non a ſequioris ævi ingenio hoc monumentum ductu Sp. S. ex priſcis Jobi Schedis pulchre compoſitum, variiſque figuris, quibus ſequiores Arabes adeo fœcundi, in parabolæ quaſi vicem exornatum; unde poſtmodum tandem in Hebræum ſermonem ſit converſum;* ut p. 41. mentem ſuam declarat Vir. Clariſſ. ſed ipſum *Jobum* hac ipſa *Lingua* ſua *Hebræo-Arabica* admirabilem huncce, & plane Divinum, Ingenii ſui fœtum nobis reliquiſſe, cum omni illo apparatu, & ornatu, potentiſſimæ dictionis, quam ſolus ille & concipere mente, & verbis magnitudini ſenſuum, adfectuumque, reſpondentibus, exprimere, & repræſentare, valuit.

De cetero, quod recte a nobis hac in Commentatione conſtitutum, explicitumque, ut lumen a Patre Luminum profectum, facile ſe ſuſtinebit; quod ſecus, ſponte defluet. Simplex, & perenne ſimul, ſigillum veritatis. Quod ejus ſigno non impreſſum, id pro noſtro non agnoſcimus, multo minus defendimus, meliora gratanter amplexuri, nec commiſſuri unquam, ut ſi quid erraſſe convincamur, errorem amaſſe, & obſtinaſſe, reperiamur.

C O M-

COMMENTARIUS

IN

JOBUM.

CAPUT PRIMUM.

Verſ. 1 איש היה בארץ־עוץ
איוב שמו והיה
האיש ההוא תם
וישר וירא אלהים
וסר מרע׃
2 ויולדו

Verſ. 1 VIR exſtitit in terra
Utz, Jiob nomen
ejus: eratque Vir
ille integer, & re-
ctus; reverenſque Numinis, & re-
cedens a malo.
2 Et

NOTÆ.

Verſ. 1. INCERTIORIS eſt Originis vocabulum אִישׁ *Vir*, *Latinè* quidem a *vi*, at *Græce* ἀνὴρ παρὰ τὸ ἄνω τὸ ἀνύω ſecundum *Etym. Magn.* a *patrando* videlicet *perficiendove*. Sunt qui איש a יש *fuit* derivatum volunt, quod vir prior *fuerit* muliere. Id nauci non emerem. Potuiſſent rectius a *ſolido*, quod in יֵשׁ continetur. Alii reſpiciunt ad אש *ignem*, *igneumque* viri *vigorem*: quando *thema* foret אשש اش, *agili polluit motu ac vigore*. Alii denique ſupponunt magis, quam probant, extitiſſe olim *Radicem* media *Jod*, איש *Valuit viribus*, cum quo conferre jubent ἰσχύειν & ἰσχὺς. Ad hoc genus luſuum vexillum erexit *Avenarius*, quod non minus lubricum eſt, quam blandum & pellax. Mallem, ſi nihil certius ad manum foret, ignorantiam fateri. Sed non ſpernent, credo, æqui arbitri, *Arabum* præſentiſſimam opem, quibus أَيْسٌ אַיְשׁ *Ais*, *formæ* פַּיְד, eſt *vis*, *robur*, *vio-*

2 Et nati ſunt ei ſeptem filii, & tres filiæ.

2 ויולדו לו שִׁבְעָה בָנִים ושלש בנות׃

3 Erat-

3 ויהי

lentia, idem quod قَهَر in *Camus*, ubi etiam *infin.* 2. *conj.* التَابِيس expouitur التَاثِير فِي الشَي *Veſtigium imprimere in rem*, *Vim adferre relicta ſui nota*. Conſervatum in eodem *Camus* אִישׁוֹן إِيْسَانُ, quod declaratur per אנוש انسان *homo*; prout apud *Hebræos* quoque איש & אנוש alternantur. Iſtud אישון ايسان arguit, Veteres *Arabes* non ignoraſſe formam איש إِيْسٌ pro *viro*, *homine*, quamvis in deſuetudinem deinde abierit, manente tantum altera illa productiore إِيسان, quæ nubeculam diſcutiet, qua *Hebræum* אישון nonnihil fuit obſcuratum *Deut.* 32:10. *Prov.* 7:2. & *Pſ.* 17:8. quibus in locis *nigredo oculi* aſſumitur, a rad. אשן. Sed conſultius jam *Cl. Cocc.* ab איש, *pupillam oculi* exprimere juſſit, collato *Arabum* انسان العين, אנוש העין *Homo oculi*, pro quo & אישון העין ايسان العين efferri poſſe ſcias. Apparet, ſecundum originationem hancce, diſcrimen inter איש a *viribus* & *robore*, atque אנוש ab *imbecillitate* ſic appellatum: quod etiamſi quibuſdam in locis curatius tenendum ſit, hic tamen ſcrupuloſe nimis retineretur.

Ibid. Digna, quæ recludatur, Etymologia vocis שֵׁם, *nomen*. Radix a quibuſdam ſtatuitur שׂוּם *poſuit*, quod *nomina* dicantur *imponi*. Aliis arriſit שׁמה, apud *Syros* & *Æthiopes*, *nominavit*. Idem, auctoritate *Arabum* quoque adducta, placuit Cl. *Hott.* in *Smegm. Orient.* Ei repoſitum, *nominare* illud in *Dialectis* ex *Hebræo* שׁם derivandum potius. Sic ultro citroque fluctuari ſolet; nec ullus unquam dabitur portus, finiſque hæſitationis, donec ab una parte præjudiciis poſitis, *Dialectorum* auctoritas in talibus decidendis agnoſcatur; ab altera parte nihil e *Dialectis* promatur, niſi quod ſuo ſe lumine ſtatim commendare queat. Caveant proinde, qui ad hoc genus illuſtrationum animum ſuum appulerunt, ne *ſecundarias* notiones pro *primariis* ingerant, ſic enim præjudicatas adverſus *Dialectorum* lucem & utilitatem opiniones adeo non diſſipant, ut potius eaſdem foveant ac confirment. שׁם *nomen* ad שׁמה pertinere nullo jure dubitaretur. Evincit id Analogia punctationis, quam cum בן *filius* communem habet, a בנה: evincit omnium *Dialectorum* concentus, quem hic ſpreviſſe, non eſt nimis docti ac judicioſi arbitri. Ea Radix שׁמה *Hebræis* olim frequentata eſſe debuit pro *altum eſſe*, *eminere*, quæ etiam eſt primigenia notio hujus thematis inter *Arabes*. Audiatur *Gjauharius* السمو الارتفاع والعلو تقول منه سموت وسميت وسما لي شخص اي ارتفع حتي استبنته وسما بصره علا والقروم السوامي الفحول الرافعة رووسها وتقول رددت عن سامي طرفه اذا قصرت اليه نفسه وازلت نخوته وباوه وسما الفحل اذا سطا على شوله والسماء ظهر الفرس لارتفاعه وعلوه وسماوة كل شي شخصه وسماوة البيت سقفه *Radix* שׁמה *ſignat elationem & altitudinem, ult. Vaw vel Je promiſcue. Dicitur ſpeciatim de re ita eminente ut diſtincte queas notare ac diſcernere. In viſu eſt tolli in altum. plur. fract. part. præſ.* שואמי *adhibetur in Camelis caput attollentibus. Dicis quoque ſublatam ejus aciem retudi, quum impetum alicujus cohibes, ejuſque ferociam ac faſtum comprimis. Adhibetur &* שׁמה *in Camelo admiſſario ſublatam caudam vibrante. Subſtantivum* שׁמא *dorſum equi notat; ob altitudinem & elationem; omniſque rei* שׁמאוה *vocatur ejuſdem extantia ſive eminentia, ut in*

in domo, *ejus tectum.* Idem quoque *Gjauharius* docet formam שמא notare inſuper *cœlum*, *nubes*, *tectum domus*, & كل ما علاك واظلك *omne quod ſupra te eminet*, tibique ſuperne imminet. Qua *Cœlum* notat, in plurali format سمايا & سمايي ex שמים *Hebræo*, & *fœmin.* سماوات שמוות, nec non اسمية, unde hallucinatio *Rabbinorum* arguitur ludentium in שמים, quaſi conflatum foret ex שם & מים. Mallet Cl. *Cocc.* a ſimplici שם *Ibi*, quaſi τὸ πανταχῦ, *omne Ibi*; *quicquid eſt ſupra terram.* Mentione quoque ſubdita aliorum, qui *Cœlos* ab *Arabum* שמא *altum eſſe* jam derivaverant, ſe potius exiſtimare ait, illud *Arabicum* ab *Hebræo* שמים eſſe propagatum. Hoc præſtructus ex *Gjauhario* notionum ordo & ſeries facile revincit; nec qui limpida amant dubitabunt, quin שמים *Cœli* ab *altitudine ſuper caput expanſa & imminente* nomen invenerint. Ejus *ſingulare* antiquum fuit שָׁמִי vel שָׁמֶה, unde non *duali*, ut vulgo cenſetur, ſed *plurali* flexione natum שָׁמַיִם, ut *Chaldaice* גַּלְיָן a *ſing.* גַּלָא. Ab eodem themate שמה *eminuit*, *imminuit cum elatione*, *excelſus fuit*, ducta vocula שָׁם *Ibi*, in qua ineſt deſignatio *loci* ante oculos *extantis* quaſi. indidem fluxit שֵׁם *nomen*, proprie *nota extans*, *ſignum*, *titulus.* Audi iterum *Gjauharium* والاسم مشتق من سموت لانه تنويه ورفعة *Vocabulum* שֵׁם *nomen*, *derivatum eſt a* שמו, *quia in eo ineſt elatio & eminentia.* Monet deinde *tertiam Radicalem Vaw* fuiſſe omiſſam, & quatuor modis poſſe pronunciari سِم *Sim*, quod eſt שֵׁם, præpoſitoque *Eliph* ſervili اسم *Iſm*; nec non سُم *Sum*, & اسم *Uſm.* Levicula hæc mutatio conſonæ & vocalis ne quem turbet, *Clavis Dialectorum* erit conſulenda, ubi *Schin* in *Sin*; & *Tſeri* in *Keſra* defluere oſtenſum. Ab iſto سم pro سمو vel سمي, in 2 *Conj.* سمّي & تسمية eſt *nominare*, itemque in 4. اسمي, ut in 5. exiſtit تسمي *nominatus eſt*; quæ ſecundaria eſſe liquet. Non mirabere nunc שם non ſemper *Nomen*, verum etiam ſat crebro *ſignum editum & eminens* denotare, ut a Clar. *Periz.* adfirmatum in *Orig. Babylon.* Ab eodem hocce *Themate* extat quoque سِمَة *tertia radicali* redeunte, pro سِمْوَة vel سِمْيَة, *nota*, *ſignum*; *fœmin.* a سِمْو vel سِمْي vetuſto, pro quo mox سِم & إِسْم dici cœpit: quod proinde vetuſtiſſimam *Notæ* ac *ſigni* ſignificationem ſimiliter obtinuiſſe debuit.

Ibid. ירא אלהים Triplicem in hac phraſi ſtructuram recipit ſermo Hebræus; primam per regimen, ut hic, *Reverens*, *Timens Numinis*; alteram caſu *accuſ.* ירא את אלהים, *Timens Numen:* tertiam ירא מאלהים *Timens a Numine*, quæ proxime referret Originem Verbi ירא, quam ſuſpicor ſitam fuiſſe in *retroactione*, & *ſubductione ſui.* Hoc loco commodiore alibi anquiretur. Nunc paucula ſubnectam ad notationem vocabuli אלוה, quod *Numen Tremendum* exprimimus, adhuc clariore in luce locandam. Controverſioſum, ſitne Radix אלה *juravit*, ult. *He quieſc.* an אלהּ, *He Mappikato* & *Mobili*, quam dudum ex *Arabia* revocarunt Viri Docti, ubi اله eſt *coluit*; unde إِلَٰه *Deus*, *Numen*, *perſona omnis cultu & honore proſequenda.* Hoc poſterius haud dubie omnium calculum impetraſſet, niſi idem multos ſcrupulus teneret, quem movet Cl. *Cocc.* in *Lex.* *De Etymo Arabico merito dubito*, *an non verbum*, *quod vertitur colere*, *ſit potius ex nomine*, *quod Deum ſignificat*, *tanquam notans* θεῦν, *pro Deo habere.* Idem eſt judicium Cl. *Guſſ.* aliorumque, qui ſic ratiocinantur in aliis quoque, in quibus ſummam *Arabicæ* Linguæ convenientiam cum *Hebræa* agnoſcere coguntur, contendentes talia ab *Hebræis* potius tranſſumſiſſe *Arabes*,

3 Eratque peculium ejus ſeptem millia ovium, & tria millia camelorum; & quingenta juga boum, quingentæque aſinæ: familia quoque ampla admodum; ut vir hic magnus exiſteret præ cunctis Orientalibus.

4 Ibant

3 ויהי מקנהו שבעת אלפי־צאן ושלשת אלפי גמלים וחמש מאות צמד־בקר וחמש מאות אתונות ועבדה רבה מאד ויהי האיש ההוא גדול מכל־בני־קדם׃

4 והלכו

les, quam ab *Arabibus Hebræos*. Confunditur hoc pacto ſtatus Quæſtionis, & luci nubecula offunditur. Nemo eorum qui perditas obſcuratasve *Radicum Hebraicarum* notiones ex *Arabia* revocare ſtuduerunt, unquam dixit, *Hebræos* eas ab *Arabibus* tranſſumſiſſe: *ubi* enim, *quando*, & *cur* id factitaſſent? idem dicere poſſumus de *Arabibus*, quos novas notiones, antea ipſis incognitas, ab *Hebræis* aſſumſiſſe, atque in Dialectum ſuam transfudiſſe, ab omni ſpecie veri abhorret. Rogo iterum *ubi*, *quando*, *cur* id factitaſſent? Nec voluere profecto, nec adeo potuere illam invehere novationem ac miſcelam. *Arâbia Felix* tam parum, omni ſeculorum memoria, commercii habuit cum gente *Hebræorum*, poſtquam ea res ſibi ſuas habere cœpit; ut nec ex eorum fontibus ſuam Linguam amplius ditarit, nec e ſuis quoque *Hebraicam* rigarit. Utraque natio eandem Linguam hauſerat ab *Hebero*, *Hebræa* quidem per *Phalegum*, *Arabica* vero per *Joctanem* ejuſdem fratrem, ac proinde iiſdem utebantur *Radicibus*, cum levicula quadam varietate *Dialecti*, quam ſedium diſtantia ſenſim introducere debuit. Harum radicum magnam jacturam fecit *Dialectus Hebræa*; in anguſtias unius ſacri codicis nunc redacta. Eas feliciore fato maximam partem conſervavit *Arabia*, & quidem in primigeniis & antiquiſſimis ſuis ſignificationibus; quas inde inſigni cum fructu revocamus, atque *Hebraicæ Linguæ* reſtituimus tanquam ſuum olim peculium, & hæreditatem legitimam, qua imprudenter privatur & exuitur ab iis, qui quum *Chaldaicæ* & *Syriacæ* Dialecto juſtum deferant honorem, *Arabicæ* tamen, quæ plus poteſt polletque quam reliquæ omnes, auctoritatem detractam velint, quod eam minus notam ſibi ac familiarem eſſe perſentiſcant. Hoc fundamento, alibi data opera adſtructo, jure meritiſſimo contenditur, *Hebræos* olim poſſediſſe geminam radicem, alteram אלה *juravit*, pro אלי vel אלו ult. *Vaw* aut *Je*; alteram אלה *He mobili* & *radicali*, *coluit*, unde אלוה *Numen colendum.* Utraque ab *Arabibus* frequentata, quibus الي ult. *Je*, & الا ult. *Vaw* etiam eſt *jurare*, *adjurare*, præſertim in 4. 5. & 8. *Conj.* Vide *Alcor. Sur.* 24. 22. & 2. 126. Derivatum quoque الوة ſignat *jusjurandum*, nec non الية cum *plur. fr.* الايا. At اله אלה iiſdem eſt عبد, *coluit*, *ſervivit religioſe*, indeque אֱלוה إِلاهٌ derivat *Gjauharius* لانه مالوه *quia colitur*, quaſi *numen cultu religioſo proſequendum.* Addito articulo exiſtit الله *Allaho*, contracte pro الالاه *Al-ilâho*, pro quo vulgus ſonat *Allah.* Non diffiteor equidem, quieſcent. tert. *He*, ex *Vaw* vel *Jod*, nonnunquam adſciſcere in tertia ſede *He mobile*, & ex *ſervili radicalem* quodammodo efficere literam; quo pacto אלה pro אלה *juravit* potuiſſet obtinere. Sed illuc non recurrendum citra ſummam neceſſitatem, quæ ſane heic nulla; quum limpidior ſit Etymologia a *cultu religioſo*, quam a *jurejurando* & *execratione.* Ne autem cuiquam ſuſpicio adhæreſcat, اله τὸ *adorare*, *cultu religioſo venerari*, eſſe formatum ab אלוה الاه quaſi θεῖος, obſervo, hanc ipſam vim videri *ſecundariam*, ab altera ejuſdem radicis *pavendi ſtupendive*; nam

إله

אלה الله etiam per تحير *attonitus ſtupuit*, & فزع *pavore correptus fuit* a *Gjauhario* & *Phiruzabadio* declaratur; unde אלוה *Numen Tremendum* deſignare apparet.

Verſ. 3. Radix קנה *acquiſivit, emit, poſſedit*, unde מקנה ſpeciatim *pecudes* denotat, aliquid adhuc lucis ex *Arabia* fœnerari poteſt, ad fines ſignificationum regendos; nam non omnis *acquiſitio* hoc verbo exprimitur, ſecundum Criticos *Arabum*, ſed ea tantum, qua quid *poſſidetur* ut *peculium privum*, *carum*, *votis reſpondens*, *omni cura cuſtodiendum*, *neque unquam alienandum*, ſi rei conditio id permittat. Hæc breviter complexus eſt *Gjauharius*, قنوت الغنم وغيرها قنوة وقنيتها ايضا قنية اذا اقتنيتها لنفسك لا للتجارة ومال قنوان وقنيان يتخذ قنية *Verbum* קנו *cum infin.* קנוה, & קני *cum infin.* קניה *adhibetur in acquiſitione qua pecudum, qua aliarum rerum, quæ fit eas retinendi cauſa, non autem ad mercaturam: unde greges, opes,* קנין *kinjân & kunjan, quum poſſidentur pro peculio nunquam alienando.* Habeatur etiam ex *Camuſo* غنمة قنوة خالصة وثابتة عليه *Ovis ſive grex* קנוה *dicitur, quum peculiaris eſt alicui, & perpetuæ poſſeſſionis.* Sæpe annexa quoque eſt vis *divitiarum* & *opulentiæ*, quem uſum ex *Abu-obeida* adfert *Gjauharius* in 1. *Conj.* قني الرجل يقني قنى مثل غني يغني غنى *poſſedit vir, idem quod dives & opulentus fuit, cum fut.* יקני & *inf.* קני. Item in 4. اقناه الله اي ارضاه הקנהו אלוה *poſſidere eum fecit Deus, id eſt, auxit re lauta & contentum ſuis fortunis reddidit.* In hunc ſenſum adducitur haud invenuſtum priſcorum dictum, من اعطي مئة من المعز فقد اعطي الغنى ومن اعطي مئة من الضان فقد اعطي الغنى ومن اعطي مئة من الابل فقد اعطي المنى *Qui donatur centum capris, donatur quo contentus eſſe queat,* קני: *qui donatur centum ovibus, donatur opulentia: at qui donatur centum camelis, ei vota cumulantur.* Inſignis hinc lux & gratia bene multis locis accedet; ut quum *Salomon* jubet קנות חכמה *acquirere ſapientiam & non vendere*; tanquam peculium nempe *cariſſimum* & *perenne poſſidendam*, neque unquam *alienandam*, *Prov.* 23. Iterum *Exod.* 15: 16. עם זו קנית *populus quem tibi ut peculium acquiſiviſti.* Eſt *metaph.* a מקנה *grege*, & *poſſeſſione pecudum.* Notabilis etiam uſus *Deut.* 32: 6. *An non ille* אביך קנך *pater tuus, poſſidens te ut peculium pretioſum, teque illo nomine ac titulo in ſinu, in oculis, gerens.* Amplectitur hic uſus ipſam quoque *Generationem*, per quam *Cariſſima* nobis *pignora acquiruntur*: ut *Gen.* 4: 1. קניתי איש *Acquiſivi virum, gratiſſimum* mihi *pignus* & *peculium*: itemque *Prov.* 8: 22. יהוה קנני *me generatione poſſidet ut pretioſiſſimum ſibi peculium.*

Ibid. Ambigitur in voce עבדה num *agricolationem* ſignet, & *opus ruſticum*, an *familiam* & *ſervitia.* Prius amplectitur doct. *Mercerus*; ex uſu verbi עבד *colere* terram *Gen.* 4: 2. & alibi. poſterius *Belgæ* noſtri ſequuntur, a עבד *ſervus*, & radice ipſa *ſervivit.* Vetus eſt iſta dubitatio, quæ anſam præbuit LXX. utrumque exprimendi; nec injuria forte, quum ut obſervavit *Cocc.* etiam *Familia* apud *Latinos* & *famulam turbam*, & *rem familiarem* complectatur: in qua *prædia ruſtica* potiſſimum cenſentur. Conferatur geminum plane ac germanum *Gen.* 26: 14. ubi eadem ambiguitas. Quod autem attinet ad thema עבד, id diverſa poteſtate præditum agnoſcunt omnes, ſed non uno modo digerunt. Plurimis placet *ſervire* eſſe primarium, indeque porro *opus facere*, *laborare*, *colere terram* &c. Contrarius ordo arriſit *Coccejo*, ut primigenium ſit *opus facere*, *laborare*, unde עבד *ſervus*, ex eoque derivato nova vis *ſerviendi.* Omnes haſce notiones ſub ſuo عبد aſſervavit quoque, cum *Chald.* & *Syriaca* Dialecto, *Arabica*, quæ tamen inſuper

4 Ibant autem filii ejus, agitabantque convivium in ædibus illius, cujus eſſet dies: mittebantque & vocabant tres ſorores ſuas, ut comederent biberentque cum ipſis.

5 Quum-

4 והלכו בניו ועשו משתה בית איש יומו ושלחו וקראו לשלשת אחיתיהם לאכל ולשתות עמהם:

5 ויהי

per alias quaſdam poſſidet, per quas ad *Originem* veſtigandam ſemita aperietur. Prælucebit faculam *Scholiaſtes Haririi* ad *Conſ.* 9.

اصل العبودية الخضوع والتذلل

primaria notio ſervitutis ſita eſt in depreſſione & *ſubactione*. Accendit eam ad *Gjauharium*

اصل العبودية الخضوع والذل والتعبيد التذليل يقال طريق معبد والبعير المعبد المهنوء بالقطران المذلل والمعبدة السفينة المقيرة قال بشر في سفينة ركبها

معبدة السقايف ذات دسر
مضبرة جوانبها رداح

Origo ſervitutis ſub hac radice eſt depreſſio & ſubactio, nam תעביד *inf.* 2. *Conj. valet ſubigere, dicitur etiam via* מעבד *calcata & ſubacta. Item camelus* מעבד *pice illitus & ſubactus. De nave etiam* מעבדה *eſt picata, pice ſubacta. Sic Biſchrus de nave qua vectus fuit;*

Aſſeribus pice ſubactis bene ſtipata, compacta;
cujus latera onere gravida.

Non laborabitur jam in ſignificationibus rite digerendis, cuivis enim obvium *ſubigere terram* pro *colere* & *exercere*, quod *Arabibus* etiam tritum fuiſſe docet derivatum معبدة *Ligo*, cujus *plur. fract.* in *Div. Hud.*

نواجذ مثل معابد الزيتون

Prominuli dentes inſtar ligonum oleæ.

Utraque forma ex Lexicis exulat, ut aliæ innumeræ tum voces, tum notiones. Apparet etiam ratio ſtructuræ עבד בו *ad ſervitutem redigere aliquem*, proprie *premeutem ſubactionem in aliquo exercere Jer.* 34. 9. &c. Intranſitive alias עבד *premendo ſubigi* dedit mox *ſervire*, *ſervum eſſe*, & alia quæ ſponte ex hac primigenia poteſtate ſubnaſcuntur. Habet præterea dives *Arabum* penuarium alios adhuc uſus ſub عبد, qui *ſubactionem* quoque redolent; uti quod عبدة eſt *firmitas denſitaſque* panni; *corpulentia & obeſitas* cameli; *faſtidium*, *pœnitentia*, *indignatio*, animi videlicet preſſi, & ut ſic dicam conſtipati: quæ omnia exucleare non hujus eſt curæ ac commentationis.

Verſ. 4. Non videntur ſcopum ferire, qui hunc *vſ.* & ſeq. autumant aliquid criminationis adferre adverſus *Filios* & *Filias Jobi*, quaſi dulci fortuna ebrii, nimis genio indulſiſſent, & tempeſtiva agitaſſent convivia. Subſcripſerim potius viris Doctiſſimis, qui ad *concordiam amiciſſimam familiæ florentis* ac *beatæ* omnia hæc applicant, citra luxuriæ vel minimam labeculam, externam ſaltem; quorſum ſequentia colliueare mox ſubmonebitur. Verbum הלך non aliorſum hic pertinere putem, quam ad *Conſuetudinem* multis annis *continuatam*, atque conſtanter in hac conjunctiſſima Felicis patris ſobole vigentem; ut curioſe nimis de horum conviviorum vel numero vel tempore illegitimo diſputationes inſtitui videantur. Inprimis hallucinari exiſtimem eos, qui per *ſeptem dies continuos*, pro numero filiorum, epulas illas celebratas volunt, inter quos & Cl. *Clericus*: cui aurem vellere debuiſſet ipſa illa, in quam incidit, hæſitatio, interſtitiumne aliquod inter hos *circulos hebdomadales* concipi debeat, nec ne. Prudentius Cl. *Cocc.* phraſin conciſa brevitate obſcuriuſculam בית איש יומו vertens, *in ædibus* ejus, *cujus eſſet dies illius*, id eſt, *quem dies convivii attingeret*; *nam*, inquit, *& convivia in certos dies erant deſtinata*, (*ne putes quotidie per luxum & o-*

cium

cium epulatos) *& dies in ſingulos fratres diſtributi.* Refert *aff.* in יומו ad משתה *convivium*, aliis ad איש id referentibus, ut ſit, *in domo cujuſque*, *ſua cujuſque die.* Subtilius adhuc איש יומו nectens Cl. *de Dieu* dedit *in domo viri diei ſuæ*, hoc eſt *quem per vices ordo tangeret*, ut *vir diei* per *Hebraiſmum* ſit *is quem vices contingunt.* Laudo conatus; ſed non video hoc pacto multum extricari, & ſi nihil aliud intendiſſet ſacer ſcriptor, defungi potuiſſet ſimplicius, *in domo cujuſque:* cujus tunc fuiſſe *vices illas* ſupervacuum erat monere. Accedit quod hæc vertendi via *tempus* relinquat *vagum* atque *incertum*; unde anſa præbita otioſis iſtis ſpeculationibus quas ſupra remotas volebam. Omnino יום hic eſt *dies Natalis*, ut *Cap.* 3. 1. *Execratus eſt diem ſuum.* Idem jam viſum *Belgis* noſtris. Id unice ad rem facit; nam hoc pacto ſignatur tempus opportunum, & per ſe feſtivum; tempus etiam non nimis frequenter recurrens, ad quod concelebrandum illius in ædibus, cui natalis ſua redit lux, cum more gentium, familiarumque honeſtarum, ſemper fuit conjunctum.

Ibid. Ratio expedienda formæ אַחְיוֹת *ſorores:* ſimulque אח *Frater* unde appellationem traxerit aperiendum. Radix haud dubie fuit ult. *Vaw*, vel *Jod*, אחו אחי, & mox אחה, quod arcanum in omnibus *Quieſc. tert. He* reſeravit noſtra *Dialectorum Clavis.* Conſpicitur tertia illa *Vaw* in derivato אַחֲוָה *fraternitas*; quin & in אָחוֹת *ſoror*, forma contracta pro אֲחֻוֹת, a *Maſc.* אָחָו, unde abjecta tertia natum אָח *Frater*, in *conſtructione & affixione* reddens אחו ex *Chaldaica*, אחי ex *Hebraica* Dialecto; ex *Arabica* autem, اخو אחו in *Nom.* اخي אחי in *Gen.* اخا אחא in *Acc.* Ab antiquo iſto *ſingulari* אָחָו, non tantum in *ſing. fæm.* ductum fuit אָחוֹת pro אֲחָוֶת *ſoror*; ſed etiam *pluraliter* id uſurpatum pro אַחָוֹות *ſorores*, *Eſech.* 16. 51. 61. uſitatior tamen forma אַחְיוֹת, cujus *ſing. maſc.* fuit olim אָחָי. Tertiam mobilem quoque ſervant *Arabes* in اخوات אחוות *ſorores*, nec non اخوان אחואן *duo fratres*; quamvis eſſe qui ſuppreſſa tertia malint اخان ſonare annotet *Gjauharius.* Eadem quies ſemper obtinet in اخون & اخين אחים *fratres*, pro اخوون & اخويين: ut & أَخٌ pro أَخَوٌ *frater*; itemque أُخْتٌ pro أَخَوَةٌ *ſoror*; quæ ſubtiliſſime & elimatiſſime a *Lexicographis* ac *Grammaticis Arabum* pertractata, rudiuſcule tantum delineavi. Sed quid jam valuit antiquitus thema אחה? & cur *fratri* id nominis inditum? Cl. *Hotting.* profert ex *Arabia* اخا *Frater*, *amicus fuit: fratrem ſe præbuit.* Sed hoc *ſecundarium* quivis cernit, ab ipſo *fratre* propagatum; ut & alia quæ ſub 3. *conj.* recepta ſunt, *fraternitatem contraxit*; *amicitiam coluit*, *firmavit.* Item *convenit*, *idoneus dignuſque fuit*, prout *Græcis* ἀδελφὰ quoque vocantur quæ *congruunt.* Iis ἀδελφὸς eſſe quaſi ὁμοδελφὸς neminem fallit. Circa φράτορες *fratres* variant ſententiæ, quas ex *Etym. M. Voſſioque* haurire licebit. *Hebræam Originem* recludam ex *Camuſo* الاخية ويشدد عود في حايط او حبل يدفن طرفاه في الارض ويبرز طرفاه كالحلقة يشد فيه الدابة جمعه اخايا واواخي والاخية الطنب والحرمة والذمة واخّيت الدابة تاخية عملت لها اخية واخ ولاخ مشددة والاخو والاخاء ولاخوّ من النسب والصديق والصاحب

Achia & Achya, cum Teſdyd, eſt Lignum in pariete; vel & funis, cujus extremitates in terram defodiuntur, & tanquam *nodum efficiunt, annulumve quo jumentum nectitur. Ejus plurale eſt* אחאיא *&* אואחי *Denotat etiam* אחיה *funem tentorio tendendo; ut &*

5 Quumque in orbem irent dies convivii, mittebat Jobus eos luſtraturus; ſummoque mane ſurgens afferebat holocauſta pro numero omnium illorum: nam forſitan, inquiebat Jobus, peccaverunt filii mei, & valere juſſerunt Numen in corde ſuo. Ad hunc tibi modum faciebat Jobus cunctis diebus.

6 Ac-

5 ויהי כי הקיפו ימי המשתה וישלח איוב ויקדשם והשכים בבקר והעלה עלות מספר כלם כי אמר איוב אולי חטאו בני וברכו אלהים בלבבם ככה יעשה איוב כל־הימים׃

6 ויהי

& neceſſitudinem tutelamque. In 2. Conj. cum infinit. תאחיה *valet, copulam talem nectere jumento. Porro* אח, *adhibito nonnunquam & teſdyd, eſt frater, ad conſanguineos, amicos, ſocios, uſu extenſo; &* אחו *aliæque formæ fraternitatem ſignant.* Paulo planius *Gjauhari*; الاخية ان يدفن طرفا قطعة من حبل في الارض وفيها عصية او حجير ويظهر منه مثل عروة وتشد اليها الدابة وقد اخيت الدابة تاخية والاخية ايضا الحرمة والذمة يقال لفلان اواخ واسباب ترعي *Achya fit quum extremas oras alicujus funis defodis in terram, annexas ligno vel lapidi, ſic ut inde nodus promineat, quo nectitur jumentum. Secunda conjug.* אחי *in infin.* תאחיה *eſt jumentum tali copula religare. Uſurpatur etiam* אחיה *pro ſacratiore neceſſitudine, ac conjunctione. Hinc dicitur, habet ille nexus neceſſitudinum & propinquitates colendas.* Dici non poteſt, parva ſæpe res quantas turbas dare queat. Summus noſter *Golius* extremis obhærens, in *Lexico* propoſuit اواخي primo ut *plur.* ab اخية, *copulæ, nexus:* ſecundo, ut diverſum, اسباب ترعي *Res paſcuales*, vel *obſervandæ* : nam رعي eſt *paſcere* partim, partim *obſervare.* Eas *res paſcuales* Cl. *Hotting.* adhibuit illuſtrando אחו לט *Job.* 8. 11. in quo quanto opere abeatur a mente *Gjauharii*, contextus quem dedimus oculis omnium ſubjicit; cohærent enim illa لفلان اواخي واسباب ترعي, nec aliter converti poſſunt, quam, *illi homini ſunt nexus* neceſſitudinum, *& propinquitates obſervandæ.* Nonnihil quoque titubatum a Cl. *Golio*, quum Gloſſam حرمة وذمة qua اخية improprie ſumtum declaratur, expoſuit *Auctoritas tutelaris, protectio*; *clientela* aut *præſidium*; de ſuo addens, quaſi *Fraternitas, qua quis niti poteſt*, ab اخو. Atqui contrarium inculcant *Gjauharius* & *Phiruzabadius*, qui اخية proprie *nexum quo pes* jumenti *copulatur* deſignare docent: indeque improprie حرمة *ſacratiorem neceſſitudinem*, & ذمة *conjunctionem fœdere quaſi adſtrictam.* Hoc ſenſu *vincula, nexus, copula* omnibus in Linguis regnant. Hinc porro اخ אח *Frater* ſignatiſſime, *nexu ſacratiore junctus* videlicet: quod nec Cl. *Golium*, nec quemquam eorum qui *Arabica* tractarunt, fugere potuiſſet, ſi voculæ حرمة وذمة recte intellectæ fuiſſent. Ad hoc veriverbium pulchre alluſum *Zach.* 11. 14. *Reſecui baculum meum alterum* את החבלים *Vincientes, nectentes* dictum: להפר את האחוה *ad diſſolvendam Fraternitatem inter Judam ac Iſraëlem.* Proprie *nexum neceſſitudinis ſacratiorem.* Adde *nexum firmius adſtrictum*, quem Radici ineſſe hic animadvertas velim, *profundiuſque pactum*, nec quicquam plenius ad *Fraternitatem* exprimendam, credo, deſiderabis.

Verſ. 5. Neſcio quid viderit Cl. *Cler.* quum ex phraſi הקיפו *circumegiſſent dies* *con-*

convivii patere ait, dies illos non abruptos, ſed *una hebdomade comprehenſos* fuiſſe; quod ſic dicatur תקופת השנה *circumactio anni*, *Exod.* 34: 22. Contrarium inde fuerat colligendum potius; nam apparet תקופה *circumvolutionem* ac *periodum* quadrare magis in orbes majores menſium, annorumve, uti 1. *Sam.* 1: 20. 2. *Chron.* 24: 23. ויהי לתקופת השנה. Conferri velim *Heſiodæum* περιπλομένου ἐνιαυτοῦ; & *Homericum* περιπλομένων Ἐνιαυτῶν. Reſolvendum autem illud הקיפו ימי המשתה in עשו תקופה *orbem ſuum conficerent*, & quidem *annuum*, vel *anniverſarium*. Nempe non quid una, pluribusve hebdomadibus forte factum ſit innuitur; non quid unius anni ambitu; ſed quid multorum curriculo annorum obtinuerit; atque conſtanter factitatum ſit in familia numeroſa, in qua ſeptemgemini Fratres, *Fratrum populum* dicere liceat cum Poeta, ſeptenis ſolennioribus epulis natalitia quotannis mutuo percelebrabant, ſororibus quoque ad hoc amoris fraterni vinculum perennanti ſolennitate adſtringendum vocatis. Cogitetur hic *Fratrum* quoque *gratia* quam *rara* eſſe ſoleat; vix ſperanda ſaltem in numeroſioribus familiis; cogitetur præterea hos *fratres*, pro conditione illorum temporum, regionisque, diverſas haud dubie, diſſitasque ſatis ſedes tenuiſſe; ac proinde inſignis concordiæ non tantum, ſed & ſingularis amoris fuiſſe indicium, quod ab officio hocce ſibi invicem præſtando, nullis impedimentis longæ viæ, nullisve negotiis voluerint avocari. Denique advertatur non ſeptimanæ, non anni, ſed multorum annorum orbem, moremque continuatum, nec ulla diſcordia interturbatum repræſentari; ad inculcandam cumulatiſſimam benedictionem, qua *Jobi* Domus florebat. Aberratum fuit a vera mente, quod הקיפו nimis anguſte ſumeretur, vel tranſitive, *quum circumegiſſent illi*, & *in orbem compleſſent dies convivii:* vel intranſitive, *quum circumacti eſſent*; quaſi *Jobus* tum demum ſacris operari cœpiſſet, quum convivationes illæ finitæ fuiſſent. Sagacius *Coccejus*, *non ſignificatur orbis convivandi abſolutus*, *ſed converſus*; *quaſi dicas*, *quotieſcumque convivium apud hunc vel illum fratrem celebratum eſſet.* Rectiſſume. Nam *converſiones*, ut vidimus, *annuæ natalitiorum* indicantur, *orbe majore* תקופה recurſantium; circa quæ ſtata & anniverſaria tempora, opportuniſſimam fuiſſe rem divinam, quam religioſiſſimus vir pro univerſa domo ſolenniter obiviſſe traditur, mox luculentius cernere erit.

Ibid. Themati יקף aliquid adhuc lucis debetur; ſimulque reſtituenda Radix cognata קוף, unde תקופה manſit, *periodus*, *circumvolutio*; nec non קוף *ſimia*. Prius יקף, quum in *Hiphyl* det *circumdare*, *circumcingere*, *facere orbem circumeuntem*, in *conj. kal.* intranſitivam poſſidere debuit notionem, quam Cl. *Cocc.* eruit ope *Syriacæ Dialecti*, in qua אקף eſt *adjunxit*, *fecit adhæreſcere*. Aſſumit inde יקף *adhæſit*, *agglutinatus eſt*, ut tantundem fuerit ac ἅπτεσθαι: qua anſa etiam אקף *Syrorum* invaluiſſe moneo alio adhuc uſu *exordiendi*, *aggrediendi* aliquid. Hinc הקיף ex mente *Cocc.* foret *fecit adhæreſcere*, *ordine peregit*, συνάπτειν, & mox *circumdedit.* Admitto lubens illud ἅπτεσθαι, quod *Syria* palam præfert; ſed addo eum *nexum* indicari, *qui in ſe rediens orbem efficit.* Hanc primariam vim ſervarunt *Arabes* ſub وقف quod eſt יקף, & قاف med. *Vaw*, quod eſt קוף. Prius ita exponitur in *Camuſo* الوقف
سوار من عاج ومن الترس ما
يستدير بحافته من قرن او حديد
او شبهه ووقف يقف وقوفا دام قايما
Armilla ex ebore vocatur וקף, *& qui in clypeo oras ejus circumcingit limbus*, *e cornu*, *ferro*, *ſimilibusve: verbum autem* וקף, *in fut.* יקף *& infin.* וקוף *valet perſtare alicubi*, vel *ſtando permanere.* Nempe ſecundaria eſt ea poteſtas *perſeveranter ſtandi*, *inſiſtendi*, ab *obeundo*, ut videtur ducta, vel potius ἀπὸ τοῦ ἅπτω *necti*, & quidem *orbe in ſe redeunte*, quam vim *Græci* in ἁψὶς admiſerunt, quatenus *curvaturam* rotæ, *fornicem* cœlorum, & alia deſignat. Non abludit hinc 2 *Reg.* 11: 8. והקפתם על המלך

המלך סביב *Nectetis orbem ſuper rege circumquaque*, quod paulo aliter ſtruitur 2*Chron.* 23: 7. והקיפו את המלך סביב *Nexo orbe cinxerunt regem circumquaque.* Alia forte ad *Jobi.* 19: 6. commodius expedientur, ubi eſt מצודו עלי הקיף *Rete ſuum ſuper me in orbem nexuit.* Si jam ab hac Radice deſcenderet תקופה, prompta foret *periodus* & *nexa ſeries* temporis *in ſe redeuntis.* Verum enim vero ut תשועה *ſalus* non a ישע eſt derivanda, invita analogia; ſed a שוע *laxus fuit*; ita תקופה ſuum ſibi thema reponi poſtulat קוף, quod eſt *Arabum* قاف, de quo ſic *Phiruz.* in *Camus.*

قوف الاذن اعلاها ومستدار سمها واخذ بقوف رقبته وقوفتها كصوفها وطرفها والقاف جبل محيط بالارض من زمرد وما من بلد الا فيه عرق منه وعليه ملك اذا اراد الله ان يهلك قوما امره فحرك فخسف بهم والقايف من يعرف الاثار جمعة قافة وقاف اثره تبعه كقفاه واقتافه وهو اقوفهم *In aure* קוף *eſt ſuperna pars, ſive rotundus ambitus foraminis ejus. Dicitur quoque prehendit* קופה & קוף *colli ejus, quum quis obtorto rapitur collo.* קוף *porro vocatur mons zmaragdinus undique terram circumcingens; neque ulla eſt regio quæ non habeat venam radicis ejus: in eo adſtat angelus, qui ubi Deus gentem aliquam perdere vult, ad ejus mandatum montem concutit, ut terræ motu hauſta pereat. In part. præſ. kajiph eſt qui novit veſtigia rerum* chiromantes, phyſiognomon, hariolus; *cujus plur. fr. kafaton. Verbum ipſum in prima & octava eſt preſſit veſtigia, veſtigiis inhæſit, quod & quieſcente tert. Je vel Waw eſt* קפה *ſive* קפו. Vides iterum τὸ ἅπαξ eminere ex *ambitu auris*, *colli*: item *monte* illo *fabuloſo*, cui ab *ambiendo* nomen inditum. Idem *ambire*, *obire*, *nexu ſuo contingere* latius quoque extenſum ad eum qui *Veſtigiis inhæreſcit*, noſque *circumcingit* quaſi; ſic enim omnino قاف باثره קף באשרה eſt *circumcingit veſtigium ejus*, pro *ei proxime imminet*, *preſſis veſtigiis*; prout *obire veſtigia* Latiniſſime etiam hoc ſenſu dixeris. A *Veſtigiis preſſis* improprie קאיף dictus eſt *Phyſiognomus*, vel *Chiromantes*, لانه يتبع الشبه في الاعضاء *quoniam ſectatur ſimilitudinem in membris*, ut *Tebrizius* ad *Hamaſa* tradit; apud quem & verſiculus extat e Poeta veteri.

كذبت عليكم لا تزال تقوفني
كما قاف اثار الوسيقة قايف

Mendax ſim vobis, ſi non inhæſerit meis veſtigiis,
Quemadmodum inhæret veſtigiis agminis camelorum chiromantes.

Satis commodum hinc etymon naſcitur קוף *ſimile*, ſive *propriam* ſpectes *vim* radicis noſtræ, ſive & *impropriam*, quod alteri curæ reſervandum.

Ibid. Convivationibus honeſtis, quibus pax, & ſuaviſſima animorum conjunctio in familia *Jobi* quotannis ſolebat adſtringi, firmius & potentius adhuc vinculum ſubnectitur, quod religioſa religioſiſſimi patris cura ſolenniter quoque adhibebat. *Mittebat* quippe, *eoſque luſtrabat oblatis ſummo mane holocauſtis pro numero eorum.* Mens ſacri ſcriptoris hæc eſſe videtur, *Jobum*, natalitiis cujuſque filiorum datis, & feſta ſolemnitate traductis, ſuam quoque in domum omnes convocare ſolitum fuiſſe; atque vel poſtridie, quod non definiverim, vel dieculis quibuſdam interpoſitis, pro univerſa ſua familia *ſacrificationem publicam* quaſi, & *anniverſariam* inſtituiſſe: partim ad gratias ſummo Numini agendas, pro incolumitate ac concordia omnium; partim ad expiationem pro omnibus faciendam, ſi quid *forte* non tantum inter menſas & pocula, ſed & aliis in rebus, aliiſque diebus volventis anni, *ſe inſcio*, a liberis ſuis non *ore*, non *facto*, quod reſciſcere ſane potuiſſet, ſed *corde* & *cogitatione*, ſoli Deo nota, peccatum fuiſſet. Egregium profecto pietatis argumentum in patre! Eximium quo-

quoque teſtimonium liberis ejuſdem exhibitum, immunibus videlicet & *intactis ab omni profanitate externa*, de quorum *internis* tantum, ſi forte, *tentationibus*, indeque oriundis maculis, ſollicitus erat pientiſſimus parens. Illuſtre denique documentum domus, Reverentia numinis, ejuſque cultu religioſo eminentiſſimæ; quippe in qua tot *annua ſacra* peragebantur, ad quorum celebrationem omnes *Filii Filiæque* a patre evocabantur, ut illo *ſacratiſſimo nexu* tanto arctius inter ſe devincirentur; atque in vera virtute continerentur, quam longa alias felicitas, ac Fortunarum affluentia ſenſim ſine ſenſu ſubnervare ſolet. Illuc collineatur in verbis, *Mittebatque & luſtrabat eos*: vel *ſanctificabat eos*. Prius שלח valet *arceſſere*, *evocare* nunciis, mandatiſve; inſinuaturque verbo hoc eos longiuſcule & a ſe invicem, & a patre ſejunctas habuiſſe ſedes, ut a Cl. *Schmid.* jam obſervatum. plena oratio fuiſſet וישלח ויקרא אותם *Miſitque & evocavit eos*, quæ nunc in compendium mittitur. Alterum ויקדשם duplicem admittit interpretationem. Prima eſt, patrem evocatos ad ſe filios *luſtraviſſe*, hoc eſt *luſtrationibus*, *lotionibus*, aliiſque cærimoniis *præparaviſſe*, ad rem divinam ſecum rite obeundam; atque pacem veniamque cœleſtem impetrandam. Altera directe ipſam *expiationem per ſacrificia procuratam* indicaret. Priori ſenſui favet uſus ſimillimus verbi קדש in *pihel*, *Exod.* 19: 10. & 1 *Sam.* 16: 5. ubi *Sanctificare*, ſive *luſtrare eos*, ponitur pro *curare ut loti caſtique ſacris queant operari*: poſteriorem magis requirere videri poſſent ſequentia, in quibus ratio redditur *holocauſtorum pro liberis immolatorum*, quod ſcilicet aliquid *forte* labis *corde* ſaltem, atque occulta cogitatione, concepiſſent, eaque propter *expiatione* opus haberent. Uberius tamen exiſtimem, commodiuſque, prius, quippe quod alterum illud ſimul includat; & quidem molliore quadam via ac ratione; ideo enim *luſtrabantur*, ut ſi *forte* aliquid peccaſſent, ſacrificiis rite caſteque factis *expiarentur*; quo pacto & *Patris* religioſiſſima pro ſuis ſollicitudo, & *Filiorum* inculpata probitas virtuſque magis adhuc eluceſcet, quam ſi poſteriorem ſenſum amplectamur. Accedit, quod princeps notio τῦ קדש collocanda videatur in *mundicie lotionibus luſtrationibuſque parata*, quam & *Arabes* ſub قدس agnoſcunt; quo de alibi fuſius anquiretur. Si jam porro curaverit pater ut *Familia univerſa*, ſuam in domum convocata, ſeſe *lotionibus*, *luſtrationibus*, reliquaque *mundicie*, ac *caſtimonia*, *præpararet ad ſolemnia* illa *ſacra* quæ *ſepties quotannis celebranda* inſtituerat, *rite capeſſenda*, paulo laxiora nobis ſpatia erunt ſumenda, neque ſatis congruens fuerit, ut de die proxime convivia ſubſecuto cogitemus; quum & *conveniendi* ad ædes paternas, & in iiſdem ſeſe *luſtrandi* tempus debuerint habere, antequam *matutinis ſacrificiis* ſimul potuerint vacare. Hanc laxitatem cum ſerie verborum, ſcopoque pulchre conſiſtere, curatius cuncta perpendenti patebit: quum τὸ בקר *mane* non referendum ſit ad ימי המשתה *dies convivii*, ob manifeſta incommoda inde oritura, ſed ad *rem divinam*, cui ſeſe *ſub aurora* accingebant, ut pote opportuniſſima, & ſacris operationibus accommodatiſſima.

Ibid. Omnia, quæ mira brevitate hoc *vſ.* complexus eſt ſacer ſcriptor, amplificandis *Jobi* & fortunis, & laudibus inſerviunt; cui videlicet parem non habuerit Oriens, nec opulentia, nec florentiſſimæ familiæ concordia, nec religioſiſſima Dei reverentia, atque tum capitis, tum membrorum omnium pietate. *Jobi* quidem ipſius magna non tantum, ſed & magnifica, ut ſic dicam, pietas conſpicitur ex *ſeptenis* illis *ſolemnioribus*, ac *velut anniverſariis ſacris*, quæ inſtituerat, ut hoc communi totius gentis vinculo, omnes *Jobidæ* in veri Dei cognitione, ac cultu, tanto firmius continerentur, & non tantum intra ſuos quique lares ſeſe fœderatos præſtarent ſummi Numinis; verum etiam Eccleſiam quandam conſtituerent, quæ ſub auſpiciis paternis ſacratiſſimum illud foedus ſolemniter renovaret, publicamque ejus teſſeram ſuſciperet. Huc tendit quoque quod de *numero holocauſtorum* inſeritur, ſive *ſeptenario* illo, ſive, computatis & filiabus, *denario*. Sane ſplendidum fuit, *toties* quotannis *tot* una in domo victimas ſolidas flammis im-

6 Accidit autem die quodam ut venirent filii Dei, ad ſiſtendum ſeſe coram Jehova; eorumque in medium Satanas quoque venit.

6 ויהי היום ויבאו בני האלהים להתיצב על־יהוה ויבא גם־השטן בתוכם׃

7 Di-

7 ויאמר

poni. Sed quod præcipue notandum quum *pro numero liberorum* dicuntur immolatæ hoſtiæ, eo ipſo innuitur omnes frequentes ſemper adfuiſſe gentilitiis hiſce ſacris ſuis, quando, ex lege ſacrificiorum, is, cujus nomine victima cadebat, manus ei imponere tenebatur.

Ibid. Non degeneraviſſe porro Filios a paterna virtute, cum ex iis, quæ deducta ſunt, facile liquet, tum diſerte colligere eſt ex אולי וגו׳, *forte peccaverint & valere juſſerint numen in corde ſuo.* Magno conſenſu interpretes hanc ſollicitudinem *Jobi* ad *dies convivales* adſtringunt, quod tum potiſſimum a tentatrice carne periculum immineat, quum genio liberalius indulgetur. Ea hypotheſis peperit duriorem interpretationem verbi ברך per *maledicere*, *blaſphemare*, κατ' ἀντίφρασιν. Peritius *Cocc.* εὐφημισμὸν eſſe obſervavit, nam ברך *Benedicere* uſurpari amat pro *valedicere* alicui; hinc porro gradus factus ad uſum hunc ſecundarium κατ' εὐφημίαν, quo *valere* jubemus *ea*, quæ *rejicimus*, *ſeponimus*, *amandamus*, *parum curamus*, notione vel intenſa vel remiſſa pro variis circumſtantiis. Eo ſenſu & *Virgil. Ecl.* 8. *Vivite Sylvæ.* Ubi *Serv. valete*, *non bene optantis*, *ſed renunciantis.* Junctim *Catull. Cum ſuis vivat valeatque.* Hæc *Voſſ. inſt. orat. L.* 4. *p.* 200. Similis ratio in formula χαίρειν φράζειν, & πολλὰ χαίρειν ἐᾶν, quæ ſimpliciter ſæpe ſonat, *mittere*, *miſſa facere.* Inſtar omnium ſit *Æſch. Agam.* 581.

Καὶ πολλὰ χαίρειν συμφορὰς καταξιῶ.
Tum calamitatibus valedicendum cenſeo.

Id eſt, *miſſa ſunt facienda*, *non amplius curanda.* Sic *Plut. Dion. p.* 975. ὁ μὲν ἀλλὰ ταῦτα χαίρειν ἐάσαντες οἱ Συρακούσιοι. *Hæc tamen parum curantes Syracuſani.* Idem *Euphemiſmus* admiſſus in ὑγίαινε, ἔῤῥωσο aliiſque. Ad hoc exemplum *valedixerint Numini* eleganter poſitum pro *deflexerint a reverentia ejus*, *miſſam fecerint exactam legis ejus obſervationem.* Hoc ipſum mollitur adhuc addito בלבבם *in corde ſuo.* Erant ergo *integri vitæ*, *ſceleriſque puri.* Idem inculcat particula אולי *forte*, quæ non trahenda eſt ad *ſiniſtram ſuſpicionem*, ſed ad *religioſam* viri *ſollicitudinem*, qua *ſuos* ab omni contagione criminis, non externa ſolum, ſed & interna cupiebat remotiſſimos, eo *Zelo*, quo vel noſtra ipſorum corda ſuſpectare debemus, ne *forte* plus minuſve fecerimus, quam officii ratio poſtulabat. *Aberrationes quis intelligat! ab occultis nos expurga Domine.* Hic loci ſenſus adſpectuſque apprime quadrabit, ſi ad *dies conviviorum* hanc *Jobi* curam reſtringamus; quoniam ſic reliqua ipſorum vita & ſupra ſuſpicionem ullam labeculæ, & ſupra ſollicitudinem quoque paternam, *ſi forte*, collocata erit. Sed hoc ipſum, jam nimium, ut puto, ſuggeſſit mihi interpretationem commodiorem, qua *ſollicitudinem* hanc & *religioſiſſimam* curam pii parentis extendo ad *quotidianam ſuorum converſationem*, vivendique rationem; quæ quidem nulla חטאת *piacula* ſtricte dicta, pro hoc vel illo delicto notabiliore, requireret, ſed quæ tamen aliqua *expiatione generali* indigeret, per עולות *holocauſta*, eo quod ſanctiſſimis etiam peccatum obrepat, eoſque tentare nunquam intermittat. Cuncta huc tandem redibunt ex noſtra opinione, *Jobum ſepties quotannis ſolemnem ſacrificationem*, *præſente univerſa familia*, *inſtituiſſe*, & *quidem ſub tempus natale cujuſque filiorum*, *ut quicquid forte volvente anno peccatum eſſet a ſuis vel in occulto*, *ſecretiſſimoque mentis receſſu*, *rite expiaretur*; *omniumque corda ad intenſius veræ ſanctimoniæ ſtudium hoc pacto accenderentur.*

Ibid. Hanc mentem nobis adfirmant & illa ככה יעשה איוב כל הימים *ſic tibi fa-*

faciebat Jobus omnibus diebus. Referre liceret ad *dies Natalitios*, & *convivales*, quibus in orbem circumeuntibus hæcce ſacra fuerint annexa, ut ſupra expoſitum. Malim tamen כל הימים *omnibus annis* reddere, quod alias ימים ימימה *de diebus in dies*, notiſſimo *Hebraiſmo* pro *quotannis*, *annuatim*, ad quam rationem ferme habes זבח הימים *ſacrificium annuum* 1 *Sam.* 20: 7. Latiſſimi uſus eſt formula כל הימים, quæ *Deut.* 4: 40. valet *in perpetuum* & *Deut.* 5: 29. *ſemper*, *jugiter*, *conſtanter.* Adde *Deut.* 11: 1. & 14: 23. *&c. &c.* Iterum 1 *Sam.* 1: 28. *conſecravi eum Jehovæ* כל הימים *in perpetuum*, *votivo* videlicet *vinculo obligatum.* Paulo aliter 1 *Sam.* 2: 34. *Non erit ſenex in domo tua* כל הימים *in omnem perpetuitatem ſeculorum.* Pariliter 2 *Chron.* 21: 7. *Ad dandam lucernam*, *Davidi filiiſque ejus* כל הימים *in omnem temporis perpetuitatem.* Item 1 *Reg.* 9: 3. Alibi anguſtiores ſunt fines, ut 1 *Sam.* 28: 2. & 23, 14. & 2 *Sam.* 13: 37. qui ſponte cognoſcuntur ex natura & conditione rei, de qua ſermo eſt. Ad præteritum tempus accommodatur quoque, ut 1 *Reg.* 5: 1. *Amicus fuerat Hiramus Davidi* כל הימים *omnibus diebus.* Quidni hinc potius? *ſic faciebat Jobus perpetim.* Ita *longa annorum ſerie fecerat antea*, ita *facturum ſeſe decreverat*, quandoquidem ſe ſuamque domum ad hæc ſacra quotannis religioſiſſime concelebranda obligarat.

Ibid. Particulam ככה per *ſic tibi* exprimens, repræſento Originem ex *præf.* כ & *aff.* ךָ cum *He parag*; ut primo fuerit כָּךְ pro כָּךְ, & mox כָּכָה. Eſt elegans pleonaſmus, quem & in כֹּה *ſic* receptum autumo, quod non videtur ſimplex, ſed ex כ & ה aff. maſc. conflatum. *Sicut id.* 1 *Reg.* 22: 20. *Hic dicebat* בכה *ſicut hoc*, hoc modo; *alter dicebat* בכה *ſicut illud*, illo modo. *Chaldaice* effertur כָּה, unde כָּכָה noſtrum nonnulli derivarunt. Suſpicor & כי *ut*, *quum*, *quoniam*, ex ſimili pleonaſmo natum, ὡς μοι *ſicut mihi*, *ut mihi.* Verbi gratia *Gen.* 3: 14. כי עשית זאת ὡς μοι *ut mihi feciſti hoc* i. e. *quando*, *quandoquidem.* Item *Pſ.* 8: 4. כי אראה שמיך *ut mihi video cœlos tuos.* & *vſ.* 5: *Quid homo* כי תזכרנו *ut mihi recorderis ejus.* Non opus tamen, ut ubique locorum iſtam emphaſin reddamus. Huic noſtro pleonaſmo ſimillimus eſt *Græcorum* ille cum *enclitica* vocula τοι, in ἤτοι, καίτοι, ἐγώτοι, οἶδατοι, aliiſque, cujus item origo ex σοὶ *tibi* repetenda, *Dorice* τοί.

Verſ. 6. Simpliciſſime היום vertitur *die quodam*; dudum quippe monuere viri docti *He emphaticum* ſæpe *Aliquem* deſignare. Sic cum vocabulo noſtro 1 *Sam.* 1: 4. ויהי היום ויזבח *Et factum eſt die quodam ut ſacrificaret.* Et 2 *Reg.* 4: 19. ויהי היום ויצא. de *vſ.* 13. noſtri *Cap.* mox videbitur.

Ibid. Radices יצב & נצב non literis tantum ſed & ſignificatione affines, ex *Arabia* reſtitui, atque haud pœnitenda luce augeri poſſunt. Ad poſteriorem, prima *Nun*, pertinet haud dubie נציב *ſtatua.* Item *præſidium militare*, quaſi dicas *ſtativum.* Priorem exhibet התיצב *ſiſtere ſe*; *conſiſtere.* Reliqua tam conjugata, quam derivata, per eliſionem primæ radicalis, vel ad יצב ἀνωμάλως, vel ad נצב ἀναλόγως ſeſe referri patiuntur; ut נצב in *Niph. ſtetit*, *præfuit.* הציב in *Hiph. ſtare fecit*, *conſtituit.* הוצב in *Hoph. conſtitutus fuit.* מצב *locus ſtationis.* מצבה & מצבת *cippus*, *columna*, *ſtatua*, *firmitas.* Haſce formas, earumque Originem, uſumque diverſum, claro in die collocant themata *Arabum* tria, nempe نصب quod eſt נצב; & وصب itemque وظب quæ τῷ יצב reſpondent. Horum poteſtas primigenia ex æquo eſt دام وثبت *perſtitit firmus fixuſque*, *habuit firmitatem durantem in una ſede.* Sic in *kal* exiſtit *ſtatui*, *conſtitui*, ita ut *uni loco*, ſive ad tempus, ſive in perpetuum, aliquid maneat *adfixum.* Vivus uſus interim hæc tria ſic diſtinxit, ut نصب נצב potiſſimum adhibeatur ad ea quæ cum *ſtatu firmo ſeſe attollunt* & *erigunt*; unde *intranſit*: valet *erectus ſtetit*; & *tranſit*: *erectum conſtituit.* Hinc נציב forma *participiali paſſiva* eſt *ſtatua*, *ſignum erectum*,

ctum, quod *Arabibus fœminina terminatione* potius נְצִיבָה نَصِيبَةٌ *res erecta* quævis; præſertim *pro ſigno*. Aliæ formæ نُصْبٌ נְצָב, & نَصَبٌ נֶצֶב iiſdem tritiſſimæ pro *ſtatua*, *Idolo*, *erecto ſigno* quocumque, in *plur. fr.* انصاب *Lapides erecti circa templum Meccanum.* Hinc iterum novo *plur. fracto* formatum, اناصيب *ſigna erecta*, *cippi viarum indices*; qui & تناصيب a *ſing.* obſoleto تَنْصَابٌ pro quo & مِنْصَابٌ admittit *Analogia*. Idem נְצִיב *præſidium* militare hoſti *oppoſitum* denotat, quam vim ſpecialem & *Arabes* frequentant in ipſo themate, quum exponitur *obſtitit*, *ſe oppoſuit* hoſti; in 3. *conj.* ناصب *bellum intulit*, *armis præſidiiſque ſe oppoſuit alicui*, ejus *plur. integrum* נְצִיבִין نصيبين in quo *Niſibin* recognoſcas *Meſopotamiæ* nobiliſſimum illud oppidum, a *præſidiis* ſic vocitatum. Pulchre huc reductum a *Coccejo Zach.* 9: 8. חניתי לביתי מצבה *Metabor circa domum meam* ut *præſidium*, quod ambabus ulnis amplector. Porro منصب מִנְצָב eſt *locus ubi quid ſtat erectum*; *principium firmum*, *radix*. *Status eminentior*; *dignitas*, *munus*, *præfectura*. Planiſſume ſic uſu proprio מַצַּב רגלים *Joſ.* 4: 3, 9. *Locus pedum in quo perſtitum aliquamdiu*, in *fœm.* מַצֶּבֶת *Eſaj.* 6: 13. *firmitas radicata* quaſi ac *fixa*. Cum *firmitate erectionem* conjunctam dabit *Exod.* 15: 8. נִצְּבוּ כְמוֹ נֵד *perſtabant erecta*, *ut acervi*, *fluenta*. Enucleatius adhuc *paſſivam formam* reddideris *perſtare facta ſunt*. Hinc ad *dignitatem præfecturæ* proclivis gradus, ita ut נִצָּב ſonet *præpoſitum* 1 *Sam.* 22: 9. 1 *Reg.* 4: 7. & alibi. Utramque vim expreſſam putem *Pſ.* 39: 6. *vanitas eſt omnis homo* נִצָּב, *conſtitutus firmiter* ſimul, ſimul *eminenter*. Alia mitto, & מַצֵּבָה reſumo, *lapis erectus*, *cippus*, *ſignum*, *ſtatua*, quod ad נָצַב potius revocandum eſſe, quam ad יָצַב, cenſerem.

Huic poſteriori conſonat وصب primo, item دام وثبت *perſtitit fixus*, cujus uſus, nonnihil varians, maxime inclinat in *aſſiduitatem*, *frequentiam*, *perſeverantiam*, qua vel *loco*, vel *rei* ſumus *affixi*. Eadem vis regnat in altero وظب *Tſade* in *Da* mutato, de quo adi ſis *Clav. Dial.* unde موظوب *multum frequentatus* locus, in *part.* 1. *conj.* nec non in 3. مواظب *aſſiduus*, *perſeverans*. Hanc *firmitatem ſtandi* cum *aſſiduitate* & *perſeverantia* agnoſces facile *Exod.* 2: 4. *Num.* 11: 16. 2 *Chron.* 11: 13. unde aptiſſimum vocabulum ad *aſſiduitatem officiorum*, uti quum in *aulis principum ſtationem obeunt* miniſtri. Illuc heic loci alluſum; ut & *Zach.* 6: 5. evidentiſſime. Alias notiones peculiares, ex hoc fonte dimanantes, in *Originibus* meis, יצב נצב, exequar, cum reliqua copia *Arabicæ Linguæ* ſub tribus hiſce radicibus, in qua *conſtantiam* forte deſideraret aliquis, cum *Hebræaque* convenientiam, יצב وصب, nec non נצב نصب, etiam pro *ægrotum laſſumve* eſſe uſurpari animadvertens. Sed bonum factum, quod in reliquiis *Biblicis* hoc ipſum quoque notabili ſeſe veſtigio offerat *Zach.* 11: 16. הנצבה לא יכלכל *perſtantem* laſſitudine *ægrotamque non ſuſtentat*; ubi ſive יצב ſtatueris *thema*, ſive נצב, *Arabum* faventem habebis auctoritatem.

Ibid. Non inutilem, doctiſque ingratam ſumſero operam, ſi ad *Satanæ* nomen penitius perſcrutandum anſam præbuero. Radix שטן nota pro *adverſari*. Idem *Arabibus* شطن, quod *Gjauharius* exponit خالفه عن نية ووجهه *adverſatus eſt alicui obſtinate & in facie*. In *Camuſo* habetur خالفه عن نيته ووجهه *adverſatus eſt ei & animo & vultu*. Cernis e veſtigio *intenſiſſimum*, *obſtinatiſſimum*, & *impudentiſſimum ſtudium adverſandi*. Pergitur in *Cam.*

والشاطن الخبيث والشيطان معروف
وكل عات متمرد من انس او جن
او دابة وشيطن وتشيطن فعل فعله
والحية *partic.* שוטן *eſt malus*, *improbus*.

Sa-

Satanas præter notiſſimum uſum ſignificat omnem pervicaciter rebellem, qua hominem, qua genium, qua beſtiam. Inde verba שיטן *&* תשיטן *Satanam ſe gerere. Etiam ſerpens vocatur Satanas.* Non de nihilo eſt poſtremum illud, a *Gjauhario* etiam annotatum والعرب تسمي بعض الحيات شيطانا وهو ذو العرف القبيح والراس والوجه *Arabes ſerpentem appellant Satanam, cum præſertim, qui juba, capite, vultu fœdo conſpicuus eſt*: quippe quod traditionem redoleat de *ſerpente vetere*. Si intra hos fines ſubſiſtamus, ab *obſtinatiſſima adverſatione* dictus fuerit *Satanas*. Profundioris tamen Originis fontes recludunt notis *Arabum Critici*; eos habe ex *Scholiaſte Hariri: Conſ.* 7. كل عات متمرد بعيد من الخير من الجن والانس والدواب هو شيطان وهو ماخوذ من قولهم دار شطون اي بعيد ونوي شطون وسمي كذلك لبعده من الخير والرحمة او هو من قولهم تشيطن الرجل وهو غاية الخبث وسمي بذلك لغاية خبثه وقيل نونه زايدة ماخوذ من قولهم شاط السمن والزيت اذا نضج حتي احترق وشاطت القدر احترقت ولصق بها الشي وسمي بذلك لاحتراقه بنار القطيعة والطرد قبل احتراقه بنار الجهنم *Omnis pervicaciter rebellis & adverſans, remotus a bono, ex geniis, hominibus, beſtiis, vocatur Satanas. Nomen ductum ex uſu vocabuli* שטון, *longe diſtans, de domo, & longe abiens, de diſceſſu; propterea quod longe diſtet tum a bono, tum a gratia Dei. Deſumtum poſſet videri alias a verbo* תשיטן *quod ſummum gradum ſpurcitiei & improbitatis in aliquo deſignat. Alii dicunt, nun ejus eſſe ſervile, & radicem ſtatuendam* שיט *med. Je; quod in butyro oleoque eſt excoqui ita ut aduratur; atque in ipſa olla adhibetur etiam pro aduri particula rei coctæ adhærente. Sic Satanas ab urendo derivaretur, eo quod uratur igne diſcidii & expulſionis a Deo, ante quam uratur igne Gehennæ.* Horum prius nimis videtur tenue & dilutum, quamvis ſat trita ſit notio *Thematis* ipſius شطن pro بعد *Longinquus fuit, procul abfuit.* Secundum minus rite digeſtum, quum تشيطن palam ſit ductum ab ipſo *Satana*, quaſi *Satanas factus eſt.* Tertium ob frigidos luſus in iſta *uſtione*, minime omnium arridet; ſed potuiſſet ab homine *Arabe* elegantius quid extundi ex iſto שיט, in *olla aduſta*, *butyrove excocto ad aduſtionem uſque*, unde ſponte enaſcitur uſus ſecundarius *excandeſcendi ira, odioque*, & quidem *injuſto* quaſi, cum *rancore penitus inſidente.* Hæc ſignificatio gravis regnat in 10. *conj.* استشاط *exarſit, incanduitque* in aliquem. Uſus ea *Harir. Conſ.* 3. *p.* 156. & *Conſ.* 7. استشطت من مكرهم غضبا *Aduſtus excandui ira propter fraudem eorum.* Perpendi etiam atque etiam velim, an non inſignis hæc figura reſtituenda ſit *Eſech. cap.* 16: 57. השאטות אותך מסביב. Et *Cap.* 28: 24, 26. השאטים אתם מסביב. Diverſiſſime exponi ſolet formula illa. Ego offero *odium rancidiſſimum & injuſtum*, quod egregie etiam quadrat in alteram phraſin, *Eſech.* 25: 6, 15. *Et ultionem ſumſere* בשאט בנפש *cum odio rancido & internecivo in anima.* Thema שוט, quorſum hæ formæ revocantur, in *Origine* ſua habuiſſe vim *urendi*, *perurendi*, ad *vſ.* 8. confeſtim aperietur. Hinc propagatam nunc tandem ſuſpicor novam radicem, adjecto *Nun*, ut in aliis etiam obſervavi, שטן شطن, *Adverſatus eſt & animo & vultu obſtinatiſſimo*, quam emphaſin huic verbo ſupra adſtruxi. Ea vix poteſt eſſe *primaria*; commodiſſime autem tanquam *ſecundaria* deducitur a *ferventiſſimo* ſemper *rancore*, *odioque injuſto*; quo nihil congruentius nec ad *Satanæ*, nec ad alterius *adverſarii pervicacis* cujuſcumque imaginem ſiſtendam. Non abhorret, vicinum שטם item *infeſto animo adverſatus eſt*, eodem modo, adjecto *Mem*, a שט proſeminatum fuiſſe. Officere hiſce conatibus judicabitur forte elementi diverſitas, quum שטן non per *Schin*, ex שוט, ſed

per

7 Dixitque Jehova Satanæ, unde nam advenis? & reſpondens Satanas Jehovæ dixit, a diſcurſando per terram, graſſandoque in ea.

8 Tum

7 ויאמר יהוה אל־השטן מאין תבא
ויען השטן את־יהוה ויאמר משוט
בארץ ומהתהלך בה׃
8 ויאמר

per *Sin* exarari ſoleat. Similis eſt ratio in altero שׂטם. Habeo equidem, quo ſcrupulum eximam. Sed nil cupide. Veritati litare ſtudemus, quæ ſi *Originem* hanc abnuat, melioribus lubentes concedemus.

Verſ. 7. Commodiſſime ſub manus ſe dat verbum שׁוט, *diſcurrere*, *obire*, & alia, in Lexicis exſignata. Notio hæc *Arabibus* quoque pertrita ſub شاط *med. Vaw*, unde شوط *curriculum*, *obitus*, *circumcurſus*; *curſus unus ad finem ſuum perductus.* Sic Cl. *Gol.* In *Camuſo*, unde hauſit, extat الشوط الجري مرة الي غاية, *curſus uno impetu factus ad metam vocatur* שׁוט. Similiter *Gjauhari*, عدا شوطا اي طلقا وطاف بالبيت سبعة اشواط من الحجر الي الحجر *Cucurrit* שׁוט, *id eſt uno impetu factum curſum, laxatis habenis admiſſum. Hinc dicitur Ædem Meccanam circuivit ſeptem curriculis: nempe a lapide ſacro ad eundem redeundo.* Non eſt ergo ſimpliciter *obire*, *circuire*, ſed *effuſo impetu decurrere*, unde in 2. *Conj.* شوط تشويطا طال سفره *Longius iter ingreſſus eſt*; & in 5. تشوط الغرس طرده الي ان اعيا *Equum ſuum adegit ad* שׁוט, pro *impulit in curſum ad laſſitudinem uſque.* Hæc iterum e *Camuſo*. Jam vero quum שׁוט *flagellum* ſonet, vix dubitari poſſe videtur, quin *curſus* ille *vehementior* a *flagellando* originem ſumſerit. Utique ſic *Græcum* μαστίζειν ſecundariam vim induit *curſus effuſioris*. *Hom. Iliad.* 17: 622.

Μάστι νῦν εἷος κε θοὰς ἐπὶ νῆας ἵκηαι.

Id alibi Poeta eſt μάστιξεν ἐλάαν; unde pro ipſo ἐλαύνειν mox invaluit. At *flagellum* quo e fonte שׁוט dictum? erraret, qui ad *Arabum* ساط recurreret, med. *Vaw*, *ſcutica percuſſit*, *flagellavit*, cujus derivatum سوط *ſcutica*, *nervus taurinus*, *lora in flagellum plexa. Vehementia* pœnæ vel *portio pœnæ acrius incumbens.* Μάνξ. Nimis apertum eſt, iſtud ساط *flagellare* a سوط *flagello* eſſe aſſumtum; ut & alterum illud *Gloſſema* apud *Golium*, *commiſcuit inter ſe liquida*, & quidem *ſpatha lignea vel ferrea* quæ vocatur מִשׁוֹט مسواط: nam & hoc apertiſſime a *flagellando* ductum. Unde ergo *flagellum*? an ab *incurſando*? jocularis foret circulus, quum ſub *flagello curſitationem* quaſi ſuccreviſſe poſuerimus. Expeditiſſima erunt omnia, ſi *Hebrææ Linguæ* ſuam vindicemus ditionem, & quaſi juriſdictionem vetuſtiſſimam; hoc eſt, ſi ei reſtituamus *primigeniam ſignificationem* thematum שׁוט & שׁיט, med. *Vaw.* & *Jod*, apud *Arabes* aſſervatam, in *urendo*, *adurendo*, *perurendo.* شاط quidem med. *Vaw. conj.* 2. dat *uſſit* herbam pruina. *Deuſſit* pilos in flamma. Item شاط *med. Je*, *aduſſit* pilos, lanam. *Uſtulavit* carnem in 2. *conj.* & شياط *uſtulatio*, *odor rei uſtæ.* Et *conj.* 1. *Uſtulatus*, *aduſtus*, *peruſtus fuit*, cum aliis uſibus, quos longum foret diſcutere. Ut igitur a *flagrando flagrum* & *flagellum*, eo, quod *urat*, *perurat latera* ſecundum illud.

Ibericis peruſte funibus latus.

Sic שׁוט *ſcutica, lorum, nervus male urens*; & *uſtio ipſius flagelli incumbentis.* Hanc proprietatem palam exerit *Joſ.* 23: 13. לשׁטט בצדכם *ad perurendum latera veſtra*, *aculeis pungentibus.* Aliis שׁטט nomen eſt, quando *aculeos ſtimuloſque* male *urentes* vertere licebit. A *flagello* porro ſubſumtum *flagellare* שׁוט, pro *vehementius currere*; *in curſum laxatis habenis ſe effundere.* Non ſpernes hanc poteſtatem aucticrem,

&

& inſignitam: ſive proprium ſpectes uſum, ut *Num.* 11: 8. 2 *Sam.* 24: 2. ſive improprium *Zach.* 4: 10. *Oculi Jehovæ citatiſſimo curſu emetientes univerſam terram*; vel ſtrictius *curſu circenſi, in gyrumque circumacto, terram circumluſtrant.* Sic شوط ſpeciatim *curſum gyratim circumactum* conſignare videmus; quin uſus *conj. dageſſ.* شوط تشويطا *Longius excucurrit peregrinando*, nil aliud quam *circumluſtravit regiones.* Confer in eandem mentem *Jer.* 5: 1. שוטטו *effuſo curſu circumagimini in plateis Hieroſolymorum*: & *Amoſ.* 8: 12. *Jer.* 49: 3. inſignite *Dan.* 12: 4. *Obſigna librum ad tempus implementi uſque*: ישטטו רבים *multi percurrent*, id eſt *perlegent*, *diligenter ad omnia attendent*, ut habet Cl. *Cocc.* in *Lex.* quod foret noſtrum *perluſtrabunt.* Fortius tamen venuſtiuſque adhuc dari poſſet, *in ea Prophetia percurrenda decertabunt*, & *ſtudiis effuſiſſimis de palma contendent*; metaphora a *flagello* & *curſu gyratim concitato.* Porro a *flagellatione* tentavit Cl. *Cocc.* *Eſech.* 16: 57. השאטות אותך מסביב, quod *Chaldæo* eſt *prædantes*; aliis aliud. *Coccejus* exhibet *impellentes*, vel *flagellantes.* Mallem, ſi iſta nunc notio attendenda, *flagellato velut impetu incurſantes te undiquaque.* Pariliter *Eſech.* 28: 24, 26. Quin & formula בשאט נפש *Eſech.* 36: 5. & בשאט בנפש *Eſech.* 25: 15. & בכל שאט בנפש *Ibid. vſ.* 6. quæ *Coccejo* ſignat *impulſum*, *impetum*, *incitationem* animi, qualis eſt *omnia perambulantis*, vel & *remis acti*, commode ad hanc Originem *flagellati* & *concitati curſus* poterit referri; quamvis haud pœniteat alterius conjecturæ ad *vſ.* præced. in medium datæ. Comparent præterea ſub themate שוט, voces שַׁיִט, & מָשׁוֹט pro *Remo*: & *participium* שטים *Eſech.* 27: 8. Κωπηλάται *Remigantes.* Duplex *Originis* pandendæ via. Prima ex uſu τȣ̃ ساط שוט *flagellavit*, pro *agitavit*, & *commiſcuit liquida*, unde משוט مسواط *ſpatha*, *tudicula*, *palmula*, *remus.* Secunda ἀπὸ τȣ̃ μαςίζειν *flagellare* pro ἐλαύνειν *concitatius impellere*, quod ab *equis* & *curribus* ad *naves* ſe traduci patitur, ſecundum illud Poëtæ *Odyſſ.* 4: 708.

> Νηῶν ὠκυπόρων ἐπιβαινέμεν, αἵθ᾽ ἁλὸς ἵπποι
> Ἀνδράσι γίγνονται ——— ——— ———

Adde luculentam ſimilitudinem *currus quadrijugi* ὑπὸ πληγῆσιν ἱμάσθλης *concitati*, cum *navi remis impulſa*, *Odyſſ.* 13: 81--86. Habes hoc adſpectu apud *Soph.* in *Trachin.* 665. πολύκωπον ὄχημα ναὸς *multiremum currum navis.* Et λινόπτερα ναυτίλων ὀχήματα *Lineis alis inſtructi nautarum currus* apud *Æſchylum*, & alia, quæ dabit *Muret.* in *Var. Lect.* & *Barneſ.* ad *Eurip. Med.* 1123. ubi ναΐαν ἀπήνην *Navalem rhedam* figuravit *Tragicus.* Hæc a *flagello* ad *remum* proclivem tranſitum arguunt; unde & ἐλαύνειν æque tritum in *Navi* remis *acta*, quam in *curru.* Vicibus inverſis ἐρέσσειν *Remigare*, a *mari* in *terram* migrarunt, ut *Eurip. Iphig. in Aul.* 138.

> Ἀλλ᾽ ἴθ᾽ ἐρέσσων σὸν πόδα, γήρᾳ
> Μηδὲν ὑπείκων.

Iterum *Iphig. in Taur.* 289. πτεροῖς ἐρέσσει. Et *Æſch. Agam.* 52. πτερύγων ἐρετμοῖσιν ἐρεσσόμενοι. Reconditioris adhuc eſt elegantiæ τὸ *Remigare* ἐρέσσειν pro *verberare*, *flagellare.* Sic *Æſch. Perſ.* 1051.

> Ἔρεσσ᾽ ἔρεσσε, καὶ ςέναζ᾽ ἐμὴν χάριν.

ubi *Schol.* τύπτε σεαυτόν. Idem in *Supp.* 550. de *Jo*

> Οἴςρῳ ἐρεσσομένα
> Φεύγει ἀμαρτίνοος.
> *Oeſtro flagellata*
> *Fugit mentis impos.*

Ibid. Inſignis imago ſe exerit ergo in verbis משוט בארץ ומהתהלך בה, *a flagellando per terram*, & *a graſſando in ea.* Jactat Satanas ſe *violentis graſſationibus* longe lateque damna & mala dediſſe; quamvis *Jobum* necdum *tangere* potuerit *flagello* ſuo, ejuſve *familiam florentiſſimam incurſare.* Qui *otioſi ambulatoris* perſonam *Satanæ* hic tribuunt, ſuum ei characterem minus ſervant. In iſto μαςίζειν & ἐρέσσειν, quod proprie שוט, cum *curſu concitatiſſimo*, quem ſuperior nota exhibebat, lubens conjungerem *ſævi* quoque *flagelli verbera* miſeris mortalibus impoſita: pro circumſtantiis quippe variant verba, & nunc vim intendunt, nunc remittunt. Alterum התהלך *itare*, per ſe medium, ut *Latinum graſſari*, a *gradiendo*, ad *violentiam* & *latrocinia* nonnunquam applicatur. Ipſum *kal* ſic habes *Pſ.* 73: 9. *Lingua eorum* תהלך בארץ *graſſatur in terra.* In *pihel* etiam *Prov.* 6: 11. *Et veniet*

8 Tum Jehova Satanæ, Ecquid, inquit, adjeciſti animum tuum ad ſervum meum Jobum? neque enim par ei aut ſimilis in terra, Vir integer & rectus; reverens Numinis & recedens a malo.

9 Reſpondens autem Satanas Jehovæ, dixit, An gratis reveretur Jobus Deum?

10 Non-

8 ויאמר יהוה אל־השטן השמת לבך על־עבדי איוב כי אין כמהו בארץ איש תם וישר ירא אלהים וסר מרע׃

9 ויען השטן את־יהוה ויאמר החנם ירא איוב אלהים׃

10 הלא

niet כמהלך *ſicut graſſator paupertas tua.* Ita locus vertendus, ut ex ſeq. membro pateſcit, ubi איש מגן *Clypeatus*, *Latrocinator*, *miles*, ſubnectitur. Ex forma *Hitpah.* eandem ſententiam reperies *Prov.* 24: 34. Comparatur utrobique Egeſtas cum *Graſſatore* & *Latrone* nec opinato *opprimente*, & *nudum exeuntiente*. Pro *graſſari* etiam noſtrum התהלך uſurpatur *Pſ.* 12: 9. & alibi.

Vſ. 8. Quum *vſ.* præced. nimis dilute ſumta eſſent verba שוט & התהלך, pro *circuitu* & *circumambulatione*; etiam hic phraſin השמת לבך dilutiore ſenſu acceperunt Interpretes, quaſi quæreret Deus, *animumne advertiſſet Satanas ad Jobum*, *ejuſque eximiam plane pietatem*? Quid? *Satanas* adhuc dum *Jobum* ignoraſſet? *Jobum* non obſervaſſet? *Jobum* non acerrimo notaſſet oculo? immo vero a longo jam tempore ejus exitio imminuerat, omnibuſque machinis & viri fortunas, & conſtantiſſimam pietatem, pervertere conatus fuerat. Hoc ut res ipſa, ita reſponſum *vſ.* 9: 10, 11. ſatis arguit. Ad naturam & vim formulæ tenendam notetur *Amos.* 9: 3. ושמתי עיני עליהם לרעה ולא לטובה *Ponamque oculum meum ſuper eos in malum*, & *non in bonum.* Ad eam rationem *ponere cor ad aliquid* valere quidem poteſt *Diligentius attendere*, ut *Exod.* 9: 21. Sed nil impedit quo minus uſurpetur pro *hoſtili* etiam *affectu*, *impetuve* cordis ad nocendum *attenti*, *intentique.* Hoc poſterius habes utique in *oculo ſuper aliquem poſito*, *in malum:* habes & in *vultu Eſech.* 17: 7. בשומי את פני בהם *quum vultum meum in eos poſuero.* Vides iſtud *attentum* ſimul, ſimul *intentum*, *metaphora* deſumta a *machinis tenſis*, *intenſis*, ad feriendum *directis*, prout שום כרים *ponere arietes bellicos* ſignata formula dicitur *Eſech.* 21: 27. & alibi. *Bellicum* etiam *uſum* abſolute exerere poteſt השים, ut *Græcum* ἐπιτίθεσθαι: ita enim *Eſech.* 21: 16. vel 21. habes השימי השמילי *dirige impetum ſiniſtram verſus.* Hinc explanabo infra *Job.* 23: 6. ישים בי *impetum in me dirigit.* Par uſus obtinuit in Synonymo שות, quod *hoſtilem* ἐπίθεσιν ſæpe ſignat; & cum adjuncto *corde Jobi* 7: 17. ut ibi declarabitur. Hinc jam luculentior emergit ſenſus in noſtro contextu, *An poſuiſti cor tuum adverſus Jobum*? An *affectum* quoque & *impetum hoſtilem direxiſti* in *Jobum*, illum incomparabilem mei cultorem? haud dubie ut *odio* ejus *flagras*, ita & *deſiderio* graſſaturam in eum tuam exercendi. Ecquid & *eum* violentus graſſator *invaſiſti*? ſic erit *ſarcaſmus*, quo *jactantia Satanæ* retunditur, qui *vſ.* præc. *terram* ſeſe *perſultaſſe*, & mala multa mortalibus intuliſſe, gloriabatur. *Ecquid* igitur & *Jobum impetiviſti*? inquit Deus; illum religioſiſſimum mei Cultorem, cui, ut internecivo tuo hoſti, jam a longo imminues, cujuſque perniciem unice anhelas? Elucet irriſio *Sarcaſtica*, qua oſtenditur *Satanam*, tanquam catena revinctum, non poſſe promiſcue *graſſari*; ac præſertim *furori ejus exemtos* eſſe *probos*, quos ne *attingere* quidem audeat, niſi freua laxante Deo, ad ſuorum virtutem explorandam.

Vſ. 9. *Adverſarii præfractiſſimi* & *impudentiſſimi* characterem conſignat ſacer ſcriptor in hoc reſponſo *Satanæ*, qui Deo, teſtimonium de pietate *Jobi* ferenti, obloquatur, atque hypocriſeos maculam affricare audeat candidiſſimo pectori; *adverſus* quem ut multis retro annis

שם

10 הלא את שכת בעדו ובעד־ביתו
ובעד כל־אשר־לו מסביב מעשה ידיו
ברכת ומקנהו פרץ בארץ׃

11 ואולם

10 Nonne Tu circumſepſiſti eum,
& domum ejus, & quicquid illius
eſt circumquaque? operi manuum
ejus benedixiſti, & pecus ejus copio-
ſe prorupit in terra.

11 Ve-

שם לבו *cor ſuum intenderat*, ita nunc hanc *tendit calumniam*, ut votorum tandem particeps reddatur, quod *Mercenariam* coleret *virtutem*, quæ *duplici fœnore* ad ipſum, univerſamque ejus Familiam, redundabat ſcilicet; primo *protectionis* plane ſingularis: ſecundo *benedictionis* uſque & uſque creſcentis.

Vſ. 10. Eundem hoſtilem & exulceratum animum, a longo jam tempore in perniciem *Jobi* intentum, prodit *indignabunda* iſta *querela*. הלא שכת בעדו *Annon ſepem poſuiſti circum eum? &c. &c.*

Hæc eſt *prima merces*, qua *Jobum* inductum, & tanquam illectum, criminatur *Satanas*, ad tam ardens Religionis ac virtutis ſtudium, quod nempe cerneret ſe *ſingulari* plane *ratione a Deo protegi*, ita ut nec ipſe, nec quiſquam ſuorum unquam quicquam gravioris calamitatis fuerint experti. Cum *malorum depulſione* & *averruncatione* calumniator, tanquam *alteram Mercedem*, qua *Jobus* ad pietatem colendam ſtimularetur, connectit *Benedictionem* uberrimam, omniumque *bonorum* affluentiſſimam *copiam*, uſque & uſque increſcentem. Utrumque multis retro annis male uſſerat τὸ πονηρὸν, quem ut felicitas humanorum, præſertim Dei amantium, diſcruciat; ita in eorundem miſeriis exultat ac triumphat. Eſt ergo ut dicebam, *indignabunda querela*; in qua interrogatio, more ſolenni *Hebræorum*, fortius adfirmat & expoſtulat. Eſt etiam *malitioſiſſima provocatio*, qua criminationem ſuam experimento ſaltem revictam & refutatam videre poſtulat; ut *vſ.* 11. planius exponetur. Reſtant duæ inſignes figuræ, quibus utrumque membrum eſt expreſſum, paulo enucleatius inſpiciendæ.

Ibid. Ad malorum depulſionem pertinet verbum שכת *circumſepiviſti*, quod in *Bibliis* infrequens, longe frequentiſſimum eſt apud *Arabes*, quibus شاك med. *Vaw* שוך eſt *punxit*, *transfixit* ſpina, *ſpinoſus fuit*; *ſpinis horruit*. Ipſa *ſpina* شوك, & شوكة; quæ figurate etiam ſignat *aculeatam vim*, *fortitudinem*, *opes*, *potentiam*; ut quum dicunt, اشتدت شوكته *corroborata eſt ſpina ejus*; pro *potentia ejus invaluit*. Formulam iſtam illuſtratam dedi in *Opuſc. de defect.* Hac anſa iterum شاك *ſpinoſus fuit*, uſurpatur pro *fortitudinem bellicam exeruit*; itemque, *armis acutis inſtructus ſtetit*, quaſi dicas, *Horridus* fuit *in jaculis* reliquaque panoplia: in 2 *conj.* شوّك frequentatur pro *obſepivit*, *ſpinis circummunivit*, & quidem الحايط *murum* ſive *maceriam horti*. Confer *Eſaj.* 5: 5. ubi משוכה *ſepes ſpinoſa*, & גדר *maceria* junctim comparent. Eodem ferme adſpectu heic loci habemus *Fortunas Jobi*, *Domumque univerſam* מסביב *in orbem* divinitus *ſeptas*, & *ſpinoſo*, id eſt *inacceſſo munimento protectas*; quod hactenus incaſſum perrumpere tentarit *Satanas*. Diverſus eſt uſus *Hoſ.* 2: 5. *Ecce ego ſepio viam tuam ſpinis*, שך בסירים. Id valet *interſepio*, & *obſtruo*, ſic ut *emergere* nequeas, ſed *ſpinis transfixus miſere obhæreas*. Hoc & *Arabibus* eſt شاك intranſitive; *incidit in ſpinas*, *per ſpinas incedens obhæſit*. De cognato themate شك שכך, unde שִׂכִּים σκόλοπες, *ſpinæ denſiores Num.* 33: 55. & שֻׂכּוֹת *acuminata tela*, *Job.* 40: 26. alibi agetur.

Ibid. Ad *bonorum affluentiſſimam ubertatem* ſpectat cum verbo ברכת *Benedixiſti*, alterum illud פרץ *prorupit*, *perrupit obices*, ut *Merc*: recte monuit, id eſt, *immenſum excrevit & propagatum eſt*. Eſt metaph. deſumta ab *aqvis*, & *fluviis*, *obicem perfringentibus*, & *late effuſis*; quo aſpectu *Cocc.* exhibet *pecuaria ejus ſe effuderunt in terra*. Hanc peculiarem vim aſſervant *Arabes*, in فراض,

פרוץ,

11 Verum enim vero laxa, age, manum tuam; & tange quicquid ejus eſt: ſi non in faciem tuam valere te juſſurus ſit.

11 ואולם שלח־נא ידך וגע בכל־
אשר־לו אם־לא על־פניך יברכך :

12 Tum

12 ויאמר

פרוין, *os ſive potius apertura fluvii ſeſe effundentis in rivos, vel aliovorſum.* Ita Cl. *Coſtius* ex *Gjauhario.* Planius evadet per exemplum, e Veteri *Poëta* adductum ab eodem *Gjauh.*

تجري خزاينه علي من ناىه
جري الغرات علي فراض الجدول ✡

Profluunt theſauri ejus ſuper ſalutantes ipſum,
Fluxu Euphratis in aperturam rivuli.

Vides vocabulum פרוין, proprie *perruptio*, ſpeciatim deſignare *locum* ubi *rupto obice*, inciſave terra, *fluvius ſeſe effundit*, *novamque viam vel invenit*, *vel ſequitur.* Simile eſt פרץ מים, 2 *Sam.* 5: 20. *Ruptura aquarum.* Nempe פרץ, ut فرص, & فرض, in genere eſt *findere cum laceratione*, *frangere* ita ut vel *inciſura* fiat, vel *apertura* & *foramen.* Hæc indicare cœpi in *Clavi Dial.* p. 281. 282. Inde varii & copioſi uſus extitere, quibus novæ lucis aliquid adfundere poteſt *Arabia*; ut in ipſo hoc Opere opportunius demonſtrabitur. Ad *fluminis extra ripas prorumpentis* metaphoram reduxerim quoque illud 1 *Sam.* 25: 10. *Hoc tempore multi ſunt ſervi* המתפרצים איש מפני ארניו *qui rupturam faciunt a Domino ſuo deſciſcentes.* Hoc eſt *qui quærunt aperturam*, & *occaſionem* ad *prorumpendum in rebellionem.* Ab *aquis* quoque derivatum eſt τὸ פרץ pro *divulgari*, quod eſt *exire*, *emanare*, *erumpere* in publicum, & *diffundi.* 2 *Chron.* 31: 5. & 1 *Sam.* 3: 1. Cum textu noſtro conſonat *Jeſ.* 54: 3 *Ad dextram & ſiniſtram prorumpes:* & *Gen.* 28: 14. *prorumpes occaſum & ortum verſus*, inſtar *fluvii*, quem ſuus non amplius capit *alveus*, ſed qui in rivos ſeſe quaquaverſum diffundit.

Verſ. 11. *Malitioſiſſimam & ſubtiliſſimam calumniam* urguens *Satanas*, Deum *provocare* ſuſtinet; tanquam pignore poſito contendens *Jobum* eſſe *Hypocritam*, & experimento ſaltem refelli, ac revinci flagitans. Habes iterum eminentem characterem τοῦ שטן *Adverſarii obſtinatiſſimi & impudentiſſimi*, adverſus Dei ipſius teſtimonium inſurgentis. Habes quoque notam expreſſam *Odii inexpiabiliter furentis* in probos, quod ſi eos penitus proſternere ac peſſumdare nequeat, ex iiſdem vexandis, raptandiſque, aliquid ſaltem ſolatii venatur.

Ibid. Circa phraſes paucis ſubnecto, שלח ידך *mitte manum tuam*, plus eſſe quam *extende*; quia metaph. a *freno laxato* eſt ducta. Hinc *Pſ.* 50: 19. פיך שלחת ברעה *Os tuum miſiſti in malum*, pro *laxato* quaſi *freno admiſiſti*, *immiſiſti.* Pulchrum cumprimis illud *Eſech.* 7: 3. שלחתי אפי בך, *mittam iram meam in te*, vulgo; in *Hebræo* eſt, *Laxabo naſum meum in te.* Ejus contrarium חטם خطم *refrenavit naſum*, *Jeſ.* 48: 9. Alia multa hinc translata alibi indicabuntur; nunc tantum inſpicias *Job.* 30: 11. & agnoſces שלח יד ex origine ſua eſſe *laxavit*, vel *laxatam miſit*, *immiſit*, *admovit manum*, *emphaſi* pro diverſitate rerum variante. Simplex vis *Jud.* 5: 26. *Manum ſuam ad clavum laxavit*, & *dextram ſuam ad malleum fabrorum*; ubi tamen in *laxatione* illa *impetum* quendam, *conatumve* majorem quilibet deprehendere poteſt. Idem obſerves velim *Job.* 28: 9. *in rupem duriſſimam laxavit manum ſuam*; id eſt *audaci conatu admolitus eſt.* Hoc omiſſa *manu* invenio 2 *Sam.* 6: 6. *Et Uzza* וישלח אל ארון ויאחז בו *laxavit ad arcam & apprehendit eam*; pro *laxatam protendit manum.* Conf. *Pſ.* 18: 17. Hinc *in malum* porro *Exod.* 22: 7, 10. *Laxare manum*, *ad furtum* faciendum. Item ad *lædendum*, *verberandum*, *Pſ.* 55: 21. & 1 *Sam.* 24: 6, 10. & 22: 17. 2 *Sam.* 18: 12. & 24: 16. *Exod.* 3: 20. &c. &c.

Ibid. Porro נא aliis *quæſo*, aliis *nunc*, commodiſſime referri poſſe videtur ad נוא نـاء *aſſurrexit*, *ſurgere ſtuduit*, unde forma *imperan-*

12 ויאמר יהוה אל־השטן הנה כל־
אשר־לו בידך רק אליו אל־תשלח ידך
ויצא השטן מעם פני יהוה׃

13 ויהי

12 Tum Jehova Satanæ, Ecce, inquit, univerſa quæ habet in manu tua ſunt: tantummodo in ipſum ne immittas manum. Et diſceſſit Satanas e præſentia Jehovæ.

13 Die

rantis נא *age*. Sequens וגע בכל אשר לו aliquid habet ambiguitatis, verti quippe poteſt, *Et tange modo quidvis eorum quæ habet:* poteſt quoque, *Tange quicquid habet*; *ſimul* & *ſemel uno ictu Fortunas* ejus *diſperdens*. Poſteriorem ſenſum ſuggerit *vſ.* ſeq. ut & eventus ipſe: prior tamen argutior foret, & *calumniatoris* aſtutiæ accommodatior forte; partim ne *nimium poſtulare* cenſeretur; partim ut inſinuaret, etiam *exiguis adflictionibus Mercenariam Jobi Virtutem eſſe ſuccubituram*. Arriſit hic adſpectus Cl. *Cocc.*; cui nec eventum, nec *vſ.* ſequentem officere mox oſtendam. Pro priori iterum faceret *malitia Satanæ* non *lentis* jam *ictibus*, ſed *omnium Fortunarum ſubita ruina Jobum obruere, ejuſque virtutem expugnare molientis*.

Ibid. Non prætermittenda *improba* plane *audacia*, vel potius *contumacia*, qua jurejurando interpoſito adfirmat *Satanas*, non duraturam in fornace tentationis *Jobi* virtutem, ſed in auras abituram. אם *Si* eſt *jurantis*, *ſeque devotantis* formula ſolenni, כה יעשו לי אלהים וכה יוסיפו *ſic faciat mihi Numen*, & *ſic addat*. Vide 1 *Reg.* 20: 10. Similiter אם לא *Si non Ibid. vſ.* 23. Talia paſſim occurrunt, nemini non notiſſima. Signanter additum על פניך non tantum *palam*, verum etiam *in os* quaſi, quale eſt illud *Eſaj.* 3: 8. למרות עיני כבודו *Ad oculos Gloriæ ejus perſtringendos*, i. e. *ad Majeſtatem Dei velut in os lædendam*. Nervoſiſſime *Deut.* 7: 10. *Rependens Oſoribus ſuis* אל פניו; *non procraſtinabit*; *oſori ſuo* אל פניו *rependet*; ubi *in faciem*, *in os* non ſimpliciter eſt *aperte*, *palam*; ſed *contemtionem* quoque adfert, & ut ſic dicam *inſultationem in os*, quemadmodum & ipſi *Deo inſultaverant*. Eadem vis *Jobi* 21: 31. *Quis redarguet in Os ejus viam ejus*? quod eſt *Gallicum*, *a ſa barbe*, ut *Ibid.* recte *Mercerus*. Sed quid jam *in os Benedicere*? nil aliud, putem, quam χαίρειν, πολλὰ χαίρειν φράζειν; *Deo Religionique longum vale dicere*; ſecundum ea quæ ſuperius diſcuſſimus.

Vſ. 12. Explicatio receptior *vſ. præc.* ex hoc reſponſo, *Ecce omnia quæ habet in manu tua ſunto*, unice videtur firmari. Si tamen *ſubtilior* illa *ratio* alicui præplaceret, ſic poterit verba noſtra ad ſuum ſenſum accommodare, ut Deus nunc reponat *Satanæ*, viciſſim eum *provocans* quaſi, Tu quidem flagitas, ut *vel Quidvis* ejus *Fortunarum tangam*; Ego vero *Quicquid* poſſidet, id *univerſum* tuæ poteſtati permitto. Eſſet hoc pacto haud invenuſtus *luſus ex Ambiguo* in vocula כל, & *Quidvis* diſtributive, & *Quicquid* collective deſignanti.

Ibid. Non obſcurum eſſe poteſt, quomodo *Satanas*, quem *ſcena* præmiſſa *intrantem ad Deum* exhibuerat, ut *calumnias* adverſus *Jobum ſtrueret*, nunc *egreſſus eſſe* dicatur מעם פני יהוה *de præſentia Dei*, ad quam fuerat admiſſus. Nempe *comparitio* illa *ante Faciem Dei*, tanquam *pro tribunali ſedentis*, circumſtipante Angelorum ſatellitio, & criminatio in cœleſti illo concilio adverſus *Jobum* ſuſcepta a *Satana*, vividiſſimis coloribus pingebat *Calumniatoris* & *Accuſatoris illius* impudentiſſimam audaciam, & præfractiſſimam malitiam, qua *Deo* ipſi *litem intentare* ſuſtinet, *Rectoremque Univerſi provocare ad ſincerum*, ſi forte uſpiam extet, *ſui cultum in igne tentationis explorandum*. Ab *hac* autem *præſentia* פנים *Dei* quum *diſceſſiſſe* jam dicitur Adverſarius, innuitur eum haud ſecus ac *Apparitorem* aliquem, aut *Lictorem ſupremi Judicis*, quantocyus ſeſe accinxiſſe ad exequendas eas *Jobi* vexationes, & plagas, ob quas, ut ita dicam, extorquendas Deo, *acerrimus* in Aula Cœleſti *flagitator adſtiterat*. Obſervari præterea velim יצא *exire judiciale* eſſe *verbum*, quod frequentari amat vel in *ſententiis pronunciatis*; vel in *reis*, per ſententiam Judicis partim *damnatis*, quod eſt *Exire ſontem*, partim *abſolutis*, quod eſt *Exire inſontem:* vel in *Miniſtris* & *Executoribus judicii*; ut *Eſaj.* 37: 38. ויצא

מלאך

13 Die autem quodam Filiis ac Filiabus ejus comedentibus, vinumque bibentibus, in domo Fratris ſui primogeniti:

14 Nuncius venit ad Jobum; ac dixit: Boves arabant, & aſinæ paſcebant more ſolito.

15 Et irruerunt Sabæi, ceperuntque illa: & pueros percuſſerunt acie gladii: & elapſus ſum tantummodo ſolus ego, ut nuncium tibi ferrem.

16 Illo adhuc loquente venit & iſte, dixitque: Ignis Dei cecidit de Cœlo, & ambuſſit oves ac pueros, eoſque abſumſit: elapſuſque ſum tantummodo ſolus ego, ad nuncium tibi ferendum.

17 Ad-

13 ויהי היום ובניו ובנתיו אכלים ושתים יין בבית אחיהם הבכור :

14 ומלאך בא אל־איוב ויאמר הבקר היו חרשות והאתונות רעות על־ידיהם :

15 ותפל שבא ותקחם ואת־הנערים הכו לפי־חרב ואמלטה רק־אני לבדי להגיד לך :

16 עוד זה מדבר וזה בא ויאמר אש אלהים נפלה מן־השמים ותבער בצאן ובנערים ותאכלם ואמלטה רק־אני לבדי להגיד לך :

17 עוד

מלאך יהוה *Et Exiit Angelus Jehovæ*, *&* *percuſſit* &c. & *Eſech.* 30: 9. יצאו מלאכים מלפני *Exibunt Angeli de præſentia mea -- ad conterrendos Cuſchæos*, &c. Parili ratione *Exiit Satanas de præſentia Jehovæ*, tantundem valet ac *Executor judiciorum* adverſus *Jobum* decretorum *quantocyus perrexit*, ad eum inteſtandum.

Verſ. 14 Nodi aliquid nectit על ידיהם, quod *Coccejo* eſt *per manus eorum*, nempe *puerorum*, qui vſ. 15. memorantur. Plerique dant, *Ad manus eorum* pro *juxta*, *ad latera boum.* Alii malunt *in locis ſuis.* Omnes habent quo nitantur. Non poſſum tamen quin aliam adhuc ſemitam monſtrem; *ſuper manibus ſuis*, id eſt *more ſolito*; prout *aſſueverant*, & *ordo* rei ruſticæ *exigebat.* Sic הם ſeſe referet & ad *boves arantes*, & ad *aſinas paſcentes.* Hanc elegantem vim *Manus* vel *Manuum* pro *conſuetudine*, *inſtituto*, & *more ordinario agendi* ſiſtit *Eſr.* 3: 10. *Ad celebrandum Dominum tubis & cymbalis* על ידי דויד *ex inſtituto Davidis.* Iterum 2 *Chron.* 29: 27. על ידי כלי דויד *Ad rationem*, *morem*, *inſtitutum inſtrumentorum Davidis.* Hinc lucem quoque capere videtur obſcuriuſculum illud *Jer.* 5: 30. *Et ſacerdotes Dominatum exercent* על ידיהם *ſuper manibus ſuis*, hoc eſt *ad morem* ab ipſiſſimet *ordinatum* ac *inſtitutum*: pro *ſolenni* ſua *regula*, *normaque agendi*, quam a patribus acceptam, propagant, perpetuantque.

Vſ. 15. Ad rationem *fœminei ſexus* in verbis תפל & תקח expediendam, aſſumi ſolet עדה vel אמה, *Turba*, *Natio Sabæorum.* Rectius alii monent vocabula *Gentium* nunc *maſculine*, nunc *fœminine* uſurpari. Hic tamen paulo diverſior adhuc ratio eſt, quum enim הכו *percuſſerunt* mox ſubſeratur, apparet *fœmin. ſing.* ex *Arabiſmo* poſitum eſſe pro *plur. maſcul.* נפלו. Non audiendus R. *Salom.* qui *Cadere* illud per *caſtra metari* exponit, ut *Gen.* 25: 18. Non quadrat id in *prædones Arabes*, ::d morem *turbinis* vel *fulminis irruentes.* Is uſus נפל vel ex *vſ.* ſeq. pateſcit. Hinc *metaphoram* quoque duxit *Eſajas cap.* 9: 7. *Verbum laxavit Dominus in Jacobum*, *&* *irruit in Iſraëlem*, inſtar *fulminis* videlicet.

Ibid. Verbum נמלט *evadere*, *elabi* notionem iſtam *ſecundariam* adſci\it a primaria *Lubricitatis*, quum quid vel *raptim*, vel *furtim e manibus elabitur.* Id aperuit *Clavis Dialectorum pag.* 239. ubi adduxi ex *Arabia* Radices ملص,

17 עוד זה מדבר וזה בא ויאמר כשדים שמו שלשה ראשים ויפשטו על־הגמלים ויקחום ואת־הנערים הכו לפי־חרב ואמלטה רק־אני לבדי להגיד לך׃

17 Adhuc illo loquente, venit & iſte, dixitque: Chaldæi triplici agmine impreſſione facta graſſati ſunt in camelos, eoſque abegerunt. Pueros autem cæciderunt acie gladii. Et elapſus ſum tantummodo ſolus ego, ut tibi renunciarem.

18 עד

18 Ad

ملص, *Excidit* res e manu *præ lubricitate*, itemque ملس *Glaber & lubricus fuit*; unde املس *ſubduxit ſe e medio aufugiens*, & *lubricando* quaſi *eripuit ſe*. Ad *partum* quoque *expeditum*, *lubricum*, *præproperum*, quomodo hinc traducatur, in *Hiph.* & *Pihel*, *ibidem* oſtenſum, collato themate ملط, ejuſque derivato מלט, *lutum Cæmentarium*; a *ſumma lubricitate* ſic dictum.

Vſ. 17. Non negaverim equidem, שמו שלשה ראשים ſat commode verti, *poſuerunt*, *diſpoſuerunt tria agmina*, *in ternos ſe globos compoſuerunt.* Sed commodius adhuc putem quod expreſſi, ex uſu illo ἐπιτίθεσθαι *impreſſionem dare*, quem ſupra adſtruxi *vſ.* 8. Sic *Ellipſis* erit pro בשלשה ראשים; vel כשדים שלשה ראשים *Chaldæi tria agmina* facti, שמו *impetum dederunt.* Confer, 1 *Sam.* 15: 2. *Amalek* שם לו *impreſſionem dedit in ipſum*, *quum adſcenderet ex Ægypto*: ut narratur *Exod.* 17: 8.

Ibid. Opportune ſubnectitur ויפשטו. Radix פשט teritur pro *Exuere* veſtimenta, & quidem *graviore* illo *ſignificatu*, quo Latini ſuum *ſpoliare* uſurparunt, pro *derepta veſte nudare*, *nudum excutere*. Ita *Liv.* 2: 55. *Conſules ſpoliari hominem & virgas expediri jubent.* Et mox, *Quo ferocius clamitabat eo infeſtius circumſcindere & ſpoliare lictor.* Iterum L. 8: 32. itemque *Cic. Verr.* 4: 40. Notum hinc *ſpoliarium*, ἀποδυτήριον, in *balneis*. Notiſſimum & *ſpolium* pro *pelle detracta* vel Leonis, vel Serpentis, ſive *Exuviis*. Vide *Voſſ. Etym.* in voce. Similis ferme ratio eſt in פשט, quod *Lev.* 1: 6. *Mich.* 3: 3. ſignanter in *pelle detracta* adhibetur. Inde ad *veſtimenta detracta* & *derepta* vel *violenter*, vel *feſtinanter* ſaltem, transfertur. Vide *Hoſ.* 2: 2. *Mich.* 2: 8. *Job.* 19: 9. *Lev.* 6: 4. *Eſaj.* 32: 11. 1 *Sam.* 18: 4. Hinc propagata porro altera poteſtas *exſpoliandi*, *deſpoliandi*, *ad ſpolia agenda graſſandi.* Minus feliciter Cl. *Cocc.* aſſumſit διαχεῖσθαι, *diffundere ſe*, ἐξορμᾶσθαι, tanquam *ſe denudare & exuere ſuis latebris.* Eſt ergo planiſſume λωποδυτεῖν ut 2 *Sam.* 23: 10. & 1 *Sam.* 31: 8. ubi eſt *ſpoliare cadavera.* Jam vero ut noſtrum *ſtroopen* a *cute derepta* transiens ad *ſpoliationem*, ſe mox extendere cœpit ad *graſſationes ſpoliorum cauſa factas*, ſic פשט quoque illuc vim ſuam permiſit. 1 *Sam.* 23: 27. *Philiſtæi* פשטו על הארץ, *ad ſpolia agenda graſſantur per terram.* Obſervetur duplex conſtructionis ratio 1 *Sam.* 30: 14. unde reliqua evadent expeditiſſima, ad elegantiam cujuſque loci perſpiciendam. In primis venuſtum eſt ſchema *Nah.* 3: 16. ילק פשט ויעף *Locuſta ſpoliabunda graſſatur & avolat*; ubi alluditur ſimul ad *arbores cortice derepto nudatas* per haſce *ſpoliatrices*, quibuſcum ibi comparantur *copiæ militares.* Cum hoc themate conferendum *Arabum* فسد, cujus 4. *conj.* eſt *Graſſatus fuit inferendis malis*: & 6. تفاسدوا *inter ſe graſſati ſunt damnis & malis.* فساد *Violenta ereptio opum*, *gregum* &c. &c. *Sin* pro *Schin* ſolenne. Rarior mutatio ꝯ ט in ד; quam indicavit tamen *Clav. Dial.* Origo Radicis فسد in Lexicis non comparet, quæ videtur reducenda ad جذب *tractionem vehementiorem* ſive *carptionem* cum laceratione conjunctam. Hanc principem fuiſſe poteſtatem ꝯ פשט admodum veri eſt ſimile, nam inde proclivis gradus ad *detractionem* cutis, *ſpoliationemque* veſtis. Ejus poteſtatis primævæ veſtigium offert vox فسط *petiolus* dactyli. Proprie *carptum*, *concerptum*, *præcerptum*, forma *participiali* unde & *præſegmen unguium* aliarumque

18 Ad hunc uſque loquentem venit & iſte, qui dixit: Filii tui Filiæque edebant, & bibebant vinum, in domo Fratris ſui primogeniti.

18 עד זה מדבר וזה בא ויאמר בניך ובנותיך אכלים ושתים יין בבית אחיהם הבכור :

19 Et ecce ventus magnus venit inde ex ulteriore deſerto, & corripuit quatuor angulos domus; quæ collapſa eſt ſuper Liberos mortuique ſunt. Et elapſus ſum ſolus ego, ad renunciandum tibi.

19 והנה רוח גדולה באה מעבר המדבר ויגע בארבע פנות הבית ויפל על־הנערים וימותו ואמלטה רק־אני לבדי להגיד לך :

20 Tum ſurrexit Jobus, laceravitque pallium; & caput penitus attondit: proſtratuſque humi adoravit.

20 ויקם איוב ויקרע את־מעלו ויגז את־ראשו ויפל ארצה וישתחו :

21 Di-

21 ויאמר

que rerum ſignificare poteſt; idem atque قلامة *quod præcerpitur & reſecatur de aliqua re.* Radix ipſa فسط non extat quidem in *Lexicis*, ſed & alia inde exulant bene multa, ut fieri aſſolet in genere hoc, quæ tamen ſcrinia vetera excutienti occurrunt. Per *Schin* quoque reperio فشط, idem quod فسط in *Camuſo*, ibidemque ipſa Radix فشط laudatur, ejuſque 7. *conj.* انفشط العود انفضخ ولا يكون الا رطبا *De ligno dicitur* אנפישט *quum frangitur tundendo; nec adhiberi poteſt niſi in humida materia.* Ex his omnibus ſatis, credo, elucet פישט eſſe proprie *concerpere*, *carpendo* & *tundendo detrahere*, *deripere*; indeque reliquas ſignificationes ſponte ſua emanaſſe.

Vſ. 18. Voculam עד quæ alias *uſque ad* ſonat, hic pro עוד *adhuc* poſitam eſſe magno conſenſu tenetur, quod ea bis præceſſerit. Suſpicor tamen de induſtria eſſe variatum, & voluiſſe nunc Sacrum Scriptorem *uſque ad*; vel ſimpliciter, *uſque ad hunc loquentem venit & alius*, ut *Thren.* 4: 40. *Revertamur* עד יהוה *uſque ad Dominum*: & 1. *Sam.* 9: 9. *Eamus* עד הראה *uſque ad videntem.* Vel elegantiore flexu pro *dum adhuc loquens* erat *hic*, *venit & iſte.* Ita *Jon.* 4: 2. עד היותי *Dum adhuc eſſem in terra mea.* עוד & עד junguntur quoque venuſte *Hagg.* 2: 19. non ſane eodem ſignificatu, ſed grata cum varietate, quam ſic repræſento; *Profecto adhuc ſemen in granario; & uſque ad ficum vitimque &c. non protulit quicquam.* Hoc eſt *etiam fertiliſſimæ* & *luxurioſiſſimæ arborum ſteriles manſere.*

Vſ. 20. Solide Cl. *Cocc.* ad iſtud ויקם: *ſurrexit* nec *a cibo*, nec *a negotio*, neque omnino *ſediſſe* neceſſe eſt intelligas. *Surgere* in ſacris eſt *aggredi agendum aliquid.* Non perſuaſit *Doct. Schmidio*, qui putat *Jobum* deſcribi hic ut magnificum Patrem familias, qui *domi ſederit* ut omnia diſponeret, & mandata cunctis daret. Nollem talibus ſuaviludiis indulgerent Viri præclari. Solidiſſime *Coccejus* removerat quicquid hic vel de *menſa*, vel de alia quacumque *occupatione* erat cogitatum. Protritus hicce uſus verbi קום قام apud *Arabes*, quod in *Camus* per طفق *cœpit*, *incepit*, *aggreſſus eſt*, inter alia, exponitur, adducta phraſi vulgari قامت تنوح *ſurrexit planget* pro *occœpit plangere.* Habes eandem phraſin 2 *Sam.* 13: 31. Signat etiam *ſtudium*, *impetumque* quo quid *capeſſimus* & *aggredimur*; quod ſi tum hic, tum alibi locorum attendatur, plenior adhuc exiſtet ſenſus.

Ibid. ויגז את ראשו. Diſputatur quid valeat גזז, ſitne *tondere*, an *vellere*. Poſterius calculo ſuo firmavit Cl. *Cocc.*, docens derivatum גז proprie ſonare *lanam vulſam*: & גזת צמר *Jud.* 6: 37. *Vellus lanæ*: *Vellus* a vel-

21 ויאמר ערם יצתי מבטן אמי וערם אשוב שמה יהוה נתן ויהוה לקח יהי שם יהוה מברך׃

22 בכל־

21 Dixitque; Nudus ex utero matris exii: nuduſque revertam illuc. Dominus dedit, & Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum.

22 In

vellendo nomen duxit obſervante *Varr. L.* 2. de R. R. quia *lanæ vulſura* prius in uſu fuit quam *tonſura*. Ergo pro *attotondit caput*, exhibetur a *Cocc.* poſt *Rabbinos* nonnullos, *vellit* capillum *capitis ſui*, improbante τῶν LXX. ἐκείρατο, quod nimis ſubitum eſſet *Jobi* πάθος. pro priore ſignificatione *tondendi* ſtat *Boch. Hieroz. part.* 1. p. 480. 481. oſtendens in gravi luctu *capita* fuiſſe *attonſa*: atque hanc vim ex *Dialectis Syriaca* & *Arabica* ſimul adfirmans. Id hic multo melius quadrare quam *impatientem* capilli *Vulſionem* evictum a Cl. *Schmid*: Adhæſit *Coccejus* ad *Mich.* 1: 16. קרחי וגזי ubi *tonſuram* nimis dilutam diſputans, pro *vulſura* concludit. Sane *Fac calvitiem & tondeto* eſt languidius: nec video ſcrupulum a *Boch.* ſublatum. Is ne quemquam teneat, moneo גזז eſſe verbum grave, quod per *metere* potius reddendum ſit, quam per *tondere*. In *Camuſo* habes جز الشعر والحشيش وهو مجزوز وجزيز قطعه كاجتزه *Radix* גזז *in crine & in herba ſicca cum part:* גזיז & מגזוז *eſt reſecare metendo; quæ vis etiam* 8. *conjugationi ineſt*. Eleganter hinc *Hiſt. Sarac.* p. 51. & 61. اجتز راسه *Meſſuit caput ejus*, *demeſſuit*, *præcidit*, floſculo orationis inſigniore. Sic *Ovid Metam.* 5: 104.

Demetit enſe caput —— ——

Ubi vid. *Heinſ.* Adiſis & Cl. *Drakenb.* ad *Sil. Ital.* 10. 147. contra idem *Sil.* 8: 61.

Dum flavas bis tondet meſſor ariſtas.

Hinc jam *demetere comam*, *metere caput* eleganter, cum quicquid *Comarum eſt*, *detondetur*, & quidem *feſtinanter*, *raptim*, *trepide*; ut fit in conſternatione, ac mœrore. Non diſplicebit figura hæc *Mich.* 1: 16. *Calvitiem fac & mete*. Egregie etiam *Jer.* 7: 29. *Mete Naziræatum tuum* i. e. *Longam* illam *comam* *votivam*, religioſeque nutritam, quantocyus *detonde*. Similiter heic loci appoſitiſſime *Meſſuit ſuum caput*, ad *gravitatem luctus* pingendum, abſque *impatientia* tamen *muliebri*, quæ *crinibus vellendis* ſemet ſolari ſolet. *Euripides* quidem in *Androm.* 1209. inducit *Peleum* in hæc verba erumpentem, ad nuncium occiſi *Neoptolemi*,

Οὐ σπαράξομαι κόμαν;
Οὐκ ἐπιθήσομαι
Ἐμῷ κάρᾳ κτύπημα χειρὸς ὀλοόν?

Sed forte characterem Viri fortis minus feliciter ibi ſervavit. Utique a *Jobo* ſcenam talem alieniorem eſſe inde apparet, quod *cladibus ſuis major celſiorque* omnia hactenus *fortiſſime eduret*: cum qua *animi magnitudine* non pugnat *raſio capitis*, ſeu *demeſſio comæ*; quippe quæ eſſet inter *ſolennia domus funereæ*, & *officia pietatis* erga defunctos. Multa hanc in rem adduxit *Boch. Hieroz. part.* 1. p. 482. 483. *Eurip.* in *Alceſt. vſ.* 512. hoc vocat κουρᾷ πενθίμῳ πρέπων: ſignatius adhuc *Ibid. vſ.* 427.

Πένθος γυναικὸς τῆσδε κοινοῦσθαι λέγω
Κουρᾷ ξυρήκει, καὶ μελαμπέπλῳ στολῇ.

Habes non *tonſum lugubrem*, ut *Accius* loquitur, ſed *demeſſionem comæ admota novacula*, *falcis inſtar*. Hanc proprietatem τοῦ גזז aperte præfert quoque derivatum גז pro *deſectione graminis* per *ſalcem*, quæ *Arabibus* مجز, מגז, *defective* pro מגזז vocitatur.

Vſ. 21. Sollicitos habet interpretes אשוב שמה *Revertar illuc*, quum in *Uterum* utique *Maternum* rediri nequeat. Hinc שמה δεικτικῶς a multis deflexum ad *Terram* cujus *in ſinu*, *uteroque* veluti ſepelimur mortales. Aliis *illuc* vel *illò redire*, eſt *Abire illò quo plures abiere*, per ſpeciem *Reticentiæ* & *Euphemiæ*. Subtilius *uterum matris*, etiam in priore membro, figurate ceperunt nonnulli pro *prima* hominis *Origine e pulvere*, ut *Job.* 33: 8. & *Gen.* 3: 19. Argutius adhuc Cl. *Schmid.* hinc

 eli-

22 In omnibus hiſce nihil peccavit Jobus; neque edidit futilitatem in Deum.

22 בכל־זאת לא־חטא איוב ולא־נתן תפלה לאלהים׃

CA-

elicuit *Naturam mortis piorum*, *qui quemadmodum ante nativitatem incluſi erant in utero, ſic quum moriuntur*, *non pereunt*, *ſed quaſi in uterum matris redeunt*, *ut inde denuo excludantur*, *& felicius*, *in Reſurrectione ultima.* Urguet vim ꝧ שוב, quod *Reditum* eo, *unde egreſſus contigerat*, inferre debeat. Sed rumpatur neceſſe eſt quod ſic tenditur. Aliquid in mente habuiſſe putem Virum Doctum, quod non ſatis enucleate expoſuit. Id evolvere conabor, verumque loci conſpectum præbere. Plane fieri nequit ut *Jobus* in priore membro non reſpexerit *uterum maternum* ſtricte & proprie dictum: aſt ſecundum membrum אשוב שמה *Revertar illuc*, in *uterum maternum* videlicet, jam *improprie* & *figurate* nos ducit ad *gremium terræ*, quæ & *ventrem* habere dicitur, quo cuncta recipiat recondatque per mortem ſoluta, & *Communis* mortalium *Matris* nomine ſalutari quoque ſolet. Sic eſt *Figura ex Ancipiti* in vocibus בטן *Venter* & אם *Mater*, quæ ut *Græcis Latiniſque* mirifice placuit, ita in Oriente, ac præſertim inter *Arabes* regnat. Aliquid de *Schemate* iſto alibi a me prolatum, & ulterius proſequendum forte. Ad *Reſurrectionis ſpem Fidemque*, quam *Jobum* habuiſſe perſuaſiſſimus ſum, locum tamen huncce trahere non ſuſtineo; & quicquid de *ventre* vel *utero terræ redditura* tandem, atque in dias luminis oras excluſuræ, *ſuos fœtus*, differi poſſet, ſpecioſius quam ſolidius cenſerem. Nempe non videndum eſt, quid natura locutionis ferat, ſed quid ſcopum feriat, cum menteque loquentis conſpiret. Alias *Terram gravidam*, *fœtuſque ſuos enixuram*, poſſe pingi, ſi dubium cuiquam foret, firmarem ex *Eſaj.* 25: 17, 18, 19. ubi bis iſta *figura* adhibetur.

Vſ. 22. Hæretur in phraſi לא נתן תפלה לאלהים, vertentibus aliis, *Non attribuit inſulſitatem Deo*, aliis *non retribuit.* Qui prius ſequuntur, iterum diverſi abeunt. *Coccejus* תפלה *inſulſitatem* accipit pro *vitio*, quod Dei virtutes minueret, nec ejus Majeſtati ac Sanctitati congrueret; quaſi ſenſus foret *non adſcripſit Deo quicquam vitioſi*, *inconditive*; nihil in *Dei viis & rationibus* hiſce tanquam תפלה *inſulſum quid*, ac *minus ſapiens* taxavit. Addit ſibi non æque arridere ut *inſulſitas* iſta ponatur in ſermone *Jobi.* Sic nempe *Rabbini* ferme, & univerſus interpretum chorus malebant, qui negari autumant *Jobum aliquid inſulſi* ac *abſurdi* aut *corde concepiſſe*, aut *ore emiſiſſe* adverſus Deum. Cl. *Schmid.* latiore adhuc adſpectu, *Neque reddidit abſurditatem Deo.* Id ita explicat. Quamvis Deus ipſi *daret mala*, non tamen Deo *reddidit quicquam inſulſi*, ſive in dictis, ſive in factis, qualis erat *laceratio pallii* &c. &c. Habent omnes hæ ſententiæ quo ſe commendent, ſed & apparet ſagaci Lectori, talem eſſe diſſenſionem hanc, quæ nunquam decidi queat, niſi copioſior Linguæ cognitio præluceat. Hactenus ſcilicet non liquet quid תפל in *Origine* continuerit. In Lexicis per *inſulſum* ferme declaratur, notione arrepta ex *Jobi* 6: 6. *An comedetur* תפל, *abſque ſale.* Sed quid venuſtatis quæſo haberet *inſulſum ſine ſale*? Alii ad Tautologiam evitandam *Abſurdum* aſſumſere; *Cocc.* in *Lex.* *inconditum* quod *non* eſt *paratum* ut oportet. Cl. *Hott.* in *Smegm. Orient.* receptam illam vim *inſulſi* & *inſipidi* illuſtrari putabat ex *Arabum* تفل *Minime fragranti odore fuit*; ſpeciatim, *propter neglectum aromatum.* Hoc in *Cocceji* illud *non paratum ut oportet* ſic ſatis quadraret. Verum enim vero parum per *Negativas* iſtas *Ideas* promovetur; potuiſſetque Magnus ſane in Orientalibus *Hottingerus* aliquid *Poſitivum* ope *Dialecti Arabicæ* produxiſſe, quod grato ſe lumine æquis & peritis inſinuaſſet. Nempe iſtud *Non fragravit Os* mulieris, quod per تفل deſignant, eſt *ſecundarium*, a *primario* ſignificatu *ſalivavit*, *ſalivam exſpuit.* Gaudet *Lingua Arabica* variis *ſputandi* vocabulis; in quibus frequentiſſima ſunt تفل, نفث, & بصق vel بزق, quorum juſtos fines ſic regit *Gjauharius* التفل شبيه بالبزق

وهو

وهو اقل منه اوله البزق ثم التفل
ثم النفث ثم النفخ وقد تفل يتفل
ومنه قول الراجز

متى يحس منه مايح القوم
يتفل ☼

ومنه تفل الراقي ورجل تفل اي
غير متطيب بين التفل وامراة متفال
واتفله غيره قال الراجز

وتتفل العنبر والصوارا ☼

Radix תפל *eandem ferme vim habet quam* בזק *ſputavit; niſi quod tenuius ſit. Primum enim eſt* בזק *ſputavit, exſputavit: deinde* תפל *ſpuit ſalivam, ſalivavit. Inde porro* נפת *&* נפח *quæ ſcreationem ſignant. Prima conj. dat fut.* יתפל, *ut in illo Poëtæ.*

Quum ſorbet inde conviva gentis, exſpuit.

Inde etiam dicitur, Exſpuit incantator. Et vir תפל, *eſt qui aromatibus non utitur, fragrantiæ penitus expers. Talis mulier* מתפל *vocatur: & in 4.* אתפל *eſt inodoratum reddere aliquid, ut in illo Poëtæ.*

Quæ inodorum reddit Ambarum Muſcumque.

Verſiculus ille laudat *mulierem* pulchram, multo *fragrantiſſimam.* Ducta autem eſt notio illa poſterior, a *Salivæ jejunitate*, quaſi dicas *jejunum* reddit *Ambarum* & *Muſcum*: ut apud *Latinos* quoque *jejuna* dicta, quæ *putidiuſcula* ſunt; ex uſo illo *Plautino Merc.* 3: 3. 13. *Jejunitatis plenus*; *anima fœtida.* Proprietas itaque verbi תפל eſt *Salivavit*; *ſputavit.* Hinc תָּפֵל *Salivans* figurate in *calce fluida* & *diluta* apud *Ezech.* 13: 10, 11, 14, 15. Habes adfinem phraſin apud *Plinium* L. 9: 36. *mutuo attritu lentorem cujuſdam ceræ ſalivant purpuræ.* Poſſes haud invita Latinitate ibidem *Exſpuunt* ſubſtituere: ſed *ſalivant* eſt elegantius. Ex *Ancipiti* ab *Eſechiele* intenditur quoque *Doctrina ſalivans* quaſi, id eſt *futilis*, *jejuna*, *diluta.* Eo colore dictum *Jobi* 6: 6. היאכל תפל מבלי מלח *An comedetur ſalivans, nullo ſale præditum?* de quo infra diſpicietur. Sic *Thren.* 2: 14. *Prophetæ tui viderunt* שוא ותפל *Vanum & ſalivans.* Porro *ſubſtant:* תפלה *Salivationem* ſignat, ut & *ſalivatum*, *ſalivæ inſtar ejectum ex ore.* Ejus primigenium *ſcgolatum* תֶּפֶל تَفْلٌ *ſputatio* apud *Gjauharium* proſtat; & תֹּפֶל تُفْلٌ *ſputum* ipſum apud *Phiruz:* quod pro *jejuno, futili, inſulſoque ſermone, temere ex ore ejecto* uſurpatur *Jer.* 23: 13. *In Prophetis Samariæ vidi ſalivationem.* Similiter *Job.* 24: 12. pro *temerario futilive dicto* poni, in loco reddetur. Ex hiſce jam tandem perfacile eſt ad dijudicandum, quænam trium interpretationum, in noſtro contextu, ad Linguæ genium proxime accedat. Media videlicet: quæ *nihil inſulſi a Jobo cogitatum*, atque *ore prolatum* fuiſſe, indicari ſtatuit. Reſtat tamen haud levis adhuc ſcrupulus circa conſtructionem לא נתן תפלה לאלהים, *non dedit jejunam futilitatem Deo*, quod non ſatis commode dictum videri poſſet in hanc mentem. Hac difficultate preſſus *Schmid.* ſuum *reddidit*, *retribuit*, excogitavit. Eadem motus *Cocc.* communem opinionem improbavit. Ne quis itaque hic obhæreat, aſſumat velim ſingularem illum uſum נתן *dare*, quo valet *edere*, *emittere ex ore.* Nota formula נתן קולו *dedit vocem ſuam*, *Prov.* 2: 3. 8: 1. & alibi. Sic לא נתן תפלה *Non dedit jejunam futilitatem*; *ſalivationem* לאלהים *in Deum. Nihil tale nec ex ore, nec ex corde emiſit.* Mirifice huc facere videtur tritum inter *Arabes* Proverbium لا بد للمصدور ان ينفث *Fieri nequit ut in pectore læſus non exſcreet*, quo ſignificant eum *qui læditur, vexaturque facile erumpere in querelas cum indignatione conjunctas.* Utitur *Haririus* in *Conſ.* 6. لا ينفث صدره *Non ſcreat pectus ejus:* ad quæ verba *Scholiaſtes*

اشارة الي المثل لا بد للمصدور ان ينفث يريد انه لم يتكلم بشي يدل علي ما في صدره من تبدل الحب ولضمار الغش والنفاق *Eſt alluſio ad Proverbium, fieri nequit quin ſcreet læſus in pectore: quo innuit eum nihil proferre quod indicet mutatum intus in pectore amorem, conceptamque ſimultatem ac inimicitiam.* Deſcribit ibi *Haririus Abuzeydum*, Virum callidiſſimum, omnes *injurias forti pectore ſuſtinentem*, *ſine querelis*, etiamſi exulceratum intus ſit pectus. Si deſcripſiſſet hominem probum, *cui ne cor* quidem *ad injurias ulceratur*, eodem dicto proverbiali eum collaudare potuiſſet, لا نفث صدره *Non ſcreat pectus ejus.* Adſcribi hic etiam meretur alia alluſio ad idem proverbium, ex *Ibn Doreid*, *querelas in quas eruperat ob Fortunam nimis ſibi iniquam ſic excuſante.*

انها نفثة مصدور اذا جاش
لغام من نواحيها عمي ۞

Hæ tantum ſcreatio ſunt læſi in pectore: quod ſi ebulliit;
Spuma undans feſtucas undique ejectat.

Allegoria audax مصدور *Læſus in pectore* eſt *adverſa Fortuna adflictus.* Ejus *ſcreatio* نفثة, vel *ſputatio*, eſt *conqueſtio* & *comploratio* ſuæ ſortis, *verbis durioribus* quam par erat. *Spuma pectoris bullientis* ſignat *verba dolorum vi expreſſa.* Denique *feſtucas undante* hac *ſpuma ejectas* vocat poëta iterum *querelas leves* & *vanas*, quas *torrens* verborum *vehere* & *ejectare* ſolet. Annotavit ibi *Scholiaſtes* النفث اقل من التفل والنفثة هنا ما يلقيه النافث *Minus eſt* נפת *ſcreare, quam* תפל *ſputare*; *&* נפתה *hic ponitur pro eo quod ſcreator ejicit.* Permittit ergo Genius Linguæ ut *Proverbium* per ſynonymum תפל ſic quoque enuncietur لا بد للمصدور ان ينفث ويتفل *Abeſſe nequit quin læſus in pectore ſcreet & ſputet.* Hoc eſt: *erumpat* partim in *querelas*, partim in *expoſtulationes amariores.* Hunc jam uſum ſi premamus, *ſputatio* תפלה *ſpeciatim* hic denotare poterit *amaram expoſtulationem* ex *pectore exulcerato* erumpentem; ita tamen ut *generatim* quoque iſtam *ſputationem*, *ſalivationemque* in *verbis indecentibus*, *futilibusve* figuratam teneamus: quem ſenſum genuinum hujus loci collatio *Cap.* 2: 10. confirmabit.

CAPUT SECUNDUM.

Verſ. 1 ET accidit die quodam, ut Filii Dei venerint ad ſiſtendum ſeſe apud Dominum: venitque Satanas quoque in medium eorum, ad ſeſe apud Dominum ſiſtendum.

2 Di-

Verſ. 1 ויהי היום ויבאו בני האלהים
להתיצב על־יהוה ויבוא גם־השטן בתכם
להתיצב על־יהוה׃

2 ויאמר

Vſ. 1. Ad *Cap.* 1: 6. Vim verbi יצב, præſertim in hac forma *Hitpah.* declaravi, quæ nunc adfert *aſſiduitatem* & *frequentiam miniſtrorum*, Regi ſuo *adparentium* ad juſſa ejus capeſſenda. Hoc ipſo autem ſcrupulus levatur, ad quem alias forte offendi poſſet, quod & *Satanas* dicatur *veniſſe in medio Angelorum* להתיצב על יהוה; quo innuitur, eum

Ap-

2 ויאמר יהוה אל־השטן אי מזה
תבוא ויען השטן את־יהוה ויאמר
משוט בארץ ומהתהלך בה׃

3 ויאמר יהוה אל־השטן השמת לבך
אל־עבדי איוב כי אין כמהו בארץ
איש תם וישר ירא אלהים וסר מרע
ועדנו מחזיק בתמתו ותסיתני בו לבלעו
חנם׃

4 ויען

2 Dixitque Dominus Satanæ, undenam advenis? Et reſpondens Satanas, ab incurſanda, inquit, terra, in eaque degraſſando.

3 Tum Dominus Satanæ, numquid tetendiſti cor tuum, inquit, adverſus ſervum meum Jobum? quoniam non eſt, qualis ille, in terris: Vir perfectus & rectus: metuens Numinis & recedens a malo. Etiamnum quoque obtinet ſuam integritatem quamquam tu me inſtigaveris ad illum abſorbendum gratis.

4 Et

Apparitoris quoque nomine ac titulo, ad ſupremi Moderatoris ſolium quaſi admitti, quin imo illuc quaſi irrumpere *flagitatorem* importunum, *delatoremque* acerrimum; qui internecivo ſemper odio probis juxta improbisque perniciem meditetur, atque ad hoc ipſum exſequendum, edicto Cœleſtis Curiæ cupiat armari. Hanc notionem non eſſe precariam, patet ex *Arabum* وظب, & واظب, pro لزم *tenacius inſtitit inhæſitque*, flagitans aliquid, uſitari ſolito.

Vſ. 2. Confirmatur ex hoc *vſ.* expoſitio noſtra ad *Cap.* 1: 6. data: nam *Satanas* tot tantisque cladibus *Jobo* ipſi inflictis, non ſane otioſus ſpectator obambulaverat, ſed tanquam violentus latro degraſſatus fuerat, *ſævo flagello* terris intonans atque incumbens: quod non ſine *jactatione* iterum prolatum.

Vſ. 3. Et hic vſ. adſtruit quæ *cap.* 1: 7. propoſui ad phraſin השמת לבך: qui enim quadraret dilutum illud, *an animum advertiſti ad ſervum meum Jobum*? quum mox *abſorptum* eum, *funditusque deſtructum*, inſtigatore *Satana*, ſubnectatur. Omnino, ut in verbis Satanæ *jactantia*, ita in Dei reſponſo *irriſio* ſe exerit, hunc fere in modum. *An nunc tandem, quod a longo anhelabas, cor tuum infeſtum, & odio bonorum ardens, in Jobum intendiſti, in eumque hoſtilem dediſti impreſſionem? Dediſti equidem; & Viri fortunas, familiamque uno die peſſum dediſti. Ecce tamen invictus ſtat Jobus, tuaſque criminationes immota conſtantia ac virtute retundit.*

Ibid. Huc ſpectat illud, ſuperioribus encomiis additum, ועודנו מחזיק בתמתו, quod *generatim* plurimi acceperunt pro *firmiter retinet integritatem ſuam, in eaque perſeverat.* Exiſtimo omnino aliquid *ſpeciale* deſignari, & eſſe *metaphoram a militia* deſumtam. Talis eſt uſus *Pſ.* 35: 2. החזק מגן וצנה *Tene clypeum & parmam.* Alii vertunt, *Apprehende:* ſed melius adhuc dederis, *manu firma retine adverſus hoſtem irruentem.* Ad hunc modum *Jobus*, compararetur cum *ſtrenuo pugnatore*, qui *parmam* non *abjeciſſet*, non ῥίψασπις eſſet factus, in hoc acri certamine, ſed *integritatis* ſuæ *clypeum* forti manu retinuiſſet. Hanc imaginem placuiſſe video Doct. *Schmid.* Alio *uſu militari* החזיק etiam valet *obtinere tanquam victor*; quando *affini ſenſu* diceretur, *Jobum* non dejectum de gradu vehementibus illis impreſſionibus, non *depulſum* de ſua integritate, de ejusque ut ſic dicam *ditione*, ac poſſeſſione *deturbatum*; ſed *eam* adhuc *inſigni victoria obtinere*; ac proinde revictam jam eſſe calumniam *Satanæ*, qui ſe vel primo pedatu victorem fore virtutis mercenariæ jactitarat.

Ibid. Hoc nexu & adſpectu additum ותסיתני בו לבלעו *Et tu me provocaſti, ad abſorbendum eum!* quod valet, *At tu me provocaveras!*

 Ver-

4 Et reſpondit Satanas; dixitque Cutis pro cute: & omne quod quis habet, pro anima ſua dabit.

4 ויען השטן את־יהוה ויאמר עור בעד־עור וכל אשר לאיש יתן בעד נפשו :

5 Ve-

5 אולם

Verbum הסית *inſtigavit*, *irritavit*, *proritavit*, in *Origine* ſua necdum ſatis innotuit. Secundaria tamen notio iſta omni dubio exemta. Ad eam accedit *Arabum* اوسد, quod eſt *inſtigavit*, *irritavit* in prædam, in pugnam: *concitavit diſſidium*, *tumultum*, *prælium*. Nempe non tantum סות, ſed & יסת, vel נסת extitit; unde manſit הֵסִית *Eſaj.* 36: 18. *Jer.* 38: 22. Hoc יסת in وسد poteſt migrare, per pronam mutationem ת in ד, quam in *Clav. Dial.* exemplis inſtructam reperies. Sed, ut quod res eſt dicam, blandior forte hæc convenientia, quam ſolidior; deinde ne ſic quidem *Origo* noteſcit: quum unde اوسد & السد hanc *inſtigandi* vim ſumſerint, parum liqueat. Ex 1 *Reg.* 21: 24. ubi הֵסַתָּה exaratur in 3. *fœm. præt. Hiph.* colligere eſt etiam סתת pro סות & יסת vel נסת fuiſſe pronunciatum; quod conjecturam mihi movit ὀνοματοποιΐας, ductæ ex *ſono* illo *naturali* & *ſibilo* quo ſolemus *canes in prædam pugnamve inſtigare*. Hoc alibi latius examinandum dabo: & plus quam veri ſimile efficiam. Egregia hinc lux noſtræ ſententiæ accedit, & jam ſtatim dilucere incipit, quam appoſite dictum תסיתני לבלעו *Inſtigaſti me ad abſorbendum eum.* Nempe הסית propriam ſedem occupavit, ex hac noſtra conjectura, in *inſtigandis animalibus*, inter *comploſiones* manuum, *ſibiloſque*, ut *incurſent*, *mordeant*, *devorent*. Vides anſam, qua verbum בלע *abſorbere quem*, traductum hic fuit ad *omnium fortunarum triſtiſſimum*, uno die, *occaſum* & *ruinam*. Alibi alia occaſio, ut *Jobi* 8: 18. ubi reſpicitur ad *voraginem* terræ cuncta ſubito *ſorbentem*. Utrumque habes *Prov.* 1: 11. נבלעם כשאול חיים *Abſorbebimus eos*, *ut Orcus*, *vivos*.

Ibid. Ambigitur quo ſenſu appoſitum חנם, quod aliis eſt *fruſtra*, *in caſſum*; aliis *immerito*, *citra cauſam culpamve*. Prior opinio connectit ותסיתני חנם *Tu autem inſtigaſti me fruſtra*: *fruſtratus* es tua opinione, *Jobo* non *dejecto* videlicet *de gradu*. Id prima fronte ſic ſatis arridebat, pulchre menti noſtræ concinens; quæ eſt, *Satanam ut victum hic deludi*: nec tamen illud amplector, quia præcedens membrum hoc ipſum cumulate conſignat. Haud placet etiam, *Tu inſtigaſti me immerito*, *temere*, *citra ullam cauſam criminandi*: habet enim hoc neſcio quid languidi. Cohærent voces לבליעו חנם *ad abſorbendum eum immerito*, *gratuito*, *gratis*; nihil tale *commeritum*, ſed contraria omnia *promeritum*. Hanc amplitudinem τὸ חנם recipit ſat crebro; ut *Pſ.* 35: 7. & 109: 3. atque alibi. Non ergo *quueritur Deus de Satana*, *quod ſine cauſa ab eo ad Jobum adfligendum fuerit impulſus*, *quaſi ille eſſet de integritate ſua deturbandus*; ut *Mercero* viſum, reliquiſque ferme interpretibus: ſed Deus *integritatem Jobi*, ante pleniſſime dilaudatam, inſigni nunc ornat acceſſione, ex eo, quod *abſorptus* חנם, *citra ullam* tam gravis adflictionis-*cauſam ordinariam*, quum revera, humanitus loquendo, *nil tale commeruiſſet*; ſed potius *contrarium promeruiſſet*; quod, inquam, nihilominus Deo adhæſerit, neque vel ore vel corde murmurarit. Sic jam eluceſcit is conſpectus loci, quem in principio propoſui, & *Jobus tanquam Victor* Divinitus *coronatur*, cum deriſione & ignominia Calumniatoris. Addo cum Cl. *Cocc.* ſubeſſe *tacitam Satanæ provocationem*, ad nova nempe certamina adverſus *Jobum* movenda. Id *Calviniſmum ſapere* pronunciat Doct. *Schmid.* & quamquam bonam admittat interpretationem, tamen a ſenſu textus diſcedere. At ipſe, haud pœnitendus alias Commentator, toto nunc cœlo a genuina mente loci aberravit, ac ſi ageretur non de eo quod effecerit *Satanas*, ſed quod efficere voluiſſet, ſi Deus illi id accrediditſet. Utinam ſtudia partium ſeſe commentationibus ſacris nunquam admiſcerent!

Vſ. 4. Ut Proverbiales formulæ inſignem ad-

5 אולם שלח־נא ידך וגע אל־עצמו ואל־בשרו אם־לא אל־פניך יברכך׃

5 Verum laxa age manum tuam, & tange oſſa carnemque ejus ſi non in faciem te valere jubebit.

6 ויאמר

6 Tum

addunt gratiam Orationi, ita nil obſcurius, ſi forte earum *Origine* haud perſpecta, ex abrupto & conciſe inferantur. Nil mirum proinde, ſi fluctuent ſententiæ circa עור בעד עור quod *Proverbium* redolere ſagaciores facile perſentiſcunt. Ratio vertendi duplex: altera, *cutis pro cute:* altera, *cutem ſuper cute.* Si prius obtineat, hæc exibit ſententia; *Cutis pro Cute* dari ſolet: *ſic quicquid quis habet, pro anima ſua dabit.* Si poſterius, talis exſiſtet ſeries, *cutem ſuper cute, & quicquid quis habet; pro ſua dabit anima.* Priore illo adſpectu *Cutis pro Cute*, eſſe poſſet *alterius verberibus, & cute lacera, ſua quilibet verbera redemta mavult, ut integra cute abeat*, quod Cl. *Schmid.* placuit. Poſſet etiam exponi, *membra viliora impendere amant* homines *ad cariora conſervanda.* Id pleriſque placitum, hoc ſenſu, *Jobum* non magnopere adhuc adflictum eſſe, eo quod plagæ non tam in *ipſius*, quam in *filiorum filiarumque cutim* incubuerint. Vel etiam, *jacturam* tantum exiguam *opum* feciſſe eum, non autem *naufragium incolumitatis & vitæ*; ac propterea habere quo ſe in afflictione ſoletur ac ſuſtentet. Ego utrumque conjungendum cenſerem, atque ſenſus iſtos commodius elicerem ex hac ſerie, *Cutim ſuper cute & quicquid homo habet, pro anima ſua dabit.* Literalem vim proverbii hanc concipio, paratum eſſe quemvis, ſi *Vitam* modo *ſalvam auferre* liceat, ut *vel cutis ſibi deripiatur alia ſuper aliam*, &, ut ſic dicam, *vivus excorietur.* Sublimius deinde iſtud *excoriari* in Proverbio noſtro ſignabit *dereptionem omnium fortunarum, violentamque amiſſionem.* Sane per *cutim* intelligi *Fortunas externas* patet ex oppoſitione *Carnis & Oſſium*, quæ jam *valetudinem*, ipſamque adeo *vitam* deſignant: quaſi diceret *Satanas*, verbera *Jobo* admota *cutim* tantum *deſtrinxiſſe*, nunc autem, ſi vere victor ſit pronunciandus, *plagas* ei *ad vitalia* eſſe *adigendas.* Sub hac explanatione nemo repudiabit allegoriam *cutis* pro *fortunis externis*; neque jam opus erit ex *Arabum* ſtilo id loquendi genus confirmatum dare, ubi قشرٌ *cortex, corium, cutis,* ſic transferri ſolet, ipſumque verbum قشر *excoriare* pro *ſpoliare, fortuniſque exuere.* Sed eſt aliud interius in *Lingua Arabica*, quod præteriri nequit, quum diſtinguit inter بشرة *cutim exteriorem* hominis, & ادمة *cutim interiorem*; atque *interiori* iſti *cuti* ſubjicit figuratam notionem *cognationis & propinquitatis*; prout *exterior cutis* figuram præbere poteſt *opum & fortunarum.*

Vſ. 5. Quam appoſite *graviores* nunc *plagæ*, Jobo *infligendæ*, exprimantur hac formula *Tange os & carnem ejus*, neminem fallere poterit. Sciatur & hoc eſſe *Proverbium* inter *Arabes* pervagatum; *Adegit cultrum ad os*, pro *in ſummam & deſperatiſſimam miſeriam redegit.* Quam tritum ſit, patebit ex *Camuſo*, ubi ſub *R*adice سلا reperies انقطع السلي في البطن مثل كبلغ السكين العظم *Ruptæ ſunt ſecundæ in ventre, proverbium, ut penetravit culter ad os.* Locum integrum produxi in *Origin. L.* 2. *cap.* 3. ubi etiam *Gjauharius* adductus, qui idem illud, *penetravit culter ad os* ait eſſe مثل اذا ذهبت الحيلة *Proverbium in rebus deſperatiſſimis, quum omnes ſpes opeſque interierunt: omnis humana induſtria ceſſat.* Uſus eo *Ibn Doreid*, magni ſpiritus Poëta,

لا تحسبن يا دهر اني ضارع
لنكبة تعرقني عرق المدي ۞
مارست من لو هوت الافلاك
من جوانب الجو عليه ما
اشتكي ۞

Ne opineris, O Fortuna, me dejici
Ob calamitatem, quæ oſſa mihi cultris derodat.

Con-

6 Tum Dominus Satanæ, en il-
lum, inquit, in manu tua! tantummo-
do animam ejus caveto..

6 ויאמר יהוה אל־השטן הנו בידך
אך את־נפשו שמר׃

7 Et egreſſus eſt Satanas e preſen-
tia Domini: percuſſitque Jobum ul-
cere peſſimo; a planta pedis, uſque
ad verticem ejus.

7 ויצא השטן מאת פני יהוה ויך
את־איוב בשחין רע מכף רגלו ועד
קדקדו׃

8 Sumſitque ſibi teſtam, ad ſemet
ea ſcabendum; atque in medio ci-
nere ſedebat.

8 ויקח־לו חרש להתגרד בו והוא
ישב בתוך־האפר׃

9 Tum

9 ותאמר

Congreſſa es cum eo, in quem ſi vel poli irruant
A Cœli lateribus, nullus quereretur.

Ore *Horatiano* dixeris, *quem, ſi fractus illabatur Orbis, impavidum feriant ruinæ.* Vides *Fortunæ adverſæ* dari *cultrum*, quem *carni* & *oſſi* admovere dicatur, quum *vitalia* ipſa impetit; non *cutim radit ſtringitve:* qua luce jam uberius nihil deſiderari putem.

Vſ. 6. Hæſitatur nonnihil ad את נפשו שמר, quod pleriſque eſt *ſerva animam ejus*; incommodiuſcule. Aliis *parce animæ:* quod paulo commodius. Commodiſſime, qui *Cave animam ejus* dederunt: nam revera שמר, شمر, proprie *ſubſtringi*, tum in *Niphal*, tum *Kal* induere poteſt hanc poteſtatem: non tantum interveniente *præp.* מן, ut *Joſ.* 6: 18. *Deut.* 23: 9. *Jer.* 9: 3. ſed & ſine ea, ut *Exod.* 19: 12. השמרו עלות *Cavete adſcendere adſcenſionem*, pro מעלות. Habes alia ſtructura 2 *Sam.* 18: 12. שמרו מי בנער באבשלום *Cavete, quiſquis, in puero, in Abſolomo.* Id novæ quid adfert gratiæ, pro vulgari מנער *A puero.* Potuiſſet etiam ſtrui שמרו את הנער, & quidem duplici ratione; *cavete cum puero* miſceatis vos: item, *cavete puerum*, tangatis, ſcilicet, vel tale quid. Conſimiliter hic, *Caveto animam* tangas; vel *Caveto cum anima* te miſceas. Intellige ſis cum *vita*, *facultates* quoque *animæ:* quas *Satanæ* intactas eſſe juſſit Deus nobilem Athletæ ſuo palmam parans.

Vſ. 7. Verbum נכה, نكي, نكا, *percuſſit*, monentibus *Arabum* Criticis locum habet in *gravioribus* tantum *vulneribus* & *plagis.* Ejus *Origo* alio in opere indagabitur. Sequens שחין illuſtratum a Viris Doctis ex *Chald.* שחן *caluit*, ut notetur *ulcus* ex *inflammatione.* Apud *Arabes* protritum quoque verbum سخن *incaluit*, *calore correptus fuit*; ſpeciatim *inflammatus fuit* ex ictu. Sic *Avicenna* & *Medici* fere uſurpant.

Vſ. 8. Vocabulum חרש *teſta*, alibi per *Samech* exaratur & *Scabiem* notat. Radix aſſervatur inter *Arabes*, quibus حرش eſt *ſcalpſit*, *ſcabit*, nec non, *aſpera cute fuit*, quaſi dicas *ſcabioſus fuit.* Scribitur & خرش, quod habet paulo graviorem adhuc ſignificatum *ſcabit ferro* vel *unguibus.* Habes ergo חרס pro *ſcabie aſpera Deut.* 28:26. & חרש noſtrum pro *teſta quæ ſcabitur.* Ex *Dialecto* ſæpe *Sin* aut *Samech Hebræorum*, tranſire in *Schin* apud *Arabes*, *Clavis* noſtra demonſtrat. En tamen & خرس, per *Sin*, pro *teſta*, ſub qua forma, uſu ſic jubente, *fictile vas*, & ſpeciatim *teſta vinaria* indicatur. Hinc plenius percipies cur *Jer.* 19: 2. שער ההרסות *porta figlina* appelletur, apud quam Propheta capere debebat בקבק *lagenam*, a יוצר חרש *figulo teſtarum.*

Ibid. Deperditum quoque thema גרד, unde hic ſemel tantum proſtat להתגרד *ad ſcalpendum ſeſe.* Aliquam ejus notitiam præbuit *Chald.* גרד *Scalpſit*; pleniorem conſpe-
ctum

9 ותאמר לו אשתו · עדך מחזיק בתמתך, ברך אלהים ומת :

10 ויאמר

9 Tum uxor ejus, an ad huc retines integritatem tuam? Valere jubeas Numen, & morere.

10 At

ctum dabit *Arabum* جرد *ſcalpendo deraſit*, *decorticavit*, *excoriavit*. Grave vocabulum de induſtria poſitum ad *ſcalpturam excoriantem* & *multo vehementiſſimam* ſignandam. Non perſuadent, qui ritum hinc exſculpunt, ſeſe *teſta ſcalpendi* in lucta. Nimis quoque ſubtiles, qui *teſtam* captam ajunt, vel quod longius ea ſe porrigeret, quam *digiti*; vel quod ipſos *digitos* cum *unguibus* mala ulcera obſediſſent. Ad *fœditatem* ſimul, ſimul *acrimoniam* horum ulcerum pertinet *teſta*, quæ non *ſcalpta*, ſed cum *excoriatione deſtricta & deraſa fuerint*.

Vſ. 9. Non merentur refelli qui *uxorem Jobi* detorſerunt allegorice ad *ſenſus carnales*. Rectiſſime *Mercerus* tentationem aliam, morbo ipſo longe graviorem, in *Jobum* ingruiſſe obſervat, quod quæ ſocia & ſolatrix eſſe debuiſſet malorum, ea exaſperatum eat. Idem Vir Doctiſſ. putat reſpici ad *cap.* 1: 21. Ut amarulenta irronia mulier ſic in maritum illudat, *I nunc, & Deum collauda etiam moriens.* Mitiore ſenſu *Cl. Cocc.* admirabundam facit fœminam, ob pertinacem Viri religionem, adeo ut *tantum non moriens Deo* adhuc *benedicat*, in quam mentem continuato filo vertit, *Adhuc tu tenes integritatem tuam benedicendo Deo, & moriendo!* Hæc plauſibiliora, quam quæ hic comminiſcuntur, de *blaſphemia* adverſus Deum *evomenda*, & de *violenta morte conſciſcenda*, vel & θεηλάτῳ, aliiſque paratragœdiationibus. Sic *Furiarum* maximam faciunt, quam fuiſſe piam, & religioſam, omnia ſuadent. Noſtram ſententiam ex verſione tralucentem, paucis declarabo. Moli tentationum muliebriter ſuccumbens conjux haud irreligioſa, Religionis tantum intenſiſſimam illam curam nunc miſſam facere, fervente cum maxime dolore, jubet, eo quod Religioſiſſime cultum Numen, res humanas parum curare videretur, ſed cæco potius fato eas permittere. Antiqua hæc querela. Tentatio gravis, quæ non tantum vaſcula imbecilliora concuſſit, ſed fortes quoque in fide viros quaſſavit nonnunquam.

Ibid. Hac mente primo ponitur עודך מחזיק בתמתך, pro העודך *Num adhuc retinens tuam integritatem*? Ecquid adhuc *Religionem* dices eſſe certiſſimum fundamentum & firmamentum noſtræ felicitatis? tu qui ea fervidiſſime ſervata, eradicatus es, & funditus periiſti? Signanter dicit בתמתך *Tuam integritatem*, quam Tu toties nobis celebraſti, miroque ſtudio commendaſti. In eo reſidet aculeus hujus interrogationis, niſi malis *aſſeverationem ironicam* eodem plane redituram, hoc pacto; *Adhuc tu tuam obtines integritatem.* Vincit nunc Religio, & Felices, ſcilicet! præſtat integros ſui cultores: ac propterea merito etiamnum in ea omne tuum præſidium collocas.

Ibid. In hoc fermento indignationis, ob Religionem & Virtutem tam acerba ſubire coactas, ſubjungit porro, *Valere jubeas Numen & morere.* Nihil in his verbis, quamvis impatientiæ plenis, & reprehenſione dignis, quod directe pugnet cum charactere probitatis. Duriores adhuc voces *Pſ.* 73: 11. 13. & alibi proſtant. Non jubet *Deum abnegare*, non etiam *blaſphemiis impetere*; quæ prudens interpres mecum hinc procul faceſſere jubebit: ſed aliud ei ſyſtema concipiendum eſſe admonet, de *Virtute*, de *Religione*, de *cultu ſincero Numinis*, quum nunc ex plagis Viro Religioſiſſimo impoſitis pateſcat, res humanas cæco potius volvi fato; ac proinde non eſſe quod ſummo Numini, probum improbumque juxta habenti, tam intenſus fervidusque cultus deferatur. Hæc non ultra ſcopum tendi par eſt: vel verum potius, ut in tantum de verbis hiſce relaxetur, in quantum muliebrem impatientiam & imbecillitatem ſe iis immiſcuiſſe, quilibet ſentit. *Valere jubeas Numen* itaque nihil aliud, quam *exſolvas te cura religioſa*, qua hactenus *Deum*, tanquam Virtutis Remuneratorem, & ſcelerum vindicem *ſuſpexiſti*, & ſuſpiciendum omnibus inculcaſti. *Miſſa fac cuncta iſta præcepta ſeveræ pietatis, & nullum alium fructum Virtutis tuæ expecta, quam ut brevi ſub atrocibus hiſce & ignominioſis plagis miſerum ſpiritum exhales.*

10 At ille, ut una ſtultarum loqueretur, inquit, ita loqueris: itane vero bonum accipiemus a Deo, & malum non accipiemus? in omni hoc non peccavit Jobus labiis ſuis.

11 Et

10 ויאמר אליה כדבר אחת הנבלות תדברי גם את־הטוב נקבל מאת האלהים ואת־הרע לא נקבל בכל־זאת לא־חטא איוב בשפתיו׃

11 וישמעו

Ibid. Satis commodè quidem iſtud מות *Morere*, ſic reſolvitur, ut inferat *neceſſitatem moriendi in iſthoc ſtatu*, *abſque ſpe emergendi ex miſeria illa*; quam ſiniſtram de Deo ſuſpicionem deinceps ipſi etiam *Jobo* adhæſiſſe palam eſt. Non poſſum tamen quin exponam aliam adhuc faciem verborum ברך אלהים, ומת forma infinitiva enunciatorum, *Valedicere Deo*, *& mori.* Suſpicor fuiſſe *formulam*, inter *parcos Numinis Cultores* volitantem, qua *Religionis ſtudium*, ut *inutile*, eludebant. Geminum eſt, *Edamus*, *bibamus: cras morimur:* Vid. *Eſaj.* 22: 13.. Atque *Ibid.* Cl. *Vitring:* Hanc vocem, ſæpe, ut fieri potuit, caſtigatam a *Jobo*, nunc tamen objectaſſe ei videtur uxor, tanquam nimis veram, quum ipſe *Numinis fruſtra culti triſte* jaceret *documentum.* Iterum moneo, injuriam nos facturos eſſe mulieri, ſi ex interiore ſenſu animi ejus verba profecta ſtatueremus; vis æſtuans dolorum ea expreſſit, & tanquam ſpumam, ex corde bulliente, ejectavit. Erat ergo תפלה *ſcreatio*, & *ſputatio pectoris oppreſſi*, a qua ne ipſe quidem *Jobus* ſe poſtea intactum præſtitit.

Vſ. 10. Locutio eſt ſignata כאחת הנבלות, quam habes etiam 2 *Sam.* 13: 12. תהיה כאחד הנבלים: nec non 2 *Sam.* 6: 20. כהגלות אחד הרקים. Monuere jam Viri Docti נבל, quod *ſtultum* reddere ſolent, habere gravem *Originem*, quæ ducat ad *nequitiam*, & *impietatem.* Thema נבל *Mercero* eſt *Defluere*, unde *Nabal* ſit dictus, *cujus dicta* & *facta* omnia *aquæ more fluant*, *qui ſit diſſolutiſſimus.* Accuratius *Coccejus* finivit vim *Marceſcendi.* Differt a נפל *cecidit*, unde junctim *Job.* 14: 18. הר נפל יבל *Mons cadens emarceſcit.* Eſt ergo נבל proprie *Marcidus*, *emarcidus*, *ſucco* ac *vigore caſſus:* ac proinde optime iterum *Cocc.* נבל deſignare ait *hominem ſpiritualiter mortuum*, *qui vera vita careat*, *mente & animo corruptum.* Opponitur ei חסיד *Pius*, proprie *ubertate ſucci præditus:* nec non ei נדיב *præ ubertate ſucci ſponte fluens.* Venuſte *Eſajas Cap.* 32: 5. לא יאמרו לנבל נדיב *Non dicetur Emarcidus*, *Exuberans.* Apparet נבל eſſe *Eum qui vel ad virtutem*, *vel ad ſapientiam. Emarcuit.* In contextu noſtro reſpicitur ad uſum ex *Pſ.* 14: 2. notiſſimum: *Stultus dicit in corde ſuo*, *Non eſt Deus.* Caſtigat videlicet, & confutat Vir *Pius*, uxorem haud *impiam*, quod *impietatis* tamen ſermonem imitetur: qui eſt ברך. אלהים ומות *plurimam ſalutem mittere Numini*, *& mori.* Πολλὰ χαίρειν φράζειν τῷ Θεῷ; & *mortalitatis conditionem explere*, *abſque ut Religioſis noſmet curis maceremus.*

Ibid. Particula גם *Etiam*, non intellecta ſatis heic loci, peperit hallucinationes; quibus haud immorabor. Pro *itane vero* extat quoque 1 *Sam.* 22: 7. גם לכלכם יתן *Itane vero omnibus vobis dabit filius Iſai agros & vineas?* plenius הגם *Etiamne?* ut *Gen.* 16: 14. הגם הלום ראיתי *Itane vero huc uſque vidi?* &c. Radix גמם, unde manſit ἅπαξ λεγόμενον מגמה, conſonat cum جم, *ſcatuit*, *ſcaturivit.* Hinc derivatum *Hab.* 1: 9. *Impetus ſcatens*, *perennis.* Eſt etiam جم *explevit menſuram*; *cumulo adjecto auxit.* Inde גם *etiam*, particula *augentis.*

Ibid. Ad verbum קבל notatum a Cl. *Coccejo*, id tantum hic legi, & *Prov.* 19: 20. Itemque in *Libris Captivitatis*, ex *Chaldaiſmo.* Addit, eſſe proprie *excipere cum voluntate*, *affectu*, *& lubentia*, *tanquam donum*, *cum geſtu reverentiam acquieſcentiamque animi teſtante.* Derivat a קבל *ante*, *coram*; quaſi

ob-

11 וישמעו שלשת רעי איוב את
כל־הרעה הזאת הבאה עליו ויבאו
איש ממקמו אליפז התימני ובלדד
השוחי וצופר הנעמתי ויועדו יחדו
לבוא לנוד־לו ולנחמו :

12 וישאו

11 Et audiverunt tres amici Jobi omne malum hoc, quod venerat in eum: & advenerunt, quiſque e ſua regione, Eliphazus Themanita, & BildadusSchuchita,&TſopharusNaamathita; nam condixerant pariter, ſe venturos, ad condolendum ipſi, eumque conſolandum.

12 Et

obviam eundo excipere; ſecundum phraſin *Thalmudicam* לקבולי אפי מלכא *Ad occurſum Regis.* Id lucem fert & gratiam, ut *Mala* quoque *ipſa geſtu gratabundo excipienda* dicat miſeriis adhuc ſuis major *Jobus*. Hoc magnanimum quid ſpirat; & meretur confirmari; quum non omnibus vel arriſerit, vel ſatis fundatum cenſeatur. Teneatur itaque verbum קבל قبل apud *Arabes* hanc ipſam vim auctiorem *gratanter* ac *reverenter excipiendi* exercere paſſim; atque idem pollere ac *Græcorum* ἀσπάζεσθαι, pro quo etiam *Luc.* 10: 4. & alibi adhibetur. Hinc in prima *conj.* inter alia dat *Accipere ut gratum & conveniens:* cujus *part.* مقبول abſolute *Gratum* & *acceptum* deſignat. In *ſec. conj.* قبّل ſpeciatim *oſculari*, ut ἀσπάζεσθαι apud *Græcos* etiam abſolute, & κατασπάζεσθαι. *Plut.* in *Anton.* στέψασα καὶ κατασπασαμένη τὴν σορὸν, *quum tumulum coronaſſet & oſculis amplexibuſque venerata eſſet.* Ea amplitudine *Eurip. Hec.* 829. 831. ἀσπάσματα φίλτατα ἐν εὐνῇ poſuit. Idem ἀσπάζεσθαι eleganter adhibetur pro *amare*, *laudare*, *tanquam gratum amplecti* aliquid. *Lucian.* t. 1. p. 630. εἰ δὲ νῦν αὐτὰ ἐπαινοῦσι καὶ ἀσπάζονται, μὴ θαυμάσῃς. & 631. τὸ μυθῶδες ἀσπάζεσθαι. Iterum 721. ἐγὼ τὴν φύσιν ἀσπάζομαι Apud eundem in *Mort. Peregr.* habetur τὸ πῦρ, ὡς Ἡράκλειόν τι, ἀσπάζεσθαι, *Ignem, ut Herculeum quid, Amplecti.* Id genus mortis, ut viro forti digniſſimum, *amare*, & *cum lubentia ſuſcipere.* Ad eam rationem fortiſſime noſter Athleta, *Itane vero bonum* נקבל *gratanter acciperemus*, ἀσπαζοίμεθα *a Numine: & malum* לא נקבל οὐκ ἀσπαζοίμεθα *non grataremur? non gratanter exciperemus?* Sic explicationem Cl. *Cocc.* firmiorem reddidi. *Originationem* quoque ejus *Dialectus Arabum* confirmat, nam & in ea قبل eſt *Anterior pars*; unde اقبل قبلك *Recta perge antrorſum*, & قبل *proceſſit obviam*, *occurrit*, præſertim *honoris & officii ergo.* Sic in eo *Timur.* p. 69. فاستقبله الملوك والامرا والسلاطين والوزرا *Et obviam proceſſerunt ei Reges at principes: Sultanique ac Vezirii.* Non abludit ab his uſibus *Kabbala*, ſic dicta quod *reverenter a Diſcipulo ex ore Magiſtri exciperetur*; ſecundum phraſin illam قبل منه *dicto audiens fuit ei*, *admiſit ejus verba*; *auſcultavit:* quam reperies *Abulphar.* p. 43. & 175. 215. 313. *Hiſt. Sar.* 251. &c. &c. &c.

Ibid. Originem verbi חטא *peccavit*, in *aberratione a ſcopo*, varioſque inde emanantes uſus, alibi exequemur. Nunc tantum uno verbo expediam, quid intendi videatur, quum *Jobus labiis ſuis non peccaſſe* dicitur *huc uſque.* Inſignis eſt *palma*, victori hactenus tributa, qui ne *Labiis* quidem *ſuis*, tam proclivibus alias ad peccandum, & quibus frænum ponere nequiverat uxor, offenderit. Inſinuatur ſimul *Labio tenus* quidem ſuccubuiſſe Mulierem, & תפלה *ſputationem ex ore emiſiſſe:* attamen *Cor* ejusdem non deſciviſſe a Numinis reverentia. Inculcatur quoque, per illud בכל זאת *in omni hoc*, aliam poſt tempus faciem fore rerum cum ipſo *Jobo*, cujus quidem *Cor* conſtantiſſime Deo adhæreſceret, ſed cujus *Labia* tamen non ſemper tam religioſe ſemet continerent, in *querelas acerbiores*, *expoſtulationes*, ac *Provocationes Dei* quoque vi dolorum abripienda.

12. Et ſuſtulerunt oculos ſuos e longinquo, & non agnoverunt ipſum: ac voce ſublata fleverunt, & pallium lacerarunt, ac pulverem ſuper capita ſua jaculati ſunt coelum verſus.

12 וישאו את־עיניהם מרחוק ולא הכירהו וישאו קולם ויבכו ויקרעו איש מעלו ויזרקו עפר על־ראשיהם השמימה׃

13 Et

13 וישבו

Ÿ. 12. Parvula ſæpe res maximas creat difficultates. מרחוק *E longinquo* minus rite hic intellectum, *longe quæſita* & *aliena* peperit interpretamenta. Hinc nempe elicitum fuit, *Extra urbem ejectum Jobum in ſterquilinio ſediſſe*: quia *Amici adventantes* dicuntur *oculos ſuſtuliſſe e longinquo*, quod exponitur, *quum adhuc longiuſcule abeſſent a loco illo ſubdiali extra urbem*, *illoque* ante portam *ſterquilinio*, in quod ſe recipere adactus fuerat *Jobus*, ſive & ſponte ſemet ſubduxerat. Antiqua eſt traditio, quæ per *Græcam* verſionem *Cap.* 2: 8,9. miris modis interpolatam, altas egit radices; *Origene*, *Chryſoſtomo*, aliis, *nobilem* hinc *picturam* exſculpentibus *Chriſti extra portam paſſi*. Vellem ſolidiora fulcra graviſſimæ veritati ſubjecta, quam noſtrum מרחוק *E longinquo*. Id anſam præbuit aliis cavillandi, nil mirum, *haud agnitum fuiſſe Jobum ab Amicis*, *e longinquo conſtitutis*. Nodum ſic ſolvit Doct. *Mercerus*, *initio* quidem *procul conſpectum haud agnoviſſe*, *Amicos*; *ſed poſtea propius accedentes cognoviſſe & voce ſublata fleviſſe*. Verum quum hoc abeat a ſimplicitate literæ, & tenuem pariat ſenſum, placuit Cl. *Schmidio*, *rem expediendam eſſe ſecundum circumſtantias*, *& rationem viſus*, *de ejusmodi ſpatio*, *quo homo*, *prole notus*, *facile cognoſci poteſt. Ad eam ergo diſtantiam*, *in qua antea facillime Jobum agnoſcebant Amici*, *nunc eum minime cognoſci potuiſſe*, *eo quod morbo & mœrore eſſet deformatus*. Poſterius illud recte ſe habet; ſed quorſum iſta *ſubtilis ratio viſus*? Iſta *paſſibus dimenſa diſtantia*, intra quam quis poſſet *recognoſci*? Illa adeo nihil ad rem noſtram, ut potius eam debilitet & obſcuret. Evolvemus rem, quam brevitas narrationis implicuit. Aliquot hebdomades, menſesve, intercedere potuerunt, quin & debuerunt, inter noviſſimas *Jobi* plagas, & *Amicorum* adventum. Id tanto diligentius obſervandum, quanta inde Viri patientia effulget illuſtrius; qui in acerbiſſimas illas querelas, quas *Caput Tertium* exorditur, non erupit, niſi poſtquam *omnis* jam *ſpes* reſtitutionis in integrum *decolaſſet*, atque in *cadaveris deplorati ac deſperati conditionem*, *vivus ſpiranſque*, *eſſet redactus*. Hanc hypotheſin, procedente opere noſtro, dubitationi omni eximemus. Liquet autem ex ſerie, & catena diſputationum, ultro citroque habitarum, *Amicos Jobi* adveniſſe tum, quum jam *mala* ejus vehementiſſime *increduiſſent*; atque *cum maxime* intolerandum in modum *ſævirent*. Quænam fuerint illa *mala*, quæ agmine facto in *Jobum* incubuerunt, totumque ejus corpus, a capite ad calcem, in *unum perpetuum ulcus* converterunt, jam non diſcutio: illud tantum, ut dubio vacuum, aſſumo, *malorum iſtorum vi* ita eum *defœdari* & *deformari* debuiſſe, ut ne e *proximo* quidem amplius *cognoſci* potuerit a *familiaribus* quoque; ſecundum receptiſſimum illum morem loquendi, quo quem *morbo exhauſtum excoctumve*, aut *variolis fœdatum*, ne *a ſuis* quidem *recognoſci poſſe* dicere ſolemus. Hoc ut ſacer ſcriptor inculcatum voluit per ולא הכירוהו, *non agnoverunt eum*, ita reſtat ſcrupulus, cui fini additum *& ſuſtulerunt oculos* מרחוק *e longinquo*. Omnino id *ad exaggerandam Jobi calamitatem* poſitum, qui tam ſævis confectus jacebat plagis, tam fœdis ulceribus diffluebat, tam tætrum quoque efflabat odorem, ut *procul* horrorem incuteret, neque quisquam *propius* ad eum *accedere* auderet, metu *contagionis*. Talis ſcena inſtruitur *Pſalm.* 38: 12. *Amici & familiares mei* מנגד נגעי יעמדו *e regione plagæ meæ ſtant*: וקרבי מרחוק עמדו *& propinqui mei e longinquo adſtant*. Eſt tranſlatio a *Leproſis*, aliave qua *plaga peſtilenti* percuſſis. Vide quæ ibi annotata a Doctis interpretibus, noſtrumque מרחוק *E longinquo* planiſſime intelliges.

13 וישבו אתו לארץ שבעת ימים
ושבעת לילות ואין־דבר אליו דבר
כי ראו כי־גדל הכאב מאד׃

13 Et ſederunt cum ipſo in terra ſeptem dies, ſeptemque noctes: nec erat qui verbo ipſum alloqueretur: videbant quippe dolorem intenſius invaluiſſe.

CA-

ges. Habet etiam peculiarem emphaſin formula וישאו עיניהם *& ſuſtulerunt oculos ſuos*; quæ adhiberi ſolet in *rebus gravioribus*, & fortius *advertentibus*; Vide *Gen.* 13: 10. & 43: 27. *Suſtulitque oculos & vidit Binjaminum fratrem.* Indicatur *Joſephum*, *Binjamini* præſentia *commotum*, *acriori* eum *oculo notaſſe*. Talem *commotionem* & *affectum* ubique locorum obſervare eſt, *varium* quidem illum, pro *variis* circumſtantiis, ſed *majorem* tamen, ex *ſpectaculo*, *objectove majore* oriundum. Sic 1 *Sam.* 6: 13. & 1 *Chron.* 21: 16. *Joſ.* 5: 13. *Num.* 24: 2. &c. &c. &c. Ad eam rationem heic loci, *Et ſuſtulerunt oculos ſuos e longinquo*, tantundem ſonat atque, *non in amplexus iverunt* Amici, *non*, ut fieri ſolet, *dextras junxerunt*; *ſed e longinquo gradum ſiſtere coacti*, *oculos cum ſtupore in eum defixerunt*, *quem Cadaveris ulceroſi inſtar ſtratum & abjectum cernebant*, *atque ad quem propius accedere reformidabant:* partim *Religione* prohibiti, quæ *a Leproſis*, aliiſque *impuritate laborantibus longius abſtare* jubebat; partim *metu naturalis* quoque *contagionis*, a *Scabioſo Leproſoque* facile *contrahendæ*. Conf. *Job.* 19: 13. & 30: 10. Reliqua hujus verſiculi hanc *Tragicam* vere *ſcenam* rerum, *mutuique Jobi* & *Amicorum conſpectus acerbitatem*, graphicis coloribus expingunt.

Ibid. Eſt aliquid interioris elegantiæ in verbo זרק *ſparſit*, quod promi meretur. Nempe non omnem *ſparſionem* videtur expreſſiſſe, ſed *preſſiorem* illam, & *vehementiorem*, quæ *recta fertur*, & *ejaculationem* refert. Hanc *Originem* præ ſe ferunt uſus diverſi apud *Chaldæos*, *Syros* & *Arabes*, quos alibi data opera exequar. Nunc tantum habeas ex *Gjauhario*, زرق *Thema* زرقه بالمزراق اي رماه *valet, eum jaculo petivit, quod* מזרק *dicitur*. Alia forma מזרק مزرق eſt *Phiala*, *Crater*, a זרק *ejaculatus* eſt *ſanguinem*, *aquam*, alioſve *liquores*, *radiatim jactos*. Vid. *Exod.* 24: 6. *Lev.* 17: 6. &c. *Eſech.* 36: 25. Apud *Arabes* مزرق etiam pro *Syringe* uſurpatur, ab *ejaculando* ſic dicta. Hinc latius transfertur ad *prunas jaculando ſparſas*, *Eſech.* 10: 2. Itemque *pulverem vehementius* cœlum verſus *ejectum*: *Exod.* 9: 8. Eodem adſpectu & hic, *Et ejaculati ſunt pulverem ſuper capita ſua cœlum verſus.* Grave verbum, ad gravem turbati animi affectum ſignandum. LXX. dilute καταπασάμενοι γῆν. Potuiſſent ſuum ἀκοντίζειν, ἐξακοντίζειν, huc applicuiſſe, quod conſimilem vim in rebus *radiatim ejectis* recipit. Inſignis reſtat metaphora *Hoſ.* 7: 9. גם שיבה זרקה בו *Etiam canities ſeſe ejaculata eſt in illo.* Id eſt *promicuit*, *necopinatoque erupit*.

Vſ. 13. Negotium faceſſit haud leve, quod *Amici Jobi* dicantur *cum eo ſeptem dies*, *ſeptemque noctes*, *in terra ſediſſe*. Hoc niſi interpretatione commoda mitigetur, multa trahit incommoda & abſurda; nam ad *Miraculum* cum *Origene* recurrere, *Divinamque Virtutem*, quæ eos per omne hoc tempus ſine ulla *recreatione cibi* ac *potus* ſuſtentarit, extra oleas eſt. Cl. *Cocc.* monet, *non opus eſſe ut ſtatuamus eos continuos ſeptem dies ſediſſe*; *ſed quoties ſederunt illis diebus*, *humi ſediſſe*: *& quidem ad lugenda Familiæ funera.* Paulo aliter adhuc *Mercerus*. *Non quod ita ibi affixi fuerint*, *ut nunquam inde vel cibi aut ſomni capiendi cauſa diſceſſerint*: *ſed quod magna parte temporis cum illo fuerint*; *quo ſua præſentia malum aliqua ex parte levarent*, *condolendo ei*, *commiſerationemque teſtando*. Literæ tenacior *Schmidius*, credibile autumat, *in terra medioque cinere* omnes *interdiu deſediſſe*, *noctu* autem *decubuiſſe*, *tenui tantum parcoque cibo adhibito*, *qui panis luctus appelletur*. Suſpicabar aliquando phraſin ישב לארץ *ſedit in terra*, non proprie hic ſumendam, ſed *improprie*, pro *luxit*, *in luctu & mœrore jacuit*. Utique quum *Latini* dicunt aliquem *in ſordibus jacere*, non rigide *habitum corporis* attendi volunt. *Sedere in luctu* dici poteſt ille

 quo

quoque, qui *continui luctus & ſqualoris manifeſtus eſt*, etiamſi forte obambulet, aliudve quid agat. *Odyſſ.* 14: 41.

— Ἀντιθέου γὰρ ἄνακτος ὀδυρόμενος καὶ ἀχεύων
Ἧμαι. — — — —

Et *Odyſſ.* 16: 144.

— ἀλλὰ στοναχῇ τε γόῳ τε
Ἧσται ὀδυρόμενος, φθινύθει δ' ἀμφ' ὀστεόφιν χρώς.

Huc pertinet & illud *Æſchyl.* in *Agam.* 870.

Τὸ μὲν γυναῖκα πρῶτον ἄρσενος δίχα
Ἧσθαι δόμοις ἔρημον, ἔκπαγλον κακόν.

Tritus perquam uſus hicce ſub verbo ישב. *Thren.* 1: 1. *Quomodo ſola ſedet urbs populoſiſſima mihi; facta eſt vidua! Jeſ.* 3: 24. נקתה לארץ תשב *Evacuabitur, in terra ſedebit.* Iterum *Cap.* 47: 3. שבי על עפר שבי לארץ *Sede ſuper pulvere, ſubſide in terra.* Non me fallit adhuc *ſublimius* quid & *figuratius* his locis ſubeſſe; Origo tamen locutionis haud alia eſſe poteſt. Simplicius aliquid ſi cupias, en *Nehem.* 2: 4. *Quumque hæc audiviſſem* ישבתי ואבכה ואתאבלה ימים *ſedi, & flevi, & luxi aliquot diebus.* Non excludo hinc *ſeſſum in ſacco & cinere:* attamen non nimis anxie premendum eſſe *habitum corporis* ſatis liquet. Parili ratione ſatisfieri forte poſſet contextui noſtro, ita ut *ſedere in terra cum Jobo*, nihil aliud ſit quam *collugere ei*, *adflendo*, *aliaque ſigna gravioris mœroris edendo.* Ubi tamen omnia accuratius expendo, ſentio ſcenam, in qua verſamur, multo miſerrimam, aliquid miſerabilius adhuc poſtulare, quod ex nexu cum præcedenti *vſ.* eruendum, compendioſior narratio oculis plurimorum ſubduxit. Habebamus ibi cum *lacrymis profuſis*, *pallia lacerata*, *pulveremque cœlo projectum*, *& ſuper capita exceptum*, *ut in ſacco & cinere deſiderent.* Huc nempe ſpectabat *laceratio palliorum*, ut pro iis *Cilicia induerent:* huc *ejaculatio pulveris in cœlum*; ut inde tanquam *triſti nebula ac nube* capita eorum *cooperta jacere* teſtarentur. Inter ritus ſummæ adflictionis nota *injectio terræ*, *pulveris*, *cineris* in caput, 1 *Sam.* 4: 12. 2 *Sam.* 13: 19, & *Joſ.* 7: 6. ויעלו עפר על ראשם *Et pulverem capitibus inſperſerunt.* Ei annexa *volutatio*; ut *Eſech.* 27: 29. ויעלו עפר על ראשיהם באפר יתפלשו *Inſpergent pulverem capitibus; in cinere ſemet volutabunt.* Vivis coloribus rem pinxit poëta *Iliad.* 18: 22.

Ὣς φάτο· τὸν δ' ἄχεος νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα.
Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν
Χεύατο κακκεφαλῆς, χαρίεν δ' ᾔσχυνε πρόσωπον.
Νεκταρέῳ δὲ χιτῶνι μέλαιν' ἀμφίζανε τέφρη.
Αὐτὸς δ' ἐν κονίῃσι μέγας μεγαλωστὶ τανυσθεὶς
Κεῖτο, φίλῃσι δὲ χερσὶ κόμην ᾔσχυνε δαΐζων,

Cuncta hæcce factitata fuiſſe ab *Amicis Jobi*, nullum poteſt eſſe dubium, ſi utrumque *vſ.* 12. & 13. in complexu ſumamus: ut enim *Neh.* 1: 4. ישבתי *ſedi*, ambitu ſuo complectitur *ſeſſum in ſacco & cinere*, ita hic poſt *pallia lacerata*, *& pulverem capitibus inſperſum*, ישבו לארץ *ſederunt in terram*, ſub ſe comprehendit omnia gravioris luctus ſolemnia, qualia *Eſræ* 9: 4. partim recenſentur, partim ſubaudiuntur, quum dicitur *Laceravi veſtimentum & pallium*, *deraſoque capillo & barba* אשבה משומם *ſedi ſideratus*, *attonitus*, *ſtupens.* Fieri nequit ut *ſaccus ciniſque* inde abfuerint. Eodem modo & heic loci non tantum *Lugentes* & *condolentes* depinguntur Amici, ſed etiam in *ſacco* & *cinere decumbentes*; & quidem per *ſeptiduum*; partim ad *funera familiæ comploranda*, partim ad *miſericordiam* Dei pro *Jobo implorandam*, qui *vivum funus jacebat.* Sic *Joſephus* in honorem Patris *indixiſſe* legitur אבל שבעת ימים *Luctum ſeptem dierum*, *Gen.* 50: 10. Et 2 *Sam.* 12: 16, 17, 18. *David humi decumbens & pernoctans*, *jejunat*, *plorat*, *orat*, *pro ſalute filioli*, & quidem *integrum ſeptiduum.* An nunquam locum mutavit?. an nullum plane cibum deguſtavit? Id durum nimis foret, & abſonum. Aliud innuit etiam ſacer ſcriptor *vſ.* 17. *Adſtiteruntque ei ſeniores ad excitandum Eum a terra*: *ſed noluit*, *neque cum illis panem comedit.* Noluit *menſæ accumbere*, noluit *genio indulgere*, noluit *ullam corporis curam gerere*, niſi quam naturæ neceſſitas extorquebat. Conferas *vſ.* 20. ubi *Lotio*, *unctio*, *veſtiſque reſumtio* docent, quid in *luctu ſordibuſque ſedenti* fuerit omiſſum. Hæc jam ad *Amicos Jobi* ſi transferantur, omnis difficultas evaneſcet, atque ſenſum non alium eſſe eluceſcet, quam quod *integram hebdomadem more ſolemni in graviſſimo luctu tranſegerint*

ob

ob rationes ſupra inſinuatas. Conferatur & *Ezech.* 3: 15. ואשב שם שבעת ימים משמים בתוכם *Et ſedi ibi ſeptiduum ſideratus in medio eorum*; *in attonitæ mentis ſtuporem ita defixus ut ſermonem cum nemine commiſcerem.*

Ibid. Triſte & attonitum ſilentium regnaſſe in funebri & luctuoſo illo conſeſſu, indicant ſequentia, ואין דבר אליו דבר *Nec erat qui vel verbo ipſum alloqueretur.* Non ſatis percipio quid Cl. *Cocc.* intenderit, quum ait, *Quod de ſilentio dicitur, ad totos dies extendere non eſt neceſſe.* Videtur innuere, cum *Jobo* quidem *verba* eſſe *commutata*, de aliis forte *rebus*, aut *neceſſitatibus*; ſed ad *dolorem*, ejus *mitigandum* nullum dictum prolatum fuiſſe: *tum* quod inuſitata calamitatis magnitudo non videretur admittere vulgaria ſolatia; *tum* quod hæſitarent circa cauſam harum adflictionum; *tum* quod neſcirent quo animo eſſet *Jobus*: *Ideoque verbum nullum feciſſe, conſolandi quidem cauſa, donec ipſe Jobus ſolveret ſilentia.* Sic דבר דבר *Loqui verbum ad aliquem*, poſitum eſſet pro *verbis ſolantibus alloqui.* Sane παραμυθεῖσθαι ſic uſurpatur, & *Alloqui* abſolute *Latinis* valet *conſolari*, ex nota formula *allocutum ire*, quam *Varro* L. 6 indicavit. Sic *alloquium* pro *ſolatio* apud *Tac. Ann.* 1: 72. *circumire ſaucios & alloquio firmare.* Iterum *Ann.* 4: 8. *Vix propinquorum alloquia tolerari, vix diem adſpici a pleriſque lugentium.* Plena lance congeſta alia appoſuit *Cl. Bentl.* ad *Hor. Epod.* 13: 18. Id *Hebræis* erat דבר על לב *loqui ad cor Gen.* 50: 21. & alibi ſæpiuſcule. Non negaverim formulam *Loqui verbum ad aliquem*, ita quoque potuiſſe adhiberi; id enim in tanta penuria Veteris Linguæ parum tutum: ſed vix concilio iſtum ſenſum cum ratione adnexa, *Quia videbant dolorem ejus invaleſcere intenſius.* Ex mente *Cocceji* verti poſſet quidem, *Quamvis viderent* &c. &c. Sed id duriuſculum eſſe nemo diffitebitur. Quid ergo? Nullumne eos verbum ex ore emiſiſſe dicemus omni iſthoc ſpatio temporis? Non dixerim. Non dicit quoque contextus noſter; qui אליו *ad Jobum* tantum *verba facta* negat. Omnino ergo qui *allocutum venerant, altiſſimum tenuiſſe* videntur *ſilentium erga Amicum, telis Divinitus immiſſis confixum:* partim *prudens & commiſeratione plenum*, ne viderentur importuni conſolatores; ſed tacite condolendo dolorem adflicti levarent: partim *imprudens*, *obſtinatum*, atque *ſiniſtris ſuſpicionibus ſubulceratum*, de quibus quid ſuſpicer ſequens nota exponet.

Ibid. Rationem tam *longi profundique ſilentii* addit textus hancce, כי ראו כי גדל הכאב מאד *Quoniam videbant quod dolor intenſius invaleſceret.* Vox כאב ex *Origine* deſignat *tabidum lurorem*, & *proprie* locum habet in *corpore plagis excarnificato ac confecto.* Inde transfertur quoque ad *animum*, dolorum vi *fractum* plane, ac *contuſum*, *ad lurorem uſque*, ut ſic dicam. Utrumque uſum frequentant *Arabes* ſub ſuo كَئِبَ media *Hamzata.* Verbum גדל *increſcentem* rei *magnitudinem molemve* exprimens, perquam appoſite nunc exhibet *dolores* tum *corporis*, tum *animi*, *creſcente* identidem *vehementia incumbentes.* Particula מאד, a *rad.* אוד *curvari, inflecti*, *flexo* ac *curvato corpore conniti*, ſignat *intenſiorem niſum*, eſtque proprie *ſubſtantivum*, unde בכל מאדך ex genio linguæ ſonat *omni tuo niſu.* Adverbialiter poſitum מאד verti ſolet *valde*, *vehementer*; pro pleno במאד *cum niſu. Nixim. Enixius. Intenſius.* Dedita opera tantam vim Linguæ adhibuit nunc ſacer ſcriptor, ut oſtenderet, hoc ipſo ſpatio temporis, quo *ſtupentes* & *attoniti* Amici *Jobum* circumſidebant, *cuncta* ejus *mala*, quibuſcum jam *per menſes* aliquot *colluctatus fuerat*, *ſub oculis* & *conſpectu viſitantis cœtus*, (quem ſatis numeroſum fuiſſe alibi demonſtrabo,) *novo impetu recruduiſſe*, & *atrocius* adhuc, quam antea, *deſæviſſe.* Hoc ipſum vero aperit mihi *tres quatuorve fontes ſilentii* illius *graviſſimi*, quod *per ſeptem dies protractum* erga *Amicum*, *alloquii* ſane & *ſolatii indigentiſſimum*, haud dubie *animum* ejus *vehementiſſime concuſſit*, *uſſit*, *conſauciavit*, Athletamque fortiſſimum ferme *de gradu dejecit*, ita ut tandem in amariſſimas illas voces proruperit, quas *Cap. ſeq.* exhibet, ipſe *intempeſtiva ſilentia* rumpere coactus. *Primum* quod *ora Amicorum præcluſit*, eoſque *attonito ſtupore defixit*, eſt *malorum inaudita & inviſitata magnitudo*, quæ nunc *novo æſtu ſæviiſſe*, atque *intolerandum in modum excreviſſe*, præſtruxi. *Se-*

cun-

cundum, huic affine, eſt, quod quum *parvi dolores loquantur, ingentes ſileant*, opinari potuerint, *Viro* Amici *Cadaveri funebri ſilentio eſſe parentandum*, neque *dolores* ejus *importuno alloquio* eſſe *aſperandos*. Addo *tertium* quod *in ſacco & cinere jacentes* una cum *Jobo*, *ſuſpiriis, lacrymis, ardentiſſimiſque precibus*, *cœlum fatigarint*, atque *pro Amico allevamentum miſeriarum implorarint*. Aſt *Quarto* tandem, quum *Cœlum* cernerent *clauſum*, omnemque *deprecationem* ac *interceſſionem in caſſum fuſam*, identidem *vires ſumente*, atque *incrudeſcente malo*, ſiniſtra ſubrepſiſſe videtur ſuſpicio, ſeque penitus in eorum mentes inſinuaſſe, *Jobum* haud immerito ſic *telis Divinis jacere confoſſum:* quippe qui *turpem* egiſſet *Hypocritam*, & *larva religionis crimina ſua occultaſſet*. In hoc genus *ſuſpicionum* proclivem eſſe naturam hominum, quis neſcit? præſertim ubi *extraordinarium judicium* alicui infligitur a Deo, *peſſimum* hocce *fermentum* ſerpere ſolet, ſeque in *voce*, in *vultu*, in *geſtu*, cenſoriam indignationem, averſationemque, exerente, manifeſtare. Miſerum, enimvero, illum, qui Divinitus adflictus, tales experitur *judices* ac *cenſores!* non poſſunt non *vulnera* ejus tanquam *veneno perfricta*, ſæviſſimum in modum *irritari*. Hunc fuiſſe *cumulum* calamitatum, quibuſcum *Jobus* conflictatus fuit, ut univerſum diſputationis ſecuturæ filum apertis verbis evincit, ſic nullus dubito, quin jam, volvente hoc ſeptiduo, *ſpectatores & teſtes atrocium Jobi plagarum*, *malum* hoc *ſemen* adverſus inſontem Amicum *fovere* cœperint, ejuſque etiam indicia nonnulla vel vultu, vel geſtu præbere; ex *conſolatoribus*, quales acceſſerant, ſubito converſi in *taxatores*, ſub quorum *ſevero & injurioſo ſilentio invicta* hactenus *patientia Jobi* cœperit *labefactari* ac *quatefieri*. Fundamenta hujus ſententiæ ſatis valida videntur hæcce. *Primo* quod hæc commodiſſima dari poſſit ratio, quo pacto cladibus prægreſſis major *Jobus*, iiſdem quodammodo minor factus non *ſuccubuerit* quidem, ſed tamen nonnihil *de gradu* fuerit *defunctus*, & ad *execrationem natalium ſuorum impulſus* haud ſane decoram. *Secundo*, quod *Eliphazus cap*. 4. ſermonem omnium nomine ſuſcipiens tandem, animum ſiniſtris de *Jobo* cogitationibus infectum aperte indicet. *Tertio*, quod præter alia quæ *cap*. 6. huc pertinent, ejusdem *vſ*. 15. & ſeq. non *Eliphazo* tantum ſed & reliquis Amicis a *Jobo* exprobretur, cum *defectu caritatis*, *prævaricatio* ac *perfidia* erga ſe *conſolationis* ſaltem *guttula recreandum*, cujus *expectationem* omnes ſimul *deſtituerint* & *eluſerint*; *innocentem ſuperbe condemnando* ut *vſ*. 27. ſubnectitur. Atqui necdum *ſermonem* cum eo *conſeruerant* omnes: necdum verbis, quid de ipſo ſentirent, expromſerant. Ergo tum ex aliis ſignis e nutu, geſtu, vultu, prominentibus, tum etiam ex *rigido & frigido* eorum *ſilentio*, *refrigeratam caritatem*, *pectusque alienatum* perſenſit.

CAPUT TERTIUM.

Verſ. 1 POſt hæc aperuit Jobus os ſuum, & execratus eſt diem ſuum.

2 Re-

Verſ. 1. אחרי־כן פתח איוב את־פיהו ויקלל את־יומו :

2 ויען

Vſ. 1. Latum uſum poſſidet formula פתח פיו *Aperuit os ſuum*, adfertque vel *fiduciam* ac *libertatem loquendi*, παῤῥησίαν; vel *ſermonis vim* ac *vehementiam*, partim in *accuſando*, partim *in defendendo*; partim in *conquerendo expoſtulandoque:* denique ad omnem *orationem ſublimiorem*, *grandiſonam*, & *ſententioſam* ſeſe extendit. Poſterius hoc reperies *Pſ*. 78: 2. & *Prov*. 8: 6. *Expoſtulationem & querelas* notabis ex *Eſaj*. 53: 7. *Defenſionem fortem* ac *ſtrenuam*, *Prov*. 31: 5, 6. *Accuſationem acrem*, *Pſ*. 109: 2. *Confidentiam* poſtremo, ſive *fiduciam liberius*

2 ויען איוב ויאמר׃
3 יאבד יום אולד בו והלילה
אמר הנה גבר׃

2 Reſponditque Jobus ac dixit.
3 Pereat dies, quo natus ſum: & nox quæ dixit, Conceptus eſt Maſculus.

4 היום

4 Dies

rius evectam, *Eſech.* 16: 62. & 29: 21. Appoſitiſſima ergo phraſis adhibita, qua *Jobus* ita *ſilentium rupiſſe* inſinuatur, ut in *liberiores* & *vehementiores voces*, non ſine *fiducia bonæ cauſæ*, fuerit *provectus*. יום *Diem*, pro *Natali*, vidimus ſupra *cap.* 1. Adde *Hoſ.* 7: 5.

Vſ. 2. Nemini non dictum, obſervatumque, verbum ענה *Reſpondere*, nonnunquam latius *ſermonis exordium* deſignare. Ulterius progreſſus *Coccejus*, in *Lexico*, principem vim ſtatuit *profari*, *pronunciare*; unde ſecundarium *reſpondere* ſpecialius aſſumtum ſit. · Favere videtur *Origo* a *fluendo*, unde quicquid eſt notionum diverſiſſimarum ſub ענה commodiſſime poteſt derivari, ſive *adflictionem*, *macerationem*, *ſubactionem*, *humilitatem* ſpectes; ſive *verba fuſa*, & *reſponſa refuſa*. Non abſimile quid deprehendere eſt in ῥῶ ἐίω, *fluo*, *fundo*, *dico*, *voce profuſa edo*, atque *ediſſero*, quod in *mente* clauſum erat. Iſtam notionem *fluendi* ſub عنا *ult. Vaw* ſervat *Arabia*, una cum aliis ſignificationibus *Hebraicis*, ut خضع وذل *Humilis*, *depreſſus*, *adflictus*, *ſubactus*, *in ſervitutem redactus fuit*: quæ quomodo *ex hoc* primigenio *fonte defluxerint*, haud difficulter inveniet, qui in palæſtra Linguarum nonnihil deſudavit. Imperitioribus *Origines* noſtræ ſuccurrent. *Reſpondendi* uſus etiam tritiſſimus *Arabibus*, variante tamen paululum adſpectu, عني بالقول كذا *Dicto ſuo hoc intendit*, hoc *voluit ſignificare*: cujus derivatum معني, & *fœm.* معناة *ſignificationem* denotat, & *ſenſum verborum*, *ſententiarumve*; quaſi dicas מענה *reſponſum*. A *reſpondendo* etiam promanavit quicquid eſt notionum ſub غني *ſuffecit*, *contentus fuit*, *dives nulliusve rei indigus extitit*, quaſi dicas *Reſpondit omni neceſſitati explendæ*. Inter *Dei titulos* celebratur in *Alcor.* الغني *Dives*, *omniſufficiens*, *neceſſitatibus cunctis abunde reſpondens*. Confer *Hoſ.* 2: 20, 21. *Eccleſ.* 10: 19. Idem غني eſt *cantavit*, *cantu celebravit*, a *reſpondendo*, ut videtur, anſa ſumta, quum *alternis cantatur*, uam & *Hebraice* ענה exponitur *alternis cecinit Eſaj.* 27: 2. *Exod.* 32: 18. Alii *omnem cantum* hoc verbo deſignari ſtatuunt; ut ſane غناء & اغنية *cantum*, & *cantilenam quamcumque* notat. Apud *Græcos* quoque ῥῆμα *cantum*, *hymnumve* complectitur *recitatum*. Sic ad *Originem* revolvimur, ſecundum quam ענה erit, *clara voce edidit* & *recitavit*, ſive *proſa* ſive *vorſa oratione*.

Vſ. 3. Malui הלילה אמר *Nox quæ dixit*, quam vulgatius illud *qua dictum eſt*, vel *dixit aliquis*; quod prius illud ſit figuratius, & grandiori ſtylo congruentius. Sic jam inſtituerunt *Pagninus* & *Pineda*, ſed neglectum fuit, & pro duro nimis repudiatum. Atqui figura hæc, cothurno aptiſſima utique, hoc ipſo capite recurrit *vſ.* 10. ubi *diris devovetur* hæc *nox*, *quod non obſtruxerit valvas uteri*. Eodem ſchemate poſitum *cap.* 30: 17. לילה עצמי נקר *Nox oſſa mea perterebrat*. In deliciis habent *Arabes* morem hunc loquendi. Sic in *Hamaſa* يوم مرصد *Dies inſidiator*, a *Tebrizio* exponitur, *Dies quo malum ipſis inſidiatur*. Item يوم سفوك *Dies ſanguinem fundens*, ubi *Tebrizius* iterum نسبة السفك الى اليوم مجاز لانه يقع فيه ومثاله قولهم نهار صائم *Quod ipſi diei detur effuſio ſanguinis*, *eſt improprie dictum*; *quia in eo id acciderat. Pariliter dicunt Diem jejunantem*. In *Diw. Hudeil*: figuratur يوم من اللهو هاضب *Dies luſu jocoque loquax*, ſive *ver-*

F *bo-*

boſus. Alia ejus generis amputo; & exhibeo tantum يوم باشر *Dies Euangelizans*, ليل باشر *Nox Euangelizans*, pro *auſpicatiſſima*, quæ *Victoriæ*, alteriusve *eventus lætioris*, nuncium adfert.

Ibid. Quum plerique verterent *Nox qua dictum eſt, conceptus eſt maſculus*, objectus fuit ſcrupulus ex eo, quod conceptionis momenta dignoſci & nunciari nequeant. Hac de cauſa aliis placuit *Editus eſt maſculus.* Negari nequit הרה nonnunquam ad *partum* extendi. Uſitatior tamen vis *concipiendi.* Nulla erit difficultas, ſi id quod modo dedimus, teneatur. Inducitur enim *Nox* illa quaſi *conſcia myſterii*, & *exultans ob ſpem prolis virilis.* Hoc pacto a *Die natali* adſcenderet oratio ad *Noctem conceptionis*; & אמר *dixit*, jam nondum pertineret ad *lætum nuncium* parenti *allatum*, ſed tantum ad *ſecretum gaudium*, quod *Nox illa* quaſi anticipaverat. *Doctiſſ. Pineda* ad *Noctem natalem* ſic applicuit, ut quod *obſtetrix* dixiſſet, eleganter tribuatur *Nocti iſti*, more Poëtico, tanquam *teſti* non *cœcæ*, ſed *oculatæ* concepti olim fœtus. Fateor acute cogitatum: ſed omnino mihi fixum ſedet, imprecationem non tantum dirigi in *Diem Natalem*, ſed ulterius adhuc intendi adverſus *Noctem conceptionis primæ.* Sentis ſtatim *decorum* utriuſque denominationis. Cernes etiam multo planiorem viam interpretationis in ſequentibus: nec mirabere cur *diris* in *Diem natalem* jactis *vſ.* 4, 5. tranſeatur ad *devotationem infauſtiſſimæ Noctis vſ.* 6, 7, 8, 9. Alia hujus diſcriminis indicia ſuo loco promentur. Senſus ergo verſiculi hujus ſimpliciter huc redit, *O ter quaterque miſerum me! qui non tantum natus, ſed & formatus, atque in utero ſim conceptus! O diem ominoſiſſimum, qui me in lucem edidit! O noctem nefaſtiſſimam, quæ me ſatum & conceptum ſenſit?* Intra hos cancellos omnia ſunt concludenda ad *vſ.* 11. uſque, ubi novum filum ſuſcipitur, ac proinde quidquid figurarum hic contexitur, & in *Diem* hunc *infelicem*, *Noctemve infauſtam* congeritur, ad *amplificationem Tragicam* tantum pertinet, *ore* & *more Arabico* elatam, cum omni granditate & gravitate verborum ac ſententiarum, quam Linguæ copia ſubminiſtrare valet. Id niſi rite obſervetur, omnia in perverſam mentem rapientur, quæ grandiloquentia Orientalis hoc in Libro, ingente flumine, & lumine orationis, nobis expoſuit. Ne longe abeam, hæc ipſa *Imprecatio Natalium*, paſſa eſt iniquas admodum vel cenſuras, vel interpretationes; dum alii *Jobum impatientiæ parum virilis reum peragunt*; alii eum *aſtris* & *conſtellationibus* fatalem vim tribuiſſe nugantur: alii *vitæ futuræ cognitionem ſpemque nullam*, vel ſaltem *parum certam* ac *dilucidam* eum habuiſſe colligunt. Poſtremum hoc ſecutum etiam fuiſſe *Cl. Clericum*, non eſt quod magnopere miremur; ſed demiratus fui rationem adjectam, *quod quiſquis beatam vitam expectat, is nunquam ſe optat in rerum natura non fuiſſe, quia breviſſima mala ſempiternæ felicitati æquiparari nulla ratione queunt.* Recte ſane ſi *Ratio* loquatur, non *Affectus*, & *Affectus* ultra quam dici poteſt *commotus*, atque haud ſecus ac mare, omnibus procellis jactatum, *ſpumans* & *æſtuans.* Si ratiocinatio Viri Docti ſtat, *nemo futuræ vitæ ſpem fovens, eouſque vi dolorum æſtuantium unquam poterit abripi, ut acerbius ſortem ſuam deploret.* Duram profecto Regulam? ad quam Nemo vellet ſpem fidemque ſuam explorari. Nihil aliud hic committit *Jobus*, quam quod in *Virum ſapientem, fortem, in Religioneque fundatiſſimum*, cadere poteſt, quin & debet, ubi tam immenſa mole anxietatum, ſine ulla interſpiratione, aut conſolatione, per longum tempus, opprimitur & eliditur. *Homo* non fuiſſet noſter patientiæ Heros, niſi tandem in voces haſce, aut conſimiles, erupiſſet, ſeque vel *non naſci*, vel ſaltem quam ocyſſime *emori*, & *extingui, maluiſſe*, eſſet conteſtatus: *Affectu*, ut dixi, *ſuperante*, & ad tempus *frenum* quaſi *mordente*, Addere ſuſtineo nullum æque validum, & evidens, teſtimonium exſtare afflictionum intolerandarum, quibus *extus* non tantum, ſed & *intus* fuit obrutus, quam quod *Religione* & *virtute immota ſuccinctus* Vir conſtantiſſimus, in *has* tandem *voces*, poſt tot ſpecimina patientiæ incredibilis, *labia reſolverit.* Niſi huc fuiſſet evectus, & abreptus, merito omnes nunc ſtatueremus, in mediis cruciatibus *corporis*, *animam ejus* gratiæ Divinæ influxu extraordinario fuiſſe refocillatam, & corroboratam. Etiam *Satanas* novæ inſtantiæ anſam forte arripuiſſet, *calumniando*, mirum non eſſe ſi ſub ictibus *extus* impoſitis, & ad vitalia adactis, non collabaſcat, nec vel minimum nutet, qui *intus* intactus maneat *a telis* iræ Divinæ: quin imo

Deum

4 היום ההוא יהי חשך אל־ידרשהו אלוה ממעל ואל־תופע עליו נהרה׃

5 יגאלהו

4 Dies iſte ſit horrens caligo; ne requirat illum Deus deſuper, neve radiet ſuper eum lumen diurnum.

5 Vin-

Deum ſibi *præſentiſſimum* & *faventiſſimum* experiatur. Perpendatur, quod *Cap.*6. reſumitur, ad *imprecationem* hanc *natalium*, inclementer ab *Eliphazo* caſtigatam, vel *excuſandam*, vel & defendendam. Imprimis hocce: *O utinam ægritudo mea appenderetur bilancibus! arenæ marium præponderaret, propterea verba mea æſtuantia ſunt. Nam ſagittæ Omnipotentis in me defixæ ſunt, quarum Venenum ebibit ſpiritum meum: terrores Numinis aciem adverſus me inſtruunt.* Dabo ibi complura, ad *verba æſtuantia Jobi* non quidem in totum excuſandum, ſed tamen ab *impatientia*, *impotentia animi*, aliiſque ſiniſtris criminationibus, vindicandum; quum, quemadmodum ſupra poſui, *Jobus* tam *turbida* & *fervida* dicta non *effuderit* ex interiore ſenſu, *Religionis* & *Virtutis* ſuæ firmamenta deſerens, ſed tantum *Adfectui* eatenus *frena laxarit*, quatenus a *Deo*, *Amiciſque* deſertus, ex *juſtis*, ut putabat, *querelis*, *aliquantulum* ſibi *ſolatii* & *reſpirationis* promittebat.

Ibid. Reſtat verbulo monendum, in phraſi הרה גבר *conceptus eſt maſculus*, repræſentari *lætitiam* quam ſolebant Veteres capere *ex prole virili*, præ *ſequiore*. Apud *Arabes* præſertim *Maſculos* omnibus votis expetitos ſemper fuiſſe, oſtendit priſca formula, ايسرت واذكرت ولا انثت *Felix agas, mareſque parias, non femellas:* quod *domum deductæ* ſolebat acclamari. In *Conſ.* 33. *Haririi* proverbialiter extat فاعرض اعراض من بشر بالبنات *Et avertit ſe averſatione ejus cui filiæ natæ nunciantur.* Hac anſa *Idololatris* in *Alcorano* exprobratur, الكم الذكور ولله الانثي *An vobis maſculi, Deo erunt fœmellæ?* Inter *Numina* nempe *Veterum Arabum*, multa *ſequioris ſexus* numerantur. Debuiſſet autem, & ex formula اذكرت *parias* זכר *maſculum*, & ex uſu communi Linguæ, זכר potius adhiberi, ut *Jer.* 20: 15; ילד לך בן זכר, *Natus tibi filius maſculus.* Cur ergo hic גבר, quod *Virum* magis ſonat? Cl. *Cocc.* ex *Jer.* 30: 6. liquere autumat זכר & גבר alternare; ſed ut obſervatum a Cl. *Schmid.* גבר ibi *virum adultum* ſignat. Eandem vim & hic retinendam cenſet, ac ſi גבר eſſet pro הגבר *Vir hicce*, δεικτικῶς; pro *Ego Jobus.* Acute. Nec ſpernere auſim. Contendo tamen גבר *Virum*, pro *Maſcula prole*, זכר, rite poſſe poni *ſtylo cothurnato*, ut ἀνὴρ pro ἄῤῥην; quo ipſo, cum majori *pondere* Orationis, captatur fauſtum *Omen.* Conferatur *Jer.* 31: 22. Nec *nimis dubie* ſic locutus erit *Jobus*, *quod multæ ſint noctes in quibus concipiantur mares*, ut diſputat *Schmid:* Nam *Virum*, id eſt *Virilem* hanc *prolem*, ad *Jobum* ſeſe reſtringere, nimis quam eſt apertum.

Vſ. 4. Subnectitur duobus verſiculis *amplificatio Tragica* prioris membri, qua *Diem* ſuum *Natalem*, ut *nefaſtum* & *male ominatum*, atro carbone *notatiſſimum* vult eſſe *Jobus.* Ultra hunc ſcopum qui verba tendet, Viro Sancto faciet injuriam. Probe etiam obſervandum, inde a *Cap*: 3. uſque ad 42. *Orationem* adhiberi *grandem*, *excelſam*, & *Orientalis Eloquentiæ luminibus vibrantem:* & quidem *ad genium* & *ingenium ſtyli Arabici*, qui quicquid exaggerandum, aut amplificandum, ſuſcipit, vix e manibus dimittit, ſed *figuris* ex divite penuario Linguæ undique depromtis, aliiſque ſuper alias cumulatis, longe lateque proſequitur. Tenent præterea ſummi interpretes, non tantum *Poëticam* regnare *Orationem* in corpore Libri hujus, ſed eſſe *veri nominis Poëma*, verſibus *Hexametris* decurrens, auctore *Hieronymo:* quamvis Cl. *Gomarus* ad aliam *pedum dimenſionem* inſigni ſpecimine præluxerit in *Lyra.* Alii tamen *Carmen* eſſe, perpetuis juſtiſque pedibus vinctum, non concedunt: quamvis ultro admittant *grandiloquentiam* ſæpe plus quam *Poëticam*, & ſupra *Pindari* quoque *Æſchylive* cothurnos ſcandentem. Hinc autem ardua exoritur Quæſtio, *iiſdemne verbis*

bis tranſacta Jobum inter & Amicos omnia hæc colloquia, ac certamina: an *diverſis*, & vel *paucioribus* aliubi, aliubi etiam *abundantioribus*, utique *ſimplicioribus*, per diſputationem ipſorum univerſam; quorum *compendium*, & *medullam*, nobis Monumentum hocce, cum artificioſiſſime, tum fideliſſime, repræſentet. Poſterius hoc amplexus eſt Doctiſſ. *Mercerus*, *Non credendum*, inquit, *in tanta morbi gravitate tantum fuiſſe otii Jobo, ut hæc ita carmine dicere potuerit. Aut pauciora, aut plura dixit. Sed hic eſt eorum quæ dixit ſenſus, redactus poſtea in hanc verborum formulam a ſcriptore hujus Libri; ſive is Jobus; ſive Moſes; ſive quis alius.* Cl. *Clericus* in eam inclinans opinionem, *Jobum* eſſe *perſonam* tantum *Dramaticam*, & *Parabolicam*, contendit, licet *Hiſtoriam* eſſe ſtatuatur, *non ita tamen Orationes Jobi & Amicorum ex ore eorum prodiiſſe, quales nunc legimus. Non eſſe enim extemporales hos ſermònes, ſtylumque, quo vulgo ſolerent uti. Itaque ſi Orationum vere habitarum ſententia hic exprimatur, ſententiam tantum eſſe, non verba ipſa. Nec certe tam longos ſermones potuiſſe verbo tenus ſcripto mandari, niſi ab iis, qui eos habuerunt, dictati ſint. Id autem veriſimile non eſſe.* Quid mihi mentis ſedeat circa *momentoſam* ſane *Quæſtionem*, in medium proponam. Duplex tantum ſententia videtur admitti poſſe. *Prima* eſt, *ſermones hos vere ſic habitos; non quoad ſenſum tantum, ſed etiam quoad ipſa verba. Alteram* pono hanc; *ſimpliciora, familiariora*, quin & aliubi *parciora*, aliubi *fuſiora*, fuiſſe *adhibita verba*, talia tamen nobis tradita, quæ *materiam ſermonum, modumque & ordinem differendi in oculis mentibuſque* noſtris quam accuratiſſime *defigant*, ſecundum *diverſos* illos *adfectus*, quibus *Collocutores* noſtri *animati* fuerunt: & quidem *ipſius Jobi manu* ac *ſtylo*; qui poſtquam *victor emerſiſſet, invictæ virtutis & patientiæ Monumentum hoc*, impulſore Dei ſpiritu, *ad poſteritatem propagarit.* Utramque *ſententiam expendens*, ſentio me *paribus* ferme *rationum momentis trahi retrahique.* Inclinarem in *poſteriorem*, ſi ſatis liquido nobis conſtaret, eſſe *Poëma certis numeris pedibuſque pertextum:* tunc enim & *ſolutiora* fuerint *verba* neceſſe eſt, non ſic utique *ore emiſſa*; & *Lex Metrica* eadem mutare, novareque, adegerit *Jobum:* rem ipſam vivis coloribus pinxiſſe contentum. Poſſet etiam *ſententia poſterior* obtinere, etiamſi ſtatuamus, eſſe tantum *Orationem Poëticam*, & *altiore cothurno fultam*, quam pro *verbis ſimplicioribus*, ac *pedeſtribus*, propterea adhibere potuit Vir Sanctus, *Tentationum ſuarum Hiſtoriam in ſecula miſſurus*, quod *grandior* ille *ſtylus fortius* & *pingat*, & *moveat adfectus:* atque apud poſteros *plus* habiturus eſſet *ponderis* ac *venerationis.* Nihil omnino mihi quidem ſuccurrit, quod iſtam *ſententiam* premat; multa quin imo, quæ perſequi haud vacat, eam videntur commendare. Quando interim veritati litare ſtudemus, non poſſum quin *primæ ſententiæ*, nos *ipſa verba concertantium Amicorum habere* cenſenti, eatenus faveam, ut eam ferme præferendam exiſtimem, ſi vinci queat non *vorſam*, & *metro revinctam* eſſe *Orationem*, ſed *proſam*, *ſtylo tantum ſublimiore conceptam, atque enunciatam, more Orientalium*, qui in *conſeſſibus*, & *colloquiis publicis*, quum *graviores materiæ* in diſceptationem mittuntur, *grave* quoque, & *ſplendidius* dicendi *genus* ſectari ſolent. Hoc, ut quilibet facile cernit, longiorem poſtulat diſquiſitionem, integramque adeo diſſertationem, in qua *argumentum*, forte *necdum* ſatis *diſcuſſum*, ſub examen revocabimus, atque in utramque partem quid cum ratione ſtatui poſſit, accurate perpendemus. Quod ſi ea vincat opinio, quæ *figuris* tantum *audacioribus ſublimem* admittit *Orationem*, abſque ulla *carminis* Lege ac neceſſitate, qualem in *Prophetis* admiramur, itemque in *Parabolis* ac *dictis ſententioſis*, ſatis veriſimile mihi fit, nos *ipſa verba Jobi & Amicorum* habere, prout, durante hoc *conſeſſu* & *conflictu*, ex ore cujuſque exiverunt. Rationes hæ ſunt. *Prima*, quod *Colloquium* hocce, vel potius *Certamen*, videatur habitum eſſe in magna ſatis frequentia, partim eorum qui tres *Amicos Jobi* comitabantur, partim *Domeſticorum* ipſius *Jobi, civiumve*; partim aliorum, aliunde advectorum, qualis *Elihu Buzita*, *cap.* 32. prodiens, quem, antea nuſpiam memoratum, *acrem* omnium ſermonum *obſervatorem* ſediſſe palam eſt. *Secunda*, quod *magnis* animorum *motibus, adfectibuſque*, certamina hæc ſint geſta. *Tertia*, quod de *Rebus momentoſiſſimis*, de *Religione*, de *Virtute*, de *Providentia, Deique* in mundo gubernando *ſapientia, juſtitia, ſanctitate*; de *aliis* graviſſimis *veritatibus* diſſertarint: atque ita diſſertarint, ut appareat, eos Auditoribus ſuis hæc omni *pondere verborum* ac *ſententiarum* voluiſſe inculcare. *Quarta*, quod fuerint *Viri principes, ſapientiæ* laude inſignes, *literis* omnibus, *doctriniſque*, pro ratione temporum, copioſe *inſtructi, facun-*

dia-

diaque haud dubie *præpollentes*, ac *præpotentes:* quos *grandævam* ſapientiæ ſuæ *maturitatem* ſimul, ſimul *auctoritatem*, *ponderoſo* hocce dicendi *genere* exprimere in amplo conſeſſu, ampliſſimis de rebus, haud ſane dedecebat: accedente *adfectu* non uno, a parte *Jobi* quidem *doloris*, ſupra quam dici poteſt, *irritati*, ac *laceſſiti:* a parte *Amicorum*, *commiſerationis* & *condolentiæ* per ſiniſtras ſuſpiciones *ſubulceratæ*, atque *acerbas cenſuras* in innocentem *deſtringentis*. Accedit *quinta*, quod non videatur ſupra vires *conſummatæ* longo uſu *Eloquentiæ*, tales *ex tempore*, ſub meditatione tamen aliqua, in ſe collecta, profundere *ſermones*, quales in hoc Libro conſignatos legimus; præſertim ſi *ardenti Zelo* quis *inflammatus*, *Dei Cauſam*, vel & *ſui ipſius*, in *cœtu publico*, defendendam ſuſcepit. Addatur *ſexto*, inde ab ævo, gentem *Arabum* in eo *Eruditionis* & *ſapientiæ* culmen collocaſſe, ut *magnifica Oratione* ſenſus animi *extemporaliter* quis conveſtiat, atque, tanquam *perenni e fonte*, quam copioſiſſime materiam ſuam *variegare* valeat, *omni genere ſublimium figurarum*. Hunc *nativum Characterem Eloquentiæ Arabicæ* omnes, omnium, ſermones dilucide præferunt; in quibus *copia inexhauſta* certat *ſublimitati*, & *magnificentiæ*. Hoc ipſum forte non immerito haberi poſſet pro *ſeptimo* argumento, hæc *verborum flumina* dicam, an *fulmina*, a *Diſputatoribus* noſtris e copioſo *theſauro extemporalis facundiæ*, & *eruditionis* fuiſſe depromta. Hoc tamen nec ultra mentem meam tendi velim, nec ſane urgere auſim, quum & *meditatiſſima* ac *Caſtigatiſſima* Oratio *Arabum*, inſtar Vitis, luxuriare ſoleat, in ſublimiore hoc genere dicendi, ſeque omnem in partem copioſiſſime diffundere. *Octavo*, vix ambigi poſſe putem, quin *durante* hac *diſceptatione acerrima* gravium Virorum, graviſſimis de rebus, ac veritatibus, *confeſſui* interfuerint, qui, ſive injuſſi, ſive & juſſi, quum certamina vehementius exardeſcerent, *Verba* cujuſque *exceperint*, atque *pugillaribus inſcripta*, ab *oblivione*, vel & *hallucinatione* audientium, vindicaverint. Utique *Elihu* tale quid factitaſſe videtur, quippe qui *Cap.* 32. in pugnam deſcendens, ab Amicis derelictam, oſtendit ſe omnium argumenta & rationes in promtu habuiſſe, atque *Jobo* ſæpe *eadem verba remetitur*, atque *ante oculos proponit*, in quibus modum ſupergreſſus fuerat. Eodem quoque pertinere ſuſpicor, quod *Cap.* 19: 23, 24, 25. legitur; quamvis, prima fronte, aliquis contrarium inde colligi potius cenſere poſſet. Ubi illuc deventum erit, mentem meam clarius aperiam: nunc tantum inde, tanquam indubitatum, aſſumo, *ſcribendi artem* iſta jam tempeſtate viguiſſe; ac proinde nullum inde ſcrupulum poſſe obmoveri.

Ibid. In vocabulo חשך *Horrorem* ineſſe, ſeu *tenebras horrentes*, non invitis, credo, nunc pandam Muſis Orientalibus. *Forſterus*, aliique, ad cognatum חשך, per *Sin*, reſpexerunt, quod eſt *cohibuit*, unde חשך ductum autumant, quaſi *cohibitum* & *detentum fuit lumen*. Sic *tenebræ* a *tenendo* dictæ putantur, vel quod *teneant* hominem, quo minus ſe movere audeat, ut Magn. *Voſſ.* in *Etymol.* vel quod *teneant*, *detineant*, *impediantque viſum*, ut ego autumarem. Habes ſic *latebram* a *latendo*; *dolabram* a *dolando:* *terebram* & *terebrum* a *terendo*: quorum *forma adjectiva* potius, quam *ſubſtantiva*, a terminatis in *ber* oriunda, ut *Mulciber*, *Creber*, *Glaber*, & alia bene multa. Satis commodum ergo foret *Etymon* ℥ חשך, niſi חשך eſſet potius *retinere ad parcendum*, *comparcere*, ut *Cocc.* recte tradidit, unde incommodior gradus ad *Tenebras*. Cl. *Guſſetius* in *Comm. L. H.* contulit חשך cum חשה *ſiluit*; atque innuere voluiſſe videtur a *ſilentio* tranſitum factum ad *tenebras*. Hoc longius arceſſitum nemo diffitebitur; præterquam quod חשה quoque *Originem* habeat, ex qua *tenebræ* minus rite deducerentur. Opportuniſſimum exiſtimarem, quod *Arabes* ſubminiſtrant ſub حسك, *Schin* ex more mutato in *Sin*. Id notat *horridam aſperitatem*, *aculeis erectis pungentem*, qualis eſt *Erinacei*, quem vocant حسيكة חשיכה, vel *tribuli*, qui حسك *Heſech* appellatur. *Improprie* etiam dicitur في صدره علي حسيكة وحساكة *habet in pectore ſuo adverſus me* חשיכה & חשוכה, id eſt ضغن وعداوة *malevolentiam & odium*, quaſi

quaſi *horridam aſperitatem.* Sic *Gjauharius*, apud quem & verbum ipſum حسك على *Horruit, inhorruit adverſus me*, eandem *odii* notionem exerit, in aliquem *erecti*, & *pungere* parati, more *Erinaceorum.* Conſimilis Origo verbi *Horrere*; ut in illo *Horat. Epod.* 5: 27.

> *Horret capillis ut marinus aſperis*
> *Echinus; aut Laurens aper.*

Et *Sil. Ital.* 1: 422.

> —— —— *Hirto*
> *Horreſcit ſetis dorſo* ——

Eadem ratio τȣ͂ φρίσσειν, unde *Ariſtoph.* in *Ran:* 840.

> Φρίξας λασιαύχενα χαίταν.

Et *Homer. Odyſſ.* 19: 446.

> Φρίξας εὖ λοφιὴν, πῦρ δ' ὀφθαλμοῖσι δεδορκώς.

Hinc arrepta grandis illa Metaphora *Horrere telis*, & *in telis*; nec non illa

> —— —— *Ferreus haſtis*
> *Horret ager.* ——

Apud *Virgilium*; ad exemplum *Apollon. Rhod.* 3: 1353.

> Οἱ δ' ἤδη κατὰ πᾶσαν ἀνασταχύεσκον ἄρουραν
> Γηγενέες. φρῖξαν δὲ περὶ στιβαροῖς σακέεσσι
> Δούρασί τ' ἀμφιγύοις, κορύθεσσί τε λαμπομένοισιν
> Ἄρηος τέμενος φθισιμβρότου. ——

Præiverat *Sophocles* in *Colchid.* citatus a *Schol. Apoll. vſ.* 1371.

> Ἡ βλαστὸς οὐκ ἔβλαστεν αὐτοχώρου
> Καὶ κάρτα φρίξας εὐλόφῳ σφηνώματι,
> Χαλκηλάτοις ὅπλοισι μὴ συμπτήξεσθαι.

Adde *Sil. Ital.* 8: 572. & 4: 560. & 1: 527. ubi multa congeſſit *Clar. Drakenb.* Ab *horrido* porro, quatenus ſonat *hiſpidum*, *aſperumque*, proclivis via ad *ſqualorem* & *tenebras*, *præſertim ſpiſſiores.* Nota formula *Virgiliana.*

> —— *Et inhorruit unda tenebris.*

Eleganter etiam *Sil. Ital.* 1: 134.

> *Heu! quænam ſubitis horreſcit turbida nimbis*
> *Tempeſtas?*

Admirabiliter *Val. Fl.* 2: 52.

> —— *Subitus cum luce fugata*
> *Horruit imbre dies.* ——

Eadem cum dignitate & elegantia *Ezech.* 30: 18. היום חשך *inhorruit dies*, *Denſis tenebris ingruentibus* videlicet. Nonnulli Codices exhibent חשך, quod eſſet *retro ſe colligit & inhibet dies*, ut enim alibi oſtendam חשך *Retinuit parcendo*, in Origine ſignat *fluxum inhibitum*, *repreſſum*, *in ſeque recollectum.* Hoc *Arabibus* eſt حشك, *Sin* in *Schin* transfuſo. Iterum *Job.* 18: 6. אור חשך באהלו *Lumen inhorruit in tentorio ejus.* *Amoſ.* 5: 8. *Auroram vertens in umbram mortis*; ויום לילה החשיך *diemque ut noctem facit inhorreſcere.* Sic, ubique locorum *denſiſſimas tenebras* hoc vocabulo deſignari ſagax eorum veſtigator deprendet, non tam quod *horrorem incutiant*, quamvis id excludere haud neceſſum, quam quod ipſæ *horreant*, hoc eſt, *aſperum* quid & *hiſpidum præferant*, ſecundum illud *Ennii.*

> *Ubi rigida conſtat craſſa caligo inferum.*

Nempe ut *fundus denſis ſtat ſentibus*, *cœlum atro pulvere*, *crinis hiſpido ſqualore*, quum *horrent.* & φρίσσει: ſic omnia illa alio flexu etiam dicuntur φρίσσειν, atque ut *ſenticetum*, ut *crinis ſqualens*, ut *ater pulvis*, *ſtat horretque*; ita *craſſa*, *denſa*, *rigida*, *caligo* rectiſſime *ſtare & horrere* dici poteſt.

Ibid. Longius arceſſitæ ſunt Metaphoræ, quas *Doctiſſ. Pineda* congeſſit ad verbum דריש *Requirere* enucleandum. Communis fere calculus qua *Judæorum*, qua *Noſtrorum*, tendit ad *favorem*, & *ſtudium*, ut *non requirat eum Deus deſuper*, ſit, *nullam in eo benignitatem exerceat.* Vide Cl. *Cocc.* & *Schmid.* qui citant *Deut.* 1: 12. Si iſta notio hic obtineret, dicerem eſſe μέμφεσθαι, *ne faveat*, pro *Exercetur.* Cl. *Mercero* placet ſimplicius hocce, non

n requirat eum, pro *non illuſtret eum more ærum dierum*; ut nihil aliud intendatur, cam quod ſequens colon exprimit per, *nec ſpndeſcat ſuper eum lux*. Me ſuſpicio tenet, æquid *dirius graviuſque* voluiſſe *gravem Jo-l adjectum*; quod ipſi ſuggeſſit præcedens יאבד הי׳ *Diſpereat dies ille*. Verbo אבד *priit*, reſpondet דרש *quæſivit*. Ut ergo hunc *diem expunctum*, ac veluti *eraſum*, optaìt, ita hoc ipſum nunc audaci figura congnat, optatque ut *dies* hicce *infauſtiſſimus* enitus *aboleatur*, atque non tantum *perpetuis enebris damnetur*, ſed etiam *e rerum natura leleatur*: hoc eſt, ut nunquam *talis dies extiiſſet*. Notum illud *Statii*,

Excidat illa dies ævo. —— ——

Jam *dies* qui *nunquam extitit*, ne ab ipſo quidem Deo, ſi eum *quærat*, poſſet *inveniri*, ac *inveſtigari*. Dictum eſt *Eccleſiaſtis Cap.* 3: 15. האלהים יבקש את הנרדף *Deus quærit id quod propulſum eſt*. Senſus, ex mente plurimorum, eſt, *Deum ea, quæ præterita ſunt renovare, & revocare in eundem, quem iverunt, orbem. Tempora* puta, *temporumque caſus* & *eventus*. Cl. *Cocc.* exponit, *Deum præterita ſua, & hominum facta, revocare ac manifeſtare*. Idem forte intendit, quod ex mente mea proponam, *ſolum Deum poſſe ea, quæ in oblivionem iverunt, aut hominum notitiam nunc fugiunt, tanquam torrente* quodam *temporis propulſa, avecta, ex oculis* procul *aſportata, inveſtigare*, atque *ex tenebris eruere*. Apparet בקש *quærere, requirere* adhibitum, eſſe pro מצא *reperire, deprehendere. Antecedens* pro *Conſequente*. Eadem vis recepta ſub דרש; ut *Eſaj.* 65: 1. נדרשתי ללא שאלוני *Quæſitus*, id eſt, *inventus ſum iis, qui non quærebant me*. Hinc jam אל ידרשהו אלוה ממעל converti poteſt, *Ne inveniat diem illum Deus, ex alto: deſuper* eum *indagans* ac *perveſtigans*, ad *radios lucidiſſimos Omniſcientiæ ſuæ*, qua יבקש את הנרדף *deprehendit* etiam *propulſiſſima quæque*, *hujus* tamen *diei nefaſtiſſimi* nec *volam* nec *Veſtigium deprehendat*: tum reſpectu *temporis præteriti*, tum etiam *futuri*; quippe quem velim *e natura rerum eraſum*, penituſque *abolitum*, ac ſi nunquam *extitiſſet*. Qui *affectui* indulgens, tales jacit voces, *Natalemque* ſuum ſic cupit *deletum*, non optat, ut *factum* fiat *infectum*; ſed tantum indicat, melius *ſecum actum* fore, ſi id *factum non fuiſſet*.

Ibid. Ad intrandum penitius in *emphaſin* figurarum, quibus *imprecatio* hæc contexta, diſpiciendum nobis, ad *futurumne* pertineat oratio an ad *præteritum* ſeſe referat; an *utrumque* potius amplectatur. Pro *futuro* tantum *tempore* ſtat *Schmidius* quod alias *impoſſibilia* optaſſet *Jobus*, ut ſenſus ſit, *ne recurrat ille dies, memoriamque nativitatis meæ refricet*. Atqui *impoſſibile* etiam, ut non *recurrat*, qui jam *extitit*, *natalis*, (ſecundum vulgarem loquendi conſuetudinem) atque *quotannis in orbem eat*. Alias ſtricte loquendo, qui ſemel *abiit* dies, nunquam poteſt *redire*. Sed ad *ſubtilitates* & *rationes Philoſophicas* velle *redigere*, & *dirigere* mentem horum verborum, eſſet *operam dare*, ut *cum ratione inſaniamus*. E contrario, *ſolum tempus præteritum* reſpexere *Junius* & *Tremell.* vertentes, *periiſſet dies ille, fuiſſet tenebricoſus, ne requiſiviſſet eum* Deus &c. &c. &c. &c. Hoc eſt *plane nullus fuiſſet: nunquam in natura rerum comparuiſſet*. Eodem collineavit *Coccejus*, qui ait, *Jobum optare, ſi poſſibile ſit, ortum ſuum retractari, & infectum reddi*. Admiſcet tamen & *futuri temporis* multam rationem, in ſequentibus formulis: quæ ſane abeſſe nequit; ac proinde *utrumque* complectendum cenſeo, ſed cum *notabili diſcrimine*, quod non vidi quemquam indicaſſe. *Duplicem* concipio *imprecationem*, & in *diem natalem*, & in *noctem proſeminatricem*, conjectas. *Primam*, ut *Ævo excidant*, & *nec extiterint* unquam, nec *recurrant*, per conſequens. *Secundam*, ut ſi id fieri nequeat, ut profecto nequit, *omnibus* ſaltem *diris utrumque tempus ſit & maneat oneratum*, atque *confixum*, tam ratione *præteriti*, quam *futuri*. Tam *late patere* arbitror vim verbi יאבד *Vſ.* 3. Membrum *primum*, ut *dies* hicce *Nefaſtus nec extiterit* unquam, nec *recurrat*, in *Vſ.* 4. continetur; per tres gradus deductum. *Priorem* dat, היום ההוא יהי חשך *dies iſte ſit horrens caligo*, hoc eſt, *revolvatur in Chaos antiquum, mergaturque denſis iſtis tenebris, unde cuncta emerſerunt*. Additur *ſecundo*, *ne requirat*, ne reperiat, *illum Deus deſuper*. Ita *aboleatur*, & *nullus ſit*, ut ne ipſi quidem Deo ſit *notus*, aut *veſtigabilis*; hoc eſt, ne *extiterit* quidem *unquam*, ſimili-

Fiterque *nunquam recurrat*, aut *in orbem eat miſerabilis* ille *dies*, qui me *de matre* vidit *cadentem*.

Ibid. Tertius gradus eſt, *nec radiet ſuper eo lumen.* Ex mente noſtra hic debet eſſe ſenſus, *Nec colluſtratus ſit unquam* dies hicce *lumine Solis*; *nec* in poſterum *colluſtretur.* Habes idem novo colore illuminatum: unde procul deflectit quicquid eſt interpretationum doctarum, quas exhibent *Pineda*, *Mercerus*, *Coccejus*, alii, qui cogitarunt vel de *luce impropria rerum lætarum*, vel de *radiatione ſiderum interſplendentium*, *Lunæve.* Rectius obſervatum *Schmidio* נהרה videri eſſe *Lumen Diurnum*, quamvis nimis dilute expoſuerit. Doctiſſ. *Mercerus* monuit eſſe vocabulum *Syriacum*, qualia in hoc libro multa eundem reddant obſcuriorem. Magnus noſter *Coccejus* cenſet, ex *Chaldaiſmo* repetitam eſſe hanc vocem, vel elegantiæ cauſa, vel quia non tantum ſonat, quantum אור. Elicit hoc ex מנהרות *Jud.* 6: 2. pro *ſpecubus tenuem lucem admittentibus ad ſubterranea.* Atqui *Dan.* 2: 22. *Lumen inacceſſum & præradians ſummi Numinis* hac voce ſignanter notatur. Viros ſummos talibus hallucinationibus exemtos vellem: nunquam vero eximentur, ſi *Linguam Hebræam* non immittant in ampliſſimam & vetuſtiſſimam ſuam poſſeſſionem; hoc eſt, ſi non admittant lucem ex ditiſſima *Arabum* Dialecto oriundam, pro ipſis etiam *Syriacis* & *Chaldaicis* reliquiis. Hac auctoritate nixus adfirmo נהרה plus ſonare quam אור, ſonat enim *Liquidiſſimam & limpidiſſimam lucem*, & quidem *diurnam*, quum אור etiam *nocturnam* exprimere poſſit. Nego etiam, eſſe vocem *extraneam*, aut *minus Hebraicam*; quippe quæ cum נהר, quatenus *flumen* deſignat, eundem fontem, eandem agnoſcat Radicem. Ea proſtat *Pſ.* 34: 6. הביטו אליו ונהרו ubi quidem recentiores multi, *Reſpexerunt ad eum*, *& fluminis ritu confluxerunt*, vel *decurrerunt*; ſed LXX. *Chaldæus*; *Rabbini*, *Coccejus*, dederunt, *& illuminati ſunt*; ex *Chaldaiſmo*, ut iterum ſubmonuit. Intercellit Cl. *Guſſet*: & *Chaldaicam* repudians auctoritatem, imperandi forma vertit *Confluite ad eum*, ſenſu fidiculis contorto. Sic finis nullus unquam poterit dari diſſenſionum; quamdiu ſua *Linguæ Hebrææ* pomœria non reſtituuntur. Verſio *Coccejı* ſupra omnem dubitationis aleam eſt evecta, non *Chaldaiſmo* tamen innixa, ſed in ipſa *Origine Hebræa* firmamentum ſuum reperiens; ad quam detegendam *Arabicæ Linguæ* fax præluxit. Ea נהר نهر in 1. *conj.* terit pro *copioſe manavit* res quævis *liquida fluxiliſve*, ut eſt apud Cl. *Golium.* Inde ſpeciatim, teſte *Gjauhario*, نهر الماء اذا جرى في الارض وجعل لنفسه نهرا *In Aqua* נהר *eſt*, *ita profluxit per terram*, *ut ſibi faciat rivum*, *fluviumque qui* נהר *appellatur.* Idem vocabulum נָהָר, نَهَر, in *Alcorani* loco, aliis valet *flumen*, aliis *lumen.* Verba ſunt في جنات ونهر, *in Hortis erunt & fluviis*, ſecundum alios, quibus نهر eſt pro انهار: ſed alii explicant, *in Hortis erunt*; *& Lumine ac felicitate ampliſſima*; ضياء وسعة, ut idem *Gjauharius* annotavit. Alia forma نهار נְהוֹר, vel נְהָר, eſt *Lumen diurnum*, atque mox ipſe *Dies*, quatenus opponitur *Nocti*; quum يوم יום *Dies*, *noctem* quoque ſub ſe comprehendat. Inde fœmininum נְהוֹרָא *Dan.* 2: 22. *Chaldaice*: *Hebraice* autem, vel ſi velis *Arabice*, נְהָרָה in noſtro textu *Lumen diei*: quod enim *Hebræi* efferunt יומם ולילה *interdiu ac noctu*, id *Arabes* maluere ليلا ونهارا *Nocte dieque* ליליא ונהרא; quia ut dixi, يوم יום ſæpe extenditur ad *ſpatium viginti quatuor horarum*; aſt نهار conſtanter eſt & manet ضد الليل *oppoſitum nocti Lumen diurnum*, ab *Aurora* ad *occaſum* uſque. Hinc in 4 *conj.* انهر uſurpatur pro *interdiu fecit* quid: Et نَهَارٌ نَهِرٌ eſt *conſpicuus dilucidusque dies*; nec non أَنْهَرُ forma *compar.* & *ſuperlat.* Nemo mirabitur, credo inſolens, *Flumen* & *Lu-*

5 יגאלהו חשך וצלמות תשכן־עליו עננה יבעתהו כמרירי יום׃

5 Vindicent ſibi illum caligo, & umbra mortis: tentorium figat ſuper illo Nubilatio: conterreant eum velut amarulenta Diei.

6 הלילה

6 No-

Lumen una in ſede morari. Pulcherrime *Lucret.* 5: 282.

Largus quum liquidi fons luminis, Ætherius ſol,
Inrigat aſſidue cœlum candore recenti:
Suppeditatque novo confeſtim lumine lumen.

Complura paſſim obvia. Tale quoque quod *ſolem manare* dixerint Veteres, quum *radii ſplendorem jacere cœpiſſent.* Videatur *Feſtus.* Redeo ad *Pſalm.* 34: 6. atque locum inſignem hac luce adaugeo, *Vibrantem oculum intenderunt ad eum, & liquido diei lumine perfuſi ſunt.* Affine eſt *Eſaj.* 60: 5. אז תראי ונהרת *Tunc videbis & illuſtraberis.* Sic *Coccejus* iterum. Reliqui fere vel *conflues*, vel *fluminis inſtar erumpes.* Noviſſimo conatu Vir Magnus, *Camp. Vitringa*, *præ gaudio diffiues.* Id proxime verum; eſt enim & *perfundi liquidiſſimo lumine*, & *præ gaudio* inde *diffluere*, *oculis ſplendore titillatis.* Hunc venuſtiſſimum adſpectum pandet *Phiruzabad*: in *Camuſo*, النهار ضياء ما بين طلوع الفجر الى غروب الشمس او من طلوع الشمس الى غروبها وانتشار ضوء البصر وافتراقه *Vox* נָהָר *vel* נְהוֹר *ſignat lumen quod ab ortu auroræ uſque ad occaſum Solis durat: vel verius, ab ipſius Solis exortu ad ejuſdem occaſum. Item, diffuſionem luminis oculorum, ſive viſus radios viſivos ſpargentis.* Sic ſumebant ſupra Docti *Arabes* illud *Alcorani*, *in* גנות ונהר *Hortis & lætiſſima amœnitate oculos perfundente.* Ceterum quod attinet ad voculam מנהרה, a *maſc.* deperdito מנהר, *Jud.* 6: 4. *Caverna*, ea non a *lumine* parcius admiſſo, non etiam per *Antiphraſin*, formata; ſed a *flumine*, ut proprie ſit *locus fluxu aquarum cavatus*: qui & *Arabibus* مَنْهَرٌ, apud Cl. *Golium*, itemque forma *fœmin.* مَنْهَرَةٌ, apud *Tebrizium* ad *Hamaſa*, quod ait notare فضاء بين بيوت الحي يلقون فيه كناساتهم *ſpatium cavum & vacuum inter ædes tribuum, in quod adjiciunt purgamenta ſua.* Vides deſcribi talem locum, qui *Græcis* φάραγξ, *convallis*, & quidem *præruptior*, ſive κοιλὰς, κοίλωμα, πέφρος, quæ ſunt *Gloſſæ Heſychianæ* vocis. *Etym. Magn.* φάραγξ proprie eſt ἡ διεσχισμένη γῆ, vel τὸ διάσπασμα τῆς γῆς. Hinc intelliges, quid velit *Camuſi* auctor, quum منهر exponit موضع يحتفره الماء وشق في الحصن نافذ يجري منه ماء *Locum quem excavat aqua: aut cavitatem munimenti, caſtellive, perviam, per quam aqua decurrit.* Item بهاء فضاء بين افنية للكناسات *Adjecto He fœmin. cavitas inter atria habitaculorum, ad purgamenta ejicienda.* Ex hiſce מנהרות *Jud.* 6: 4. φάραγγας commodiſſime verti, nullum poteſt eſſe dubium, & quidem בהרים *inter montes*, ut ibidem adjectum, ſive *loca cava & prærupta*, per quæ *torrentes* decurrunt.

Ibid. Eundem hunc conſpectum, quem ex uſu conſtantiſſimo vocabuli נהרה elicui, firmat quoque תופיע, *ſplendeſcat*, *præradiet.* Obſervo eſſe verbum grandiſonum, quod ſemper uſurpatur *de magnifico*, & *vibrantiſſimo lumine*; quodque non niſi in *ſtylo ſublimi* occurrat, ut *Deut.* 33: 2. *Pſ.* 50: 2. & 80: 2. & 94: 1. Non mirum ergo, quod alibi haud proſtans, in libro noſtro quater ſit adhibitum; bis *cap.* 10. *vſ.* 3. & 22. itemque *cap.* 37: 15. Ejus derivatum יפעה *Eſech.* 28: 7. 17. ſignat *præradians* quoddam *jubar pulchritudinis*,

ex-

excellentiæ & *Majeſtatis*. Infra ad *cap.* 10. ejus *Originem* paulo preſſius eruere & figere conabor.

Vſ. 5. Ad *alterum* imprecationis *membrum* pergitur, quod ſi *extingui* in totum nequeat, atque e Natura *eradi*, teterrimus hicce Dies, ſaltem *atro carbone ſit* & *maneat notatus* in omnem ſeculorum perpetuitatem. Sic iterum *utrumque tempus* complector, *præteritum* ſimul, & *futurum*: inſinuatum enim cupit *Jobus*, nullum *infortunatiorem* ac *Nefaſtiorem diem* unquam extitiſſe, ac proinde mereri huncce ſuum *Natalem*, ut hoc ſaltem reſpectu *male pereat*, hoc eſt *teterrimi nominis* & *ominis* cenſeatur. Hoc autem *tribus gradibus* exequitur, & *pathetice* exaggerat.

Ibid. Primus gradus; *Horrens caligo* & *umbra mortis* יגאלהו. Thema גאל duplici notione præditum, *Vindicandi* altera, altera *polluendi*. Hæc tam diverſa qui cohæreant, quæſitum, nec inventum. Cl. *Cocc.* poſterius referendum cenſet, vel ad געל *abominari*, vel ad גלל *volvere*. Ad *volutationem* τοῦ גלל etiam reſpexerat *Forſterus*; quod quæ *volutantur*, plerumque *ſordes* contrahant. Refellit *Originationem* hanc Cl. *Guſſet*: atque exſculpit *pollutionem* ex phraſi גאל הדם *Vindex ſanguinis*, quæ ſenſim *odioſa* evaſerit, ita ut *vindiciis ſanguinis* adhæreſcere cœperit idea quædam *inquinationis collectæ ex ſanguine fuſo*. Argutum, ſed minus tutum, meo quidem judicio. *Avenarius* ipſam *Vindicandi* poteſtatem elicuit ex גלל, adjuncto & גלה: nam, inquit, *redimere*, & *vindicare* eſt *rem alienatam* ad ſe *volvere*, ut redeat vel *tranſmigret* ad hæredem ſuum. Deinde ex גאל ex גלל extundit τὸ *polluere*, quaſi *appropriare ſanguini*, & *in eo volutare*. Secundum *methodum Neumannianam*, quæ ex *figuris* literarum, *ſeminibuſque* quæ vocat, extundit *formalem* quandam *vim*, a גל, inſerto א, exiſtit *Motus deflectens rem in partem adverſam*: indeque *Devolutio*, *Revolutio*: ex *volutatione* porro *pollutio*: & alio flexu *Revolutio juris ab uno in alium*: atque ita tandem *Redemtio* ac *Vindicatio*, *quum quid ſoluto pretio* ad nos *devolvitur*. Meum non eſt, nec erit, hominum Eruditorum, qui ante me fuerunt, & quorum etiam infeliciores conatus ſæpe viam mihi monſtrant, laboribus doctis quicquam detrahere: id tamen veritas ipſa a me exigit, ut moneam, parum ſolidi his omnibus ſubeſſe: & conſultius videri, ut ingenuam ignorantiæ confeſſionem edamus potius, quam ut per tantas ambages tandem perſuadeamus peritioribus, nos revera *Originem* ignorare. Si aliquid firmitatis ineſſe cenſerem iſti *Etymologiæ* a *volvendo* ac *volutatione* deductæ, multo ſimplicius quid exhibere poſſem ex גול *exſultavit*, cujus primigenia poteſtas eſt *in orbem rotatus* & *circumvolutus* fuit: quod *Arabibus* eſt جال med. *Vaw*. Jam vero *med. Vaw* facile in *Aleph* commutatur, ex natura *Dialectorum Orientalium*, ut in *Clavi* tactum; neminique ignotum: ac proinde ex hoc *Fonte* & *volutatio*, *pollutionem* trahens, & *circumvolutio vindiciarum*, potius derivandæ forent. Sed ne ſic quidem hæ *Origines* e limpido fluere videntur. Circumſpicienti mihi aliquid commodius, obtulit ſeſe tandem, dum hæc ipſa exaro, ſimilis ferme *diſcordia concors* ſignificationum ſub *Græco* πάλλειν, quod apud *Heſychium* eſt κινεῖν, πηδᾷν; κληροῦν, κραδαίνειν, στρέφειν. Iterum πάλλεσθαι, κληροῦσθαι, ἅλλεσθαι. Et, πάλλεται, πηδᾷ, σείεται, κραδαίνεται, κινεῖται, σφύζει. Alia ibidem, aliis ſub formis extantia, omitto. Hinc πάλος, *ſors*, κλῆρος, ἀπὸ τοῦ πάλλεσθαι, proprie *concuſſionem* & *agitationem* ſonat, unde productum παλάσσειν, partim *ſortiri*, partim *polluere* & *fœdare* conſignat. Poëta *Iliad.* 11: 169.

— λύθρῳ δ' ἐπαλάσσετο χεῖρας ἀάπτους.

Cruore autem fœdabatur manus invictas.

Ibid. vſ. 98.

— — — ἐγκέφαλος δὲ
Ἔνδον ἅπας πεπάλακτο — —

Id *Scholiaſt*. declarat, ἐφύρετο, ἐμολύνετο; anſa novæ notionis, ut vides, arrepta a *concuſſione*, & *commixtione pulveris*, ac *ſordium*, inde oriunda. *Theocr. Id.* 25: 225.

— — — Ἀμφὶ δὲ χαίτας
Αὐχμηρὰς πεπάλακτο φόνῳ.

Ad

Ad eam rationem jam ſuſpicor גאל antiquitus fuiſſe πάλλεσθαι *quati, concuti motu vehementiore, vibrari, cum vibramine quodam ſalire, aut huc illuc jactari.* Id *Arabes* ſub ſuo جال, media *Eliph*, habuiſſe videntur, quod in *Camuſo* exponitur ذهب وجاء, *ivit venitque*, vertente Cl. *Golio*. Intelligeſis *irrequietam agitationem ultro citroque itantis.* πάλλεσθαι. Hæc vis tralucet quoque ex derivato جُبْلَان *concuſſio, terror*, فزع *pavor*, παλμὸς: nam & πάλλειν eſt *pavere*; ut *Sophocl. Oed. Tyr.* 155. Δείματι πάλλων dixit. Ex hoc *fonte* quomodo *fœdatio* emanare potuerit, jam ſatis declaratum. *Vindicare* aſſumtum forte, quaſi *jure ſortis, hæreditatisve, defendere* quid, *aut aſſerere ſibi*, atque ita ejus *vindicias agere.* Apud *Heſychium* reperio etiam πάλλεν, ἔλαβεν, ἐκέρδαινεν, *cepit, lucratus fuit, in ſortem* videlicet *addictum*; prout mox ſubjungitur παλλουμένων, κληρουμένων. Et παλτὸν, κληρωτὸν. Atque hæc hactenus, ad Radicem multa obſcuritate circumſeptam; digniſſimam tamen, quæ adhuc illuſtriore luce perfundatur; nam vereor ne & ego in his omnibus fruſtra fuerim; & ſpecioſiora produxerim, quam ſolidiora.

Ibid. Duplex poteſtas verbi גאל, duplicem præbuit vertendi rationem. *Primam* hanc, *Fœdent eum caligo* horrens, *& umbra mortis*; quam *Veteres* nonnulli, nec non *Rabbini*, ſunt ſecuti. *Alteram* iſtam, *Vindicent, occupent, aſſerant ſibi eum*; pro qua ſtant LXX. *Symm.* & *Theodot.* *Recentiorum* ſimile eſt divergium: nec mirum, quum utraque ſententia habeat pondus & decus. *Schmidio* tamen poſterius videtur nimis durum; præſertim, quia *jure conſanguinitatis vindicare*, ſemper *in commodum* alicujus ſumi ſoleat; quum hic tamen *malum* quid innuatur. Fateor exempla Biblica *in bonum* tendere: ſed hoc ipſo *grandior* emergit *figura*, quum aliquod verbum audaciuſcule traducitur. Utique nihil grandius concipi poteſt, nihil etiam quod facilius percipiatur, quam *jure hæreditatis, ſortis, affinitatis, vindicent, aſſerantque ſibi* in perpetuum diem huncce *denſiſſimæ* & *formidoloſiſſimæ tenebræ*;

Et dicant meus es, injiciantque manum.

Præſertim in homine *Arabe* id *criſi* exemtum, qui *corruptionem* audet appellare *Patrem ſuum*, & *putredinem, ſuam Matrem* ac *Sororem*: quod *Cap.* 17. habebimus. Habet tamen prius quoque aliquid, quod ſe majorem in modum commendet, & inſinuet, nam *diem fœdare, polluere, contaminare*, pervenuſte & graviter dici poſſunt *tenebræ*. Moneo inſuper, ſi hic forte ſenſus magis adblandiatur, novo eum *pondere* augendum videri, ex ſpeciali uſu quo גאל *polluere* valet *profanare, conſcelerare*, ut *Mal.* 1: 7. & alibi. Ita μιαίνειν *fœdare*, nec non *profanare*, traductum ferme ab *Æſchyl. Agam.* 645.

Εὔφημον ἦμαρ οὐ πρέπει κακαγγέλῳ
Γλώσσῃ μιαίνειν — — —

Volebat nempe *Jobus*, ſuum *Natalem* tanquam *profanum* aliquem, & *nefaſtiſſimum diem conſcelerari*, hoc eſt *horrori publico tradi*, tum qui jam *præterierat*, tum qui quotannis eſſet *recurſurus*. Huc illa congeries unice ſpectat: ac proinde opera ludi videtur, quum hic de *nubibus, imbribus, luto*, aliiſque incommodis, qui *ſpurcum* reddunt *diem*, *ad literam* cogitatur. Non *proprie*, ſed *improprie*, id genus locutionum explicandum.

Ibid. Creſcit *ſecundo gradu* vehementia imprecationis, in תשכן עליו עננה, ſive poſteriorem verſionem præcedentis membri malit quis, ſive priorem; *Habitet ſuper ea Nubes.* Id aliis eſt, *incumbat ei*, aliis, *commoretur ſuper eo*: *Cocc.* figuratius adhuc, *procumbat ſuper illum*; quod eſt, *denſa & late diffuſa mole amplectatur, premat, detineat.* Ita سكن noſtrum traducere *Arabibus* ſolenne eſt. *Hiſt. Tamerl.* p. 17. فقويت بذلك شوكته وسكنت القلوب هيبته *Et invaluit hac re ſpina.* i. e. *potentia ejus*; *habitavitque corda terror ejus.* Altius tamen adhuc ſcandere putem cothurnum noſtrum, *Tentorium figat ſuper eo Nubes*; quod eodem rediens, luculentiorem præbet conſpectum *atræ nubis, inſtar veli diſpanſæ, & diffuſæ, ad moram & habitationem.* Imago *Arabibus* mire placita. *Hiſt. Tamerl.* p. 407. وحين يقوض (ſic legendum, non يغوض) الظلام خيامه وينشر

وينشر رايد الصبح اعلامه *Et quum diſſolveret obſcuritas noctis tentoria ſua; & Aurora pabulatum* veluti *exiens explicaret ſua ſigna.* Iterum *pag.* 57. فلما قوض الليل خيامه ورفع النهار اعلامه *Quumque diſſolviſſet Nox ſua Tentoria; & dies ſua ſigna extuliſſet.* Non multum abludit سرادق *velum tentorii*, ipſumque *tentorium*, quod figurate uſurpari amat pro الغبار الساطع والدخان المرتفع المحيط بالشي *pulvere, in altum ſublato; nec non fumo elato & rem involvente.* Reſpicit in poſtrema Gloſſa ad *Alcor. Sur.* 18: 28. انا اعتدنا للظالمين نارا احاط بهم سرادقها *Profecto paravimus improbis ignem, cujus tentoria involvent eos.* Id eſt *volumina denſi fumi.* Plura non addo. Obſervo tantum ut משכן *tentorium* ſignat, ita verbum שכן ſæpiſſime in *tendendo*, ſive *tentorium figendo* abſolute frequentari. *Zach.* 2: 14, 15. ושכנתי בתוכך σκηνώσω ἐν ὑμῖν. *Pſ.* 28: 6. אהל שכן באדם *Tentorium, quod fixerat inter homines.* Nempe ipſum etiam *tentorium* dicitur שכן *tendi, figi, erigi.* Non omittendus uſus *Exod.* 40: 35. *Nec valuit Moſes ingredi in tentorium conventus*: כי שכן עליו הענן *quoniam Nubes ſuper eo reſidebat diſpanſa, ac diffuſa.* Habes *tentorium* quaſi *Nubis, tentorio alteri ſuperinjectum, & ſuperfuſum.* Dixi *figuram* hanc, *Tentorium figat ſuper eo nubes*, percommodam eſſe ad membrum præcedens, qui tandem cumque ſenſus præplacuerit. Videtur tamen nonnihil favere priori opinioni, nam poſt יגאלוהו *Vindicent ſibi illum in perpetuam hæreditatem*, opportuniſſime ſubjungeretur תשכן *ſedem & tentorium ibi figant denſæ nubes.*

Ibid. Forma *fæmin.* עננה, nuſquam alibi lecta, a ענן *Nubes craſſior & major*, docente Cl. *Coc. collective* hic ſumenda. Non repugno; poteſt tamen ſingulariter etiam exponi *Unus perpetuus nubium tractus*: vel συννεφία, quod *Theodotion* expreſſit, *cælum* omni ex parte *occupans.* Radix periit, niſi quod ſemel ex *Pihel* citetur *Gen.* 9: 14. בענני ענן על הארץ *Quum expandero Nubem ſuper terram.* Apparet & ibi συννεφίαν ſubeſſe; & τὸ ענן eſſe, *effecit* ענן *collectionem & compactionem nubium.* Eadem proprietas ſervatur *Job.* 26: 8. *Religans*, tanquam in loculo, *aquas in nubibus ſuis denſis: & non diſrumpitur* ענן συννεφία, *coagmentata ac late expanſa moles nubium, ſub iis.* Perditam & *Radicem* & *Originem* reſtituunt *Arabes*, quibus عنّ eſt *cum latitudine & expanſione aliquid apparuit, ſeque obtulit videnti.* Sic in *Camuſo* enucleatur عن الشي يعن عنا وعننا وعنونا وعننا اذا ظهر امامك واعترض *Radix* ען *defectiva, cum fut.* יען *& infinit:* ען, ענין, ענון, ענן, *dicitur res aliqua, cum apparet coram te, ſeque transverſam objicit tibi.* Similiter *Gjauharius* عن لي اي عرض واعترض والعنان السحاب والواحدة العنانة والعانة ايضا واعنان السحاب صفايحها وما اعتن من اقطارها كانه جمع عنن قال يونس

ليس بمقبوض البنان بهاء ✡
ولو حك بيافوخه اعنان السماء ✡

Radix ענן *eſt obtulit ſeſe res per transverſum jacens vel objecta. Ejus deriv.* ענן *notat tractum nubium; una nubes autem eſt* עננה, & עאנה: (i.e. עוננה form. *part. præſ.*) *in plurali* اعنان *Nubium vocantur late diffuſi & expanſi earum tractus. Jonas dixit.*

Non eſt contracto digitos, avaro, *laus:*
Si vel tereret medio vertice Nubes cœli.

Preſſius hinc finire licet vim vocabuli ענן in

in *coagmentatione nubium ſubito oriente*, & *faciem cœli cooperiente.* Tralucet hæc proprietas *Jer.* 4: 13. הנה כעננים יעלה *Ecce ut nubes ſubito orientes & quaquaverſum diſpanſæ adſcendet*; & *ſicut turbo radens ſunt currus ejus.* Item *Nah.* 1: 3. *In turbine radente*, & *ardente procella eſt via ejus* וענן אבק רגליו & *coagmentatio nubium eſt pulvis pedum ejus.* Hoc eſt, ut *ſub pedibus Victoris* alicujus, citum agmen rapientis, denſiſſimus undique pulvis concitatur; ſic *ſub pedibus* Dei *conglomerantur nubes*, & *in tempeſtatem tonitrubus fulminibuſque gravidam coeunt.* Non alienam cenſuerim hanc imaginem a contextu noſtro, qui ſic vehementius adhuc πάθ@ ſpirabit; per quod *Dies* hicce damnatur *procelloſæ nubium coagmentationi*, *perpetuam* ſuper eo *ſedem*, & quaſi *tentorium*, *fixuræ.*

Ibid. Commodiſſimam mihi anſam præbet conſpectus iſte diei perpetuis devoti procellis, ad *Gradum tertium* ſane quam intricatiſſimum, & omni nodo nodoſiorem, extricandum; ſive vocem כמרירי habeamus pro *ſimplici*, a כמר, ſive pro *compoſ.* a מרר: nam Clar. *Cler.* nimium ſumit licentiæ, quum ad ארר recurrit, & מְרִירֵי contractum ſtatuens ex מְאָרְרֵי, inde exſculpit, *ut qui male precantur diei.* Pellexit ſpecies blanda ex *vſ.* 8. ubi אוררי יום memorantur. A radice כמר, ſub qua noti כמרים *ſacrificuli*, tanquam *atrati*, ſimile quid elicuere *Codurcus*, & *Grotius*, qui כמרירים, auctiore forma, exponunt *Genethliacos*, *Mathematicos*, qui *diem candido* vel *atro* lapillo *ſignare* ſolent: unde integram ſententiam ſic concepit Ill. *Grotius*, *terrificent eum Sacerdotes diei:* hoc eſt, *annotent ut terribilem:* at *Codurcus*, *deterreant ab eo præfecti faſtorum.* Plurimi ab eodem כמר *Atratus*, *æſtu aduſtus fuit*, dederunt, vel *æſtus diei*, vel *nigrores diei.* Poſterius ſecutus *Coccejus*, intelligit *vapores atros*, *fervidos*, *peſtilentes.* Hoc ſi præferendum quis cenſeat, habebit continuationem figuræ prægreſſæ; *Conterreant eum atrores æſtuantes diei.* Non tantum עננה *coagmentata moles nubium procellis gravida*, *ſuper eo tentorium figat*, *verum etiam tonitrubus & fulminibus deſæviat*, *eumque perterreat in omnem perpetuitatem.* Utinam *Thematis* כמר amplior ad nos perveniſſet uſus, indeque certiores fieri poſſemus, talem metaphoram ab ejus genio non abhorruiſſe, hoc eſt, dictum fuiſſe, vivente Lingua, נכמר היום *atrore æſtuante ſuffuſus fuit dies*, quemadmodum dictum fuit נכמרו רחמי *Viſcera æſtuarunt*, vel *uſta ſunt vehementius Gen.* 43: 30. 1 *Reg.* 3: 26. *Hoſ.* 11: 8. ubi adhuc ſublimius נכמרו נחומי *commiſerationes meæ exæſtuarunt*, *æſtu intus adurente atrorem contraxerunt* quaſi. Non omittendus quartus, & ultimus locus, ubi verbum noſtrum proſtat, *Thren.* 5: 10. עורנו כתנור נכמרו *Cutes noſtræ ut furnus aduſtæ ſunt*; *propter procellas urentes famis.* Ex hoc ipſo contextu autem ſatis ſpecioſe colligi poſſe videtur ſtructura, quam deſidero, נכמר היום *Dies atrore æſtuante fuit ſuffuſus*, nam & תנור *furnum*, *fornacem*, ſimiliter traduxit *Malach. Cap.* 4: 1. cum cognato verbo בער. *Ecce dies ille adventat* בער כתנור *Ardens ut Fornax.* Deſcriptionem talis *diei* dat. *Pſ.* 18: 9. *Fumus adſcendit in Naſo ejus*, & *ignis ex ore ejus ardebat*; *prunæ ardentes* quin imo *emicabant ab eo.* ויט שמים & *inclinavit ut tentorium cœlos*, *deſcenditque*, *denſam ſub pedibus ſuis caliginem glomerans.* Forma vocabuli כִּמְרִיר nihil habet *anomali*, niſi quod כַּמְרִיר fuiſſet paulo magis *analogum*, ut סַגְרִיר a סגר *vehemens imber*, & חַכְלִיל *nigricans rubedo*, unde חַכְלִילִי & חַכְלִילוּת ſunt producta. Hoc tamen diſcriminis, ſuſpicionem movit compoſitionis per כ, ut vox ipſa ſit מרירים vel *amari*, vel *amara*, ſeu *amaritudinis.* Id diverſimode explicatur, ut ex *Mercero*, *Schmidio* aliiſque notum. Tentabam olim & ego, *perterreant eum tanquam amara diei elade* quadam graviore *infamis.* Monebam tunc מרירים eſſe *infortunia*, *fata acerbiora.* Hoc probare nil attinet. יום *Dies* abſolute *diem prælii* ſignare amat apud *Arabes.* In *Hamaſa* extat carmen *Homeritæ*, in *prælium*, cui interfuerat, adverſus *Teimitas*

6 Noctem illam ! occupet eam occaſus ; neque gaudeat inter dies anni: in numerum menſium ne intret.

7 Ec-

6 הלילה ההוא יקחהו אפל אל־יחד בימי שנה במספר ירחים אל־יבא׃

7 הנה

من راى يومنا ويوم بنى التيم ☆
اذا النقع صبغه بدمه ☆

Qui vidit diem noſtrum, diemque Teimitarum
Quum pulvis ſublatus concreſceret ſanguine ejuſdem?

Notat ibi *Tebrizius* اراد باليوم الوقعة *per diem intelligit conflictum.* Alius item ibidem, *Omar Ibn Keltſoum.*

فما ابقت الايام ملمال عندنا

Neque reliquerunt Dies quicquam ex opibus penes nos.

Ubi iterum *Tebrizius* اراد بالايام الوقعات والحوادث *per dies intelligit conflictus & clades.* Sexcenta talia proſtant. In Sacris habes quoque יום מדין *Eſaj.* 9: 5. pro *Clade Midianitica.* Et *Obad. vſ.* 11. אל תרא ביום אחיך *Ne adſpicias* lætus *diem fratris tui.* Sic *Romæ* nimis nota *Dies Allienſis*, *Dies Cannenſis*, aliique, *atro carbone notati* in perpetuum, atque *ſcelerati*, ut loquebantur. Vult ergo *Jobus* Natalem ſuum pro *Infami*, & *Nefaſtiſſimo* cenſeri, haud ſecus ac *Dies* aliquis *fœda clade ominoſus*, & tanquam *diris contactus.* Hoc adſpectu iterum elegans nexus ſe offert cum præced. membro, ubi עננה *coagmentatio* illa *nubium*, nunc conciperetur *tonitrubus* & *fulminibus belli deſæviens*; atque ita *diem* illum *perterrens.* Poſſet יבעתוהו etiam converti *ſubito opprimant*, *invadant*, quod eſt بغت, unde *terrendi* ſignificatio eſt ducta: ſed retineo *perterreant*, tanquam *figuratius*, & τραγικώτερον, quo *Diei* attribuitur, quod proprie in *Homines* cadit. Quid ſi, ad *cumulum diritatis*, in phraſi כמרירי יום cum *fatis acerbioribus* conjungamus *dicta amarulenta*, ſive *publicas execrationes*, in talem diem ab omnibus jactas? Natura ſaltem Linguæ id patitur, & ſic membrum hocce plenius adhuc reſpondebit *vſ.* 8. ubi *execratione publica* defigitur *Nox conceptionis Teſtis.*

Vſ. 6. Tranſitur a *devotatione Diei Natalis*, ad *execrationem Noctis proſeminatricis*; quod diſcrimen ni teneatur, magna confuſio orietur. Rite quoque diſtinguenda *duo membra imprecationis*, ut *vel aboleatur* & penitus *eradatur* illa *Nox* infeſtiſſima; *vel* ſaltem ut infauſtiſſima *horrori publico exponatur.* Membrum *prius* hoc *vſ.* abſolvitur: *poſterius* pertexitur tribus verſiculis.

Ibid. Et hic *tres* recurrunt *gradus* in *priore* membro deducendo. *Primus* eſt הלילה ההוא יקחהו אפל. Nimis diluta ſunt, quæ hic adferuntur, ad tenuem nimis verſionem, *noctem illam capiat caligo*, quaſi ſenſus eſſet, *ſubtrahatur ei lux ſiderum, lunæve.* Nam quid diri adeo habet *nox illunis*? Non quadrat quoque ad diriſſimum illud, *Ne annis menſibuſque inſeratur.* Hoc exigit *abolitionem*, & *interitum*; quod etiam vidit Cl. *Schmid.*, qui vi ſententiæ ductus אפל hic ſumſit pro *caligine in ſummo gradu*; & לקח pro *abripere*, *auferre violenter*, *ut qui abripitur ad captivitatem*, *aut mortem*: ſenſum deinde hunc proponit. *Si utique nox conceptionis meæ non poſſit eſſe nihil*; & *ſicut optavi vſ.* 3. *perire omnino*: *ſaltem abripiatur a Caligine infernali*, *ut reddatur nox infernalis*, *tanquam quæ indigna ſit*, *ut nox hujus mundi exiſtat.* Placet gravitas adfectus, quem offert hic conſpectus: & facile in eo poſſem acquieſcere. Exiſtimo tamen אפל commodius adhuc referri poſſe ad *plenariam abolitionem*, qua *Nox* hæc dicitur *extinguenda*, tam ratione *præteriti*, quam *futuri.* Id ſequentia arguunt; quamvis ſcrupu-

pu-

7 הנה הלילה ההוא יהי גלמוד אל־תבא רננה בו׃

7 Ecce nox iſta ſit dura ſilice vaſtior: ne proveniat tinniens cantus in ea.

8 יקבהו

8 No-

pulum ex parte levaverit Vir Doctiſſ. Verum enim vero ut hæc imprecatio accuratius reſpondeat *vſ.* 4. præſtiterit יקחהו אפל reddere *Raptam hanc noctem poſſideat extinctio; interitus, occaſus unus perpetuuſque*. Radix אפל nuſpiam in ſacris obvia. Ea quid valuerit haud liquet. *Avenarius* confert cum אבל *Lugere*, indeque *velare*, vel *velari tenebris*. Ex *Syſtemate Neumanniano* ſemina אף & פל ſiſtunt *Ambitus circumvolutos:* indeque *obſcuras latebras*. Miror talia *commenta* magnis ingeniis potuiſſe imponere; quæ *Vitrea* fere dixerit quis; *ſplendent* quippe, & *franguntur*. Mihi tutior auctoritas *Arabum* prælucet, quibus افل אפל eſt *occidit* ſol; & افول *Occaſus*. in *Conſ.* 15. *Harir.* انقراض العلم ودروسه وافول اقماره وشموسه *Extirpatio Eruditionis & obliteratio ejus; Lunarumque ac Solium ejuſdem occaſus*. Similiter apud *Gjauharium* & *Phiruzabad.* افل exponitur غاب *occidit*, in *ſole*, *ſtellis* &c. &c. Cave credas tamen, ut *Occaſus* a *Cadendo* dictus fuit, ita אפל in *Origine* eſſe *cecidit*. Qui alliterationibus delectantur, non oblivifcerentur cognati נפל. Sed ſcias افل eſſe proprie idem quod φθίνειν *conſumi decremento*, & *tabe* continua; *exhauſto* omni *ſucco* ac *vigore*. Jam *Græci* φθίνειν eleganter adhibent *in die ad occaſum vergente*, & ſtrictius in ipſo *occaſu:* ut *Æſchyl. Perſ. vſ.* 377.

Ἐπεὶ δὲ φέγγος ἡλίου κατέφθιτο.

Et 233.

Τῆλε πρὸς δυσμαῖς ἄνακτος ἡλίου φθινασμάτων.

Iterum *Agamemn. vſ.* 7.

Ἀστέρας, ὅταν φθίνωσι, ἀντολάς τε τῶν.

Apparet φθίνασμα ſeu φθίσιν *ſolis*, ſua ſponte nos ducere ad *ſummum gradum caliginis nocturnæ*, quum omnis *lux defeciſſe*, & *conſumta* eſſe videtur. Idem valuiſſe אפל, nullum poteſt eſſe dubium, atque alibi pluribus adſtruetur. porro *nox* quam *poſſidet* φθίνασμα *omnis lucis*, & *perpetuus occaſus*, utique *ævo excidiſſe* cenſenda eſt, & in חשך *Chaos ſuum*, unde emerſerat, rediiſſe.

Ibid. Abolitio hæc aperte conſignatur *ſecundo gradu*, in quo יחד aliis eſt a יחד, *Ne adunetur inter dies anni*, quod noviſſime prælatum a Cl. *Cler.* nimis tenuiter & argute locum tractanti; aliis a חדה, *ne gaudeat inter dies anni*; quod cum *Analogia Grammatices* conjunctius, plurimos tulit calculos, & explicatur a *Coccejo* de *feſtivitate* huic nocti *negata*, quia *dies feſti* quaſi *hilarantur*. Sed & hoc nimis tenue: omnino tenendum, quod *Mercerus* jam dedit, *Ne gaudeat*, *quod ſit*, *habeaturque inter dies anni*. Idem *Schmidio* placitum. Vult nempe *Jobus* hanc *Noctem*, quæ complectitur integrum νυχθήμερον, *aboleri*, & tanquam e *Calendario deleri*, ut ad ſequens membrum rectiſſime iterum *Mercerus*. Sic cernis cur *Diem* mox pro *Nocte* ſubſtituat, nam יום etiam νυχθήμερον comprehendit; & in *Calendariis* non *Noctes* exſignantur, ſed *Dies*. Poëtice inter νυχθήμερα *gaudere*, *lætari*, dicitur *ſpatium*, quod iiſdem *accenſetur*, & cum iis *annuo orbe recurrit*. Alia, profundior adhuc, eſſe poſſet ratio lectiſſimi hujus verbi יִחַד *lætetur*, *triumphet*, *Exod.* 18: 9. quod *Jobus* iſtam *noctem* conſideret tanquam *inimicam* & *infeſtam* ſibi, reliquiſque hominibus; cui *hanc* & reliquam *materiam lætitiæ* ac *triumphi*, quippe *malæ*, & in *malis* hominum *exultanti* quaſi, cupit *ereptam*, *per* ejuſdem plenam *abolitionem*.

Ibid. Hanc *expunctionem* liquidiſſime exprimit *tertius gradus*. *Et in numerum menſium ne veniat*. Iterum Cl. *Cocc.* refert ad *feſtivitates* tum *Calendarum*, tum *aliorum dierum* in menſibus. Rectius *Mercerus*, *e Calendario* de-

deleatur. Nuſpiam locum, nuſpiam mentionem ſui inveniat; adeo non *Faſtis*, *Fauſtiſque*, accenſeatur *diebus*, ut ne inter *Nefaſtos* quidem recenſeatur; ſed plane *pereat*, ac ſi nunquam extitiſſet.

Vſ. 7. Deſcenditur ad *alterum* imprecationis *membrum*, ut ſi *manere* debeat hæc *nox*, omnibus *diris maneat devota* & *defixa*, ad *horrorem publicum*. Huc facit particula הנה *Ecce*, quæ novam poſtulat attentionem. Huc ſpectat quoque reſumtio, הנה הלילה ההוא *Ecce Nox iſta*. Amplectitur autem *devotatio* hæc ſimul *præteritum*, ſimul *futurum*, ut ſupra præmunitum.

Ibid. Primum hic *gradum* exhibet יהי גלמוד, *ſit ſolitaria* plurimi, vel *deſolata*; alii *vaſta*, vel *ſterilis*; alii aliud, quod videbatur maxime quadrare. Non multum quidem hæc omnia abludunt; attamen *proprietatem* Linguæ, & *vim figuræ* neutiquam ſatis exprimunt. *Avenarius* acumini ſuo indulgens, procudit nobis *devaſtatum inſtar ſtatuæ acervalis*, ſive *cumuli ex lapidibus*; quaſi vocabulum conflatum eſſet ex גל *acervus lapidum*, & עמוד *columna*, *ſtatua*. Hoc æque ſolidum ac *Poſſeſſio*, ex *ſedis poſitio*: aut *mutuum*, ex *meum tuum*: aut *teſtamentum* pro *teſtatio mentis*: quod genus jam dudum exploſerunt emunctiores Critici. Indubitata eſt tum *origo*, tum *poteſtas*, quam *Dialectus Arabica* ſubminiſtrat, ubi hæc ipſa forma גלמוד, جلمود, cum *plurali fracto* גלאמיד, جلاميد, nec non alterum *ſing.* גַלְמַד, جلمد, in *fœm.* جلمدة גַלְמַדָה, & גַלְמֶדֶת, frequentantur pro *ſaxo duriſſimo*, ſive majore, ut *rupes*, aut *petra*; ſive minore, ut *ſilex*, omniſque *lapis ingens*. Hæc, & alia hinc traducta, breviter ſtrinxit *Camus*. الجلمد الصخر كالجلمود والرجل الشديد كالجلمدة والبقرة والقطيع الضخم من الابل او المسان منها وارض جلمدة حجرة والقي عليه جلاميده ثقاله *Vox* גלמד *eſt ſaxum durius, nec non* גלמוד: *item*, *vir durus*, quod *&* גלמדה: *item*, *armentum boum camelorumve compactius*; *aut annoſiores inter eos. Etiam* ארץ גלמדה *dicitur terra lapidoſa. Denique conjecit ſuper eum* גלאמידה *ſaxa ſua*, i. e. *onera*. Evidentiſſimum eſt ex omnibus hiſce *Gloſſis*, qua *proprie*, qua *improprie*, ſumtum noſtrum גלמוד, eſſe *Adjectivum*, conflatum ex duabus Radicibus גלד جلد *durus*, *robuſtus fuit*; & גמד جمد *compactus* & *congelatus fuit*. Inde formatum *primo* الصخر الجلمود *ſaxum duritie compactum* ac *congelatum*; quam locutionem plenam exhibet *Hiſt. Tamerl.* p. 209. يلين له الحديد والصخر الجلمود *cui molleſceret ipſum ferrum*, *&* *ſaxum duritie conglaciatum*. Similiter *Amrolkiſus*, poëta vetus:

كجلمود الصخر حطه السيل من
عل ۞

Sicut duriſſimum ſaxum fluxu in præceps actum

Annotatum ibi a *Scholiaſte*, الجلمود الصخرة الملساء *Vox* גלמוד *glabram ſignat petram.* Eſt ergo λισσὴ πέτρη *Homeri*, quæ & λισσάς. Hinc *ſecundo* per ellipſin ſubſumtus uſus abſolutus, pro ipſo *ſaxo duriore*. Sic *Harir.* conſ. 8. والقاضي ما يخبوا ضجره مذ بض حجره ولا ينصل كمده مذ رشح جلمده *Judicis autem tædium non reſtinguebatur*, *ex quo ſilex ejus ſudabat*; *neque mœror ejus diſcuſſus*, *ex quo ſaxum ejus duriſſimum madeſcebat*. In tranſitu ſcias, *ſaxum ſudans* & *madeſcens* apud *Arabes* eſſe emblema *Euclionis* alicujus *triparci*, cui *invito munuſcula extorquentur*, qua imagine *pumicem aridum* in *Aulular*. Eundem vocavit *Plautus*. Ad *originem* a nobis indicatam alluſit idem *Harir. conſ.* 50.

انا الذي ولجت المضايق وفتحت المغالق واذبت الجوامد واميعت الجلامد

8 יקבהו אררי־יום העתידים ערר לויתן׃

9 יחשכו

8 Nominatim defigant eam imprecatores diei, promtiſſimi quique, Excitatricem Leviathanis.

9 Hor-

الجلامد *Ego ille ſum* Abuzeydus, *qui in anguſta me inſinuavi*, & *clauſa reſeravi*; & *conglaciata* גואמר *liquavi*; & *ſaxa congelata* גלאמר *reddidi fluida.* Et hiſce jam eluceſcit gravitas dignitaſque figuratæ dictionis *Eſaj.* 43: 21. *Quis mihi hos genuit quum ſim orba*, גלמודה *ſilicis inſtar dura*, congelata, ſterilis. Eadem metaphora nota *Arabibus*, quum جلمدة applicant ad *annoſiores camelos*, *gregeſve effœtos.* Eandem aptiſſime ſedere in contextu noſtro, non eſt quod moneam: etenim *Nox* hæc *damnanda fuiſſe*, atque *in perpetuum eſſe* dicitur *duræ* & *vaſtæ ſterilitati*, ut *ſilicis inſtar congelata* eſſe videatur. Sub hac jam generali imagine complecti poſſum, quicquid ab interpretibus allatum, ac præſertim *vaſtiſſimam* illam *deſolationem*, quam intendit *Schmid.* ut *cuncta* non tantum in ſumma ſolitudine & caligine *taceant*, ſed & *mortua* quaſi *jaceant.* Infra recurret *cap.* 15: 34. *Cœtus Hypocritæ* גלמוד *evadet dura ſilex*, quod ibi explicabitur. Et *cap.* 30: 3. *Inopia* & *inedia* גלמוד *ad duræ ſilicis conditionem redactus.*

Ibid. Alter *gradus*, *Ne veniat cantus in illa*, jam negative eandem *vaſtam horridamque deſolationem* conſignat. Extra oleas feruntur, qui ad *cantum* Angelorum, vel & *piorum*, *nocturnum* detorſerunt. Somnium Rabbinicum de *cantu galli ſylveſtris* repeti poterit ex *Hieroz.* p. 2. p. 139, 240. 855. & ex *Buxt. Synag.* Nonnulli de *cantu* viatorum; alii *convivantium*, expoſuere. Prudentius *Coccejus* univerſim, *Nemo hilarior canat.* Hoc ſepoſitum a *Schmidio*, aliud *Gallicinium* recoquente, quaſi *tam ſilentem* ac *vaſtam noctem* vellet eſſe *Jobus*, ut in ea *ne gallicinium* quidem *audiatur.* Sentio *acumen*, ſed ita *intenſum*, ut *hebeſcat*: & aliud ſane tunc agebat Vir *Doctiſſ.* nam *Coccejo* affinxit, quod non ſenſit, nec ſcripſit. Nimis literæ adhæſit, & reſtrinxit ad minutiſſimum quid, quod generatim ſummo cum pondere eſt poſitum, *Nullus in eo proveniat cantus tinnulus.* Hæc *dira* & *ominoſiſſima nox*, *æterno*, quo digna eſt, *ſilentio* & *horrori mancipetur*; ut jam olim *mancipari* debuiſſet. *Nemo hilarior* in ea *canat*, ut *Cocc.* ſolide, ſed *univerſa* quaſi *natura rerum attonita ſtupore jaceat demerſa.* Vocabulum רננה *tremulum tinnulumque ſonorem* adferre alio in loco demonſtrabo.

Vſ. 8. Diritas execrationis creſcit adhuc *tertio gradu*, totum verſiculum complectente: in quo declarando quot capita, tot ferme ſententiæ. Eas enumerare grave foret; nedum infirmare. Palmam omnibus omnium conatibus præripuit feliciſſima Cl. *Guſſetii* explicatio, quam in *Comm. Ling. Hebr.* ſub rad. לוה exhibet, *Expreſſe vocent eum*, *Execratores dierum*, & *quidem paratiſſimi*, *atque ad opus iſtud maxime animati*, *excitatorem Leviathanis.* Hoc adagialiter dictum autumat, & docte firmat, atque illuſtrat, refutatis iis, qui לויתן vel *Luctum eorum*, vel *ſocietatem eorum* vertunt: quæ abſque ulla hæſitatione & ego rejicula cenſerem. *Cl. Schmid.* etiam *Leviathanem* retinens, vertit, *Execrentur illam — prompti excitando Leviathanem*; i. e. *incantatores* tam *periti*, ut vel *Balænam* poſſint *ciere carminibus* ſuis. Id dilutum. Dilutior adhuc Cl. *Cocc.* conjectura, agi de *periculoſiſſimo Balænarum piſcatu*, *unde qui redeant*, quantumvis *feſſi*, & *ſomno* indigi, *hac* tamen *nocte quietem capere* nolint; utpote *execrabili* & *odioſa.* Ei אררי יום *execrantes diei*, etiam nimis tenui ſenſu ſunt, *quibus dies laborem* & *moleſtiam adfert.* Myſtico & ſubliniiore uſu *Leviathanem* de *Cacodæmone* explicuere *Grotius* & *Codurcus*, locumque retulere ad *incantatores*, qui carminibus ſuis ſpectra evocant, *Nocturnoſque cient Manes*; quorum *imprecationibus Magicis* noctem hanc *defigi* cupiat *Jobus.* Cl. *Cler.* quoque *Magos* reſpici putat, *qui diris precibus dies infauſtos reddebant*; *quos homines nunc* Jobus *velit excitare Crocodilum*, *ut omnes territi ſeſe domi contineant*, *die iſto Natali.* Addit aliam adhuc conjecturam,

H de

de *ſerpentibus magico carmine* in populum *immiſſis.* Utrumque friget, & literam nimis premit: ne dicam ſupponi, quæ probationis egent. Ad enodationem implicatiſſimi loci, veſtigia perſequens Cl. *Guſſetii*, ſingulis ferme inſiſtam vocibus, iiſque lucem infundam.

Ibid. Primo ארּרי יום *Execratores diei* eſſe *Magos* vel *incantatores* haud dixerim. Ad *Aſtrologos ſuperſtitioſos* Orientis, qui alios dies *albo*, alios *nigro calculo* inſigniunt, commodius referretur. Sed mihi aliud ſedet, & intellexerim potius id *genus hominum*, quod in *Oriente* conduci ſolet ad *diem* aliquem *luctuoſum quæſitiſſimis*, & *conceptiſſimis verborum formulis execrandum.* Notiſſimæ ſunt *præficæ mulieres*, earundemque *Næniæ*, ſive *carmina incondita & lugubria.* De iis habes inſignem locum *Jer.* 9: 17. ubi vocantur מקוננות *Lamentatrices*, & mox חכמות σοφαὶ, *peritiſſimæ* videlicet *formularum*, ad *Leſſum* miſerabiliter decantandum, inter *percuſſiones* pectoris, reliquoſque *planctus funebres.* Etiam שרות *Cantricum* appellatione inſigniuntur 1 *Chron.* 35: 25. ubi quum ſimul שרים *Cantores* memorentur, colligere eſt, fuiſſe etiam *Præficos Viros*, id eſt *præfectos* ſolenni complorationi, & planctui, ad *Leſſum* aliis *præeundum.* Talem *conventum lugubrem*, qua *virorum*, qua *mulierum*, ad *nenias cantandas* conductum, *Arabes* vocant مـاتم, quod & uſu vulgari invaluit, pro ipſo *planctu*, *leſſoque.* In *Hamaſa* eleganter بـعـث المـاتم eſt *conventum lugubrem excitatis undique præficis convocavit*: nec omitti poteſt veſtigium ritus veteris ibidem;

ايـا طعنة مـا شيخ كـبـيـر يفن
بـال ۞
تـغـيـم المـاتم الاعلي عـلـي جهد
واعـوال ۞

O transfoſſionem ſenis grandævi, decrepiti, detriti!
Quæ excitabit conventum Lugubrem
Maximum, cum adflictione & ejulatu.

Gloriatur aliquis, ſe *Virum principem* haſta transfixiſſe, ob quem in *Tribu* ejus *Leſſus* & *Luctus ſolenniſſimus fieri* deberet. Confer nunc *Eſech.* 32: 16. & 27: 29, 30, 31. ubi talis *Cœtus Lugentium plangentiumque* depingitur. Habes & ſpecimen *Leſſi Lugubris*, *Eſech.* 19. per totum caput, cui ſignanter additum nomen קינה, quod unde *planctum*, & *Lamentationem funebrem* denotare cœperit, non liquet. *Syris* קינא eſt *modulatio*, *cantus*: & *Arabibus* قـيـنـة קינה *Kaina*, *Modulatrix*, *Ancilla Cantrix*, omnis *fœmina ad cantandum conducta*: ac proinde etiam *præfica*; uſu *Hebræo* in *triſtem* hanc *partem* vergente, prout مـاتم per ſe μέσον, & *convivio* etiam aptum, ſatis conſtanter ad *conſeſſum lugentium*, ipſumque adeo *luctum*, adplicatur, cum *leſſo* ſuo. Ex hiſce jam plenius eluceſcere putem, quid eſſe poſſint ארּרי יום *Execratores diei*, genus hominum eo ipſo victum quæritans, & conduci ſolitum, ad *dies fatales*, qua *cladis* in gente, qua *funeris* in familia, nigro *Theta* notandos, eoſdemque *abominationi* omnium *exquiſitiſſimis phraſibus* tradendos. Dies abſolute, pro *Die fatali* & *luctuoſo*, ſupra jam viſus, *vſ.* 5. ארר *maledixit*, *deteſtatus*, *exſecratus*, *abominatus eſt*,. non poteſt cum *Latinis* his notionibus, quoad *Originem*, conſpirare, etiamſi uſus ſecundarius congruat. Ab *abigendo* & *expellendo* ductum eſſe hanc poteſtatem, ut ἀποτίμπαξ ad *Abominationem* traductum, alibi commodius aperietur..

Ibid. Secundo opportuniſſime poſitum verbum נקב, *fixit*, *foravit*, *nominatim deſignavit*; itemque *maledixit.* Cl. *Merc.* mallet hic *Rad.* קבב, inductus per *Num.* 23: 8. מה אקב לא קבה אל: & mox *vſ.* 25. Sed duo ibi diverſa adhibentur themata, alterum קבב, cujus *proprietas in murmure crepante*, *increpante*; alterum נקב. *defixit nominatim*, & *tanquam notis compunxit vilipendii* & *abominationis.* Sic malim quam quod *Coccejo* viſum, ab *expreſſim nominando*, per *metonymiam ſynecdochicam*, aſſumtum *expreſſo nomine maledicere.* Vide ſis *Lev.* 24: 11. 15, 16. Cl. *Guſſetius* hic ſimpliciorem uſum *expreſſe nomi-*

9 יחשכו כוכבי נשפו יקו־לאור ואין ואל־יראה בעפעפי־שחר׃

10 כי

9 Horreant caligine ſtellæ crepuſculi ejus: expectet lucem, & nulla ſit; & ne videat palpebras auroræ.

10 Quia

minandi, qui *Num.* 1:17. & alibi extat, tantum reſpexit. Ego *alterum* illum *nominatim figendi*, *defigendi*, *devovendi*, *cum execratione*, ut *adfectu turbido* magis aptum, præferre nullus dubitem, ita tamen, ut *priorem* ſimul amplectar; quod in hoc verbo admodum proclive eſſe, in oculos incurrit. Primigeniam vim *figendi* & *forandi* firmare ſimul & illuſtrare eſt ex *Arabum* نقب, quod eſt κοιλᾶν, & στίζειν; unde omnes metaphoræ *Hebrææ*, *Arabicæ*, *Chaldaicæ*, & *Syriacæ*, prono alveo decurrerunt; qualibet tamen *Dialecto* aliquid ſibi privum, forte, exerente. Etiam *Samaritanæ* & *Æthiopicæ* reliquiæ in eandem *Originem* conſpirant.

Ibid. Tertio העתידים *paratiſſimos*, *promtiſſimos in arte ſua*, ſonare doceant iterum *Arabes*, quibus تعتد في صنعته *paratus fuit in arte ſua*, eſt, تانق *excelluit*, *& quam intentiſſimus fuit in ea exercenda*, ut auctor eſt *Phiruzabadius*. In *Alcor. Sur.* 50: 17. رقيب عتيد, עתיד, *cuſtos paratus*, eſt *promtiſſimus*, *intenſiſſimuſque*. Inſerta hæc conditio *pondus* confert & *decus*, ut *Jer.* 9: 17. poſt מקוננות *præficæ*, ſubſcribitur החכמות *peritiſſimæ quæque*.

Ibid. Quarto nomen *Leviathanis* expendendum. Monſtrum hocce, ſive jam *Niloticum*, id eſt, *Crocodilus*, ſive *Marinum*, id eſt *Balæna*, & quidem illa *ferratam cutem*, *ferratoſque dentes* gerens, quam *Orcam* vocat *Plinius*, ipſo ſono horrorem incutit. Etymon ex *Arabia* jam revocavit ὁ πάνυ in *Hieroz.* p. 2. *pag.* 769, 770. a notione verbi لوى לוה *flecti*, *contorqueri in ſpiras*; unde *Draco*, ſinuoſum animal & in ſpiras volubile; נחש עקלתון dictus *Eſaj.* 27: 1. *Serpens contortuplicatus*. Sic תן eſſet tantum *productio* formæ, non *compoſitio*, quod ex סכלתן, נחושתן, aliiſque ſatis veriſimiliter adſtruit Vir ſummus. Vulgaris opinio fert in תן illo reſidere תנין *Draconem*; dein לוה *addidit*, inferre *Additionem Draconum* & *conjunctionem* quaſi ſub Vaſto corpore unius monſtri. Sciviſſent vellem Viri Docti, qui hæc, & alia, nobis cuderunt, apud Cl. *Vitr.* Comm. in *Eſaj.* 27: 1 ipſum illud *addi*, quod ſub נלוה uſurpatur, eſſe ex *Origine* ſua *circumvolvi*. *circumplicari* ἐμπλέκεσθαι, περιπλέκεσθαι, περιπλύσσεσθαι, ut in illo *Gen.* 29: 34. *Nunc ſane* ילוה אישי עלי *Vir meus mihi* προσαρτύξεται, περιπλέξεται, *indivulſo nexu circumplicabitur & adhæreſcet: indiditque nomen ei* לוי *Levi.* Reliqua nunc perſequi haud vacat. Si ergo quis תן non *productionem* nudam eſſe cenſeret, ſed *Draconem* mallet interpretari, *Leviathan* לויתן ex *compoſitione* eſſet *Tortilis*, *flexuoſus ſerpens*, *Draco*. Apud *Eſajam* illuc alluſum in לויתן נחש עקלתון *Leviathan ſerpens contortuplicatus*. Ibidem נחש בריח, varie tentatum, verti poſſet *ſerpens ominoſiſſimus*, ut ad *Jobi* 26: 13. jam olim præluſiſſe haud pœnitet.

Ibid. Quinto denique formula עורר לויתן *Excitator Leviathanis*, commodiſſime deſignare poteſt *productorem terribilium monſtrorum*. Radix עור *excitari* ſat frequens in *malis*, & *horrendis rebus* ſubito immiſſis. Vide *Jer.* 6: 22. & 25: 32. Forma *Pihel* habes *Eſaj.* 10: 26. עורר שוט *ſuſcitavit flagellum ſuper eum*, id eſt *Cladem atrociſſimam inflixit*. Hinc עורר pro מעורר, *Suſcitans*, vel *ſuſcitator*, ut שובב a שוב; & שורר a שור &c. &c. Notes præterea לילה eſſe *Maſcul. Gen.* ac proinde rite ſtrui לילה עורר לויתן *Nox excitatrix Leviathanis*, pro *dira diriſſimorum malorum matre*, quæ *execratione publica obrui* mereatur.

Vſ. 9. Cumulantur præcedentes *gradus* horroris hocce *quarto & ultimo*, ut *Nox* il-

la *perpetuis denſiſſimiſque tenebris demerſa* & *oppreſſa* teneatur, unde, quantumvis cupiat, nunquam emergere queat. Rite diſtinguendum hoc *membrum*, a ſimili imprecatione *vſ. 6.* explicita: ibi enim *abolitio*; hic *detentio*, ut ſic dicam, tanquam *captivæ*, ſub profundiſſima caligine, intenditur. Hanc grandem & Tragicam imaginem, tribus ſententiis comprehenſam, diſtincte exequamur.

Ibid. Prima eſt, *inhorreſcant ſtellæ crepuſculi ejus.* Dubitatur *crepuſculumne veſpertinum* innuatur, an *matutinum* potius, quia נשף utrumque amplectitur. Neutrum placuit *Mercero*, qui *totius noctis obſcuritatem* intellexit. Venuſtiorem fore adſpectum putem, ſi *duæ extremitates noctis* ita ſibi opponantur, ut hinc ſtet נשף *Crepuſculum Veſpertinum*, cum quo *ſtellæ* incipiunt *apparere*; illinc שחר *aurora*, ad quam eædem *diſparent*. Interim non excluditur *reliquum noctis ſpatium*, ſed ſponte *iiſdem* ſub *tenebris* concluditur; ſenſus quippe huc redit, *Univerſum ſiderum Chorum debuiſſe* jam olim, & in poſterum *debere hanc Noctem*, tanquam *Neſandam*, & Monſtroſam *horrere*, ac propterea *horrentem* quoque *caliginem* induere. Huc collineat & Cl. *Cocc.* *Optat*, *ut ſtellæ crepuſculi noctem illam inchoantes*, *delinquant*, *lucemque ſuam amittant*, *quaſi horrentes noctem diram & infauſtam.*

Ibid. Altera, *Expectet lucem*, & *nulla adſit*, elegantiſſime pingit *Noctem* quaſi *laborantem* & *luctantem* ſub denſiſſimis, quibus premitur, tenebris, quin & *eluctari* conantem. Subtilius anquiritur *Luxne diei* intelligatur, & ſpeciatim *præcurſoris phoſphori*, quo tendit *Coccejus*; an *Stellarum*, quod vult *Mercerus*; an *Lunæ*, pro quo ſtat *Schmidius*, ex medio ſitu inter *Crepuſculum Veſpertinum* & *Auroram* hoc eliciens. Ingenioſius, credo, quam verius: nam vis ſententiæ ſe extendit ad *omnem omnino lucem*, & *vel minimum* ejus *radiolum*, unde unde *adſulgere* poſſit; quando, ut præmiſſum, *Nox* hæc, tanquam dira monſtrorum mater, *horrendis tenebris opprimenda fuiſſe*, atque jiu perpetuum *eſſe*, volventibus annis, inſinuatur: abſque ut eam *vel minima lucis particula colluſtret.* Hæc non *ad literam* exponenda, ſed ſub *figura Tragica*, ſenſus dictat communis: & tamen, neſcio quo pacto, *literæ* nimis adhæſum a ſummis Virorum, quibus *cothurnus Tragicus* ignotus non erat.

Ibid. Tertia, *Neve videat palpebras auroræ*, cum *granditate*, admirabilem exerit *venuſtatem.* Magnificum eſt, ut *Auroræ* dentur *Palpebræ.* ſic *Sophocles* in *Antig. vſ.* 100.

Ἀκτὶς ἀελίου, τὸ κάλ-
λιστον ἑπταπύλῳ φανὲν
Θήβᾳ τῶν προτέρων φάος.
Ἐφάνθης ποτ' ὦ χρυσέας
Ἁμέρας βλέφαρον,
Διρκαίων ὕπερ
Ῥεέθρων μολοῦσα.

O jubar Solis, *pulcherrimum Thebis*, *ſeptem portis ſuperbæ*, *exortum*, *præ quam ante*, *Lumen! apparuiſti tandem*, *O aureæ Diei Palpebra! ſuper Dircæa flumina vadens.* Conſtructionem indicans *Scholiaſtes* notat, ὦ ἀκτὶς τῆς ἡμέρας ὀφθαλμός, *O ſolis radius*, *diei oculus:* vel *O Jubar Solis*; quod ſolenne *Tragicis.* Sic *Eurip. Hecub.* 412. Ἀκτῖνα κύκλον θ' ἡλίου *Jubar & orbem ſolis.* Et *Med.* 1251. παμφαὴς ἀκτὶς ἀελίου *omnia luſtrans Radius ſolis.* Obſerves ibi velim, *ſolem* introduci, tanquam qui cuncta ἐφορᾷ *inſpicit oculo lucidiſſimo*; unde & *Ocellus Mundi* ſalutatur. Videtur autem innuere *Scholion* illud, βλέφαρον a *Sophocle* pro ipſo *oculo* eſſe poſitum, quod cum uſu cothurni iterum eſt conjunctiſſimum. Exiſtimem tamen, quum *ſol* ſit ὄμμα, ὀφθαλμὸς, ἡμέρας, *Oculus diei*, ab *ortu* uſque ad *occaſum*; ejus βλέφαρον magis aptum eſſe *ortui pingendo*, ac proinde *Palpebras* Poëtice transferri ad *primos ſolis orientis radios*, quando jam *expergeſactus* quaſi *Mundi oculus*, *nictare* incipit, ſeque *lucido* ac *tremulo vibramine aperire.* Hoc *Sophoclem* ſpectaſſe ſatis apparet perito Lectori: idemque *Jobi cap.* 41: 9. haud dubie intenditur, עיניו כעפעפי שחר *Oculi ejus ſunt ut palpebræ auroræ*, de *Leviathane*; cui applico illud *Ariſtoph. Veſp.* 1027.

Ἀκτῖνες δεινόταται ἔλαμπον ἀπ' ὀφθαλμῶν.

Habes & *Oculos Auroræ* apud *Apollon. Rhod.* L. 1: 519.

Αὐτὰρ ὅτ' αἰγλήεσσα φαεινοῖς ὄμμασιν Ἠὼς
Πηλίου αἰπεινὰς ἴδεν ἄκριας —— ——

Re-

Reperio audacius adhuc traductum ab *Eurip.* in *Phœniſſ.* 545.

Νυκτὸς τ' ἀφεγγὲς βλέφαρον, ἡλίου τε φῶς,
Ἴσον βαδίζειν, τὸν ἐνιαύσιον κύκλον.

Et Noctis lumine carentem palpebram, & ſolis lumen
Æqualiter orbem circuire annuum.

Niſi quod quum *ſoli* tribuatur βλέφαρον φεγγώδης *Palpebra luminoſa*, opportunam habuerit anſam ad ἀφεγγὲς βλέφαρον, *palpebram haud luminoſam*, *Nocti* attribuendam: & quidem *clauſam* quaſi, ſine *oculo*; qui & φέγγος abſolute, ut in *Hecub. vſ.* 1068. ubi τυφλὸν φέγγος *Cæcum lumen*, pro *oculo occæcato* ponitur, quum præceſſiſſet ὀμμάτων αἱματόεν βλέφαρον, *oculorum ſanguinolenta palpebra.* Hos interim fines non adeo rigide ſemper ſervant poëtæ, nam λαμπρὰ πανσέληνος *ſplendidum plenilunium* apud *Æſch.* in *ſept. ad Theb. vſ.* 396. vocatur

Πρέσβιστον ἄστρων, νυκτὸς ὀφθαλμὸς.

Aſtrorum ſpectabiliſſimum, Noctis Oculus.

Laxiore uſu *Eurip. Iphig. Taur. vſ.* 110.

Ὅταν δὲ νυκτὸς ὄμμα λυγαίας μόλῃ.

Noctis obſcuræ oculum videtur adhibuiſſe pro *obſcuritate nocturna*, ſive *adſpectu* ejus *tenebricoſo*, prout *Æſchylus* in *Perſ. vſ.* 427. uſurpat κελαινῆς νυκτὸς ὄμμα *Nigræ noctis oculum*, pro *ipſa Nocte*. Ex *Græcia* redeo in *Orientem*, unde talia hauſta, ac derivata. Apud *Arabes* العين אלעין ὁ ὀφθαλμὸς, etiam abſolute, in *Camuſo* eſt الشمس او شعاعها *ſol*, *aut ejus jubar radians*. Non debet hic uſus confundi cum altero illo latiore, quo عين الشمس עין אלשמש *Oculus ſolis*, eſt *ſolis corpus*, & *orbis Viſibilis*, prout ὄμμα *omnis rei*, apud *Græcos*, eſt *adſpectus* ejusdem, & *præſentia.* Aliud eſt العين *oculus*, per excellentiam *ſol*, *Mundi Ocellus*; ut in *Hiſt. Tamerl.* بزوغ العين *oculi emicatio* ponitur pro *ſolis exortu.* Iſti *oculo* dantur *Palpebræ* & *Cilia*, quæ حَوَاجِبُ appellantur, quod eſt *plur. fr.* ab حَاجِبٌ *velans* omne, & *præſepiens*; unde حاجب العين φάρος ϗ βλέποντος, βλέφαρον, *Cilium* ſive *folliculus* & *tegmen oculorum*, cum *ſuis* ſibi *palpebris*, id eſt, *pilis*. In *Lex. Goliano* dicitur eſſe *ſupercilium*, quod eſſet ὀφρὺς: minus accurate. Ibidem حواجب الشمس exponitur *Tractus Solis*, quod item minus clarum; nam *Radii* intelligendi ſunt hinc illinc *emicantes e nubibus*. Hos *Gjauharius* deſignavit, producta hac Gloſſa وحواجب الشمس نواحيها *Et Cilia ſolis ſunt Radii ejus intermicantes.* Videtur oculum intendiſſe in illud principis *Hudeilitæ*, amicam ſuam dilaudantis in *Diw. Hud.*

بيضاء صافية المدامع هولة
الناظرين كدرة الغواص ✡
كالشمس جلباب الغمايم دونها
فترى حواجبها خلال خصاص ✡

Candida, clara oculis: miraculum
Videntibus; ut margaritum urinantium.
Ut ſol, quin imo, *cui peplum nubium prætenditur:*
Dum palpebræ ejus per medias videntur rimas.

Alia forma in *Camuſo* extat حجاب الشمس *Cilium, palpebra ſolis*; pro ضوءها او ناحيتها *Lumine ejus, aut radio intermicante.* Unum tantum addam ex *Scholiaſte Harir.* qui ad *Conſ.* 5. verba iſta لما ذر قرن الغزالة *Quum emicuiſſet cornu Dorcadis*, declarat, حاجب الشمس وشعاعه والغزالة من اسما الشمس *palpebræ ſolis & ejus radii emicantes. Dorcas enim inter nomina*

mina eſt ſolis. Ut ergo קרן قرن *cornu* figuram præbet *radiationis*, ac præſertim adplicatur ad *jubar* primulum *exoriens*, ſeque *exerens* ſupra terras: ita حواجب *palpebræ ſolis* proprie *emicantes* ad Auroram *Radios* depingunt, quamvis uſus quoque ſeſe explicet ad *omnem ſplendorem ſolarem*, *rimas* nubium *intermicantem*.

Ibid. Inſigni *Schemate* dictum, *Nec videat Nox iſta* &c. prout præcedens membrum *eandem* induxerat *deſiderantem*, & *quaſi anhelantem*, ut ex *graviſſima caligine*, ſub qua *Captivam* conſtringi vult, eluctaretur. Eſt autem duplex vis ſtructuræ ראה ב, quæ vel *ſimplicem* infert *adſpectum*, vel *jucundiorem* quoque illum *fruitionis*, ut *Eccl.* 2: 1. ראה בטוב *Fruere bono:* & *Eſaj.* 66: 5. נראה בשמחתכם *Videbimus lætitiam veſtram.* Non tantum *videbitur* ea; ſed *læti* eam *adſpiciemus*, eaque *ſimul fruemur.* Ex *ſimpliciore* illo *uſu* omnes, *Nec videat palpebras auroræ*; *nulla ei aurora illuceſcat:* venuſtior tamen forte *alter*, *Nec fruatur palpebris auroræ*, ſenſu vel plane eodem, vel & cumulatiore, qui eſt, ut *Aurora mundo adfulgente*, hæc tamen *Nox nullam* inde *auram* percipiat conſolationis, *nullo radiolo* recreetur, ſed *horrore* & *tenebris ſempiternis obruta maneat.*

Ibid. Hæc omnia, tandem, cave revoces ad *rigorem literæ*, quam prementes Viri Docti, in *cavillatiunculas* inciderunt. Tale illud Cl. *Schmidii*, qui receptam expoſitionem improbans, *ne videat palpebras auroræ* miro ſenſu accepit, *ut nocti huic ſuccedat quidem dies*, *ſed ſuccedat ſine aurora: atque hoc pacto huic nocti ne mica quidem lucis contingat*, *ob occaſu ſolis uſque ad ejus plenum exortum*, *quod eſt integrum noctis ſpatium.* Hæc minuta, nec Adfectui vehementiori congruentia. Sciendum inſuper, לילה *noctem*, in quam *vſ.* 6. imprecatio ſuſcipitur eſſe νυχθήμερον: ut יום *dies vſ.* 3. etiam νυχθήμερον complectebatur. *Noctis* tantum appellatio ad *decorum* aſſumta, & ad *gratam varietatem*, quod ex univerſa, quam præſtruximus, ſerie, abunde colligere eſt. Ergo, ſecundum *Literam*, *nox* hæc utique *ſuam* debuit habere *Auroram*, quandoquidem *Diem* quoque comprehendit: ſed *Jobus* nunc optat *Diem* ei non eſſe *Diem*, quin *meridiem ejus meras* eſſe, *tenebras*, quibus æternum clauſa & captiva teneatur; quas jam *tenebras* non *literaliter* poſſe capi ſenſus communis nemini non dictat. Commodiſſima ad hanc mentem eſt verſio, *ne fruatur palpebris auroræ*; quamvis & prior ad eam ſeſe accommodari patiatur.

Ibid. Nec dum manum de tabula tollere licet: habeo enim adhuc, quod *univerſæ* huic *execrationi*, in *noctem conceptionis incumbenti*, magnam adfundat lucem, phraſeſque duriores, noſtris quidem auribus, mollire queat. Nempe longior hæc ſeries texta eſt, ad depingendam, quam vocant *Arabes*, لَيْلٌ لَائِلٌ *Noctem noctantem*, ut verbo ficto utar, vel *Noctoſam*; aut *forma fœm:* لَيْلَةٌ لَيْلَاءُ *Noctem Noctoſiſſimam*, a *Maſc.* لَيْلٌ أَلْيَلُ qua formula conſignant vel proprie, *Noctem Longam*, *illunem*, *tenebroſam* plane: vel improprie, *Dies infortunatos*, *tempora infauſta* & *infeſta*. Prioris uſus unum promam exemplum ex *Harir. Conſ.* 15. *Narravit Harith Hemmamides*, *Vigilavi Nocte quadam nigro prædita peplo*, *imbribuſque pluvioſa*, *multo triſtius quam vigilat amator a foribus repulſus: ſic ut optarem*, *ob ægritudinem qua adfligebar*, *ut mihi confabulator contingeret egregius*, ليقصر طول ليلتي الليلاء *qui longitudinem Noctis meæ Noctoſiſſimæ redderet breviorem.* Hinc alterum uſum *improprium* ſponte enaſci palam eſt: ut enim *Nox* pro *tempore calamitoſo*, paſſim obvia, ſic *Noctem Noctoſiſſimam* ad *formidoloſiſſima* quæque *tempora* traducere pronum. Hac occaſione *Jobus Noctem conceptionis ſuæ*, ſibi *Noctoſam* vere, id eſt *Calamitoſam*, fuiſſe ſtatuens, in eandem invehitur, atque ut *Prodigialem*, ac plane *abominandam* expingit, quæ nec *meruerit* ratione *præteriti*, *ullo lumine colluſtrari*, & reſpectu *futuri*, *perpetuis tenebris condi* ac *ſepeliri* mereatur. Hic *adſpectus* exiſtit, ſi omnes formulas cum relatione quadam ad *Literam*, quamvis non ad *Rigorem literæ*, quod abſonum, interpretemur. Intra hunc tutiſſime forte ſubſiſtetur, quippe qui ſatis reſpondeat *Adfectui Jobæo.* Non poſſum tamen quin aperiam *alteram* adhuc *faciem*, ſenſumque ex *figurata* phraſium *poteſtate* redundantem. *Inhorreſcant Stellæ crepuſculi ejus*, exempli cauſa, ex grandiloquentia Orientali poteſt uſurpari

10 כי לא סגר דלתי בטני ויסתר עמל
מעיני׃

11 לָמָּה

10 Quia non obſtruxit valvas ventris mei; ſecluſerit ærumnam ab oculis mei.

11 Qua-

pari pro *Quicquid jucunditatis* aut *ſpei adfulget*, *in deſperationem convertatur & horrorem.* Sic partem hujus ſententiæ figuravit *Eſajas Cap.* 21: 4. את נשף חשקי שם לי לחרדה *Crepuſculum deſiderii mei poſuit mihi in tremorem.* Similiter, *Deſideret lucem nec uſpiam adſit*, poſſe transferri, quilibet cernit. Non major difficultas poſterioris membri, *Nec fruatur palpebris auroræ*; nemo enim ignorat *Auroram* ſublimiore ſtylo, adhiberi pro *initio lætioris fortunæ*: itemque *ſolem*, ejuſque *Radios*, ac *jubar*, exhibere emblema *Felicitatis* ac *Splendoris.* Hinc jam tandem cumulatiſſimus hicce emergeret *adſpectus*, *Nocti*, quæ *Jobum* ſenſit *conceptum*, incumbere debere publicam execrationem tanquam *Noctoſiſſimæ*, & *Feraliſſimæ*, quippe quæ *iris dirisque cœleſtibus contacta*, non poſſit, non debeat, particeps eſſe ullius *lætioris ſortis* ac *fortunæ*; ſed tam *fatalis* fuiſſe deprehendatur, tamque ἀποφράς *Nefaſta*, ut *Spem* omnem *eventus* alicujus *Proſperi* excludat, & abſcindat. Hoc cum *Hypotheſi*, qua *præteritum* ſimul & *futurum* complector, pulchre concinere, non eſt quod pluribus declarem.

Vſ. 10. Cauſa ſubnectitur *imprecationum*; circa quam dubium incidit, ad *Noctemne* reſtringenda ſit, an ad *Diem* quoque extendenda. Qui utramque appellationem ad *Natale tempus* retulerunt, non *Noctem* tantum, ſed & *Diem* amplecti coguntur: quando *Jobum* ſupponunt dubium, moraſne uteri *de die* ſolverit, an *de Nocte.* Qui nobiſcum *Noctem conceptionis* diſtinxerunt a *Die natalitio*, facile ſenſerunt aptiſſimam eſſe formulam *præcluſi uteri*, ad *negatum* ac *præpeditum* ipſum *conceptum.* Ex *Gen.* 20: 18. עצר רחם *occluſit uterum*, eo ſenſu produxit *Coccejus*; nec non contrarium פתח רחם *aperuit matricem*, *Gen.* 29: 31. Habes eandem plane phraſin 1 *Sam.* 1. 5, 6. סגר בעד רחם & סגר רחם *obſtruxit Matricem*; ut dubium eſſe nequeat, quin ad *Noctem conceptionis teſtem*, vel *unice*, vel *potiſſimum* verba hæc dirigantur. *Potiſſimum* addidi, quia non omnino incommode ad *Diem* quoque extendi poſſent verba, ſic concepta ut *Obſtructionem uteri*, & in *ſatu*, & in *partu*, ſumma ſponte admittant. Nemo utique negaverit *Uterum Obſtructum* appellari quoque poſſe eum, qui *fœtum* non *emittit*, *in dias luminis oras*, ſed *excutit*, & *per abortionem extinguit.* Hoc votis *Jobi* immiſtum fuiſſe ſequentia declarant. Conferatur quoque *Jerem.* 20: 17. unde *Gravior* adhuc *figura* tunc elici poſſet.

Ibid. Ad prius colon porro obſervetur *phraſin* eſſe *Poëticam* דלתי בטן *Valvæ uteri.* Infra *Cap.* 41: 6. דלתי פניו *Valvæ vultus & Oris*, ſunt πύλαι στόματος, ut *Eurip. Hippol.* 813. Eadem granditate figurantur πύλαι γαστέρος, quæ & *abſolute* דלתים *Job.* 38: 10. ubi *mare* comparatur *Embryoni valvis uteri incluſo*, ut patet ex ſequenti רחם, ut adeo in iſto contextu דלתי רחם *Valvæ uteri*, natura junctæ, disjungantur arte, ad ornatum & gravitatem orationis. Terminatio *Dualis* דלתים offert *Valvas bipatentes*, quod grandiſonum, & mirifice aptum huic ſcenæ. Adfixum in בטני *Venter meus*, ita præſtrinxit aciem *Aben Eſræ*, ut ad *Umbilicum Jobi* detorſerit, quod *Utero Materno* unice conveniebat. Nil tritius omnibus in Linguis, quam ut *Pronomina* non *Active* tantum, ſed & *Paſſive* adhibeantur. חמסי *injuria mea*, eſt aliquando *quam patior*: ut *Gen.* 16: 4. *Jer.* 51: 34. &c. Iterum דמי *Sanguis meus*, partim, *fuſus a me Cædente*, partim, *in me Occiſo*: prius habes *Jobi* 16: 18. Poſterius *Jud.* 9: 24, Item צעקתי *clamor meus*, ibidem apud *Jobum*, eſt, non *quem ego edidi*, ſed quem mea *oppreſſio aliis expreſſit*: ut *Gen.* 19. 12. גדלה צעקתם *Magnus factus eſt clamor eorum.* Aliquando in talibus obhæretur; ut ידי *Manus mea Pſ.* 77: 3. male ſumta de *manu propria*, quum ſit *Dei manus & plaga Aſapho impoſita.* De verbo סגר teneatur, *proprietatem* ejus ſitam eſſe in *obſtructione* quæ

fit:

11 Quare non ab utero mortuus ſum? e ventre egreſſus mox expiravi?

11 למה לא מרחם אמות מבטן יצאתי ואגוע׃

12 Qua-

12 מדוע

fit *Clauſtro*, & *obicibus*; quæ *Origo* quam plurimis in locis attendenda; neque ſane heic negligenda.

Ibid. Aliquantulum negotii præbet ſtructura alterius coli. Plerique ויסתר accipiunt pro ולא יסתר *& non abſcondidit moleſtiam ab oculis meis.* Dantur exempla ſic omiſſi לא, ἀπὸ κοινοῦ repetendi. Non invenuſto tamen flexu *Coccejus*, *Abſcondiſſet enim moleſtiam ab oculis meis.* Id magnopere adblanditur, ſerie ſic, puto, digerenda, *Quia non obſtruxit Valvas uteri mei: & ſic abſcondidit moleſtiam ab oculis.* Sed, ut par eſt, quiſque ſuo in ſenſu abundet.

Ibid. Majoris momenti erit, ipſam *Formam loquendi* enucleaſſe; raram ſane, &, dixerim ferme, paradoxam. *Abſcondere*, *Velare moleſtiam ab oculis.* Vulgo ajunt *abſcondere* hic eſſe *amovere*, *avertere*; & citant ſimilem uſum *Job.* 33: 17. *Superbiam a viro abſcondit:* יכסה, i. e. *removet.* At aliud ibi reſidere, in loco tradam. Eandem plane formulam reperio *Eſaj.* 65: 17. *Oblivioni datæ ſunt anguſtiæ priores*, & נסתרו מעיני *abſconditæ ſunt ab oculis meis.* Ad phraſeos lectiſſimæ decus pandendum, obſervo, *Hebræos* habuiſſe quam plurima verba *abſconſionem* ſignantia, in quibus omnibus peculiaris *proprietas* ſeſe exerat: ut צפן a *loculo*, עלם a *ſigillo*, alia aliunde. Noſtrum סתר *proprie* erat *obtexit velo*, *velavit*; *velo oppanſo occultavit.* Id ſuſpicionem alicui movere poſſet *Hypallages*, qua *velare moleſtiam ab oculis* poſitum foret pro *velare oculos a moleſtia videnda*, הסתיר עיניו מעמל. Utique הסתיר פניו *Velare faciem ſuam*, *ſub velo condere* habes *Eſaj.* 54: 8. & 59: 2. & 64: 6. & *Pſ.* 30: 8. ubi eſt *lumen vultus ſubtrahere*, ſeque *iratum* oſtendere *judicem vindicemque.* Alio adſpectu *Pſ.* 51: 11. הסתר פניך מחטאי *Abſconde*, *vela faciem tuam a peccatis meis*; id eſt; *Noli ea acri notare oculo, atque in lumine vultus tui collocare ſedens pro Tribunali, ſed ſinas velum intercedat.* Ad eam rationem dici potuit, debuitque adeo, vivente Lingua *Hebræa*, הסתיר עיניו מן דבר *Velavit oculos ab aliqua re*, i. e. *eam non adſpexit*; quod & inverſo ordine enunciatum videtur הסתיר דבר מעיניו *Velavit rem ab oculis*, *rem* penitus *ab oculis ſecluſit & abdidit*; non tam per *Hypallagen*, quæ precario aſſumi ſolet a *Grammaticis*, ubi aliquid minus protritum occurrit, quam per *jucundiorem* aliquem *flexum*, quo *velari*, *velo abſcondi*, dicitur *res ipſa ab oculis*, quæ *plane e conſpectu tollitur & aboletur.* Iſtam *emphaſin* agnoſces facile *Eſaj.* 65: 17. nec heic loci abnues, non enim ſimpliciter *moleſtiam ab oculis ſuis fore averſam* innuit *Jobus*, ſed *plane ſecluſam*, quaſi *interjecto velo*, quod *prohibuiſſet*, ne *oculi* ipſi *doluiſſent*; i. e. *miſerias ſentire* coactus fuiſſet *acerbiores.* Alluſum præterea ſuſpicor in pulchra formula ad phraſin *Arabibus* perfamiliarem سخنت عينه *incaluit oculus ejus*, de eo qui *male uritur*, & *acerba experitur*, *non ſine lacrymis calidis.* Sic *caleſcenti & inflammato oculo* prætenditur *linteum*, pannus, *velum*: atque ita עמל *moleſtia diſcrucians arcetur.* Hocce *velum* applicare licet ad *mortem & interitionem.* Arceſſitum dices & audax: ſed en geminum germanum *Jobi* 14: 9. *Utinam* בשאול תצפנני *in inferno me reconderes*, *tanquam in loculo abdito*; תסתירני *Meque velo abſconderes*; *donec ſedaretur Naſus tuus.* Ibi *vivus* optat *abſcondi ſub velo inviſibilis* cujuſdam *conditionis*; ubi nullæ eum miſeriæ poſſent attingere. Hic *ſimili velo ſe tutum futurum fuiſſe* innuit ab omnibus ærumnis, nec *natus*, nec *conceptus* unquam. Orientalem genium periti facile animadvertent in hoc *Schemate*, nec audaciam ejus in Libro noſtro mirabuntur.

Vſ. 11. Incipit hic ſecunda pars Capitis; ad *vſ.* uſque viceſimum excurrens, in qua inſinuat *Jobus*, maluiſſe ſe inde *a primo exitu ex utero* matris *extingui*; vel & *in eodem deflue-*

12 מרוע קרמוני ברכים ומה־ שרים כי אינק׃

13 כי־עתה שכבתי ואשקוט ישנתי אז ינוח לי׃

14 עם־

12 Quare me officioſa exceperunt genua? & quid ubera, ut ſugerem?

13 Nam nunc recubarem, & tranquillus ſubſiderem: dormirem, dolor bulliens conquieſceret mihi.

14 Cum

fluere, atque *aboriſci*. Hoc votum nihil habet, quod non gravior miſeria Mortalibus, æſtuante dolore, exprimere ſoleat; qui *Jobo* etiam, intenſius ſæviens, ſuggeſſiſſe videtur iſtam cum *copiam*, tum *vehementiam locutionum*, quibus votum hocce amplificatur.

Ibid. Anceps eſt prius illud, *Quare non ab utero mortuus ſum*? quod *Mercero*, *Coccejo*, aliiſque, eſt *in Utero ipſo*, ſive *inde ex quo eram in Matrice*. Favet ſimile *Jer.* 20: 17. *Quod non necavit me ab utero*; *ut mater mea fuerit ſepulcrum meum*; *ejuſque uter* fuerit *gravidæ in æternum*. Sic *Bimembris* foret oratio, quam plerique uno membro claudunt. Non dixerim cum Cl. *Schmidio* id *Hebraiſmum* haud pati, nam præter locum *Jeremiæ*, qui forte aliud admittere poſſet, τὸ מרחם ſic uſurpatur *Pſ.* 22: 11. & 58: 4. Eſt etiam levius, quod idem Vir Doctiſſ. obmovet ex prægreſſa jam *execratione diei natalis*, quo nihil aliud dixiſſet *Jobus*, quam ſe *ex utero non debuiſſe egredi*, ſed *in eo interire*. Id, meo judicio, cavillationem redolet; percommode enim rogari poteſt, poſt *imprecationem* in *diem nativitatis*, qui infeliciſſimum *fœtum in lucem protraxerit*, cur non potius vel *ante*, *in utero adhuc hærens*, vel ſtatim *poſt male fauſtam* iſtam *Lucinam* fuerit extinctus? Hanc viam interpretationis præferre jubet auctum ſic orationis pondus: itemque commodior tunc *Vſ.* 16. connexio & explanatio. Subtile nimis eſt acumen *Raſchii*, *in* ipſo *partu ſtantem* concipientis *fœtum*; nam מרחם *ex utero* ſubaudiendum linquit *egreſſus*, non *egrediens*. מות *Mori* proprie eſt *maceratione diſſolvi* مات & مات. Alterum גוע *exſpiravit*, eſt inter ὀνοματοπεποιημένα, exprimitque nobis ipſo ſono *deficientem* & *exhauſtum*, ore aperto, *ſpiritum*, præ *laſſitudine*, potiſſimum, & *inedia*, quam vim *Lingua Arabica* ſub جاع

med. *Vaw* aſſervavit.

Vſ. 12. Duplex patet via verſionis ex *tranſitivo* & *intranſitivo* uſu, verbi קדם, quod eſt *obtulit* partim, partim *occurrit*. Si prius ſequamur, hic erit adſpectus, *Quare me obtulerunt genua*, nempe *Patri*, ut in primis Animadverſ. ſubmonui. Magis tamen nunc arridet poſterius, *occurrerunt mihi genua*, quod *Coccejus* habet, vel potius *prævenerunt me*, & *exceperunt*, quod *Schmidius* dedit; & quidem *officioſe*. Hanc vim *officii* ſæpe induit verbum noſtrum apud *Arabes*, in قَدَمَ & قَدَّمَ; eandemque agnoſces *Deut.* 23: 5. לא קדמו אתכם בלחם *Non occurrerunt vobis cum pane*. *Eſaj.* 21: 14. *Pſ.* 21: 4. &c. &c. *Officioſa* autem hæcce genua, vel *obſtetricis* eſſe poſſunt, quibus *a Matre cadens* ſtatim fuit *exceptus*, *lotus*, *fotus*: vel *Nutricis*, quam colon ſequens pingit *ubera admoventem* tenello.

Vſ. 13. *Mortem* eſſe velut *portum*, quem quantocyus invehi præſtet, quam diu inter fluctus & ſcopulos hujus vitæ jactari, nemini non ſanior philoſophia, ac ratio, dictat. Notiſſima in eundem ſcopum imago *ſomni*, quo *obdormiſcere* & *conſopiri* ſuavius ſit, quam laboribus & curis macerari. Præſertim autem tales ſimilitudines ſeſe offerunt miſeris, qui quo gravius dolorum ſævit æſtus, eo vividius *his picturis* ut ſic dicam *illuminandis*, inſiſtunt. Ex hoc fonte derivanda eſt iſta congeries, qua *jucundiſſima Mortis quies* hic depingitur, quatuor verbis *Synonymis* ferme, gratam tamen *gradationem*, cum illuſtri figura, adferentibus. Cl. *Coccejus*, veritus forte ne nimia foret vocum cognatarum accumulatio, ita ſententiam bimembrem circinavit. *Nam ſi cubuiſſem*, *quietus eſſem*: *ſi obdormiviſſem*, *tum requies eſſet mihi*. Aliquid etiam ad hanc membrorum partitionem contuliſſe ſuſpicor voculam אז, quæ ſic rotundiorem præbet ſenſum; ſatis ſane elegantem; quo tex-

tum enervari nollem dixiſſet *Schmidius*, minus æquus *Coccejo* & noſtris, quam par eſt. Malim tamen iſtam quam dixi *congeriem*, & *quatuor verba gradatim increſcentia*, quæ magnitudo adfectus *Jobo* ſuggerebat.

Ibid. Primum eſt שָׁכַבְתִּי, *Decumberem nunc.* Tritiſſimum id in *decubitu quieturi*, *ſomnumve capturi. Eſaj.* 56: 10. שֹׁכְבִים אֹהֲבֵי לָנוּם *Recubantes*, *amantes dormitare.* Item *Prov.* 3: 24. שָׁכַבְתָּ וְעָרְבָה שְׁנָתֶךָ *Decumbes*, *& dulcis erit ſomnus tuus.* Hinc pulchre transfertur ad *Mortem*, quam qui obiit, dicitur ſignata formula *decubuiſſe cum patribus ſuis.* Habes & *Pſ.* 88: 6. שֹׁכְבֵי קֶבֶר *Decumbentes ſepulcri*, pro *in ſepulcro.* Hæc cuivis obvia produxi ad *Originem* thematis שׁכב iſta occaſione pandendam, a *fundendo*, *profundendo*, quod *Arabibus* eſt سكب, nam qui *cubat*, *recubat*, *decumbit*, ſive *capturus* quietem ſomni, ſive jam *capiens*, quaſi *fuſus jacet*; *manibus*, *pedibus corpore toto profuſus*, ac *reſolutus.* Sic *Latinis* elegantiſſime *fundi* eſt *jacere humi*, & *fuſus*, *adfuſus*, *effuſus*, *profuſus*, ad hunc *habitum cubantis* vel in *herba*, *lectove molli* delicatius, vel in *terra* incurioſius, apud probatiſſimos auctores applicari amant. Hæc alias, ſi tanti ſit *Origines* Radicum, & *Nativas* earundem *proprietates* inſpexiſſe.

Ibid. Alterum שָׁקַט *Quieſcere*, *tranquillus eſſe*, judice *Coccejo*, proprie valet *ſine commotione eſſe.* Sic tamen quid differat a ſequenti נוּחַ item *quieſcere*, ut & שָׁלוּ *tranquillum eſſe*, quæ junctim habebimus *vſ.* 26. infra, nunquam quiſquam enucleatum dare poterit. Nos ibi commodius oſtendemus שָׁקַט eſſe *ſidere*, *ſubſidere*, atque ita ex *commotione turbulenta* ad *liquidam tranquillitatem* redigi. Iſtam imaginem apprime hic quadrare non eſt quod moneam. Sentitur quoque major *gradus*, & *incrementum quietis*, poſt שׁכב *fuſum jacere*, *cubare.* Non auſim dicere cum *fuſa ſidere* ſoleant, illuc quoque alluſum: idque *argutius* quam ſolidius fere exiſtimarem.

Ibid. Tertium יָשֵׁן *dormire*, *obdormiſcere*, *ſoporari*, notiſſimum eſt in iſta *ſecundaria* poteſtate: ignotum in *primaria.* Non liquet etiam quomodo יָשָׁן ſub hac Radice *Veterem* deſignet; *recenti* oppoſitum. *Dormio* quaſi *dermio* ἀπὸ τῶν δερμάτων *a pellibus quibus incubabatur* creditur eſſe ductum. *Sopor* unde deſcendat non invenio, nam nec ὕπνος ſatis commodum, nec ſane סוּף *Soph*, *finire*, quod *ſopore finiantur actus corporis.* Nollem talia arriſiſſent noſtro *Voſſio*, propter quæ *Etymologicum* ſtudium, quod immenſum quantum Viro Magno debet, ſuſpectum eſt multis. Cum יָשֵׁן concinit *Arabum* وسن *coepit dormire*, *proclivis in ſomnum factus eſt.* Plus eſt quam نام נוּם. *dormitare*, nempe *addormiſcere*, & *jam ſopore ſuffuſis ſenſibus oculisve in ſomnum labi.* Iſtam *ſenſuum animique offuſcationem conſervat* eadem Radix وسن, notans *animo linqui*, vel *deficere ex halitu craſſiore* vel *putei*, & *aquarum*; vel alterius *vaporis.* Idem notat & يسن, nec non اسن, unde ſatis ſpecioſa exiſtit *Origo Soporis* שֵׁנָה, *offuſcationis* quaſi *ſenſum ſui adimentis.* Ab eadem *offuſcatione* prona quoque notio *vetuſti.* Sed hæc latius in *Originibus Hebræis.* Nunc verbulo adhuc *gradatio* indicanda. Nempe τῷ שׁכב *decumbere* ſubnectitur שָׁקַט *ſidere*, *æſtu curarum ſedato reſidere ac requieſcere.* Sequitur deinde יָשֵׁן *obdormiſcere*, & *ſomno profundo conſopiri.* Ad *mortem* traducitur quoque hoc verbum *Dan.* 12: 2. ubi ſimul notabis *Dormire in pulvere terræ* non tantum de *probis* dici, verum etiam de *improbis.* Addatur *Jer.* 51: 39. יָשְׁנוּ שְׁנַת עוֹלָם *Dormient ſomnum æternum.* Minus recte ergo ad *beatæ reſurrectionis* ſpem fidemque hæc a nonnullis applicantur: quibus ſequentia quoque parum favent, omnes in univerſum functos complexa. Ne *Reſurrectionem* quidem *mortuorum in genere* credidiſſe *Jobum* ex hoc textu evidenter ſatis adſtrui videtur; nam & Gentiles ab hac fide alieniſſimi iſtam tamen Figuram adamarunt; atque *Mortem* cum *Somno* & *Quiete* compararunt. *Homer. Iliad.* 14: 483.

—— Πρόμαχος δεδμημένος εὕδει.
Ἔγχει ἐμῷ —— —— ——

Sophocl. Elect. 510.

Εὕδει

Εὖτε γὰρ ὁ ποινηθεὶς
Μύρτιλος ἐκοιμήθη.

Quibus in locis ad *Necem Violentam* quoque locutionem ſeſe porrexiſſe obſervabis, ut in illo Poëtæ.

Olli dura quies oculos, & ferreus urguet
Somnus: in æternam clauduntur lumina noctem.

Quod expreſſum ex *Homer. Iliad.* 12: 241.

—— —— κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον.

Plerumque tamen verba Κοιμᾶσθαι & Εὕδειν, ſic traducta, adferunt *requietem*, & *miſeriarum levamentum*. Inſtar omnium ſit *Eurip. Hipp.* 1385.

Πῶς δ' ἀπαλλάξω βιοτὰν
Ἐμὰν τῶδ' ἀναλγήτου πάθους;
Εἴθε με κοιμάσειε, τὸν δυσδαίμονα,
Ἅιδου μέλαινα νύκτερός τ' ἀνάγκη.

Æquidem perſpectiſſimum habeo ſacros ſcriptores ſæpe his phraſibus inſinuatum ire *ſpem reſurrectionis*, ſed qui ubique locorum id intendi putat, & *Criticus* eſt infelix, & *Theologus* non nimis felix. *Jobo* interim fidem hanc alta mente fixam ſediſſe alibi ſic confirmaturum me ſpero, ut cavillationi nullus relinquatur locus. Merum utique cavillamentum eſt, quod hic annotare viſum Cl. *Clerico*, *Jobum ſi ea ſenſiſſet, quæ ſentimus, dicturum ſuiſſe, corpore terræ commiſſo & ſoluto, mens mea apud Deum quieſceret.* Nulla ſervitus gravior, quam quæ ſervitur Hypotheſi. Ex ſua Theologia *detrahere* debebat Vir Doctiſſ. *Jobo cognitionem Vitæ futuræ.* Ad hoc efficiendum fidiculis utitur, & ut ſupra *Adfectus æſtuantis verba*, ita hic *popularem ſermonem*, ex eodem *adfectu* prolatum, torquet, ac ſi cum ſaniore *Philoſophia*, ac *Theologia*, talia conſiſtere non poſſent. In *Pſychopannychitarum* caſtra ſic tandem *Chriſtianis* eſſet commigrandum, quum hæ formulæ æque in N. quam in V. Teſt. occurrant.

Ibid. Quartum נוח *conquieſcere* conſtructionem habet minus planam cum præced. אז, ad quam expediendam aſſumitur vis *impersonalis*; *Tunc quies foret*, vel *fuiſſet*, *mihi*; quaſi אז ינוח לי poſitum eſſet pro אז אנוח. Simillimum *Eſaj.* 23: 12. גם שם לא ינוח לך *Etiam ibi non erit requies tibi.* Cl. *Cler.* nimium ſibi indulgens ינוח vel *nomen* eſſe credit, vel corrigendum מנוח *Requies.* Cl. *Schmidius impersonalia* non ferens, apud *Eſajam* ſubaudit עושק *oppreſſio non quieſcet tibi*, heic loci ex *vſ.* 10. עמל *Atque adeo quieſceret mihi ærumna.* Id paucis puto arriſurum. Succurrit quid commodius & luculentius; quod non poſſum quin examini Eruditorum ſubmittam. אָז *Tunc*, deſcendit a *Rad.* אזה, *Chald.* אדה unde אֲדַיִן *forma plurali. Arabice* in *ſing.* اذ *caſu Genitiv.* & اذاك *Tunc tibi*, in *Accuſat:* Ut autem olim in *Lingua Hebræa* viguit אזה, ei ex *Arabia* reſtituendum, ſic nulla ratio videtur dubitandi, quin viguerit & אזז, quod item ope *Arabum* vel *Sorori*, vel *Matri* poteſt reſtitui ad hunc textum nova luce augendum. Hujus thematis notiones ſic pandit *Camus*, أزت القدر تؤز وتئز ازا وازيزا وازازا اشتد غليانها والنار اوقدها والشي حركه شديدا אזז *de olla uſurpatur, cum fut: duplici, & infinitivo triplici; quum vehementius bullit; nec non ſuccendit ignem; remque omnem vehementius commovit.* Ejus derivatum أزّ אז, contractum ex אזז, generatim complectitur *bullitum*, *æſtum*, *commotionem vehementiorem*; ſpeciatim autem ſignat in eodem *Camuſo* ضربان العرق ووجع في جراح ونحوه *Æſtum pulſantem venarum; & dolorem in vulneribus aliiſque.* Hanc ſignificationem apprime hic quadrare quilibet cernit; & videri poſſet *Jobus* digitum intendiſſe in *æſtum* illum *bullientem corporis* ſimul, animique, qui cum maxime nunc *ſuccenſus ſæviebat*, eique hæc ipſa *verba æſtuantia* ex ore extorquebat. Ideo adſpectum hunc ſenſumque in verſione *repræſentare* auſus fui. Nil tamen pugno: & facile patior אז uſu receptiſſimo retineri; Verbo ינוח *impersonaliter* accepto, & quidem *illuſtriore* adhuc *figura* ei ſubjecta;

14 Cum Regibus, & Conſiliariis terrae: qui ædificant deſolatas ſibi vaſtitates.

14 עם־מלכים ויעצי ארץ הבנים חרבות למו :

15 Aut

15 או

a *ſtatione quieta*, vel *ſtabuli* ac *manſionis*; vel *portus*; vel alterius *ſedis commodæ*, & *tranquillæ*. Hanc proprietatem exerunt derivata מנוח, & מנוחה; quæ etiam transferri poſſunt ad *Mortem* tanquam *portum miſeriarum*, *ſtationemque*, ac *manſionem ſecuram mortalium*. Ita *vſ.* 16. mox habebimus, *ibi* ינוחו *manſionem quietam obtinent feſſi virium.* Conferatur *Jeſaj.* 57: 2. *Dan.* 12: 13. Ex hiſce autem *quartum gradum*, *cumulumque* hujus *congeriei* ſic exhibeo. *Tunc quieta fuiſſet ſtatio mihi.* Conſimiliter *Eſaj.* 23: 10. *Ne ibi quidem quieta tibi ſtatio continget.*

Vſ. 14. In Nexu hujus verſiculi, & ſequentis, inveniundo laboratur. *Doctiſſ. Merc.* autumat *Mortis conditionem æqualem* inſinuari, *Regum turres pauperumque tabernas æquo pede pulſantis*; obiterque ſimul *taxari ambitionem Regum*, & *Conſiliariorum terræ*, qui *ſumptuoſe* & *ſuperbe ædificare ament*, in *locis deſertis* & *incultis* præſertim, ut *nomen* ſuum *reddant immortale*. Cl. *Cocc.* ſtatuit *tacitam* removeri *objectionem*, quod ſi *ab utero mortuus* fuiſſet, *caruiſſet* vitæ *bonis*, quibus uſus fuerat. *Negare* ergo *Jobum* hæc *eſſe bona ſolida*, ſive *honor* ſpectetur *ſummus*, in *titulis principalibus*; ſive *voluptas maxima*, in *domibus ædificandis*: ſive *divitiæ opeſque* &c. &c. Hiſce enim *bonis* omnes *in morte ſpoliari*, & qui eis *nunquam uſus* ſit, *non minus tranquillum* eſſe, quam qui omnia iſta poſſederunt. Cl. *Schmidius* ſic nectit, *perinde futurum fuiſſe Jobo*, ſi modo *quieſceret*, ubi & cum quibus *jaceret*; cum *Regibusne* ſplendidis, an cum obſcuris *abortibus*. Alios adhuc conatus qui perſequi cupiet, adeat Eruditiſſ. *Pinedam*, inter quos valde argutum, quod tertio loco proponit, *Amicos aculeo* latente *pungi*, qui *Vitæ* nunc *voluptatibus fruentes*, tandem tamen *conditionem* illam *ſortemque communem* mortalium ſint ſubituri. Eſt in hiſce quod adblandiri poſſit, eſt etiam quod acquieſcere prohibeat, ullive harum opinionum ſubſcribere. Ea exequi longum foret. Dabo tantum geminum conſpectum, qui mihi ad difficilem hunc contextum meditanti occurrit. *Primus* eſt, quod ſi *a ventre Matris egreſſus expiraſſet*, *nunc in ſplendido ſepulcro*, tanquam משכב *cubili*, ac *dormitorio*, *inter Reges*, *principeſque*, *decumberet*, *Regius* videlicet *puer*; aut *principali domo* oriundus. *Alterum* huncce concipio. Si *recens a matre ſepulcro illatus fuiſſet*, ne *Regalibus* quidem *fortunis fortunas* ſibi *ſuas* videri poſtponendas: ſive *viros* illos *principes defunctos* jam conſideremus; ſive etiam *vivos* cum maxime, ac *florentes*, quippe qui *ſepulcra* ſibi *ſuperba* ſtruentes in vita, eo ipſo teſtatum faciant ſe Morti eſſe oppigneratos, atque brevi ad plures eſſe deſcenſuros. Utraque loci *facies* habet majorem quendam adfectum, dolori ardentiſſimo *Jobi* valde reſpondentem. Utra præferenda, ſi modo ulla ferenda, deinceps diſpicietur.

Ibid. Bivium hocce interpretationum aperuit mihi phraſis הבנים חרבות למו, profundiſſimæ mentis, atque genium *Arabiæ* redolens, *Qui ædificant deſolationes ſibi*. Ex quo aliquid judicare potui, languere mihi viſum, quod adferri ſolet, vel de *ſubſtructionibus palatiorum in locis incultis*: quo *Mercerus* aliique complures tendunt: vel de *inſtaurationibus ædium urbiumque bello evaſtatarum*: vel de *Coloniis in terras inhabitatas emiſſis*, *ad novas urbes ſedeſque condendas*. Cuncta hæc *Regalia* quidem, ſed ſcopo & adfectui *Jobi* minus congrua. Omnino mihi perſuadebam חרבות *deſolata*, exprimere debere *ſepulcra*, & jam olim aliquid ex محراب מחרב *cœnaculum Regis* exſculpere ſatagebam, ita ut *Coenacula* Tragice *ſepulcra* figurarent. Vidi deinceps *Doctiſſ. Pinedam*, circumſcriptis aliis expoſitionibus, חרבות *ſolitudines* ad *monumenta* quoque *ſepulcrorum* retuliſſe, quæ *a principibus magno ſumtu in campis ædificabantur*. Huic ergo egregio *Commentatori* הבנים חרבות למו *Ædificantes ſibi ſolitudines* tantundem valet ac, *qui Magnificentiſſi-*

tiſſima ſibi ſepulcra in campis, *deſertiſque locis*, *extruunt*. Ritum copioſe quidem, pro Eruditionis divite penu, illuſtratum dedit, ſed ſententiam vix cuiquam approbavit, quod durius merito cenſeretur *Ædificare ſolitudines*, exponere, *ſepulcra in campis & ſolitudinibus extruere*. Non placet etiam quod ex מחרב *cœnaculo* antea tentabam, quia חרבה alibi conſtanter *vaſtitatem* ac *deſolationem* denotat. Ipſa formula בנו חרבות עולם *ædificabunt deſolationes æternas* protrita quoque in ſacris, ut *Eſaj*. 58: 12. & 61: 4. *Eſech*. 36: 10, 33. *Mal*.1:4. Ex his contextibus elucet aliquid *proverbiale*, riteqne eos expendenti clareſcet *Ædificare deſolationes* Adagium eſſe pro *res collapſas*, & ruina longa *dejectas*, *reſuſcitare*. Sic jam videri poſſet redeundum ad explicationem ſupra ſepoſitam de *Regibus inſtaurantibus ſedes bello devaſtatas*; quæ etiam, ſi aliqua earundem obtinere deberet, præferenda eſſet. Sed *mortem*, & *ſepulcrum* anhelans *Jobus*, *ſepulcrales* regum *ædificationes* ſpectavit potius, ad quas hanc ipſam formulam admirabiliter traduxit; *Qui ædificant deſolationes ſibi*. Hoc eſt *qui magnificis ſepulcrorum ædificationibus Morti* ipſi, ejuſque *deſolationi*, ac *vaſtationi univerſali*, *reſiſtere* conantur, atque *ruinam* ac *deſtructionem* ejus, *ipſis* quoque *formidandam*, quodammodo *reparare*, ac *reſtaurare*, *exſtruendo* ſibi *conditoria* & *Monumenta*, quæ verius viventium *Splendidæ Ædes*, quam *mortuorum ſepulcra* appellari mereantur. Nempe *Magnificentia ſepulcrorum* ex hoc fonte profluxit, quod ſibi non penitus *Morte deſtruendi & delendi* viderentur, quos *Superba Mauſolæa*, vel *altæ Pyramides* eſſent excepturæ. Hoc celſo ſpiritu *Arabiæ* enunciatum per *deſolationes ædificare*, in quo *acumen* & *lumen* illud ſubtilitatis, quod ὀξύμωρον vocitant Rhetores, quum ſententia ita *affectate* & *audacter* concipitur, pugnantia connectens, ut *fatua* eſſe videatur. Talia ſunt *Sal inſulſum*. *Vivum cadaver*. *Inſepulta ſepultura*. *Num capti potuere capi*. Πάρθενος ἀπάρθενος. quæque ejuſdem generis ὥσει κόνις. *Arabica* ſpecimina præſtabit *Haririus Conſ*. 3. ubi p. 140. & ſeq. reperies احتذينا الوجي *calceati fuimus dolore urentis calculi*; hoc eſt *quod calceamento prohiberi ſolet*, *nobis præ inopia ipſum quaſi calceamentum evaſit*. Iterum اغتذينا بالشجي *Nutriti ſumus angore gutturis*, ſive *præfocatione*. Pugnant directe *Præfocari* & *Nutriri*; ac proinde completiſſimum eſt ὀξύμωρον *Præfocatione Nutriri*; pro tam *inopem* eſſe, ut *unicum nutrimentum* ſit *angor* & *præfocatio gutturis areſcentis*. Luxuriant hoc in genere *Arabes*, & figuras formant audaciſſimas. Non eſt ergo quod miremur, *Ædificare deſolationes* poſitum pro *deſtructionem mortis extruere quaſi*, & *pro ſepulcris* mortuorum *exædificare monumenta vivorum* veluti, in quibus *magnifice decumbentes*, quodammodo *immortales* facti eſſe videantur *mortales*.

Ibid Hoc jacto fundamento diſpiciamus uter *adſpectus*, e duobus illis modo propoſitis, præpolleat. Si *priorem* ſequeremur, dicerem alludi ad vocabula honorifica, quibus *Tumuli Virorum principum* inſigniebantur, משכב *Decubitorium*, quod *ſepulcrum* ſignat *Eſaj*: 57: 2. משכן *Habitaculum*, item pro *monumento ſepulcrali*, *Eſaj*. 22: 16. בית *Domus*, *Manſio*, בית עולם *Domus æterna* dicta *Eccleſiaſti*; unde in *Camus* abſolute etiam per *ſepulcrum* declaratur. מנוח *Recubitorium*, *ſtabulum*, *ſtationem quietam* quoque inter titulos nobiliores *ſepulcrorum* fuiſſe, ambigi nequit. Huc proinde alludens forte *Jobus* ait, ſe ſi ſtatim expiraſſet, ut *Viri Divitis* filium, in *divite monumento*, habiturum fuiſſe ſimul *tranquillum*, ſimul *magnificum Recubitorium*. Sic appoſitiſſimum foret illud עם, *una cum Regibus* &c. &c. Quando tamen ſenſus hicce difficultatibus haud vacat, quas peritus Lector ſponte ſentiet, videamus & *alterum adſpectum*, qui eſt, ſe *Regalibus fortunis ſuas fortunas* comparaturum, ſi a ventre matris in terræ gremium mox deportatus fuiſſet: *Extruere* quidem viros principes *ipſas Mortis deſolationes*, & *conditoria* ſibi *ſplendida* præparare, in quibus *recumbant*: ſe tamen *vel citra* tale *monumentum* jucundiſſimam *capturum* fuiſſe *quietem*, & neminis vel mortui vel vivi Fortunis inviſurum: quippe quum *obſcuris* juxta ac *nobilibus* in eodem pulvere *longus* ille *ſomnus* ſit *dormiendus*: iſque beatiſſimus merito cenſeatur, cui quantocyus iſtam *ſtationem quietam* ingredi detur. Hoc, niſi fallor, ſcopo & ſeriei accommodatius.

15 Aut cum principibus, quibus aurum eſt: qui implent domos ſuas argento.

15 או עם־שרים זהב להם הממלאים בתיהם כסף׃

16 Quin ſicut abortus abditus non extitiſſem: ſicut infantes qui non viderunt lucem.

16 או כנפל טמון לא אהיה כעללים לא־ראו אור׃

17 Ibi

17 שם

Vſ. 15. In eundem ſenſum cuncta collineabunt, ſive *priorem* quis, ſive *poſteriorem* malit conſpectum. Complura habeo monenda. *Primum*, jucunde divelli, quæ per ſe conjuncta, *Aurum Argentumque*, זהב וכסף; atque in priore membro hujus *vſ.* זהב *Aurum, omnes* complecti *divitias*; ut in poſteriori eædem *divitiæ* per כסף *Argentum* exprimuntur. Nil tritius in ſacris, præſertim ſtilo ſublimiore, quam hæc pulchra *Oeconomia* vocum, eleganter ſejunctarum, ad vim ac gratiam Orationis. *Secundo*, בתים *Domus* omnino explicandæ videntur de *ſepulcris* & *monumentis*, prout modo vidimus משכן *Habitaculum*, illuc transferri *Eſaj.* 22:12. Ipſum noſtrum בית cum קבר commutatum dabit idem vates *Cap.* 14: 18,19. *Omnes Reges gentium* שכבו *recumbunt glorioſe*, איש בביתו *quilibet in Domo ſua*, id eſt, *in ſuo Monumento* ac *Mauſolæo. At tu projectus es* מקברך *e ſepulcro tuo.* &c. &c. Rectiſſime ergo *Camus* البيت القبر אלבית אלקבר *Domus ſpeciatim pro ſepulcro.* Eundem uſum ſub vocibus مثوى *Hoſpitium*, منزل *Diverſorium*; *Statio*, aliiſque cognatis, frequentant *Arabes*, quamvis in *Lexicis* eum fruſtra ſis quæſiturus. *Tertio* ritus obſervandus, quo *Aurum*, *Argentum*, *Monilia*, *omnis* ſupellex pretioſa, Magnatum ſepulcris inferri ſolebat; quod hic enunciatur *implere Domos ſuas argento.* Sumptuoſiſſimam magnificentiam, ex Sacris profaniſque ſatis notam, illuſtravit Doctiſſ. *Pineda*; ad quem curioſos remitto. De *Arabibus* priſcis idem annotatum reperio, extatque tractatus *Gjannabii* de *Antiquorum Regum monumentis*, in *Arabia* viſundis olim; unde Copia exemplorum promi poſſet. Adeatur Cl. *Pocok.* in *Not.* ad *ſpec. Hiſt. Arab.* p. 164. ubi *ſplendidiſſimæ ſepulturæ*, & *monumenti gemmis auroque referti*, antiquiſſimum invenies documentum. Ceterum זהב *Aurum*, denominationem traxit a *colore fulvo* aut *rutilo*, ut כסף *Argentum* a *pallore* dictum: quæ alibi exequemur.

Vſ. 16. Difficilior iterum nexus; quem bifariam video inſtitui. Sunt enim qui referant ad *vſ.* 11. *Quare non ab utero mortuus fui?* &c. quod hic putant nova inſtantia urgeri, *Aut ſicut abortus abſconditus non fui? ſicut infantes qui non viderunt lucem!* Hi concipiunt tria vota. *In ipſo partu præfocari. poſt partum mox expirare.* Denique heic *ante partum aboriſci.* Alii, cum *vſ.* 14, 15. arctius conjungunt, quaſi oppoſitio fieret inter *Reges*, *Principeſque Viros*, & inter *Embryones obſcuros.* Atque tunc iterum variatur ſententiis, quem in finem feratur iſta oppoſitio; quibus immorari nec lubet, nec licet. Mihi *prior nexus* potius *hiatus* eſſe videtur incommodus, qui ſeriem hanc pulcherrime dete̅xtam luxaret turbaretque: *poſterior* quoque haud ſatis commodus, ſi *vſ.* 11. inde ſeparetur; nam qui ibi optaverat *ut ab utero moreretur*, non poteſt non in נפל *abortu* ſemet ipſum intendere. Rejiculus proinde ſenſus *Schmidii*, quaſi *ſua haud referre* diceret *Jobus*, cum quibus *jaceret*, *Regibusne* an *abortivis fœtibus*, ſi modo *jacere* & *quieſcere* ei liceret. Mihi *duplici copula* videtur utendum, & *propinquiore vſ.* 14, 15. & *remotiore vſ.* 11. Nempe quum præmiſſum eſſet *Quare non ab utero mortuus fui? e ventre egreſſus mox expiravi?* bimembrem propoſitionem diſtincte reſumit & deducit, ab ultima parte reſordiens: vel enim in *ſepulcro* inquit *nunc decumberem*, & *monumento* gauderem, tanquam ſuavi *dormitorio*, ſi nempe *in lucem fuiſſem editus*: vel nulla plane mei ratio inter homines haberetur, & pro *fœtu abortivo* oblivioni penitus eſſem traditus, ac *ne fuiſſe* quidem cenſerer,

17 שם רשעים חדלו רגז ושם ינוחו
יגיעי כח׃

17 Ibi irrequieto motu jactati, ceſſant concuti: & ibi recumbunt feſſi virium.

18 יחר

18 Si-

ſerer, ſi *ante juſtum partum matri effluxiſſem*, quæ prima pars erat voti.

Ibid. Huic ſeriei ſe aptari patitur *utraque facies* rerum, quam *vſ.* 14, 15. expoſuimus. Accommodatior tamen poſtrema, in hunc ſenſum. *Alterutrius Voti compos, ut vel expiraſſem in lucem excluſus: vel in utero incluſus, abortivo defluxu intercidiſſem*, Fortunas meas prædicarem. Vel enim *vivus natus*, e veſtigioque mortuus ac ſepultus, quietam obtinerem ſtationem, quem cum Regibus ac principibus ipſis communem haberem: Vel ne *homo* quidem *appellatus*, atque ut נפל, ἔκτρωμα, *Cadivus fœtus*, *Matri* aut *elapſus*, aut *excuſſus*, nunquam *extitiſſe in Vivis* cenſerer; ſed inter *ignotos obſcuroſque abortus* omnibus *ignotus* jacerem.

Ibid. Ad mentem *Jobi* penitius introſpiciendam, videndum in primis quid ſit נפל טמון: *Abortus abſconditus.* Non placet ſimplex *epithetou* eſſe *Embryonis* in utero *latentis.* Non etiam; quod *Schmidio* placitum, *cui lux vitæ fuit abſcondita*; ut idem ſit cum ſequenti membro. Ne illi quidem ſatisfaciunt, qui *Abſtruſum in terram abortum* interpretantur. Hi omnes duo *cola* ad unam applicant ſpeciem, quaſi poſterius ἐπεξηγητικῶς tantum ſit additum, quod & *Bocharto* viſum *Hieroz. part.* 1. p. 1031. Subtiliſſime diſtinxit *Coccejus*, atque נפל טמון exponens *abortum obſtructum*, id applicat *fœtui* adhuc *informi*, *cui obſtructæ etiamnum fores ſenſuum*: ut contra עוללים refert ad *fœtus*, *quibus jam patent ſenſuum fores*, quique *vivunt*, ac *ſentiunt*, etiamſi *non viderint lucem.* Vellem probaſſet ſummus interpres vim iſtam *obſtructi* & *oppilati*, quam vult ineſſe τῷ טמון; cujus ego nullum reperio veſtigium, hoc ſaltem adſpectu *ſenſuum obſtructorum.* Deinde minus concinnum putem in hac ſerie cogitare de *rudi* ac *indigeſta* plane *mole fœtus omni ſenſu* ac *vita* adhuc *carentis.* Diſcrimen tamen aliquod ſubeſſe & ego ſtatuerem; quippe quod & res ipſa ſuggerat, & variata forma loquendi confirmet. Exiſtimem itaque נפל טמון *Abortum abditum, abſtruſum*, poni pro *fœtu* Matri *poſt primam formationem*, & *ſigna Vitæ*, *elapſo*, vix quoquam, ut fit, conſcio. Hic vere טמון *abſconditus*, *abditivus*, *omnibus hominibus ignotus*, & *clanculum* quoque *in terram abſtruſus*, quod eatenus jam aſſumo; nam proprietas Radicis טמן, adfert *abſtruſionem in locum obſcurum*, & ſpeciatim, *ſub terram*, ut quæ in *Cryptis*, *foveiſque ſubterraneis*, nemini notis, ſolent recondi. Cum hoc *deciduo fœtu occulto* ſimul & *occultato*, conjunguntur עוללים לא ראו אור, *pueri qui non viderunt lucem*; per quos ſignantur *fœtus perfectiores*, & jam *in lucem erumpere geſtientes*, quamvis ante maturitatem excuſſi & extincti, ne ad minimam quidem, ac momentaneam, lucis uſuram perveniant. Ex hiſce jam mens *Jobi* ſic compleatur, ac rotundetur, ut verba לא אהיה *non extitiſſem*, accipiantur ore & more populari, *non extitiſſem inter vivos*; *non hominibus natis*, *in lucemque editis*, *fuiſſem annumeratus*, ſed vel *ocyus*, vel *ſerius*, *abortivo* tamen *defluxu* interiiſſem: in *ipſo* quaſi *portu* detentus, neque in fluctus ullos miſeriarum emiſſus. Cum hoc adfectu *Jobi* conſonat vetus illud Ἄριστον τὸ μὴ γενέσθαι· δεύτερον δὲ τὸ γενομένους ἀποθανεῖν ὡς τάχιστα; quod ne in Gentilium quidem Libris ultra ſcopum tendetur a prudentibus: nedum ut id *Jobo* in crimen *impietatis*, aut in ſuſpicionem *ignoratæ melioris vitæ*, imputetur.

Vſ. 17. Mortis & ſepulturæ jucundiſſima quies porro amplificatur tribus *verſibus*; Catalogo contexto *miſeriarum*, & perſonarum *miſerarum*, quibus hicce portus ſolus ſuccurrit. Hunc ſcopum ſi ſervemus, ut ſane ſeries ipſa eum præfigit, expediri vix poteſt vocabulum רשעים in uſu vulgari conſervatum pro *improbis.* Plerique prius membrum expoſuerunt de *impiis* non amplius *vexantibus* & *opprimentibus* alios, neque iis רגז *terrorem incutientibus.* Sic haberemus tamen utcumque

per-

perſonas miſeras a concuſſione improborum *liberatas:* ſed concinnior forte ordo tunc poſtulaſſet, ut *oppreſſi* potius *nominatim* exprimerentur, *improborum* jugo & *tyrannidi* exemti per mortem; ut *vſ.* ſeq. factum. Obſervo præterea חדל *ceſſare*, proprie *flacceſcere*, *flaccidum pendere*, atque inde ſecundario *remittere*, *relaxari*, *ceſſare*, in hac quidem conſtructione adferre videri *remiſſionem*, ac *relaxationem miſeriæ*. Addo רגז multo opportunius hic eſſe ſenſu *paſſivo*, quam *activo*. Hiſce rationibus, credo, inductus Cl. *Cocc.* vertendum putavit, *ibi improbi ſunt ſine commotione. Ceſſant ibi commoveri & jactari ſuis cupiditatibus: quin & tremore conſcientiæ vacant.* Durior enimvero ſententia, quam tamen ita mitigavit, & temperavit, præclarus interpres, ut cavillatoribus nullam liquerit anſulam. Apparet nihilominus ad anguſtias magnas deventum eſſe, quando tam *paradoxum quid* dandum eſt *Jobo*, vi Linguæ, & ſtructuræ, quam commodior illa interpretatio negligebat. Mediam quandam inter utrumque extremum viam monſtravit *R. Levi*, reddens, *ibi improbi deſinunt timeri*; nempe ab *oppreſſis*; in qua verſione jam חדל *relaxationem* infert, & רגז *paſſivam* exerit *poteſtatem*. Laudem conatum, non probem. Omnino ſequendos cenſeam *Ab. Eſram* & *Rambanem*, qui רשעים hic acceperunt pro מתנועעים *jactatis*, *irrequietis*, *continuo motu metuque agitatis*, non *morali*, ſed *phyſico* uſu. Hæc nempe eſt *Origo* thematis רשע, quod proprie valuit *turbido motu jactari*, cui opponitur שקט *ſidere*. Utrumque habebimus infra *cap.* 34: 29. והוא ישקיט ומי ירשיע *Et ille pacabit*, ſidere faciet, *& quis exagitabit*, ac turbidum reddet? Similiter 1 *Sam.* 14: 47. *Bella geſſit Saulus cum omnibus inimicis ſuis* &c. &c. ובכל אשר יפנה ירשיע. *& quocunque ſe converteret*, *terrorem injiciebat*. Ex hoc *fonte* ductam eſſe *ſecundariam* ſignificationem *improbitatis*, quæ *æſtu turbido cupiditatum irrequietarum jactatur*, dudum monuere Viri Docti; eoque alluſum *Eſaj.* 57: 20. *Improbus eſt ut mare jactatum* &c. Hæc jam non perſequar, neque ex *Arabum* رَجَّ *cupiditate vehementiore jactari* illuſtrabo. Monebo tantum, ut verbum, ita derivatum רשע, admiſiſſe haud dubie olim tam *Phyſicum*, quam *moralem* ſenſum; quemadmodum nil impedit, quominus *turbulentus* aut *turbidus*, ex *Origine* ſua, uſurpetur non tantum pro homine *irrequieto & adfectibus indulgenti*, verum etiam pro *miſero & calamitoſo*, qui *turbulentam* degit *turbidamve vitam*. Pariliter *Agitatus* adhiberi poteſt partim pro *cupiditatibus acto*, partim pro *vexato*, & *miſeriis jactato*. Tales notiones ancipites facile ex ſenſu dignoſcuntur, & nullam pariunt difficultatem, quum Libris & Exemplis abundatur. Obſervari præterea velim, quo Antiquiores ſunt Scriptores, eo plura antiquiſſimarum notionum veſtigia ſe offerre. Qui *Plautum* legerunt, *Enniumve*, ſciunt quorſum hæc ſpectent. Etiamſi ergo nuſpiam alibi רשע hanc *turbulenti & miſeriis agitati* notionem exereret, tutum ſatis foret eam huic vindicare contextui, ſcopo & ſerie alia omnia excludentibus. Sed & infra *cap.* 24: 6. רשע recurret conſimili donandum poteſtate, ut in loco reddetur. Haud abſimile quid notari poteſt in vocabulo צדיק, quod ſexcentis in locis *juſtum* ſonans, ſemel *Rigidi* antiquam ſuam vim retinuit apud *Eſajam*, *cap.* 49: 24. ubi צדיק & עריץ alternantur. Locus in *Lib.* de *Defect.* una cum Radice צדק enucleatus.

Ibid. Thema חדל *deſiit*, *ceſſavit*, *ſecundariam* iſtam vim aſſumſit a *flacceſcendo*; unde proprie eſſet *remiſit*, &, uſu invaleſcente, *in totum omiſit*. Hoc ex collatione cum خذل ſatis evidens. *Daleth* in *Dſal* nonnunquam trajici oſtendit *Clavis Dial.* p. 204. Exemplis ibi productis addas velim hocce, nec non קדר *immundus*; *ſqalidus fuit*, quod eſt قذر. Alterum רגז *commoveri*, *concuti metu*, *ira* aliiſque adfectibus, melius haud dubie *paſſive*, quam *active* capi poteſt, ut mox *vſ.* 26. & 14: 1. *Proprietas* Radicis adfert *tremulum motum nubis tonantis*, vel *concuſſionem* cum *fremitu* ac *fragore*. Sic رجز ſuum enucleant *Critici Arabum*, eoſque haud falſum præferre lumen, ſenties ex *Job.* 37: 2. ubi רגז קלו eſt *tremulus fragor tonitrui*. Hinc Derivatum

رِجْز,

رِجْز, رُجْز, & רגז رِجْز ſpeciatim deſignant *fragorem nubis tonantis*; qui figurate adhiberi amat pro *calamitate divinitus immiſſa*. Hinc *Gloſſæ* illæ, *Tormentum*, *Pœna*, quibus رجز declaratur. *Alcor.* 29: 33. انا منزلون علي اهل هذه القرية رجزا من السماء بما كانوا يفسقون *profecto immittemus in populum hujus civitatis* רגז *fragorem tremulum e cœlo pro ipſorum improbitate.* Iterum *Sur.* 34: 5. اوليك لهم عذاب من رجز اليم *Hiſce pœna parata ex plagis gravioribus.* Idem رُجْز, exponitur *Febris. Horror & concuſſio febrilis.* Alia forma رَجَز eſt *Morbus* camelorum *natibus accidere ſolitus*, *quo femora contremiſcunt.* Ita adfectus *camelus* abſolute ارגז أَرْجَز vocitatur; idque nominis inditur & *homini* qui aſſurgens *femore pedeque tremit.* Ex hiſce jam ſatis claret רגז eſſe *concuſſionem graviorem*, *cum tremore & fragore conjunctam*, quam vim heic loci ſic applices velim, ut intelligas mecum omnem *anxietatem tremebundam in querelas cum fragore ac fremitu erumpentem.* In ſe ipſum autem digitum quaſi intendiſſe *Jobum*, patet ex *vſ.* 26.

Ibid. Nihil ad poſterius Colon dediſſem, niſi receptæ verſionis tuendæ neceſſitatem injunxiſſet Cl. *Schmidius*, duriuſcule convertens. *Et ibi quieſcunt labores violentiæ*, id eſt *qui ab hominibus duris per tyrannidem & violentiam imponuntur.* Hanc viam ingreſſus eſt, quod רשעים *improbos* reddidiſſet, ad quos כח *violentia* ſeſe referret, utroque ſic membro *moleſtias ab improbis & violentis hominibus oriundas* deſcribente. Eo magis Viro Docto arriſit hæc vertendi ratio, quod forma יְגִיעַ alibi quoque *Laborem* deſignet, non *Laborantem.* Sane ex ſedecim locis ubi vox hæc proſtat, nullus occurrit, qui *Laſſum* exhibeat, niſi forte *Hoſ.* 12: 9. ubi Cl. *Cocc.* כל יגיעי vertit, *Omnes qui laſſantur in me.* Sed inde colligere haud licet יְגִיעִים male reddi per *laſſatos*, quum *Analogia* Linguæ *formam* iſtam *ſignificationemque* admittat, ex *participio* altero *paſſivo*, quod *Pahyl* vocitatur, in quo יָגֻעַ abſque ullo dubio formavit יָגִיעַ, idem cum יָגֵעַ, quæ eſt forma *part.* alterius *Præſ.* Utrumque notat *Laborantem*; *defatigatum*; *defeſſum.* Utrumque *participium* apud *Arabes* notum; وَاجِع nempe ſeu وَجِع, *dolens. laborans. male habens.* quod eſt יָגֵעַ, ex Regula mutationis, in *Clavi Dial.* p. 338. & وَجِيع יָגִיעַ, quod proprie eſſet *dolore affectus: laborare factus*; in communi tamen ſermone cum واجع *dolens* fere confunditur. Quod autem apud Clar. *Golium* وجيع exponatur *Dolorificus. Dolorem pariens ictus*, non debet quemquam turbare, eſt enim peculiaris *Gloſſa*, ſive *phraſis poëtica*, quæ adfertur a *Gjauhario*, per quam ضرب وجيع *ictus dolens* poni dicitur pro موجع *dolore adficiens*: qualia *Latinis Græciſque* familiariſſima eſſe nil eſt quod moneam. Apparet ſecundum genium Linguæ יגיעי כח rectiſſime verti *Laborantes*, id eſt *feſſi virium.* Accuratius tamen dandum foret, *Laborare facti viribus: quibus vires exhauſtæ fatiſcunt.* Quid autem יגע وجع & يجع cujus *futura* يوجع & ييجع, proprie ſignificarit, ne *Arabes* quidem ſatis fideli memoria retinuiſſe videntur: *ſecundariæ* enim ſunt *notionis*, haud dubie, *Laborare*, *fatigari*, *dolere.* Ex *conjectura*, *non ex* ſatis *certa* adhuc *luce*, aſſumo κόπτω, quod *Græcis* tritum pro *fatigare*, *laſſeſcere*, peperit κόπον *Laborem*, nec non κοπιάω *Labore frangi*, itemque κοπιᾶν. Hanc tamen *Originem*, ſane quam commodiſſimam, a nemine velim recipi, nedum pro vera venditari, donec יגע وجع hanc *primigeniam vim* obtinuiſſe liquidius comprobetur.

K *Vſ.* 18.

18 Simul vincti eliquata abundant tranquillitate: non audiunt vocem exactoris.

18 יחד אסירים שאננו לא שמעו קול נגש׃

19 Parvus & Magnus ibi idem: & ſervus manumiſſus a ſuo Domino.

19 קטן וגדול שם הוא ועבד חפשי מאדניו׃

20 Qua-

20 למה

Vſ. 18. *Turbida vita jactatis*, & ſub *pondere laborum dolorumque ſatiſcentibus*, adjunguntur אסירים *Vincti*, *ſub imperio* נגש *Exactoris*, ejuſque *baculo*, poſiti; quos *piſtrinum*, aliudve *grave jugum*, quotidie habet exercitos. Speciali uſu *Hebræorum* & *Arabum* אסיר أسير notat *Bello captum*. *Captivum*. Ea vis potiſſimum hic attendenda: quamvis latiorem quoque uſum non excluſerim. Conf. *Exod.* 5: 6. 10. 13. &c. &c.

Ibid. Elegans eſt *verbum* שאנן, quod *ſummam* adfert *tranquillitatem*, *cum ſecuritate profunda* conjunctam. Radix ſtatuitur שאן, unde reduplicata tertia שאנן, ut רענן a רען, extitiſſet. Illud שאן quum ſit deperditum, de *Origine* hactenus non ſatis conſtare potuit, nam *Syriaca* ܫܝܢܐ *tranquillitas*, *pax*, & ܫܝܢ *pacificavit*, *tranquillavit*, etiam *ſecundariam* tantum *notionem* præ ſe ferunt. Vulgo exiſtimatur per *Epentheſin* ל *Lamed* hinc productum eſſe שלאנן; quod *infr.* 21: 23. occurret. Ego contrarium potius tenerem, nempe שאנן contractum eſſe ex שלאנן, *Aleph* extrito. Jam שלאנן conflatum videtur & שלה *eliquari cum defæcatione*, unde *tranquillitas* & *ſecuritas* ſponte promanarunt, & אנן ſive أنّ, quod *fuſionem*, *effuſionem*, deſignat; unde cumulatiſſima exiſtit ſignificatio *tranquillitatis & ſecuritatis* ſibi *otioſe*, & *effuſe* quaſi, inter delicias indulgentis. Diffiteri tamen nolim noſtrum שאנן diverſum eſſe poſſe a שלאנן; nam adfinitas Literarum ſæpe quo blandior, eo fallacior, in Linguis. Utique *Analogia* admittit *thema* שאן, idque olim viguiſſe vix dubitandum; accedente *Dialecto Syriaca* cum forma ſimpliciore שין *tranquillavit*, pro שאן, *Aleph* in *Jod* commutato, ut pro שאול effertur a *Syris* שיול *infernus*. Hoc autem שאן quid in ſtirpe valuerit, diſquiſitum in *Originibus Hebræis*, in quibus & ſuperius Etymon fuſe illuſtratum. Illuc ergo compendii facturus operam, Lectores ablegabo.

Vſ. 19. Longiſſime a ſcopo deflectit interpretatio *Jarchii*, ad verba, *parvus & magnus ibi eſt*, quaſi *Jobus* diceret *in Morte* vel maxime *vigere diſcrimina parvi* & *magni*, *humilis* & *excelſi*, quippe ubi *vera* demum, & *æterna*, cuique *pretia* ſtatuantur. Rectius *Mercerus*, poſt eumque omnes, retulere ad *Æqualitatem conditionis*, omni diſcrimine *inopis* atque *opulenti* ceſſante. Hoc intendiſſe *Jobum* ſeries clamat, nec non ſequens Colon: interim ſenſus iſte in voculis *ibi eſt* non ſatis plene exprimitur, quippe quæ inferre tantum videantur *ſimul parvis*, *ſimul magnis*, *abeundum eſſe ad plures*. Ad ſcrupulum levandum obſervo, peculiari emphaſi enunciandum forte alterutrum, vel הוא *ipſe*, vel שם *ibi*. Prior adſpectus ſic haberet: *Parvus & Magnus ibi ipſe*, id eſt, *idem: eodem gradu habitus*. Poſterior eſt, שם *ibi* valere *ibidem*, idque iterum, *eodem ſtatu dignitatis*; ſententia ſic ſatis ſpecioſa, & gravi, *parvus & magnus ibidem eſt*. Latinum *ibidem* iſtoc uſu memoriæ obverſatur. *Arabum* quoque ثَمّ *iſtic loci* ſic uſurpari poſſe putem. Et quidni, quum *Locus* pro *gradu* ac *dignitate* venire ſoleat, *iſtic loci eſſe*, adhibeatur pro *eodem gradu* dignitatis conſtitutum eſſe? pulchra quoque ſic exiſteret *Paronomaſia* per repetitionem hujus particulæ ex *vſ.* 17. שם

קטון

20 למה יתן לעמל אור וחיים למרי נפש ׃

21 המחכים

20 Quare dat laborioſo lucem? & vitam amaris animæ?

21 Qui

קטון וגדול שם הוא *Ibi parvus & magnus ibidem eſt.* Non diſplicet tamen prior conjectura, nam הוא pro *idem* fuiſſe adhibitum plus quam veriſimile, & ſic verti ſolet *Pſ.* 102: 28. ואתה הוא *At Tu idem*; quod tamen non omnino idem. Inquiratur ergo ulterius.

Vſ. 20. Tertia pars Capitis hujus novis decurrit querelis, de *Vita ærumnoſiſſimo mortali prorogata*, & quidem *invito*, *mortemque* dies ac noctes *anhelanti*. Hoc in ſe ſpectatum nihil gravius habet, quam ſuperiora; quin imo mitius quid ac mollius ſpirat. Sane videtur jam quodammodo deferviſſe æſtuans ille impetus, quo expoſtulationes haſce exorſus fuerat *Jobus*, qui ab *execratione* & *deteſtatione ſatus ortuſque* ſui, ad *immaturæ* & *acerbæ extinctionis vota* transgreſſus, deſcendit tandem ad *placidiores conteſtationes*, mirabundus veluti rogitans, cur Deus ſaltem *maturam mortem* deneget *calamitoſis emori diſcupientibus*, atque *lucis uſuram* protrahat iis, qui ejus fruendæ non amplius capaces, *ſepulcrum* ardentiſſime expetunt. Se, ſuique ſimiles, *intoleranda miſeria oppreſſos*, atque ad incitas plane adactos, innuit *Jobus*; non autem omnes homines *mortalitatis* communi *onere preſſos*. Hos fines egreſſi Interpretes ſummi, aliena huc attulerunt. Cl. *Cocc.* interrogationem σχετλιαστικὴν concipit, *quid Deum tam multum bonitate & gratia impellere poſſit, ut velit homines tam miſeram vitam intrare?* Doct. *Merc.* eundem ſibi ſcopum figens, *vocem* hanc *pene blaſphemam* autumavit. Aliquanto commodius Cl. *Schmid.* ad *Pios* reſtrinxit verba hæc, quaſi *Deum non ſatis deceret* tam gravibus eos adflictionibus exercere: putatque *Theſin Jobi*, in omnibus diſputationibus regnantem, fuiſſe, *Ordinem Dei, quem decrevit, & obſervat, dum per varias tribulationes fideles ſuos in gloriam introducit, non eſſe ordinem optimum.* Addit עמל hic non ſignificare poſſe *eum qui miſer ſit futurus, ſi vivat*; ſed *qui jam miſeriis preſſus jacet.* Id rectiſſime monitum. In *theſi* illa τὸ *introducere in gloriam* concinnius omitteretur, ſi enim *iſtum Dei finem* puro ſatis fidei oculo penetraſſet *Jobus*, non ſane *Ordinem Dei carpere* ſuſtinuiſſet, ſed potius cum Apoſtolis *gloriatus fuiſſet in adflictionibus* tanquam excellenter excellens pondus gloriæ collaturis. Nec tamen *vitæ melioris notitiam* ac *ſpem Jobo* adimo; ſed *ſartam* ei *tectamque* relinquo. Ajo tantum, inconcinnius videri, ut puriorem *Noſtram*, atque etiam *Jobi*, *Theologiam* admiſceamus hiſce amarulentis querimoniis, in quibus *conturbati adfectus*, non *Ratio* & *Religio* ſedate omnia penſitantes, verba ſuggeſſiſſe deprehenduntur.

Ibid. Nimis ſubtilis iterum Cl. *Schmid.* quum למה יתן referri commodiſſime autumat ad *Hominem quemvis*, qui negaturus potius eſſet miſero vitam, quam daturus, ſi ipſius foret arbitrium. Omnino ſubaudiendus *Deus*, lucis & vitæ Dator unicus; cujus nomen *Reverentiæ majoris* cauſa ſuppreſſum putem. Vox עָמֵל *Laborans*, *Laborioſus* hic valet *Ærumnoſus*, ex uſu tritiſſimo עָמָל *Laboris* pro *Moleſtia* & *ærumna*. Apud *Chaldæos* & *Syros* Radix *delaſſationem* ſimul cum *opere* complectitur. Apud *Arabes* عمل deſignat omne *opus*, præſertim *gravius*, quod quem *exercitum* habet, adhibita *cura* ac *virium contentione*. Hinc in 4. *conj.* اعمل *adhibuit operi ad delaſſationem uſque*; ut in *Diw. Hud.*

اعملت بالسير حرفا امونا ۞

Exercitum habui in itinere Camelum firmum pede.

Iſtam vim *Laboris intenſioris*, & *Laſſitudinem adferentis* loca Biblica palam exerunt: alibi diligentius excutienda, & forte aliquo adhuc radiolo lucis augenda, ex *Origine* hactenus latitante. Altera formula מרי נפש *Amari animæ*, exponi ſolet per *Triſtes Mæſtoſve*; ut *Eſaj.* 38: 15. *Job.* 7: 11. & 10: 1. *Eſech.* 27. 31. מר נפש *Amaritudo animæ* deſignat *mærorem gravem*, quo *vita* redditur *acerba*. Cl. *Coc-*

21 Qui expectant mortem, & nulla eſt: effodiuntque eam præ theſauris abditis.

22 Qui

21 המחכים למות ואיננו ויחפרהו ממטמונים׃

22 השמחים

Coccejus adjunxit alium adhuc uſum *iræ & indignationis*, ex *Jud.* 18: 25. ubi מרי נפש *iracundos* vertit; nec non 2 *Sam.* 17: 8. *Indignabundos.* Suſpicor locutionem ductam eſſe a *fermento*, ejuſque *acore*, ac *amaritudine*. Jam *in fermento jacere* dicuntur partim *indignatione turgentes*, partim *triſtitia*; & quidem *acerbiſſima*, atque *deſperata* quaſi. Illum ſummum gradum exhibet *Prov.* 31: 6. ubi *pereuntes* & מרי נפש *deſperate triſtes* conjunguntur. Tales & hic intendi dubium eſſe nequit, quum oblique ſemet ipſum innuat *Jobus*, negans iis qui *mole moleſtiarum ineluctabilium ad incitas ſunt redacti*, *quique* jam *omnem melioris fortunæ ſpem abjecerunt*, *lucis uſuram convenire amplius*; ac proinde *æquius fore*, ut *ſibi*, ut reliquis ſimiliter forte adflictis, *miſerum* tandem *ſpiritum exhalare* concedatur.

Vſ. 21. Supponebat præcedens querimonia de *prorogata* invito *luce*, ac *vita*, ardens *deſiderium moriendi*; quod hic ſignanter exprimitur duobus membris inſigni ſub figura conceptis. Horum *prius* eſt *qui avide expectant mortem*, *& nulla eſt.* Verbum חכה tredecim ferme locis extans, duplicem, eamque diverſam valde, patitur expoſitionem: *alibi* enim *morari*, *moras nectere*, valet, ut 2 *Reg.* 9: 3. & 2. *Reg.* 7: 9. *Hab.* 2: 3. *Eſaj.* 30: 18. *Job.* 32: 4. *alibi* ſonat *avide expectare* & *deſiderare* aliquid: ut hic, & *Pſ.* 33: 20. *Eſaj.* 64: 3. Cl. *Coccejus* omnia revocat ad generalem notionem *præſtolandi*, *opperiendi*, varie applicitam; neque de *Origine* quicquam monet movetve. Iſtud *præſtolari* autem huic textui ſic aptat, ut ſignificetur *expectatio mortis in tempore*, & *articulo* ipſo *opportunitatis*. Hoc ſatis commodum, ad *tempeſtivam* & *plus quam maturam mortem*, qualem *Jobus* ſibi invideri dolet, conſignandam. *Avenarius* more ſuo captans literarum apices, ex חך *palatum* exſculpſit ſub חכה *expectavit inhiando*: ut *famelici aperto ore inhiant eſcam.* Hinc & χαίνειν prognatum fuiſſe addit. Cl. *Guſſetius* alio flexu a חך *adfici in palato* tentavit, ut *moveri ſaliva* dicitur in *appetitu vehementiore.* Sed idea hæc non quadrat ubique. Idem vir Doctus aſſumens חַכָּה *Hamum*, elicit pleniorem notionem, *Hami palato infixi cum expectatione prædæ.* Mirum placuiſſe ei potius imaginem *piſcis* magno ſuo malo *hamum vorantis*; quam *piſcatoris adhamantis.* Sane ſi ab *Hamo* חַכָּה propagatum, noſtrum חכה *Hamavit*, *adhamavit*, haberemus partim *morum*, partim *captationem avidam*: nec inelegans cenſeretur heic loci imago *Adhamare mortem.* At mihi quidem cuncta hæc *argutiora*, quam *veriora.* חך *Palatum* habet radicales חנך, nam *Arabibus* حنك vocitatur. חכה *Hamus* forte deſcendit a חכך حكّ *fricuit*, *raſit*, *ſcalpſit.* Poſſes & חך *Palatum* inde derivare, quod perpetim *fricetur.* Hinc diverſum *Thema* חכה, pro חכי, quod *Arabibus* eſt *nexuit nodum*, unde apud *Gjauharium* احكى العقدة لغة في احكاها اذا قويتها وشددتها *Dicitur in* 4. *Conj.* אחכית אלעקדה, *ut* אחכא *ult. Hamz.*, *Nodum nexuit*, *ſive firmiter adſtrinxit.* Uſitatius videlicet eſt *nectendi* notione *thema* حكا חכא *ult. Aleph*, quod in *Camus* ſic declaratur حكاء العقدة شدها كاحكاها واحتكاها *In* 1. *conj.* חכא אלעקדה *Nexuit nodum*, *adſtrinxit*, *ut & in* 4. *atque* 8. *Conjug.* Scias quoque velim quæ in *Lexico Goliano* proſtant ſignificationes *aliunde referendi* ſermonem, itemque *referendi* alium *imitatione* vel *ſimilitudine*, dependere a *nexu*, indeque *Originem*, ut videtur, traxiſſe. Huc manifeſto ducunt *Gloſſæ Camuſi* حكوت الحديث

الحديث احكوه حكيته احكيه وحكيت فلانا وحاكيته شابهته وفعلت فعله او قوله سوا وعنه الكلام حكاية نقلته والعقدة شددتها كاحكيتها Radix חכו cum fut. אחכו, nec non חכי, cum fut. אחכי, conſtructa cum narratione, eſt eam retulit. in 1. & 3. conj. notat etiam ſimilem eſſe alicui, eumve referre ſive facto, ſive dicto peræque. Cum præp: ab, & infin. חכאיה, eſt, retulit ab eo acceptum ſermonem. In nodo eſt nexuit, adſtrinxitque firmius. Periti Linguarum cuncta hæc facile inter ſe connectent: ac proinde indubitata eſt poteſtas primaria *Nectendi nodum*. Hinc proclivis ſatis tranſitus ad *Moram*, quæ & Latinis *Necti* dicitur; poſſetque ex hoc Fonte jam acquieſci forte in *notione* illa *generali opperiendi* & *præſtolandi*, quam non incommode omnibus locis aptavit Cl. *Coccejus*. Vehemens tamen ſuſpicio me tenet aliquid *ſpecialius* adhuc ſubeſſe duplici, quem indicavi, uſui, ad quod jam *penuria Linguæ*, ac *defectu lucis*, penetrari nequeat.

Ibid. Quidnam ſit *ſpeciale* illud, quod deſiderem, preſſius declarabo. *Nectere moras* ſat eleganter & plene dicitur. At *Nectere* abſolute pro *Morari*, quin & *Expectare* cum *deſiderio*, non ſatis commodum. Paſſive *innecti* dare poſſet *hærere morando*, poſſet & *inhærere deſiderando*: ſed talia fingerentur citra auctoritatem idoneam; quod ut in profanis Auctoribus explicandis nemo admitteret, ita a ſacris procul quoque habendum. Id non ſatis religioſe ſemper obſervatur ab iis, qui *Linguam Hebræam* tractant, mire ſibi nonnunquam placentibus, ſi ex ingenio aliquid exſculptum, dextre calleant applicare & colorare. Id minus haberet reprehenſionis, ſi non *incerta* ſæpe pro *certis* venditarentur. Ego *incertius quid* me promturum præmonens, חכה noſtrum enucleatius adhuc aperire conabor. Reperio cognatum Verbum عقد *Nodavit*, unde חכה אלעקדה erat *Nectere nodum*, ſpeciatim uſurpari in *modo quodam aſſidendi*, qui vocatur حُبْوَة, quum *quis lumbos tibiaſque faſcia inter ſe conſtringens, connectenſque, deſidet humi*. Morem clarius percipics ex *Scholiaſte Haririi* ad *Conſ.* 6. الحبوة هي عقد اليدين علي الركبتين وكانت العرب ليست لها حيطان يستند اليها اذا اجتمعوا فكان الرجل منهم يقيم في جلوسه ركبتيه ويضع عليهما شقة او يعقد عليهما يديه ويقوم له ذلك مقام الاسناد ويقال لذلك العقدة الحبوة *Hubwa vocatur nodatio ambarum manuum circum genua. Nempe quum Arabes non habeant parietes, quibus innitantur confidentes, obtinuit, ut quiſque genua ſua erigens inter aſſidendum, pannum iis circumdet, aut ambas manus ſuas iiſdem innodet: id quod ipſi vicem præbet fulcimenti. Talis autem* עקדה *nodatio Hubwa dicitur*. Jam vero videri poſſet ſimile, quum ſolenni phraſi dicatur عقد الحبوة *Nodavit talem deſidendi modum*; *ita deſedit*; etiam dictum fuiſſe حكي الحبوة *Nexuit illum ſeſſum manibus genubuſque inter ſe connodatis*. Proxime ſane accedit, quod ex veteri Poeta laudavit *Gjauharius* احكي صلبا بازار *Cingulo lumbum nexuit*, *ſubſtrinxit*; unde pronum conjicere, noſtrum חכה *Nexuit*, *Nodavit*, tranſlatum etiam fuiſſe ad *ſpeciem* illam *ſedendi*, *deſidendique*, ſatis aptam utique partim ad *moram* conſignandam, partim ad *expectationem præſtolationemque* exprimendam; qualis eſt verbi gratia *Clientis* ad *patroni* ſui *ædes commorantis* ac *confidentis*. Hic adſpectus non diſplicebit *Eſaj.* 64: 3. & 8: 17. itemque *Hab.* 2: 3. *Pſ.* 33: 20. Placebit etiam forte heic loci, ut המחכים למות ſit *Qui Mortem præſtolantur ut Clientes patronum*, *ad ædes*, ad *fores* ejus *deſidendo*; ejuſque *opem implorando*. Hæc *ſpecioſa* quidem, ſed ob *Defectum Linguæ* hactenus minus *Certa*, poſteritas ad uberiorem lucem vel confirmabit, vel correcta dabit.

Ibid. Languet *Schmidiana* interpretatio ad

22 Qui lætantur ad choream uſque; præ gaudio ſe efferunt, quum inveniunt ſepulchrum.

22 השמחים אלי־גיל ישישו כי ימצאו־קבר׃

23 Vi- | 23 לגבר

ואיננו, *etiamſi nondum naturalibus ex cauſis adſit Mors.* An verebatur vir Doctus ne *Mortem* plane *non eſſe*, adfirmaſſe cenſeretur *Jobus*? Rectiſſime ſe habet, quod pleriſque viſum, *Mortem Nullam eſſe* dici, ob *fruſtratam* miſerorum *expectationem.* Nempe *quæritur* nonnunquam *Mors*, ſed non *invenitur*, quin imo *fugit.* Hoc ergo *Emphatice* ואיננו *Et Nulla eſt:* proprie *Vacuitas ejus.* Adeo non venit, non ſuccurrit, ut *nulla eſſe* videatur. Genus loquendi regnans in *Adfectibus*; atque *Tragicis* præſertim adamatum.

Ibid. Aliquid grande & *Tragicum* quoque ſpirat, *Et effodiunt illam præ theſauris abditis.* Sic omnino vertendum putem: nam *e theſauris*, quod placuit Cl. *Coccejo*, minus exprimit. Idem judico de interpretatione *Merceri*, *qui* vel *ex imis* terræ *latebris mortem ſcrutarentur*, *ſi poſſent eam invenire.* Hoc intendiſſe etiam *Coccejum* patet ex *Lexico*, ubi מטמונים *Loca occulta* exponit. Nimis argutus *Schmidius*, ad *fruſtratum eventum* hæc referens, ut *effodere ex Theſauris abſconditis* ſit *fruſtra quærere*; quod fit ferme quum *Theſauri* inquiruntur. Sic plane perit πάθος, quo hic pinguntur *miſeri Mortales* tam *avide inhiantes Morti*, *quam* alii *inhiant Theſauris*, & quidem *ſub terra reconditis*, quos ſummo *ſtudio* & *labore eruere* conantur: triumphaturi ſi *opes* illas, quas ſperant, *cumulatiſſimas effodere* contingat. מטמונים ſunt proprie *Theſauri in gremio terræ defoſſi: ut Jer.* 41: 8. *Prov.* 2: 4. *Eſaj.* 45: 3. Eleganter quoque poteſtas illa captata *Gen.* 43: 23. Quum autem *Mortis ſedes*, ac *Regio*, *ſub terris* concipiatur, apparet quam pulchre hic ſedeat illud מטמונים, ut *Mors* dicatur, *præ abditis Theſaurorum*, ex *imis* terræ *viſceribus veſtigari* quaſi, ac *effodi.* Non probem quoque *effoderent*, quod minuit vim gratiamque figuræ: *Effodiunt*, in præſenti, *deſiderium* cum maxime *flagrans moriendi* ſignanter proponit.

Vſ. 22. Continuatur grande πάθος, & graphice expinguntur calamitoſi *Choream* quaſi & *triumphum ducturi*, ſi *in ſepulcrum* ipſis *deſcendere*, atque *portum* diu *deſideratum intrare* tandem liceret. Tria hic adhibentur verba *Lætitiæ*, & quidem cum incremento illo ſignificationis, quam quodlibet eorum ex Origine ſua poſſidet. שמח proprie *enodem eſſe*, indicat *habitum animi* omnibus *curis*, tanquam *nodis*, *exſoluti*, in lætitiamque *diffuſi.* Sequitur עלז & עלץ *exſultavit.* Tertium gradum infert גול, *ſaltavit in orbem: Choreas duxit.* His omnibus fortius, & venuſtius, *quartum* שוש, *obliquavit oculos*, præ nimio gaudio *natantes.* *Cum ſuperbia* quadam *exultante lætatus fuit.* Hæc ad *Facem Dialecti Arabicæ* accenſa, jucundum lumen præferunt, ad elegantiam complurium locorum accuratius pandendam. Elucet hinc ſtatim, quid ſit השמחים אלי גיל *Lætaturi ad Choream uſque*, eo uſque *nodis* omnibus *curarum exſolvendi*, ut *choreas agitare geſtiant* præ *læta* animi *diffuſione.* Amant duo hæc vocabula conjungi. *Pſ.* 45: 16. תובלנה בשמחות וגיל *ſolemni pompa adducentur cum lætitiis & chorea.* Et *Eſaj.* 16: 10. שמחה וגיל *Lætitia & chorea ſubducta eſt.* Similiter *Joel.* 1: 16. & *Jer.* 48: 33. Cum primis pulchrum illud *Pſ.* 43: 4. אל שמחת גילי *Deus lætitiæ choreæ meæ. Me mactans lætitia exultante*, & *ad choream ducendam* incitante. Geminum plane noſtro extat *Hoſ.* 9: 1. אל תשמח ישראל אל גיל כעמים *Ne lætabundus ſis ad choream uſque*, *O Iſrael*, *ut populi* &c. Alluditur ibi ad *Choreas feſtivas*, in idolorum honorem celebratas. Toto ergo coelo erravit *Ab: Eſra* גיל hic *Luctum* interpretans; quamvis Radicem גול etiam in Malum ſeſe porrexiſſe, nemo mirabitur, qui mirabilem Linguæ volubilitatem attendit, ſimulque Originem ex גיל, quæ eſt *circumvolvi*, *in orbem rotari*, δινεῖν, quod & applicari poteſt, ſerie invitante, ad eum qui *vertiginem* quaſi *doloris* ac *luctus* patitur:

23 לגבר אשר־דרכו נסתרה ויסך אלוה בעדו׃

24 כי־לפני

23 Viro! cujus via occultata eſt: & pro quo prætegit Deus.

24 Quia

titur: quo ſenſu *Hoſ.* 10: 5. הגיל *δινεῖαξ*, cum אבל *Lugere* copulatur. Longius adhuc aberravit *Schmidius*, ex *Dan.* 1: 10. גיל citaus pro *Similitudene*, *imagine*, *umbra*; unde pro textu noſtro exſculpſit *umbram hominis*, id eſt, *mortem:* aitque ſic duo membra *egregie* ſibi reſpondere: *optimumque* fore *ſenſum*, quo *Mors* pingeretur ut *umbra* & *imago non ſolida hominis*, miſero ſe offerens, *qui illa viſa gaudeat*, & *in mutuum quaſi amplexum ruat.* Stupeo nonnunquam, & doleo, *Linguæ Hebrææ* ſortem, quum tanta ſibi permittunt, qui ejus ſcientiam profitentur. Nam גיל eſſe *ſimilitudinem Dan.* 1: 10. ſane haud liquet: *Coccejus* vertit *vigorem*; alii aliud: ego *ætatem* ὁμηλίκων. Infeliciſſime ergo nobis inde *Imago Mortis* confiєta, quam ad *Umbras* redire jubeamus; ut & *Monumentum ſepulchrale*, quod alio conatu idem vir Doєtus ex hac voce eliciebat.

Ibid. Admirabilem hic præbet conſpectum illud ישישו, ſuperiori membro additum pro *cumulo* omnis *gaudii:* ut enim jam inſinuatum, ineſt in eo *ſuperba* quædam, &, ut ſic dicam, *ferocula Lætitia*, *cum oculo natante* & *obliquato* ſeſe efferens, ac quaſi *triumphans.* Hoc in *Originibus*, nec non quod de עלז, שמח, & גיל commonui, luculentius comprobatum dabitur. Habet præterea decus & pondus, illud, כי ימצאו קבר *ſi invenirent ſepulcrum*; repræſentantur enim hi *Calamitoſi*, inter quos ſe vel præcipue ſpectari voluit Noſter, ut die noєteque Mortem *fugitivam* quaſi *requirentes*, in ejuſque complexum venire geſtientes; ſerio *triumphaturi*, ſi *ſepulchrum*, aliis mortalibus tam *formidoloſum*, poſt longa quærendi tædia, & moras, tandem invenerint, haud ſecus ac ſi *opulentam* aliquam *prædam*, aut *viєtoriam*, *reportarent.*

Vſ. 23. Variant opiniones in *nexu*; variant & in *ſenſu.* Cum *vſ.* 22. ſic junxerunt *Rabbinorum* nonnulli, *Qui lætarentur exultabundi*, *quando invenirent ſepulcrum pro Viro cujus via abſcondita &c.* Commodior cohærentia cum *vſ.* 19. *Quare.*, inquam, *dat lucem Viro cujus via abſcondita* &c. quæ communi ferme calculo comprobatur; nec mihi improbatur, quod ſeries illuc videatur vocare, decurrens in hominis calamitoſiſſimi deſcriptione. Sic utrumque membrum *miſeriam exaggerare* deberet. Ea *exaggeratio* diverſimode iterum ex phraſibus hiſce elicitur. Quibuſdam *via abſcondita* & *obſepta* eſt *incerta* vitæ humanæ *conditio*, quid *ſequatur*, aut *fugiat*, neſciens. Hoc generale, & languidum nimis. Preſſius quid dedit *Mercerus*, referens *ad agmina malorum undiquaque ingruentia*, *unde emergi nequeat.* Languet tamen quod phraſin *cujus via abſcondita*, exponat, *qui viam ignorat qua evadat e malis:* alteramque illam ויסך eodem quoque revocet, a סכך *texit*, quaſi *viam elabendi celaret* Deus. Præferrem hoc adſpeєtu aliorum Analyſin a *Radice* שוך, quæ *viam ſpinis horridam* & *interſeptam* ſignat *Hoſ.* 2: 8. atque דרך נסתרה *viam abſconditam*, acciperem pro *via obſcura*, & *tenebricoſa.* Sed eſt adhuc *ſignatius* aliquid, quod gemina hæc phraſis omnino exerere videtur, ſi in malum tendant. Prima extat *Eſaj.* 40: 27. *Quare dicis O Iſraël*, דרכי נסתרה *Via mea abſcondita eſt a Jehova*, *& a Deo meo jus meum abiit.* Inſignis eſt figura, deſumta a *judiciis*, ac *judice*, eodemque *Vindice*, qui *aditum* negat *oppreſſo*, ad *jura* ejus *tuenda.* Ergo *Via mea* נסתרה *Velo ſepta eſt*, vertendum, ex proprietate thematis סתר *Velavit*, *velo prætexit* &c. &c. atque ut apud *Jeſajam Eccleſia*, ſe a Deo non *neglectam* tantum, ſed & *abjeєtam*, *excluſam*, *repulſam*, cum *juris* & *juſtitiæ* læſione, conqueritur; ita hic *Jobus* inſinuare inciperet, quod poſtea ſæpius iterabit, ſe *a Deo indignius haberi* quam *bona cauſa* pateretur; atque *innocenter oppreſſum vexatumque*, *nullas* tamen *vindicias reperire* apud ſupremum judicem: ſed *Eum* e contrario *gravem adverſarium experiri.* Eandem vim inducere poteſt alterum verbum סכך *texit*, *prætexit*; ut. *Thren.* 3: 43.

24 Quia ad modum panis mei venit meum ſuſpirium: & effunduntur ſicut aquæ rugitus mei.

25 Quo-

24 כי־לפני לחמי אנחתי תבוא ויתכו כמים שאגתי׃

25 כי

3: 43, 44. *cum naſo*, indignatione, *prætexiſti*, & *perſequeris nos*; *occidis*, *nec parcis*, *prætexiſti* inquam *tibi* aditum *nube*; *ne penetret precatio*. Apparet iterum *cœlum*, *ſoliumque ſupremi judicis*, *miſero ita præcluſum*, ut Deum experiatur *Adverſarium* potius quam *patronum*: quippe qui per ענן *Nubilum*, *Nubilationem*, *calamitates cœlitus immiſſas*, ſeſe *iratum* declaret, & *deprecationem* omnem *excludat*. Non diſplicebit acerbiſſima querimonia, *Jobi* conditioni, opinionique, congruentiſſima; quæ ſi rite expendatur, ex *adjectu* conturbato quidem, ſed *pientiſſimo*, ac *Numinis reverenti* commota fuiſſe deprehendetur; quum tales voces mitti nequeant, niſi ab eo qui *divinæ gratiæ particeps*, *ſubductum* ſibi *lumen vultus paterni luget*; ſimulque *virtutis*, *pietatis*, *innocentiæque* ſuæ *nullam* omnino *rationem haberi dolet*. In hunc ſenſum ſcopumque collineant quoque, ex parte, Cl. *Schmidii* meditationes, qui *viam* vitæ piæ & ſanctæ *abſconditam* dici putat *coram hominibus*, *propter eventus adverſos*, ex *quibus improbitatis ſuſpectus fiat vir probus*: & סכך ad *ſubductam* quoque *gratiam* applicat. Nonnulla tamen minus recte intellexit; ſaltem minus concinne explicuit. Illud lubens receperim, ex his ipſis verbis anſam arripuiſſe *Amicos Jobi* gravius Eum impugnandi; quippe qui ſe *durius* & *injuſtius*, quam par erat, a Deo tractari, dolentiſſime inſinuatum iviſſet.

Ibid. Ferme exiſtimem acquieſcendum in interpretatione modo exhibita. Quando tamen natura Linguæ alium adhuc conſpectum ſubminiſtrat, ſane quam venuſtum, & *occulto aculeo Amicos Jobi tangentem*, non poſſum quin & hunc præbeam conſpiciendum. Nempe phraſes bonum quoque ſenſum admittere poſſe videntur. Utique שַׂכְתָּ בַעֲדוֹ *ſepſiſti circum illum* adferre *protectionem validiſſimam* vidimus *cap.* 1: 10. Si malis thema שׂכך vel סכך, eandem tibi vim præſtabit *Pſ.* 140: 8. Alterum נסתר *abſcondi*, *velari*, item pro *defendi*, *protegi*, vel citra auctoritatem ullam ſeſe ſatis tueretur. Confer interim *Pſ.* 31: 21. הסתירם בסתר פניך *Abſcondis eos poſt velamentum faciei tuæ*. *Favor* tuus ipſis eſt *latibulum* & *velamentum tutiſſimum*. Hinc jam elicerem in nexu cum *vſ.* 19. *Danda eſt lux & Vita Viro*, *cujus via velata*, *& quem Deus protectione ſua ſepit*. Sic jam olim R. *Saadias*, qui tamen paucos nactus eſt ſequaces. Nempe ſubſtiterat ille in generali ſenſu, *Vitam* & *Lucem* non *ærumnoſo* convenire, ſed felici ac *divinitus protecto*. Hoc non plane extra oleas; ſed dilutius tamen quam par eſt. Si itaque hæc nectendi vertendique ratio præplaceret; dicerem ſubeſſe *ſpeciale* quid, *aculeo* latente *feriens Amicos*, qui ipſi *fortuna proſpera utentes*, e *calamitatibus graviſſimis Jobi ſuſpicionem conceperant*, eum eſſe *Hypocritam*, & *improbum*, qui merito plagis hiſce confoſſus & confectus jaceret. Hoc vel maxime *Jobi* patientiam laceſſiviſſe, eumque ad incitas quaſi adegiſſe, ſupra *cap.* 2: 13. præſtructum. Nil mirum ergo, ſi hic oblique eos taxaret, atque *aculeata* hac *ſententia* pungeret, *Quare datur Vita ærumnoſo &c.* qualis ego? *Detur potius Divinitus protecto*, *& felici*, quales Amici mei, qui *probitatem* & *improbitatem metiuntur fortuna*, vel *proſpera*, vel *adverſa*. Mihi ergo illi *improbo*, ut ſuſpicantur, a Deo hominibuſque relicto, *mortem* ſaltem, ut unicum horum malorum effugium, *invenire* liceat: his autem Amicis meis, *probis*, quia *Fortunatis*, *lux* & *vita* in longum tempus *prorogentur*. Apparet non ſine *acrimonia indignabunda* hoc dici potuiſſe; accedente forte geſtu, digitoque, qui לגבר לו *Viro!* Amicos intendi demonſtraret. Appareret ſic quoque anſa prima concertationis, mox acrius exarſuræ, atque magnis animorum motibus hoc ipſum Argumentum preſſius diſcuſſuræ. In hoc divergio anceps ſententia dubiam trahit mentem: fateor tamen me magis in priorem illam viam, quæ mollius & miſerabilius aliquid offert, & cum ſerie quoque conjunctior eſt, propendere.

Vſ. 24. Laxiſſime *Mercerus* rationem nunc reddi

reddi putat omnium præcedentium, cur *mortem optet*, *vitam oderit*, & *Natalem* quoque ſuum *execretur*. Addit hæc vel de *præſenti ſtatu Jobi* poſſe accipi, vel *de toto vitæ ante actæ tempore*, *quod in aſſiduo timore fuiſſet*, *ne ex felicitate*, *in qua erat*, *excideret*. Poſterius hocce placuit *Coccejo*; qui *Jobum* dicere ſtatuit, *ſe olim etiam*, *quum in* ἀφθόνοις *eſſet*, *nunquam cibum cepiſſe ſine mille gemitibus*, & *rugitibus*; *ob ſollicitudinem ægritudinemque*, *quibus hæc vita referta: quodque hæc ipſa mala imaginaretur ac præſagiret*. Alia in eandem mentem ibi addita, quæ longe a ſcopo deflectunt; & *Jobo* tribuunt *puſillam*, *trepidamque anxietatem*, per totum Vitæ curſum, Viro ſapienti, ac gravi, haud decoram. Felicius cum *vſ. præc.* connexuit *Schmidius*, ut oſtendatur jam, cur *Viam* ſibi dixerit *abſconditam* &c. quod videlicet *ante panem veniret ſuſpirium*, hoc eſt *doloribus* & *anxietatibus obrueretur quoties cibus eſſet ſumendus*; adeo ut *panem capere* haud poſſet. Idem quoque Vir Doctus rectius adhuc τὸ לפני verti poſſe monuit *loco*, *vice panis mei*, *ſuſpirium meum venit*, quamvis locus *Prov.* 17: 18. ab eo adductus, alium adhuc uſum exerat. Ego לפני *ad faciem*, *ad modum*, *ad inſtar*, potius converterem; eamque vim *cap.* 4: 19. planius adſtruam. Sic *Suſpirium ad modum panis veniens*, pulchra & ſublimi figura, poſitum fuerit pro *Nutrimentum* quaſi *quotidianum habere ſuſpiria*, *cordiſque ſemet edentis dolores*. Confer *Pſ.* 42: 3. 1 *Reg.* 22: 27. *Eſaj.* 30: 20.

Ibid. Sequens membrum eandem faciem recipit, *Et funduntur inſtar aquarum rugitus mei*. Referri ſolet comparatio ad *vim* & *vehementiam querelarum magna copia ex ore erumpentium*. Cl. *Schmidius* שאגות *Rugitus* exponit *ploratus in lacrymas reſolutos*. Idem placuerat jam Cel. *Bocharto Hier. part.* 1. p. 750. Eliciunt hoc ex verbo נתך *fundi*, quod alias incongruum foret. Non perſpexiſſe videntur *granditatem Schematis*, quod *Pſalm.* 38: 9. graviter expreſſum שאגתי מנהמת לבי *Rugio præ fremitu cordis mei*. Utrumque verbum *Leonibus* proprium; cum hac differentia, quod נהם ſit *fremuit* Leo *prædæ incubans*, & *obſcura volvit murmura*: שאג magis *Rugitum ſonorum* deſignet. Ergo *Rugio præ fremitu cordis*, eſt, *dum meum cor ſemet ipſum laniat ac vorat* quaſi *intus*, *exiſtunt* ſimul *acres* & *ſonori rugitus ex ore erumpentes*. Eandem imaginem hic aſſumo, & ſub שאגות *Rugitibus Jobi aquarum inſtar effuſis*, repræſento mihi *Cor* ejus *ſemet lanians*, ſimulque *gravem fremitum* intus, *rugitum* extus, *ciens ex ore*, *lacrymis*, ſi velis, *ſimul profuſis*; quas tamen *res* ipſa potius ſuggerit, quam *vis* vocabuli שאגה, aut verbi נתך, quando & *voces*, *clamores*, *fremitus*, *rugitus* eleganter *fundi* dicuntur. Obſervetur præterea נתך grave eſſe verbum, in *liquatione fuſi* & *candentis metalli* tritum, unde latius quidem transfertur, ſed ita fere, ut ad *Originem* alludatur. In *iræ candentis effuſione* adhibetur *Jer.* 42: 18. *Dan.* 9: 11. 2 *Chron.* 12: 7. *Nah.* 1: 6. Ita hic *ardentes* pinguntur *rugitus*, ex *pectore*, aut *corde*, *æſtu* dolorum *colliquefacto* quaſi, *prorumpentes*: & quidem כמים *inſtar aquarum*, hoc eſt ut *pro potu quotidiano* veniant *reſorbendi*, quemadmodum *gemitus* pro *pane* ac *cibo* devorandi erant. מים *Aquæ* cum לחם *pâne* junctim poſitæ, vix aliam interpretationem admittunt: eamque commendavit ante me *Schmidius*. Quod ſi quis *copiam* tamen & *vehementiam aquarum* abeſſe haud poſſe autumet, licebit ei utrumque complecti, ut *potus copioſe profuſus* ſignetur. Tenendæ hic proverbiales formulæ האכיל לחם לחץ ומים לחץ *Comedendum dare panem anxietatem*, & *aquam anxietatem* 1 *Reg.* 22: 27. *Eſaj.* 30: 20. in quibus *anxietates* comparantur *cum paſtu potuque* quotidiano, לחם ומים *Panis & Aqua* dicto *Hebræis*.

Ibid. Nexus conſtat commodiſſimus cum *vſ. præced.* ſi phraſes ibi *exaggerationem* inferant *ærumnarum*. Quod ſi forte poſterior expoſitio alicui præplaceret, egregie omnia vel ſic cohærerent; *Detur Vita Viro Divinitus protecto*, & *cum probitatis fama fortunato ac florenti*; nam *mihi* quidem, qui a Deo hominibuſque *pro improbo abjicior*, ſub acerbiſſimis corporis & animi doloribus, nihil aliud relictum, quam memet ipſum *ingemiſcendo* & *rugiendo conſumere*; pro *quotidiano alimento meo* habens *infinitum* illum, *quo exedor*, & *conſumor*, *mœrorem*.

25 Quoniam quem timui timorem idem mox in me ingruit, & id quod expaveſco incurſat mihi.

26 Nuſ-

25 כי פחד פחדתי ויאתיני ואשר יגרתי יבא לי׃

26 לא

Vſ. 25. Hujus *infinitæ & ineluctabili pondere elidentis anxietatis* cauſa ſubſeritur, quod *terrores alii ſuper alios*, velut agmine facto, *incumbant*, atque *novo* identidem, quin & *aucto impetu*, corpus animumque *concutiant*. Languent, quæ hic appoſuit Cl. *Coccejus*, ut ſupra jam inſinuatum. Dilutum quoque, quod dedit *Mercerus*. A*ſcopo* etiam aliena quæ *Pineda* attulit. Hi ferme reſpiciunt *præcedentem vitam*, quæ *nunquam timore vacaſſet*, quod ſemper *hæc ipſa* mala *præſagiiſſet*, & *mente* quaſi *præcepiſſet Jobus*, in medio curſu ſuæ felicitatis. Hoc qui Doctiſſimis interpretibus in mentem venire potuerit, vix capio, quum a veri ſimilitudine omni abhorreat, *Jobum* tam *dira*, tam *dura*, tam *inviſitata*, atque *inaudita mala*, qualia ipſum oppreſſerunt, unquam præſago futuri metu concipere potuiſſe. Quadrat potius in eum,

Non equidem potui tantum ſperare dolorem.

Proinde commodior eſt ſententia *Schmidii*, omnia hæc de *præſente miſeria* intelligentis, & quidem *ab initio hujus afflictionis uſque ad hoc ipſum momentum, cum ominatione novi abſque fine timoris. Exempli gratia, quum veniſſet unus triſtium nuncius, extimuiſſe eum, ne alius accederet* &c. *atque ſic in doloribus ulcerum, ne hoc vel illud ſuperadderetur: atque id ipſum factum eſſe: quin & ſine mora veniſſe.* Has cogitationes *adſectui Jobi* congruentiores eſſe, nemo dubitet: habeſque in iis illa *denſa* malorum *agmina*, quibus ſe *incurſari*, & *impugnari*, ſine ulla intermiſſione, conqueritur. Particulam כי hic non *Quoniam*, ſed *Quando* valere ſtatuens idem Vir Doctiſſ. vertebat *Quando timorem timeo, tum venit mihi*; &c. Hoc eſt, *ſtatim atque aliquid extimeſcere incipio, adeſt id ipſum, meque obruit.* Mallem *Quum timorem timeo, tum ſupervenit mihi*, nempe novus *timor*, *terrorque*. Eo ipſo tempore quo *terrore* aliquo *concutior*, *alius* inſtat *terror*, *gravius* adhuc me *adfligens*; ita ut *mole* immenſa *moleſtiarum* & *anxietatum* undique ſim coopertus. Verbum אתה *venire*, induere poteſt vim peculiarem *ſuperveniendi & nec opinato invadendi.* Cum primis huc ſpectant quatuor *Gloſſæ*, quibus derivatum אתו اتو declaratur in *Camuſo*, الموت والبلاء والمرض الشديد والشخص العظيم *Mors, & ærumna; & morbus vehemens; & grandior terribiliorque rei ſpecies.* A *ſuperveniendo* hæc ducta, ut obſervavit Cl. *Golius.* Eſt etiam in *Camuſo* forma *paſſiva* اتي فلان *ſuperventus eſt*, pro اشرف عليه العدو *imminuit ei nec opinato hoſtis.* Hinc jam prius membrum ſatis planum eo, quem dedimus, ſenſu. Poſſet quoque כי *Cauſaliter* retineri, *Quoniam pavorem paveo, & ſupervenit mihi.* Hoc eſt, *uno pavore ingruente*, mox *alius*, itemque *tertius*, præcedentibus ſævior, me incurſat, ſine modo, ſine fine:

Undique protelo plagarum continuato.

Huc jam rectius quadrant ea quæ *Schmidius* adducebat. Poſſent adhuc alia iiſdem adjungi *corporis* non tantum, ſed & *animi vulnera dies noctesque incumbentia*, atque identidem *acerbiora*: quibus pro *Cumulo* tandem acceſſit *ſiniſtra* illa *Amicorum ſuſpicio*, qua *meritas luere pœnas* occultorum criminum, cenſebatur.

Ibid. Hoc noviſſimum forte ſpeciatim intenditur in membro poſteriore. *Et quod formidavi, venit mihi.* Poſſet quidem ſenſu generaliore accipi, ſive *Schmidiano* illo, ſive meo, quem modo propoſui, de *formidine alia aliam ſequente & premente.* Sed forte opportunius fuerit illud particulare nunc aſſumere, omnium diriſſimum, quodque *Cumulum impoſuit* ſimul, ſimul *venenum infudit*, omnibus *vulneribus Jobo* inflictis. Intelligo injurioſam & gravem illam *ſuſpicionem*, qua *miſerum innocentem* onerabant non ſolum alii, verum

26 לֹא שָׁלַוְתִּי וְלֹא־שָׁקַטְתִּי וְלֹא־נָחְתִּי וַיָּבֹא רֹגֶז׃

26 Nuſquam eſt defæcatus ſum; nuſquam eſt reſido: & nuſquam eſt quietus recumbo: incurſante concuſſione.

CA-

verum etiam intimi *Amici*, ſapientia, & gravitate conſpicui; ac ſi in *Nocentem* hæcce irati Numinis tela eſſent defixa; larva tandem turpi *Hypocritæ* detracta. Hanc acerbiſſimam omnium tentationum ſæpe deplorat *Pſaltes*, deplorat *Meſſias*. Hanc ut pro ſua prudentia prævidere potuit *Jobus* acceſſuram ſuperioribus plagis: ita pro virtute ſua eandem debuit horrere, & abominari. Huc proinde collineans Noſter, dixiſſe videtur, *Quod formidavi venit mihi*. Etiam *extremum* illud omnium calamitatum in me tandem incubuit, ut pro *noxio* & *ſcelerato traducendus forem*. Verbum יָגֹר *graviorem* infert *formidinem*. A Cl. *Cocc.* aliiſque confertur cum cognato גּוּר, item *metuendi* notione aucto. Sic טוֹב & יטב. רוע & ירע, &c. &c. Id ſi recipiatur, *Origo* ſita fuerit in *divertendo* & *declinando*, quod eſt גּוּר. Sed putem fortius eſſe יגר وجر, *Arabibus* frequens, in *formidine graviore* & *angente*: cujus *primariam vim* eruere nunc non vacat. Ad copiam Linguæ teneatur יָגֵר وَجِرٌ *trepidus*; *anxius*; & יָגִיר وَجِيرٌ idem: nec non أَوْجَرُ אוֹגַר *valde pavidus & anxius*. Sub adſpectu, & relatione, quam hic intendo, adhibetur *Pſ*. 119: 39. הַעֲבֵר חֶרְפָּתִי אֲשֶׁר יָגֹרְתִּי *Amove opprobrium quod anxius reformido*.

Vſ. 26. Alieniſſima ſunt, quæ plerique huc congeſſerunt, vel *in laudem vitæ anteactæ*, quod *carnalem ſecuritatem* nunquam foviſſet: quorſum *Cocceji* quoque cogitata feruntur: vel *in ejuſdem vitæ vituperium*; quod *nunquam vera proſperitate gavisus* fuiſſet; quod *Mercero* placuit. *Schmidii* mentem, ſcopo propiorem, declarat ejus verſio; *Nondum habeo pacem*, & *nondum tranquillus ſum*, & *nondum quieſco*, *quum venit commotio* (*nova*.) Habes ſic ſententiam præcedentis verſiculi auctam, exaggeratamque, ut putat Vir. Doctus. Mihi ea deminui videtur per illa *Nondum*, ter poſita; quæ aliquam ſaltem *interſpirationem* ſupponerent, etiamſi *plenam tranquillitatem* ac *reſpirationem* negent. Atqui ſe *ne minimum* quidem *allevamenti* percipere, inde a quo *gravis* incumbere cœpit *manus Dei*, inſinuatum voluit, ſed contra, molem illam intolerandam identidem *ingraveſcere*, atque *exaſperari*.

Ibid. Ut hoc ſeries querelarum ſuggerit, ita vertendum eſſe apparet, *Non tranquillus ſum*; *non ſido*; *non conquieſco*: & *venit concuſſio*. Ademta mihi in perpetuum *omnis tranquillitas*; & ne minima quidem *interſpiratione* aut *remiſſione dolorum* uti licet; ſed adeſt continua *jactatio*, & *concuſſio* corpus animumque divexans, per quam cogor erumpere in *fremitum*, & *tempeſtatem querelarum*. Poſſet adhuc ſententia nervoſius enunciari, particula לֹא ſubſtantive ſumta, pro οἴχεται, *abiit*, *evanuit*, *Nihil eſt*. *Nuſquam eſt*. Iſtam vim mox *cap*. 4: 6. & 22. preſſius confirmabo. Converterem inde, *Nuſquam eſt*, *Liquido animo ſum*; *nuſquam eſt*, *conſido*; *nuſquam eſt*, *conquieſco*: *at venit concuſſio*. Illi *omnes gradus* majores, minoreſve, *requietis*, mihi calamitoſiſſimo omnium mortalium *funditus perierunt*, atque nihil aliud mihi relictum quam *irrequieta*, noviſque ſemper fluctibus æſtuans, *jactatio*, *qua* dies noctesque *concutior*, terroribus aliis alios prementibus, meque onere immenſo obruentibus.

Ibid. Huic tandem trium ſynonymorum *congeriei* ſubeſſe inſignem *gradationem* recte obſervavit Cl. *Coccejus*; quamvis ſcopum ipſum non tetigerit. Primum שָׁלוֹ antiquam formam hic retinens per *Vaw Mobile*, infert *defæcationem eliquatam rerum pinguium*, ut in Origin. Hebr. Lib. 2. Cap. 3. deductum. Signat ergo hic *tranquillitatem* a *curis* & *fæcibus eliquatam* veluti; eſtque, ut apparet, *ſummus* gradus. *Medium* tenet שָׁקַט *ſidere*, *ſubſidere*, quod aliquanto minus exprimit, relinquens videlicet adhuc *fæces*, *in fundo hærentes*. *Tertium* eſt נוּחַ *conquieſcere*, quod oppo-

oppoſitum τοῦ *commoveri*; & *conturbari*, omnem omnino *quietem* ereptam fuiſſe arguit, ita ut ne minima quidem *remiſſio commotionis* fuerit conceſſa. Animus ferebat harum Radicum *Origines* paulo enucleatius adhuc tradere, & *gradationem* hanc *decreſcentem* confirmatam dare: ſed ſentio hanc longiorem diſcuſſionem in præſenti amputandam.

CAPUT QUARTUM.

Verſ. 1 ET reſpondit Eliphazus Themanita, dixitque.
2 Leviſſimum ſane verbum tentetur adverſus te, fatiſces: at cohibere ſermones quis valeat!
3 Ec-

Verſ. 1 ויען אליפז התימני ויאמר׃
2 הנסה דבר אליך תלאה ועצר במלין מי יוכל׃
3 הנה

Vſ. 1. Non difficulter intelligere eſt, ad vehementiſſimam hanc *Jobi* conteſtationem, & expoſtulationem, qua ſe a Deo hominibuſque derelictum, & immerito abjectum dolebat, commotum fuiſſe conſeſſum *Amicorum*, & partim *commiſeratione*, partim quoque *indignatione* tactum; quod acriter nimis, & impotenter evectus fuiſſe oratione videretur, tum in *Amicos*, quos latenter punxerat, tum in *Deum*, cujus & ſapientiam, & juſtitiam quodammodo carpſerat. Dei ergo cauſam, ut opinabatur, acturus *Eliphazus*; nec ſuam ſane, ut ferme fit, neglecturus, in arenam adverſus *Amicum* deſcendit, atque acri in eum impetu invehitur, ad finem tamen commiſerationis ac conſolationis nonnihil ſubnectens. Univerſa viri oratio *cenſorium* quid *ſpirat*; atque *Oleum* quod dicitur, *Camino adfundens*, vel potius *acetum vulneri*, dolorem *Jobi*, quem mitigare debuiſſet, irritavit, atque crudiorem, intractabilioremque, reddidit. Quæ hoc *Capite* continentur, in *tria quatuorve* majora *membra* commode diſpeſcuntur. *Primum* a *Vſ.* 2. ad 7. exhibet cenſuram *directe* adverſus *Jobum* deſtrictam: *Alterum* a *Vſ.* 7. ad 12. *indirecte*, & acrius adhuc, eum perſtringit. *Tertium* a *Vſ.* 12. ad finem uſque decurrens forte, Divinæ revelationis ſigillo increpationes haſce obſignat. Malim tamen *Quartum* adhuc membrum redordiri a *Vſ.* 19. vel 18. (de quo infra diſpicietur) nectens argumentationem ab *Eliphaſo* ex hoc Oraculo elicitam. Reliquam *Analyſin* cujuſque verſiculi explanatio cuilibet reddet expeditiſſimam.

Vſ. 2. Verbum נסה varie reſolvitur: aliis enim eſt 1. *plur. fut.* in *Kal.* aliis 3. *præt.* in *Niphal.* Circa thema quoque variatur. Pleriſque placuit נשא, unde vertunt *An ſi ſuſcipiemus*, vel *An ſi proferemus verbum*? nec non, *An ſi ſuſcipietur* &c. Duplicem *anomaliam*, quæ ſic admittitur, compenſare cenſebatur *loquendi forma* protrita נשא דבר *ſuſtulit ſermonem*. Videatur *Cocc.* *A Rabbinis* נסה *tentavit* diverſimode huc applicatum; ex *Pihel* quidem, *Num tentavit* Deus *ad te verbum quo defatigaris*? vel *Num ſi tentarit* aliquis *verbum ad te*, *laſſaberis*? Ex *Niphal* vero, *Num ſi tentabitur verbum ad te*, *ægre feres*? Poſtremum hocce reliquis conatibus præferendum. Incommodior tamen interrogatio iſta, quæ anſam dedit multæ ſententiarum diſtractioni. Exiſtimem ה *affirmative* hic ſumendum, ut *Vſ.* 22. hujus *cap.* ubi exempla dabo. Sic rotundior exibit ſententia, *cenſorie* pronunciata, *Tentetur ſane verbum ad te*, *fatiſces*. Majorem adhuc acrimoniam exerit, quod verſioni inſertum, *Leviſſimum ſane verbum tentetur ad te*. Venuſtiſſima eſt phraſis, cui me aliquid lucis fœneraturum confido. Thema
נסה

נסה eſt *tentavit*, *probavit*, *exploravit*. Ex quo fonte primigenio hæ notiones *ſecundariæ* effluxerint, haud conſtat. *Avenarius* reſpexit cognatum נשא *ſuſtulit*, unde exſculpit *Levare* aliquid ad tentandum. Sic *Metaphora* foret a *ponderibus examinatis*. Sat felix cenſerem illud ingenium, ſi nunquam infelicius conjectaſſet; ac proinde nemini dicam ſcribam futilioris *Etymi*, ſi in eo acquieſcere lubeat. Habeo tamen, ni falſus ſim animi, aliquid pulchrius, & auctoritate *Dialecti Sororiæ* commendatius quoque. Scilicet نشا, ult. *Vaw*, quod נסה reſpondere indicavit *Clavis Dialect.* p. 264. *Arabibus* eſt *Exploravit*, *tentavit*, *experimentum cepit*, æque ac *Hebræis*, eoſque ſecundarios uſus non a *levando* derivatos docent, ſed ab *odorando*, ſive *odorem naribus attrahendo*, ejuſve *aura captanda*, quam eſſe *principem* & *antiquiſſimam Formam* hujus verbi, arguit ſignatiſſimus ὀνοματοποιΐας character, qui ſtatim ex ipſo ſono percipitur. Radicis vim & copiam pandet *Gjauharius* النشا مقصور نسيم الريح الطيبة يقال نشيت منه ريحا نشوة بالكسر اي شممت قال الهذلي

ونشيت ريح الموت من تلقائهم
وخشيت وقع مهند قرضاب ۞

واستنشيت الشي مثله ويقال ايضا نشيت الخبر اذا تخبرت ونظرت من اين جاء يقال من اين نشيت هذا الخبر اي من اين علمته قال يعقوب الذيب يستنشيء الريح بالهمز وانما هو من نشيت غير مهموز ورجل نشيان للخبر بين النشوة وانما قالوا بالياء للفرق بينه وبين النشوان من الشراب واصل الياء في نشيت واو وقلبت ياء للكسرة ورجل نشوان اي سكران بين النشوة بالفتح وقال يونس انه سمع فيه نشوة بالكسر وقد انتشي اي سكر *Subſtantivum Naſa*, *per apocopen*, *notat auram odoris boni: dicitur* נשית מנה ריח *attraxi ab illo odorem*, *cum inf. Niſva*, *per Keſra*, *pro olfeci. Sic Hudeilita dixit.*

Et olfeci odorem mortis ex occurſu eorum;
Timuique ictum enſis Indici acutiſſimi.

Similiter in 10. *attraxi auram omnis rei olfacturus. Dicitur quoque olfeci nuncium, quum eum exploras, & diſpicis unde adveniat; ex quo formula, undenam olfeciſti hunc nuncium? pro, undenam reſciviſti eum? Jacobus auctor eſt in* 10. *conj. verbum hoc uſurpari in Lupo odorem exhalantem captante, & quidem ult. Hamzata. Sed revera uſus iſte eſt a verbo noſtro non Hamzato. Item vir* נִשְׁיָן *olfactor nunciorum rerumque novarum, eſt, explorator earundem, cuncta pertentans. Hoc cum je efferunt, ad diſcriminandum vocabulum illud ab altero* נַשְׁוָן *Olfactor vini. Origo tamen illius je in* נשית, *Olfeci, exploravi aura attracta, erat vaw, commutatum in je ob antecedens Keſra. Dicitur autem* נַשְׁוָן *Olfactor ſpeciatim, de temulento auram vini captare ſolito, quæ Neſva* נַשְׁוָה *appellatur: quamvis Jonas aſſeveret ſe etiam niſva efferri audiviſſe per Keſra. Hinc in Oct. conj.* אנתשי *eſt inebriatus fuit.* Nempe *odore veteris Bacchi adflatus.* Confer ad *Harir.* p. 162. Gemina germana dat *Phiruzabadius*, niſi quod moneat promiſcue in *Omni odore naribus attracto* verbum poſſe adhiberi. Addit etiam *Gloſſam* quantivis pretii, in 5. *conj.* تنشي بالشي عاوده مرة بعد اخري *Olfactavit rem*, pro *iterum iterumque eam examinavit*, & *pertentavit.* Cl. *Golius* primæ conjug. iſtam vim ſubjungit, *iterato tractavit rem:* de ſuo addens, *iterum atque iterum in ea oberrans*, quod melius omiſiſſet, quia ideam nonnihil turbat, niſi *oberrare* ſumas pro *inſtantius veſtigare* & *examinare.* Melius quoque *primæ conjugationi* attribuiſſet ſimpliciorem poteſtatem *rem quamcumque tentandi*, de eaque periculum vel *experimentum capiendi*,

quod eſt نشي بالشي *Olfecit rem*, ex fonte jam ſatis liquido, & limpido. Dubitet ergo, qui volet, vel poterit, ſitne hæc *Origo* verbi נִסָּה *tentavit*, *exploravit*, etiam *Hebræis* reſtituenda: mihi quidem ad tam claram lucem oculos claudere nec lubet, nec licet. Quid elegantiæ hinc redundet in varios contextus nunc perſequi longius foret. Illud tantum obſervabo, aliquando fortius *tentamenta* iſta, & *explorationes*, venire, aliquando remiſſius, pro materia ſubjecta. Pro *levi experimento*, ac *periculo* uſurpatur 1 *Sam.* 15: 39. *Dan.* 1: 12. *Deut.* 28: 56. Pro *graviore* adhibetur *Gen.* 22: 1. *Pſ.* 26: 2. & alibi crebriuſcule. Idem in *Latina* Lingua uſu venit, ubi *Experiri* nunc *tenuius* quid adfert, nunc *plenius*, *profundiuſque*. Conſimilis eſt ratio *Tentandi*, quod non a *tendo* ſed a *teneo* derivandum, judice Magno *Voſſio*. *Profundiorem* vim exhibet illud *Cic.* de *Leg.* 1: 22. *Cum ſe ipſe perſpexerit*, *totumque tentarit*, *intelliget*, *quemadmodum a natura ſubornatus in vitam venerit*, *quantaque inſtrumenta habeat ad obtinendam adipiſcendamque ſapientiam*, Contra *tenuiſſimum* eſt hocce *ibid.* 2: 3. *Vix pede tentare poſſe flumen gelidius.* Reperias quoque *tentari morbo* pro *debilitari*, & *enervari*; quamvis vulgatior ſenſus *leviter* tantum *coadfici* agnoſcat. Hæc prudens interpres ex ſerie diſcriminat; quod & hic nobis faciundum. Jam vero ſatis apparere putem circumſtantias attendenti, non *gravem* ſed *levem* hic requiri notionem; quum *Eliphazus* inſinuet, tam *impatientem* videri *Jobum*, ut ſi ab *Amico* vel *tantillum caſtigetur*, atque moderatius ſeſe Deo ſubjicere commoneatur, *ægerrime* ſit *laturus*, quippe qui totus in fermento jaceret; atque adverſus Deum hominesque impotentius exarſiſſet. Tenuiorem hanc ſignificandi poteſtatem etiam *Arabum Critici* annotare non neglexerunt; illuc quippe tendit hocce *Camuſi* ونشبان بالاخبار بين النشوة اي يتخبر الاخبار اول ورودها *Olfactor nunciorum*, *eſt rerum novarum captator*, *ſciſcitans quæque*, *ut primulum allata ſunt*, *ac prætentans.* Illa quidem *Gloſſa* ſtrictius pertineret ad *ſciſcitatiunculas curioſorum*, attamen latius ea extendenda ad *aggreſſiunculas*, & *tentatiunculas* omnis rei.

Ibid. Si cui *deminutio* hæc minus rideat, licebit ei reddere, *ſane temtetur verbum ad te*, *ſatiſces.* דבר ex *Origine* ſonat *ſermonem longiore ſerie ſtructum.* Speciatim nonnunquam *Litem* ſignat, & *conteſtationem*, in judiciis. Sic foret *Tentetur tecum diſceptatio.* Proclivior tamen in *tenuiorem* illum, quem propoſui, *ſenſum*, perpendi velim an non & דבר illuc tendat, quod ſæpe *minuit*; ut Latinis *Verbum*, & *Verbulum*, *breviorem* deſignat *ſermonem.* Mirus *Schmidium* tenuit ſcrupulus, qui monens verti poſſe, *Num ſuſcipiemus vel unicum verbum?* id non valde ſibi probari addit, quia plus quam *unum verbum*, *integrum* nempe *ſenſum* exigit particula אל. An ergo *unicum verbum*, *verbulum*, uſurpare nefas pro *integro ſenſu*, & *oratione omni breviore*? Idem Vir Doctus damnans phraſin *Tentare verbum*, vel *ſermonem*, quia nuſpiam alibi in ſacris occurrit, *Linguæ Hebrææ* vetuſtas opes non reſpexit, atque communem illum erravit errorem, qui *Rem Hebraicam* & preſſit a longo, & premere pergit, quo minus lætior refloreſcat, & priſcæ dignitatis ſpeciem recuperet. Reddiderim itaque *Leviſſime tentetur adverſus te vel verbulum.* Hanc loquendi formam captaviſſe potuit *Eliphazus*, partim *Jobi taxandi* ergo, partim *modeſtiam* erga *Amicos reliquos* obſervaturus, quos *graviora* & *uberiora* allaturos ſimul inſinuare voluiſſe videtur.

Ibid. Verbum תִּלְאֶה diverſas patitur explicationes. Radix לאה *Laſſari*, *defatigari*, *fatiſcere*; *adfligi.* κάμνειν. κοπιᾶν. μοχθεῖν Has notiones agnoſcunt quoque *Dialecti* omnes; primariam poteſtatem tamen nulla Earundem ſiſtente; ne ditiore quidem *Arabica.* Apud *Gjauharium* reperio لاي اي شدة وابطاء ولاي لايا اي ابطا والتاي مثله والتاي الرجل اي ابلس واللاواء الشدة وفي الحديث من كان له ثلاث بنات فصبر علي لاوايهن كنا له حجابا من النار *Vox* לאי *notat miſeriam moleſtiamve: nec non tarditatem. Verbum ipſum valet tardavit in* 1. & 8. *conj. Adhibetur quoque* 8. *conj. pro*, *ad inopiam redactus fuit. Etiam forma comparativa fœminini* לאוא

3 הנה יסרת רבים וידים רפות תחזק׃

3 Ecce caſtigaſti multos: & manus flaccidas confirmaſti.

4 כושל

4 Im-

לאוא *pro moleſtia uſurpatur; ut in Traditione, Qui habet tres filias, earumque moleſtiam patienter fert, præſtant ei velamentum ab igne inferorum.* Hæc firmant quidem notiones *Hebraicas*, ſed *Originem* non aperiunt. In *Camuſo* extat

اللاي الابطاء والاحتباس والشدة

Radix לאי *exprimit tarditatem, & conſtrictionem, & moleſtiam.* An ergo لأي principem obtinuit vim *Conſtringi*? Non dixerim, neque id ex hac *Gloſſa* ſatis evincitur, quamvis facilis hinc & prona deductio *tarditatis, laſſitudinis, moleſtiæque defatigantis*, qua quis *conſtrictus, præpeditus, concluſusque* tenetur. Mirabere ergo forſitan cur non acquieſcam? Ratio hæc eſt, quod لأي pro *conſtringi*, & *ligari*, in *proprio* illo *uſu* nondum deprenderim in Libris. Sic ut dubitem, an non *improprium uſum* magis ſpectarit *Phiruzabadius*, qui eſt *conſtrictum teneri in anguſtiis, unde emergi nequeat. Ad incitas redactum eſſe*, & ſimilia. Dubitationem hanc decernet, qui لأي extra figuram pro *Conſtrictum teneri* producere valebit. Ad *Latina* quod attinet vocabula, *Laſſum* a *Laciendo* derivari, haud abhorret: ut *vaccæ laſſæ* primitus dictæ fuerint, *quæ nimis diu laciuntur* & *emulgentur.* Alterum *fatigatus*, a *fatim agere* deſcendit. *Feſſus* a *fatiſco*, ſive *fetiſco*, quod eſt *fatim hiſco.* Horum aliquid pro *Origine* velle aſſignare verbo noſtro, eſſet *Orienti* legem ponere ex *Occidente*; quod *Avenario* ſolemne; qui *Græcum* λύειν, ob affinitatem ſoni, arripuit, indeque proprietatem *diſſolvendi* exſculpſit. Ceterum iſtud תלאה *fatiſces*, referri poteſt vel ad *ægritudinem*, quod *moleſtiſſime* monitionem Amici *laturus* eſſet: vel ad *impatientiam* acrius *exarſuram* forte, ſi *ad incitas adigeretur*, & *Hypocriſeos* jam palam convinceretur.

Ibid. Egregia eſt Figura, quam Cl. *Schmidius* exhibet in poſteriori colo, עצור capiens vi *imperandi*, quam alibi ſæpiuſcule exerit Thema עצר; *At imperare verbis quis poteſt*; quod alias *temperare verbis.* Eadem elegantia poſitam autumat hanc formulam עצר במלים *imperium inhibuit in verba*, eaque *compeſcuit, manu ori impoſita, Cap.* 29: 9. infra. Reliqui interpretes fere ſimplicius utrobique habent, *Continere verba*, ex notione vulgatiore *retinendi*, & *cohibendi*, unde altera illa *regendi*, & *imperandi* prognata. In *cœlo clauſo*, & *pluviam cohibente* extat *Deut.* 11: 17. In omni *aqua cohibita*, & a fluendo *compreſſa, Job.* 12: 15. Hinc non incommoda duci poſſet metaphora *compreſſi ſermonis.* Primigenia indoles *Thematis* עצר non alia fuiſſe videtur, quam *premere ſtringendo, comprimere arctius*, quod *Arabibus* عصر; cum variis notionibus ſecundariis, quas ex *confuſa*, vel *indigeſta*, Lexicorum *copia, in ordinem redigere*, non erit difficile Linguarum peritis. A *comprimendo* natum *continere*, quin & *imperare* ac *moderari*, via cuivis pervia. Quid autem heic loci amplectendum, ſimpliciusne *comprimere & continere verba*, ea quam indicavi *metaphora*; an ſublimius illud *imperare verbis*, malim in medio relictum, quam audacius deciſum.

Vſ. 3. Directe *Jobum* convicturus *Eliphazus*, tum *impatientiæ* haud *decoræ* Viro Sancto, tum *Hypocriſeos*, quod *Virtutem*, quam aliis inculcarat, ipſe haud præſtaret, abſque ulla circuitione rem aggreditur: eumque hic depingere incipit ut *ſtrenuum* aliorum *Monitorem*, & *Hortatorem*, ad *conſtantiam, fidemque* inconcuſſam in adverſis: verbis *Fortiſſimum*, & plane *invictum*; re ipſa *ignavum* & *infidum pugnatorem.* Huc directæ ſunt omnes formulæ; quas ab *arte Gymnaſtica* eſſe deſumtas doctiſſime obſervatum a Clar. *Rhenferdio* in *Diſſert. Philol.* ubi multam lucem univerſæ huic pericopæ adfudit; ut mihi jam parciori hic eſſe liceat. יסרת רבים poteſt leniore ſenſu dari, *Erudiviſti multos*, nempe *officii ſui*, ad invicti pectoris robur omnibus fortunæ telis opponendum. Poteſt etiam reddi *Caſtigaſti multos, increpans* eos videlicet, ſi *ſuccumbere*,

ſus-

4 Impingentem erigebant tui ſermones, & genua curvantia ſeſe corroborabas.

5 Sed

4 כושל יקימון מליך וברכים כרעות האמץ:

5 כי

aut *animum deſpondere* viderentur. ידים רפות *Manus remiſſæ*, proprie *flaccidæ*, & *pendulæ*, repræſentant *meticuloſum*, *ignavumque militem*, qui abjecta parmula vel fugit, vel adverſario ſe vinciendum, cædendumve, tradit. *Manus flaccidas* חזק *corroborare*, proprie *revincire*, eſt *cohortari ad pugnam*, & *fortitudinis* ſimul *validiſſimas* ſuggerere *rationes*. Hæc paſſim obvia non eſt quod exemplis adfirmemus.

Vſ. 4. Continuatur pulchra imago a *Palæſtra*, & *re Athletica*; ac *primo* quidem *offendentem*, vel *labantem erigere*, præter adſpectum *literalem* cuivis promtuim, ſpeciatim inferre videtur aliquid quod in *uſu morali* utriuſque vocabuli eſt incluſum. Nam כשל eſt *impingere ad ſcandalum*, & *graviora lapſum minari*; הקים vero eſt *erigere* non tantum, ſed & *corrigere*, atque *dirigere*, Jam vero *offendi* ſolent parum fortes & firmi in fide, quum *gravior* aliquis *caſus adverſus* iis *objicitur*, atque *Religio* eorum *concidere* ac *corruere* minatur; quos & *erexiſſe* nunc dicitur *Jobus*, & *correxiſſe*, quin imo *direxiſſe* ſuis ſermonibus, quibus *firmitatem fidemque nulli calamitati cedentem* ipſis inculcabat.

Ibid. Eodem ſeſe referunt, *ſecundo*, & illa, *Genua ſemet curvantia corroborabas.* Phraſis eſt ſignata כרע על ברכיו *curvavit ſe in genua Jud.* 7: *vſ.* 5, 6. Non eſt ſimplex *ingeniculatio*, ſed *totius corporis incurvatio ſuper genibus*, ſive ad *procumbendum*, ut *Gen.* 49: 9. כרע רבץ; ſive ad *adorandum*, ut *Pſ.* 95: 6. 1 *Reg.* 19: 18. *Eſaj.* 45: 23. ſive *ad aliud quid*, quod iſtum corporis ſitum habitumque requirit, *peragendum*: ut in textu *Judicum* allegato, *Ore admoto bibere aquam e fluvio*, aut *lacu*. Hanc ſpecialem vim mire frequentant *Arabes*; cique in *Lexico* ſuo principem locum dedit *Gjanharius*. الكرع بالتحريك ما السماء اذا اجتمع في غدير او مساك (مسال) يكرع فيه وكرع في الماء يكرع كروعا فهو كارع اذا تناوله بفيه من موضعه من غير ان يشرب بكفه ولا باناء *Subſtantivum* כָּרָע *cum duplici phata notat aquam cœleſtem collectam in ſtagnum aut fluentum, ad quam crure flexo procumbitur bibendi cauſa. Radix ipſa* כרע באלמא, *cum fut:* יִכְרַע, & *infin.* כרוע, *curvatus procubuit ad aquam, eſt admoto ore eam hauſit e loco ſuo, abſque ut vel e manu vel e vaſe eandem bibat: quod qui facere ſolet forma part. præſ. vocitatur, procubitor* כורע. pulcherrime hinc *Ibn Doreid*,

من ملّك الحرص القياد لم يزل
يكرع في ما من الذل صري ۞

Qui habenas tradit Cupiditati regundas, non deſinit
Curvatus bibere ad aquam vilitate reſtagnantem.

Alia, quæ ל׳ כרע illuſtrando inſerviunt, alibi producam, & quid כרעים in *membris* ſit, accuratius finiam, ex كراع, *Artus extremi corporis, ejuſque partes quæ procumbendo curvari flectique ſolent.* Dicitur autem ex æquo כרע על ברכיו *Curvavit ſe ſuper genua*; & ברכיו כרעו *Genua ejus ſe curvarunt ad procumbendum.* Hinc ברכים כרעות *genua ſeſe curvantia*, nimis dilute accipi liquet de *Nutantibus* & *infirmis*, quæ *quando homo ſtat*, ut *Schmidius* habet, *ſemper vacillant*, & *corpus ſuſtinere negant, ſic ut tandem corruatur.* Idem tamen obverſatum τοῖς LXX. in γόνατα ἀδυνατοῦντα: nec non *Chaldæo* in דרעלן *quæ intremunt*; qualia ſunt *ægrotantium genua.*

5 כי עתה תבוא אליך ותלא תגע
עדיך ותבהל :

5 Sed nunc tuæ veniunt vices, & fatiſcis: ad te pertingunt, & conſternaris.

6 הלא יראתך כסלתך תקותך
ותם דרכיך :

6 Adeone Nihil pietas tua, fiducia tua, expectatio tua, & integritas viarum tuarum!

7 זכר־נא

7 Me-

nua. Sed hoc nec cum indole verbi ſatis concinit, nec cum ſimilitudine ſuſcepta, quæ nos revocat ad *pugnatorem ictibus ſuccumbentem adverſarii*, & non tantum *de ſtatu*, *graduque*, *dejectum*; verum etiam *in genua procumbere adactum*, *cum corporis incurvatione & projectione.*

Ibid. Tales jam ſolebat *Jobus* אמץ *corroborare*, ac *confirmare*, formula illa ſolenni in præliis, חזק ואמץ *Joſ.* 1: 6. 9. Cl. *Rhenferd.* autumat חזק proprie ad *manus validas* pertinere, אמץ autem *genubus* potius convenire *firmis*, *minimeque flexibilibus*; unde formula iſta adferret vim *Manibus pedibuſque contendendi & annitendi.* Eſt erudita obſervatio, magno Viri ingenio digna, cui favet *Eſaj.* 35: 3. ברכים כשלות אמצו *Genua ruentia corroborate.* Nec obſtat *Prov.* 31: 17. *Brachio* applicitum: migrantur enim in omnibus Linguis *fines* & *termini* antiqui. *Originem* ſuſpicor reſidere in *contentione nervi*, ſeu *tendinis in femore*; quod conjecturæ *Rhenferdianæ* non parum adderet firmamenti. Hujus ſuſpicionis anſam ſatis validam ſi nunc perſequerer, nimis longa mihi diſcuſſio foret inſtituenda. Conſpectum totius loci det Cl. *Rhenferdius. Si quis forte pedem offendiſſet, aut ab adverſario impulſus, vel pugnando feſſus, lapſurus eſſe videretur, mox idoneis, & ex intima arte depromtis verbis, illum erigebas: & Contento poplite gradum, ac ſtatum tenere, & immotum perſiſtere jubebas.* Nihil addo; ſubſtituo tantum pro *lapſuro*, *in genua dejectum ſub gravi ictuum pondere*, quin *ſtratum*, & *humi* jam *procumbentem*, *cum animi deſponſione*, quod ſcopo congruentius.

Vſ. 5 Infert nunc tandem *Eliphazus* illum *extra prælia fortem*, aliorumque in caſibus adverſis *invictum* ſcilicet, tam *magnificaque verba jactare* ſolitum, ſuo ipſius *malo* ita *fractum proſtratumque jacere*, ut juſtam præbeat ſuſpicionem *Hypocriſeos*, & *Virtutis non vivis radicibus nixæ*; ſed *fucatam* tantum *ſpeciem mentientis.* Sub verbis תבוא & תגע Cl. *Cocc.* cum eoque *Rhenferd*: ſubaudiri putat voculam צפירה *circulus*, *ordo*, *ſeries*; ut *Ezech.* 7: 7, 10. באה הצפירה אליך *Venit circulus ad te.* At recte monitum a Cl. *Schmid. ſub lite eſſe*, quid ibi vox iſta ſignificet. Nempe alii *Auroram*, alii aliud exprimunt. Plerique heic loci ſupplent רעה *malum*, vel בעתה *terrorem.* Dixerim *imperſonaliter* enunciata illa duo, aliquid *gravius* offerre, per ſpeciem *Reticentiæ* ſuppreſſum. תלא a לאה, de quo *Vſ.* 2. non tam *ægre ferre* valet, quam *ægritudini ſuccumbere*, & *impatientia fatiſcere*, ut rite jam obſervatum a Cl. *Cocc.* & *Schmidio.* תבהל iidem viri Doctiſſimi recte quoque ad *conturbationem* retulerunt, *cum deſperatione*, vel potius *deſponſione animi* conjunctam. Verbo נבהל ſubeſt duplex poteſtas in *Bibliis*, altera *feſtinationis*, altera *conſternationis.* Cl. *Cocc.* in lexico *priorem* circumſcribit per *præcipitem*, & *ratione fere carentem celeritatem in affectu*, & *in actu*; *qualis eſt eorum, qui ſe ipſos non habent in poteſtate.* Inde *poſteriorem* ſubſumit, *Conſternari ſubito cum amiſſione virium corporis & animi.* Habes in hiſce vim Græci Ἀλύειν quod eſt *temere & ſolute ferri*, unde inter alia transfertur ad *animum impotenti mœrore conſternatum*, quin imo *externatum.* Eadem eſt *Origo* Radicis בהל, *Arabibus* بهل *temere & ſolute vagari*, cujus *proprietatem*, & *ſignificationes*, a *Lexicographis Arabum* non nimis accurate digeſtas, ex hoc fonte facile erit ordinare.

Vſ. 6. Mira eſt verſionum fluctuatio in ſententia haud difficili, ſi modo *ſcopus* loquentis, &

M

& ſeries cenſuræ ejus, ex oculis non dimittatur. *Vulgatus* a genuino ſenſu non procul abfuit, *ubi eſt timor tuus, fortitudo tua, patientia tua*, & *perfectio viarum tuarum*? Id *Doctiſſ. Pineda* ſic declarat. *Nunc tandem tribulatio, quam ſuſtines, prodidit; non veras ſed falſas fuiſſe omnium illarum virtutum imagines, quas præferebas. Vel ſi veræ fuerunt, nunc ſaltem, cum maxime iis opus eſſet, non comparent.* Omnium calculum haud dubie tuliſſet hæc interpretatio, ſi particulam הלא eam pati poſſe judicatum fuiſſet. Monui quidem olim, *Arabibus* هلا ſic ferme ſumi; quum eſt *increpantis*, vel *requirentis*, *Agedum*, *Adeſdum*; ſed nec ſecutus ſum illud tunc, nec nunc ſequendum autumem: quum id quod expreſſi & elegantius ſit, & fortius, & cum perpetuo uſu *Hebræorum* conjunctius. *Adeone nihil eſt Religio tua &c. &c*? Sic concinnanda ſententia, ſi הלא cum *interrogatione* capiatur. Poſſes & cum *aſſeveratione*, quam *Præp.* ה crebriuſcule admittit, *Sane Nihil religio tua, &c. &c.* Non mitior in *Jobum* ferri poterat ſententia ab eo, qui jam ante *ſiniſtras* de viri pietate *ſuſpiciones* conceperat; atque deinceps ob *execrationem* illam *vehementiſſimam* diei ſuæ, eum *impietatis* reum agendum eſſe cenſebat; ſaltem *impatientiæ*; quæ cum *vera virtute*, ac *Religione*, vix ac ne vix quidem poſſet conciliari. Huc univerſa *Eliphazi* cenſura eſt directa: ut mirer Cl. *Coccejum* ſcribere potuiſſe; *Convenit de Eliphazi dicto præſumere, ut viri ſapientis, prudentis, & benevoli. Nam certe Spiritum Dei habuit. Sit igitur inſtitutio, non exprobratio: non damnatio, ſed conſolatio.* Nil horum detraho *Eliphazo*, ſed *Zelo* nimis *fervido* pro *cauſa*, ut opinabatur, *Dei*, eum fuiſſe abreptum, omnia clamant; & *Jobus* noſter *Cap. 6.* dolentiſſime conquereretur. Non poteſt ergo non diluta eſſe ea expoſitio quæ *conſolationem* quærit, ubi *acris caſtigatio* adhibetur; quod & de quam plurimis Aliorum conatibus, qua par eſt magnorum nominum veneratione, dictum eſto. Catalogum variarum opinionum reperies apud *Schmidium*, qui quum difficillimum eſſe hunc verſum præmonuiſſet, hac via rem intricatiſſimam expediri poſſe putabat. *Quæ quæſo, mi Jobe, cauſa eſt, quare adeo impatiens redderis ſub tua cruce? Quo ſpectat prolixa illa tua expoſtulatio? Ego quidem cauſam facile intelligo, eamque tibi indicabo. Nonne timor tuus; quo Deum colis? Nonne confidentia tua, qua in ſanctitate tua niteris? nonne exſpectatio tua & ſpes tua, in te ipſum, & innocentiam tuam, repoſita? nonne integritas viarum tuarum, quam tibi perſuades inculpabilem?* Colligit, compluſculis additis, hunc eſſe *Statum Quæſtionis*, quam diſputandam ſumſerat *Eliphazus*; *An tanta hactenus fuiſſet tamque perfecta pietas Jobi, ut merito illi confiſus nullam calamitatem expectaverit; & Deus, dum ei calamitatem immiſerit, injuſtior ſit? ac proinde merito Jobus conqueratur, & ad calamitatem ſuam conſternetur.* In hac *ſtatus formatione* turpiter erraſſe *Eliphazum* ſubjungit, *qui Jobo imputarit quod ei nunquam in mentem venerit*; *alias ſi vere id ſenſiſſet Jobus, omnino Eliphazum viciſſe* cenſendum fore. Hi calculi, meo judicio, non valde feliciter ſubducti; & qui ſic computant, non poſſunt non ſæpiuſcule rationes alias liquidiſſimas conturbare. Quid audio? *An Jobus non ſenſit ſe immerito in tantum calamitatum gurgitem incidiſſe? An non injuriam ſibi fieri conqueſtus eſt? An non ſe, qui ſinceram erga Deum coluerat pietatem, a tam diris plagis præſervandum ſperaverat? An ſi hoc ſenſiſſet Jobus, Eliphazus viciſſet? vicit* ergo; nam revera id *ſenſit Jobus*; & diſertiſſimis verbis plus vice ſimplici conteſtatus eſt. Hæc propterea paulo latius perſecutus ſum, ut appareret cur præſtantiſſimi virorum, qui in *Jobum* curas nobis ſuas reliquerunt, maximo ſæpe intervallo diſſideant, quin imo ſibi ipſis haud conſtent; nam ſi vel minimum in hac ſerie diſputationum fuerit titubatum, atque a vero ſcopo deflexum, tranſverſim abeatur neceſſe eſt; & vel ad dextram, vel ad ſiniſtram tanto longius deviabitur, quanto filum ſemel minus dextre ſuſceptum longius deducetur. Nempe hoc in *Libro* omnia inter ſe ſic apta, & perpetua catenatione nexa, cohærent, ut ſi hic illic in medio vel tantillum luxaveris, cuncta diſſolvantur, atque periodi, ſententiæve, ſibi invicem reſpondere nequeant.

Ibid. Nihil ultra addam, cur expoſitiones Cl. *Cocceji*, & *Schmidii* ſeponendas ducam; quarum poſterior præſertim coactiſſima eſt, & inducit hiatum, qui non niſi multo tomento poteſt expleri. Coacta quoque eſt verſio Cl. *Merceri*, quamvis ſcopo & nexui conſentiat. *Nonne timor tuus fuit ſpes tua? & perfectio viarum tuarum expectatio tua?* quaſi di-

7 זכר־נא מי הוא נקי אבד ואיפה ישרים נכחדו׃

8 כאשר

7 Memora dum quis ille innocens perierit; & ubinam recti fuerint deleti.

8 Que-

dicat. *An non hoc argumento eſt, quum nunc ingruente calamitate ita turbaris, & debaccharis in Deum, quod ante hac non aliam ob cauſam Deum colueris, quam quia confidebas fore hac ratione, ut te tuaque defenderet, ac ſecundaret. Nunc quum ſecus accidiſſe vides, deficis. Nil ergo in te niſi fictum & ſimulatum, quum ad levem & unam (ut ipſe extenuabat) afflictionem ita ſuccubueris.* Non multum hic deſideres quod ad *Eliphazi* intentionem; ſed verba hunc ſenſum tundere nequeunt, niſi tranſponas ותקותך תם דרכיך, quod voluiſſe videtur Cl. *Clericus*, locum hunc nonnihil mendi habere ſuſpicatus. Haud ſatisfacit quod *Mercerus* abundare dicat *Vaw* in ותם, nunquam enim ſine aliqua emphaſi id fit: & omnino ותקותך requirebatur. Nil opportunius proinde, tum ad conſtructionem, tum ad intentionem Loquentis, quam לא *ſubſtantive* poſitum pro *Nihil*; οὐδὲν; τὸ μηδὲν. Hæc vis *Cap.* 3: 26. jam a nobis adhibita, & mox *inf. Vſ.* 22. adhibenda, ne umbram quidem dubitationis patitur ex *Cap.* 6. 21. כי עתה הייתם לא׃ *Vos etenim eſtis nunc Nihil.* τὸ μηδὲν. *Nullius uſus. Nullius vigoris. Nullius ſolatii.* Eadem emphaſis *Ezech.* 21: 13, vel 18. גם שבט מאסת לא יהיה *Etiam virga contemtrix Nihil fuerit.* τὸ μηδὲν *fiat.* Iterum *Jer.* 33: 25. אם לא בריתי יומם ולילה *Si Nihil fieri poſſit fœdus meum de die & de nocte conſtitutum.* Hinc jam per interrogationem paulo mitiorem, *An Nunc nihil timor tuus &c? Adeone ad nihilum reciderunt magnifica & fortia* illa *verba tua*, *quibus ſolebas Timorem Numinis*, *fiduciam*, *ſpem*, & *integritatem viarum*, tum ipſe *præferre*, tum adflictis *ſuggerere*, tanquam *clypeum*, aut *murum inexpugnabilem*, quibus *graviſſima* quæque *malorum* excipi, ac depelli quirent? Haberet ſic *affixum* in quatuor vocabulis aliquid *acrimoniæ*, & alluderetur ad formulas verborum, *Jobo* familiares ante, & ſolemnes; ut *Timor tuus*, *Fiducia tua*, *ſpes tua*, & *viarum integritas tua*, (ſic enim reſolvi ſe patitur phraſis ותם דרכיך) tantundem ſint ac *Nomina* quæ ſolebas frequentare, *virtuteſque* quas perpetuo in ore habebas. Hanc *alluſionem* tamen & *ſubtilitatem* nimis urgere nolim, ſi teneatur *interrogatio* ſub ה; ſin *adfirmatio* recipiatur, ut *acrior* exiſtet *cenſura*, ita *aculeus* hicce vix poterit abeſſe. *Sane nihil nunc Timor tuus*, *religioſuſque*, quem præ te ferebas, *Dei cultus. &c. &c. &c.* Cuncta *illa tua* nunc planiſſume *ad Nihilum reciderunt*, & vel *ſimulata* fuiſſe deprehenduntur, vel ſaltem non *veræ* ac *vivæ radici innixa*, quippe quæ *adverſis ſuccumbant*, & *tentationem edurare* nequeant.

Vſ. 7. Cenſuram ſuam, *directe* hactenus in *Jobum* deſtrictam, fortius adhuc admoturus *Eliphazus*, indirectæ orationis tela in ſubſidium vocat; atque *Juſtitiam*, & *Sanctitatem* ſummi Numinis defenſurus ſcilicet, dari ſibi cupit vel unum exemplum eorum qui *integri vitæ ſceleriſque puri*, *in tam gravia inciderint judicia Dei*; quemadmodum ipſe catalogum ſatis magnum ſe daturum promittit, atque etiam recenſet, capitum nocentium, quorum pœnas tardiores gravitas earundem compenſarit. Hunc geminum cardinem totius diſceptationis, quam adverſus *Jobum* tam acriter urſere conſpirantes Amici, ſi quis ex oculis dimittat, genuinum ſenſum nunquam attinget, ſed ad commentationes alienas delabetur. Alienum utique quod produxit *Pineda*, ſenſum eſſe *juſtos & innocentes non perire*, *id eſt non deficere in laboribus*, *non abſorberi æſtu dolorum*; *ſed ſubſiſtere in miſeriis*, *eaſque vincere.* Ergo *impatientem* nimis *mollemque* eſſe *Jobum* qui *ſuccumbat.* Longius adhuc abire videtur Cl. *Cocc.* ac ſi non *increpantis* eſſet, ſed *conſolantis & erigentis*, in hanc mentem. *Noli deſperare. Serva integritatem viarum tuarum: ita nunquam peribis, quia recti non pereunt.* Anſam erroris præbuit ambiguus uſus verbi אבד *perire*; quod nonnunquam

quam infert אבדון *interitum æternum*; *maledictamque* conditionem, quæ in ſolos cadit *reprobos*; quum *probos retineat* Deus, addit Clar. Interpres, *ne in gurgitem deſperationis præcipitent*. Hoc ipſum autem evidenter arguere putem, אבד *perire*, & נכחד *exſcindi*, vel propius ad *Originem*, ut conjectura fert, *deleri*, nihil aliud hic ſonare poſſe quam *ſubito everti*, & *ex florenti ſtatu*, *extraordinario Dei judicio*, *deturbari in ſummam calamitatem*. Addidi *extraordinario*, quia *ordinariam viciſſitudinem* fortunæ, *caſuſque adverſos* quibus *juſti injuſtique* obnoxii, nimis ſtulte negaſſet *Eliphazus*, atque non *uno alterove exemplo*, ſed *agmine* exemplorum obrui ac confundi potuiſſet. Rectiſſime *Schmidius*. *Non loquitur Eliphazus de communi omnium hominum calamitate*, *ſed ſingulari*, *& extraordinaria*, *in qua ſunt argumenta iræ divinæ*, *& vindictæ cœleſtis*. Obtulerat ſe etiam *Mercero* hic adſpectus ꝟ *perire*, pro *graviſſime adfligi*; ſed ob ſequens נכחד *deleri* exiſtimavit ſtrictius capiendum eſſe pro *interitu*; atque *Eliphazum* propterea ſic taxat; *heus tu! an quia adfligi*, *& graviſſime quidem adfligi vides Jobum*, *ideo ſtatim periiſſe eum putas*? *Longe falleris. Electos ſuos perire non ſinit Deus. &c. &c.* Sed quid quæſo impedit, quo minus נכחד ſive jam *exſcindi*, ſive *deleri*, adhibeatur in *ſubita* & *gravi clade fortunas alicujus evertente*? Sic utique *Cap.* 22: 20. & alibi ſumi, ignorare non potuit interpres nemini ſecundus.

Ibid. Teneo proinde, tanquam omni dubio vacuum, provocari hic *Jobum*, ut vel unum exemplum commemoret *innocentis integrique viri*, quem *extraordinaria calamitas*, tanquam *fulmen* divinitus immiſſum, tetigerit, ad *Domum*, *Remque* ejus *omnem*, *uno momento ſubvertendam*. Abſurdum eſt anquirere, ſub נקי & ישר *hominemne perfecte ſanctum*, *ſine ullo peccato*, *intelligat* Diſputator, an *eum qui ſincere Deum colit*, *etſi non plane immunem a peccato*; nam prius *Eliphazo* nunquam in mentem fuiſſe potuit, ne ſub illa quidem conſideratione, quam ut verum viri ſcopum tamen ſibi præfigit *Schmidius*, *Si ne illi quidem innocentes*, *quibus ſinceritas ineſt cum imperfectione*, *unquam periere*; *multo minus Deus adeo injuſtus eſt*, *ut perfecte innocentes & Rectos exſcindat*. Id fuiſſet ἀέρα δέρειν, & λεπτολεσχεῖν circa res, ac veritates, extra controverſiam poſitas. Retinendum unice prius membrum, *Non poſſe proferri vel unicum exemplum hominis ſinceram Deo Religionem*, *ſine ulla hypocriſi*, *præſtantis*, *quem extraordinarium* Dei *Judicium* tanquam *tempeſtas e Cœlo immiſſa*, *omnibus* ſuis *fortunis evolverit*, & ex faſtigio proſperitatis ad infimum gradum calamitatis, uno velut ictu, deturbarit. Hic erat *Caſus Luctuoſiſſimus*, & cui ſane parem nulla ſecula viderant, nulla viderent, quo Deus noſtrum patientiæ Heroëm contra omnem expectationem voluit ſtratum, ac dejectum, ut contra ſpem & expectationem quoque omnem victor reſurgeret. Hoc caſu, tanquam fulmine cœleſti, ambuſtus *Jobus*, materiam præbuit haud dubie ſermonibus, primo malevolorum, & inimicorum: mox etiam ſuſpicionibus amicorum occultis, ac dein apertis contentionibus, ac ſi plane fieri non poſſet, ut *ſincerus* fuiſſet *Numinis cultor qui tam diris & extraordinariis plagis horrori publico expoſitus jaceret*.

Ibid. In hunc ſenſum languet nonnihil vulgaris interpretatio vocabuli זכר *Recordare: in memoriam tibi revoca*. Melius *Ellipſin* aſſumſit *Schmidius*, ut ſit, *Recordare quæſo & dic*; addens, ſine dubio *Eliphazum* non tantum voluiſſe ut *Jobus* apud ſe *recordaretur*, ſed quoniam ad diſputationem ventum erat, coram aliis quoque diceret, atque ita *Eliphazum* convinceret. Preſſius adhuc eſt, quod uſus *Arabum* miniſtrat, *Memora*, *commemora*; nam ذكر exponitur a *Lexicographis* gentis, *Memorare* vel *corde*, vel *Lingua*. Item derivatum ذِكْرٌ זֵכֶר & *memoriam* ſignat intus *ſervatam* aut *revocatam*; & *commemorationem*. Uſus *Biblicus* hinc non abhorret, præſertim in *Niphal* ubi נזכר *commemorari*; nec non ſub זכר *ſegolato*, quod *famam*, *nobilitatem*, *celebritatemque* etiam deſignat, a *commemoratione* oriundam. *Origo* altiuſcule retruſa, alibi exprometur.

Ibid. Magna porro *Emphaſis* in מי הוא *Quis ille innocens perierit*? hoc eſt *Quis nominatim a te indicandus vel unicus*? plerique iſtud הוא neglexerunt. Eandem preſſiorem reſtrictio-

8. כאשר ראיתי חרשי און וזרעי עמל יקצרהו׃

9 מנשמת

8. Quemadmodum ego vidi aratores vanitatis, & ſeminatores moleſtiæ, eam ipſam meſſuiſſe.

9. A

ctionem agnovit Doct. *Schmidius*, vertens tamen per Ellipſin, *Quis eſt ille innocens, qui periit*? Id mihi perinde; nec non vertaſne cum eodem, *Et ubinam recti, qui exciduntur*? an magis, *Et ubinam recti deleti ſunt*? איפה *ubinam*, vi compoſitionis ſuæ valet *ubi hic*? per *pleonaſmum* pulcre *Jud.* 9: 38. איה אפוא פיך. *ubi, ubi hic, os tuum!* item *Gen.* 27: 33. מי אפוא הוא *Quis, ubi hic, ille, qui venatus eſt venationem.* Velim obſerves & ibi τὸ מי הוא *Quis ille!* in requiſitione *perſonæ*, & *nominis* ejus; ut אפוא *ubi hic*? eum præſentem ſiſti poſtulat. Notabis porro uſum in diſputationibus ſignatiſſimum, *Job.* 9: 24. אם לא אפו מי הוא *Si non ita ſe res habet, ubi hic, quis ille*? proferatur exemplum, quo refelli queam. Notabilis locus, quod contraria omnia ibi contendantur a *Jobo*, nempe *Inſontibus Flagellum* Dei *inſonare* atque *illudere*, quum *Improbi* contra *regnent*, & *felicitate omni floreant.* Iterum *Job.* 24: 25. *Quod ſi non, ubi hic, quis ille mendacii arguet me: & dicta mea ad Nihilum rediget*? Vides & מי הוא *Quis ille*? eſſe *provocantis*, ad nominatim deſignandum talem de quo agitur, & איפה non tam eſſe *ubi terrarum*, quam *ubi hic*, item *provocantis* ad exemplum aliquod adferendum, quo evinci queat *integrorum* aliquem *deletum fuiſſe.*

Vſ. 8. Vis argumentationis nonnihil debilitabitur, ſi cum *Piſcatore* inſeras *ſed*, ac ſi ita interſtinguenda foret oratio, *ſed quemadmodum vidi; qui arant iniquitatem, & qui ſeminant moleſtiam, metant eam.* Senſus tamen idem manet, quem jam rite expreſſerat *Mercerus*, fine iſto ſupplemento, & quem diſtinctius adhuc enucleavit *Schmidius.* Nempe τὸ כאשר, *Quemadmodum*, rotundam, & elegantiorem, facit cohærentiam, *e contrario provocantis*, ad ſuam ipſius *Experientiam Oculatam*; ſerie ſic ſtruenda; *Commemora dum, Quis ille innocens, perierit?* &c. *Quemadmodum Ego vidi Aratores vanitatis, & ſeminatores moleſtiæ, eam ipſam meſſuiſſe.* Habesne vel unum quem proferas adverſus me, qui multos tibi habeo producendos, *quos ipſe viderim* vel *publicæ*, vel *occultæ* ſuæ *injuſtitiæ*, *graviores* tandem *pœnas luiſſe*, *per judicium* aliquod θεήλατον, & *ſingulare.* Hic eſt *Status Quæſtionis.* Hic *cardo controverſiæ*, per totum Librum pertinens, ejuſque prima, media, extrema, ſuſtinens, a parte *Amicorum Jobi.* Hinc longiuſcule iterum receſſit Cl. *Cocc.* ſubtiliter premens illud כאשר, ac ſi inferret *Occultam comparationem adflictionis piorum & impiorum*, & ſenſus foret, *Non perire pios; perire malos. Habere quidem pios ſuas adflictiones, ut periiſſe videantur; ſed non ita ut impii; ac proinde & perire dici non poſſe.* Scilicet *Conſolatorem mitem* & *prudentem* hic videbat magnus interpres, quum *Caſtigatorem acrem* ſibi proponere debuiſſet, de quo inter alia exclamabitur *cap.* 6. *Fratres mei prævaricati ſunt ut torrens* &c. &c. Itemque *Irruitis in pupillum* &c. &c. Probe nempe perſenſerat *Jobus*, omnia hæc *Eliphazi* tela in ſuum recidere caput, atque *indirectam* nunc adverſus ſe intendi *Argumentationem*, ad *improbitatis* convincendum Eum, quem Deus *tanta clade proſtratum* & *ſubverſum* dederat.

Ibid. Conſtituto genuino ſenſu, pulchritudinem quoque *allegoriæ* illuſtremus. Ejus fundamentum eſt in ſententia *Proverbiali*, *ut ſementem feceris, ita metes.* Imperite *Rabbini* nonnulli τὸ קצר *Metere* retulerunt ad *patrationem mali operis*, poſt *meditationem* & *molitionem* per *Arare* & *ſeminare* expreſſam. Promtum ſaltem habere debuiſſent illud *Prov.* 22: 8. זורע עולה יקצור און *ſeminans iniquitatem, metet vanitatem*; ſi jam aditus ipſis præcluſus ad *Græcum* dictum τὸ κακὸν θέρος ἀμᾶν, quod compluſculis exemplis auctum dabit *Eraſm. Adag. Chil.* 3. *Cent.* 6: 55. Obhæſit quoque *Schmidius* in illa nobili ſane ſententia חרשי און, pro *Aratores vanitatis* ſub-

9 A flatu Numinis perierunt, a ſpiritu Naſi ejus conſumti ſunt.

9 מנשמת אלוה יאבדו ומרוח אפו יכלו:

10 Ru-

10 שאגת

ſtituens *fabros vanitatis*, nimis durum putans illud prius, & phraſin hanc alibi extare in *Scriptura* non credens; quum *fabricare malum* crebro occurrat; & quidem cum hac ipſa *Radice*. *Metaphoram* duplicem ergo inducit, alteram a *fabris*, alteram ab *agricolis*. Induxit Virum Doctum pellacia *Paronomaſiæ*, quam captare ſibi poſſe videbatur inter חרשי אבן *fabros lapidum*, & חרשי און *fabros vanitatis*. Melius *Druſio* obtemperaſſet, tales ſcrupuloſos remittenti ad *Eccleſiaſt.* 7: 13. Ἀροτριᾶν ψεῦδος ἐπ' ἀδελφῷ. Nil etiam evidentius illo *Hoſ.* 10: 13. חרשתם רשע עולתה קצרתם *Araviſtis improbitatem, iniquitatem meſſuiſtis, comediſtis fructum mendacii.* Grandis eſt, ſed conciſior, figura, *Arare improbitatem*, pro *Agrum improbitatis* quaſi, *in eoque ſulcos ducere, ad mala ſemina ſpargenda.* Sic *Æſch.* 7. *ad Theb.* 605.

——— ——— Ὁμιλίας κακῆς
Κάκιον οὐδὲν, καρπὸς οὐ κομιστέος.
Ἄτης ἄρουρα θάνατον ἐκκαρπίζεται

Item in *Perſ.* 823.

Ὕβρις γὰρ ἐξανθοῦσ', ἐκάρπωσε στάχυν
Ἄτης, ὅθεν πάγκλαυτον ἐξαμᾷ θέρος.

Namque injuria herbeſcens fert ſpicam
Noxæ; unde lacrymoſiſſimam demetit meſſem.

Cernis utrobique *Agrum* cum ſua ſibi *ſemente, ſegete, meſſe.* In *Sybillinis* extat etiam,

——— μέγιστον ἀνασταχυώσεται ἄλγος.

Poſſuntque complura huc comportari, ex uſu ſublimiore verborum Ἀροῦν, Σπείρειν, σταχυοῦσθαι, Ἀμᾷν, Θερίζειν, apud *Oratores* & *Poëtas*, quæ aliis colligenda relinquo.

Ibid. Aliquid adhuc reſtat, quod ſilentio tranſmittere non poſſum. Suſpicor hanc *Allegoriam* potiſſimum directam eſſe adverſus *Hypocritas*, *perſonata virtute tectos*; ut *vſ.* 10, 11. *apertius improbi*, & *violenti* depinguntur. Satis favent colores *Emblematici*, quos tamen non nimis premo: magis id elicio ex ſcopo *Eliphazi*, qui longa ſibi Experientia teſtatiſſimum diſputat, *improbos inſigniores*, ſive *occultius ſub Larva religionis* graſſantes; ſive *apertius Leonum inſtar ſævientes*, ſerius, ocyus, a Deo *diſperdi*, etiam in *præſente ſeculo*, & meritiſſimas necopinato dare pœnas. Inde tacite colligendum relinquit *Amico*, *gravem* Dei *Vindicis Manum* experienti, *&* *ipſum* ſi non *apertæ*, ſaltem *occultæ improbitatis reum* eſſe; atque eo nomine *haud immerito ſuſpicionibus* & ſuis, & reliquorum Amicorum, *ſubjacere*; quin potius reapſe jam convictum teneri talium *arationum*, *ſeminationumque*, quæ ipſi *tam acerbam meſſem* importarint.

Vſ. 9. Adfini *metaphora* ſubtexitur *exitium improbis* inſtar *turbinis* ac *procellæ* immiſſum. Huc ſpectant colores illi, *Halitus*, *flatus Numinis*; & *Ventus* vel *Spiritus Naſi ejus*; quos Sacræ Litteræ frequentant in *judiciis gravioribus*, iis præſertim, quæ tanquam *e cœlo prorumpunt necopinanter* non minus, quam *vehementer*. Sic in deſcriptione *ſæviſſimæ tempeſtatis* Pſ. 18: 16. *Revelata ſunt fundamenta terræ ab increpatione tua, Jehova!* מנשמת רוח אפך *A flatu Spiritus Naſi tui.* Hunc conſpectum, a pleriſque interpretibus neglectum, obſervavit Cl. *Cocc.* per *Halitum*, & *ſpiritum*, ſeu *flatum narium* ſignificari monens *potentiam* Dei *iramque*; & commode citans præter *Pſ.* 18: 9. עשן עלה באפו *Fumus adſcendit in Naſo ejus*, illud graviſſimum *Eſaiæ* 30: 33. de *Topheth in profundum latumque conſtructo, quem Rogum* נשמת יהוה *flatus Jehovæ ſimilis torrenti ſulfuris ſit ſuccenſurus.* Agitur de clade *Aſſyriorum* exercitui infligenda, & quidem ut videtur, per *ſævam tempeſtatem*; apparetque Clar. *Schmidium*, quamvis *rem* teneat, quam intendimus, *metaphoram* tamen nimis *tenuem* induxiſſe a *gramine*

10 שאגת אריה וקול שחל ושני כפירים נתעו׃

10 Rugitus leonis, & vox ferocis leonis; & dentes leunculorum revulſi ſunt.

11 ליש

11 Ro-

-*mine marceſcente*, dum *ſiccior ſpirat ventus*.

Ibid. Notandum porro verba *perire* & *conſumi* latius, meo judicio, extendi, ab interpretibus, quam par eſt, quum ad *æternum* improborum *exitium* ea referuntur. Non equidem illud excludimus, ſed *directe* & *primario* intendi non potuit, quia *extra controverſiam* erat poſitum, inter veræ Religionis cultores: ac proinde *veritatem* hanc, *confeſſam* utrimque, tanto conatu probandam ſuſcipere, intempeſtivum fuiſſet. Accedit quod ad *Experientiam* ſuam *Oculatam* provocet *Eliphazus*, quæ utique ad *Inviſibilia mundi*, vel *Futuri ſeculi* arcana, pertingere non potuit. Tertio quum viri *Hypotheſis* ferat, *improbos inſigniores* in *præſenti ſeculo* tandem *vindicem experiri Deum*, atque illuc univerſa ejus diſputatio quoque feratur, dubium eſſe nequit, quin *perire* & *conſumi* hic ſignent *Temporale* & *viſibile* aliquod *exitium*; quo tanquam *publico exemplo* reliqui mortales *Juſtitiam diſcant moniti nec temnere Divos*. Confer quæ *Vſ.* 8. diſcuſſa de אבד & נכחד.

Vſ. 10. Huc collineant quoque Emblemata hoc *Vſ.* & *ſeq.* congeſta. Rejicula plane opinio eſt *Ab. Eſræ* ipſum *Deum* improbitatis *ultorem* hic comparari cum *Leonibus*. Nec illi audiendi, qui *feras* haſce ut *Divinitus immiſſas* proponi volunt, ad *malos male perdendos*. Omnino ſubſcribendum receptiſſimæ ſententiæ, *Leones* figuram præbere *hominum violentorum*, & *injuſte graſſantium*; quos *peſſimos peſſime* tandem *perditos*, & *gravi mactatos exitio* arguat *Eliphazus*. Quid differant quinque nomina *Leonum*, huic contextui inſerta, necdum ſatis planum, quamvis *Hierozoicon* ad nonnulla præluceat. Haud lubet nunc longiori indagini immorari; quæ alias commodius inſtituetur. Verbulo tantum dicam non temere hæc vocabula ſpargi, ſed *Leonum* diverſas pingi imagines, ratione tum ætatis, tum indolis, viriumque, ad tanto certius feriendum, & per hoc vel illud latus *Jobum* quoque jugulandum. Non conceſſerim in ſententiam *Pinedæ*, omnia hæcce applicantis vel ad *Jobum* cum *Liberis & uxore*, vel & ad ſolum *Jobum*, qui ob *tyrannidem*, *ſævitiam*, *truculentiam*, atque alia *vitia*, tum *aperta*, tum *occulta*, omnibus his nominibus inſigniri meruerit: huc enim *aſperitatis cenſoriæ* provectum fuiſſe *Eliphazum* primo hoc congreſſu, abhorret a vero. Non hoc etiam agebat ut ſolum *Jobum* meritas pendere pœnas argueret, ſed oratione ſua complectitur varias ſpecies *improbitatis* & *injuſtitiæ*, præſertim, ut exiſtimem, in *viris principibus*, ac *potentioribus*, qui hoc ipſo quoque charactere *Leonum* imaginem implent. Sane *principes potentia ſua abutentes* hic deſcribi, *judiciaque Talibus* potiſſimum *immiſſa*, partim ob opum *cupiditatem*, partim ob *ſuperbiam*, partim ob *oppreſſionem tenuiorum*, aliaque vitia domeſtica, & familiaria, præpotentibus, pluſquam veriſimile eſt; quum apertum ſit *Eliphazum* provocare ad juſtitiæ divinæ *exempla illuſtriora*, de quibus fama percrebuerat. Multiplicaſſe autem ſuſpicor eum *Leoninos* cum nominibus *characteres*, id eſt *regnantia inter principes vitia*, ut in hoc vel illo ſaltem ſpeculo ſuam quoque imaginem recognoſceret *Jobus*, atque ſe haud immerito pœnas ſolvere graviores perſentiſceret. *Rugitus Leonis*, verbi gratia, commode repræſentat *aviditatem divitiarum* in *rege* vel *principe*, per fas, per nefas, rapiendarum. Sequens character *murmuris Leonini*, poſſet ſpeciatim referri ad *ſuperbiam* aliis *prægravem* & *inacceſſam*. Denique *dentes Leunculorum* ſponte ſuggerunt *oppreſſionem tenuiorum*, & quaſi *commolitionem*, quippe *Molitores* dicti *Eccleſ.* 12: 3. qui פני עניים טחנו *faciem pauperum commolunt*, phraſi *Eſajana Cap.* 3: 15. *Hujus noviſſimi criminis* non *tecte*, ſed γυμνῇ τῇ κεφαλῇ, per eundem hunc diſputatorem accuſabitur noſter *Jobus Cap.* 22: 5.--10. Concludo itaque *Eliphazum* omnino ſub aliqua harum imaginum *Jobum* quoque, ut *capitalis* alicujus *injuſtitiæ* reum, vellicare ac perſtringere voluiſſe.

Ibid. Nonnihil implicat conſtructio, quod unum נתעו ſeſe referens ad *tria* membra

ſin-

11 Robuſtior leo periens ſine præda; & filii leænæ pro præda lacerati ſunt.

11 לַיִשׁ אֹבֵד מִבְּלִי־טָרֶף וּבְנֵי לָבִיא יִתְפָּרָדוּ׃

12 Ad

12 וְאֵלַי

ſuperiora, *poſtremo* tantum convenire poſſe videatur, quum *dentes* recte dicantur *commoli*, aut *evelli: rugitus* & *vox* non item. Creſcit difficultas, ſi *thema* לתע ſit מלתעות *dentes molares evellere*, *frangere*, quod viſum *Cocc.* & ante *Mercero*, ex contrario, ut שרש *Eradicare*, & alia. Nonnulli pro prioribus membris mutuantur ex *vſ.* 9. יכלו *conſumuntur Rugitus* & *Vox Leonum.* Conjectura *Schmidii* fert *Rugitum* & *vocem Leonis* poni pro *Leone rugiente*, & *vociferante*, qui cum *Leunculo dentato commoli* rite dicantur. Id minus hic aptum. Doctius, quod dedit *Coccejus*, eſſe *genus loquendi ſingulare*, *quum uno verbo poſito ſimile ſubauditur*, ut in illo *Theocriti Herc.*

Βιβρωκὼς κρειῶν τε καὶ αἵματος.

Talia paſſim e *Græcis Latiniſque* produxere magni Critici, nec quicquam in hac ſtructura ſcabri, etiamſi indubitatum foret, quod tamen conjectura modo nititur, נתעו eſſe pro נלתעו, idque iterum contrariam exercere notionem *confractorum*, vel *revulſorum dentium:* nam ſtylus Tragicus admittit quoque *Rugitum*, *fremitumve revulſum*, atque inter capitis contuſionem *ex ore* veluti *excuſſum.* Non abludunt illa *Ciceronis* in *Sullana. Excutient tibi iſtam verborum jactationem.* Et, *Noli aculeos Orationis meæ*, *qui reconditi ſunt*, *excuſſos arbitrari.*

Ibid. Preſſius adhuc τῷ נתעו inſiſtendum, nuſquam alibi recurrenti. Non moramur *Aben Eſram*, ad תעה *oberravit*, magno errore reſpicientem. *Mercerum* & *Coccejum* vidimus ex מלתעות *Molaribus* pro לתע exſculpſiſſe vim *fractorum evulſorumque molarium.* Hi non expediunt unde ipſi *Molares* nomen traxerint. Ergo aliis placuit לתע eſſe *Molere*, *commolere*, indeque מלתעות fluxiſſe. Talia quamdiu citra *Dialecti* alicujus auctoritatem diſputantur, ſemper fluctuabunt; alio hoc, alio illud ſpecioſius autumante. Apud *Arabes* لتغ, לתע, ſervatum pro *Momordit*, idem cum لدغ לדע, unde derivatum מלתעות ſemel tantum proſtans *Pſ.* 58: 6. vel *Mordices* ſonare poteſt, vel *Mandibulas*, & *loca dentium.* Cognatum מתלעות diverſam agnoſcit *Radicem* & *Originem* تلع תלע *prominuit* longius, *ſeque exeruit*, ut *prominulos exertoſque dentes* ſignari liqueat. De his ad *Cap.* 29: 17. agetur. Jam collatio *Pſ.* 58: 4. *Deſtrue dentes eorum in ore eorum*, מַלְתְּעוֹת כְּפִירִים נְתֹץ *Mordices*, vel *mandibulas*, *Leunculorum dirue*, veriſimile facit, נתעו pro נלתעו hic eſſe poſitum, unde tunc convertere mallem *mandibula fracta contunduntur*; ſi enim מלתעה eſt *Mandibula*, verbum נלתע aſſumere potuit vim *percuſſæ*, *confractæve mandibulæ*, ut Linguæ periti facile ſentiunt. Addo haud abſimilem vim conſervatam eſſe ſub تغ & نتغ, נתע, *immodicum fluxum ſanguinis e naſo*, aut *ore*, cum *vomitu vehementiore* ſignificantibus. Sic ננתעו, & נלתעו, æquum ferme jus poſſiderent ad *ſanguinolentam oris*, *mandibularumque*, *contuſionem* hic depingendam.

Vſ. 11. Continuatur idem argumentum, atque vindictam divinam *principes injuſtos*, & *prædam* undique *rapientes*, tandem ferire, iterum, non ſine occulto in *Jobum* aculeo, inſinuatur. *Rabbini* quum viderent לייש *Leonem* hic introduci מבלי טרף *ſine præda* inde collegerunt *decrepitam feram* hoc vocabulo deſignari, quæ amplius *venari* & *prædari* nequeat. Celeb. *Boch. Hier. part.* 1. *p.* 720. contrarium plane colligendum fuiſſe rectiſſime commonuit, quia contextus exigit *Leonem robuſtiſſimum*, & *prædæ conſequendæ vel maxime idoneum.* Hanc vim comprobat deinde ex *Arabum* ليث *Leo ſtrenuus* & *fortiſſimus*,

mus, pro Radice adducens 3. *conj.* لايث & 5. تلايث *ſtrenue & animoſe ſe geſſit.* Clar. *Cocc.* in *Lex.* objicit, *Quid ſi Arabicum ſit ab Hebræo?* Nec immerito; quum iſtud لايث & تلايث proprie valeant *Leonis inſtar animoſum & ſtrenuum eſſe*; uti a Clar. *Golio* quoque rite obſervatum. Non tamen propterea Rabbinis accedere debuiſſet noſter *Coccejus*, & ליש exponere *Vetulum Leonem, qui venari amplius nequit, ſed forte oblata opprimit, & ſine laniatu dentium calcat.* Videtur *edentulum* illum *Leonem* exſculpſiſſe ex *vſ.* præced. ubi *Leunculorum dentes cum mandibula revulſi* inducuntur. Sed revera nec hic, nec reliquis locis *Prov.* 30: 30. *Eſaj.* 30: 6. ullo pacto quadrat *Leo Edentulus*, quum contra *robuſtiſſimus*, ac *formidoloſiſſimus* ubique requiratur, quodque *Schmidius* hic, non extra oleas, addidit, *in arte venandi exercitatiſſimus.* Id elicitur ex מבלי טרף sine *præda periens* ליש, *Leo prædandi* alias *peritiſſimus.* Aſſentior interim *Coccejo* iterum, thema non eſſe *Arabum* لايث media *Je*, ſed *Hebræum* לוש *depſuit*, *Arabibus* media *Vaw* لاث, cujus *derivatum* لواث *farina quæ maſſæ inſpergitur*, a *convolvendo* ſic dicta: eſtque hæc *Origo* ꝑ לוש *depſere, ſubigere maſſam* convolvendo, φύρειν. Apud *Chaldæos* etiam extat pro *ſanguine*, aut *pulvere, fœdare*, quod eſt iterum φύρειν. Idem *Arabibus* لاث in 1. *contaminavit:* in 2. *inquinavit* veſtem luto. *Turbidam & impuram reddidit* aquam. Hujus *part. præſ.* اللايث אללאיש in *Camuſo* declaratur الاسد *Leo*, quaſi ὁ φύρων per excellentiam, ut videtur, ſecundum illud *Abulpharag.* p. 62. de *Leone* cum *cane* congredi negante, لا الوث شاربي بدمك *Non depſam myſtaces meos in ſanguine tuo.* Habes expreſſam imaginem *Leonis prædatoris*, qui crebro φύρει, & φύρεται, *prædam in ſanguine & pulvere depſit* quaſi, *indeque depſitur*, id eſt *inquinatur.*

Ibid. Hinc jam prius membrum grandius quid ſpirare incipit, *Leo prædator periens ſine præda.* Hoc non tam refero ad *defectum prædæ*, quam aſſequi non valeat, quam quidem ad *ereptionem prædæ ex mediis faucibus unguibuſque*, unde *fames*, & *mors violenta* conſequantur. Hanc imaginem habes inf. 29: 17. Poſterius quoque colon nimis languere putem, quum יתפרדו *ſeparantur* vertunt, vel *diſperguntur*, nempe *ad cibum quærendum*, quem tamen *non inveniant.* Omnino vertendum exiſtimem, *Et filii Leænæ divelluntur, diſcerpuntur*, & quum alios *lacerare* ſolerent, ipſi viciſſim *lacerantur.* Hanc vim graviorem nonnunquam admiſiſſe noſtrum התפרד *ſeparari, dividi, divelli*, dubitare non patitur natura verbi, ad id ipſum proni, prout *Latinis divellere* non tantum, ſed & *dividere* nonnunquam *violentiam* adfert, ut in illo *Horatii* 1. *Serm.* 1. 100.

—— —— At hunc liberta ſecuri
Diviſit medium, fortiſſima Tyndaridarum.

Sic & *Senec. Agam.* 45.

—— —— Diviſum gravi
Ictu bipennis regium video caput.

Adiſis & *Sil. Ital.* L. 4: 239. ubi *diviſum caput* intelligendum eſſe docet Clar. *Drakenb.* de *diſſecto per medium.* Eodem modo פרם *Diviſit*, apud *Arabes* فرس, ab iiſdem auctum graviore illa notione *diſcerpendi* prædam, *collo oſſibuſque confractis*, unde الفارس *Diviſor* κατ᾽ ἐξοχὴν eſt *Leo.* Sub פרד فرد *ſeparari, dividi*, illum uſum necdum repperi; *Violentam* tamen *divulſionem & diffractionem cohærentium* membrorum infert *Pſ.* 22: 15. & *Jobi* 41: 8. Conferatur & Δαίω *Divido. Partior.* Item *Lacero, ſcindo, vaſto*; quod in Δαΐζω uſitatius adhuc; cujus *Gloſſæ Heſychianæ* ſunt, Δαΐζει. διαρπᾷ. τέμνει. σχίζει. Δάπτει. πορθεῖ. σκυλεύει. Tale eſt illud *Apollon. Rhod.* 1: 758.

—— Ἐπεσύμενος Πελοπήϊα νῶτα δαΐξαι.

Et *vſ.* 814. *ibid.*

Οὐδὲ πατὴρ ὀλίγον περ ἑῆς ἀλέγιζε θυγατρὸς
Εἰ καὶ σὺν ὀφθαλμοῖσι δαϊζομένην ὁρόωτο
Μητρυιῆς ὑπὸ χερσὶν ἀτασθάλου. ——

N Pin-

12 Ad me porro furtivum quoque verbum venit; accepitque auris mea pauxil!ulum de eo.

12 ואלי דבר יגנב ותקח אזני שמץ מנהו :

13 In

13 בשעפים

Pingit ibi *laniatam*, & *membratim diſcerptam ſub noverca*, tanquam ſæva leæna, *privignam.* Adi & *Pſal.* 92: 10.

Ibid. Jam ſupra attigi ſubeſſe *aculeum*, quo *Jobus* tanquam *Oppreſſor tenuium* pungitur. Poteſt ergo *prædator in prædam* datus, & *laceratus*, exponi tum de aliis *potentioribus*, quibus undique *congeſtæ rapinæ* nec opinato *ereptæ*; tum ſpeciatim de *Jobo*, in *direptionem* atque *exſpoliationem* tradito *Sabæis Chaldæisque*.

Vſ. 12. A caſtigatione hactenus deducta convertitur Viri Oratio ad *Revelationem* Divinitus ſibi factam, unde cauſa adverſus *Jobum* ſuſcepta pervinci, atque Loquenti major quoque auctoritas accedere poſſe videbatur. Nempe *Juſtitiam* & *Sanctitatem Dei minuiſſe* cenſebat *Amicum*, impatientius provectum ad querelas, quin & expoſtulationes, majeſtati tantæ injurioſas. Non efficacius ergo hominem & retundi, & revinci, poſſe exiſtimabat, quam *Cæleſti Oraculo*, quod *Infinitam Deo Sanctitatem* vindicat, omni *finito captu* immenſum quantum ſublimiorem, quæ non *Mortalium* tantum, terræque vermiculorum, cogitationes transſcendat, ſed & *immortalium* ac *beatorum ſpirituum* perfectiones quaſi obnubilet, atque obſcuret. Huc omnia collimare tam apertum eſt, ut mirum ſit quemquam hic hærere potuiſſe, aliamve cohærentiam excogitaſſe. Aliud quid quæſitum, circumſpectumque, putem, quod *Eliphazus*, ſi nihil aliud intendiſſet, *Optimam* habuiſſet *Cauſam*, & *Victricem*, cui *Jobus* refragari aut obloqui non ſane voluiſſet. Ad hunc ſcrupulum levandum duo ſunt obſervanda. *Primum*, male ſuppoſuiſſe *Eliphazum* hanc Capitalem veritatem a *Jobo* fuiſſe in dubium revocatam, atque Eum *in Religione* haud ſatis *fundatum*. Alterum, Eundem diſputatorem *Amico* inſinuatum ire voluiſſe, *occulta Hypocriſi* ipſum *deluſum* ſaltem *deceptumque* hactenus videri; ſi jam non dedita opera Larvam induiſſet pietatis. Poſterius tamen non tam fidenter urſerim, quam prius, quod omnino anſam dedit *Eliphazo* agendi *Doctorem*, & quidem *Cæleſti auctoritate* *munitum*, qui *Amico* de *Dei Sanctitate ineffabili* atque *immenſa* minus recte ſentienti *Doctrinam puriorem* inculcare queat, Eumque ad modeſtiores de ſe, reverentioreſque de Deo, ſenſus informare. Id *imprudenter* & *intempeſtive* factum; nam *Jobi Theoria* hac in parte erat ſana, ſolida, completa; quæ *Præceptore Eliphazo* haud indigebat. *Praxis* tantum ejus nonnihil cœperat nutare, & vi dolorum æſtuantium duriora, quam par erat, verba ex ore emiſerat. Prudentiæ ergo fuiſſet, fuiſſet quoque ſapientiæ genuinæ & manſuetæ, excuſare potius talia, quam caſtigare; & non tam *Docere*, quam *Solari*; atque *Jobum* ad principia ſua *blande revocare*, a quibus nonnihil deflexiſſe videri poſſet, quod adverſus Deum tam vehementi oratione quodammodo inſurrexiſſet.

Ibid. Ad phraſes quod attinet, venuſtum quid offert ואלי דבר יגנב *Et ad me Verbum furtim factum fuit*, vel *pervenit*, *allatum eſt.* Varie exponitur. Plurimis placet *furtivum* pro *Clandeſtino*, & *occulto*, quod nempe *de nocte* hæc revelatio contigiſſet; ut mox pluribus indicatur. Id ipſum vero *Schmidium* movit ad *necopinatum* & *ſubitaneum* quid ſectandum; qui adfert *Furis* notam illam ſimilitudinem, in *Noviſſimo Die nec opinanter oppreſſuro*. Id minus nunc congruens. Magis placeret Ejuſdem *Occultatio adferentis ſermonem*, qui *ſpeciem ſuam agnoſci non ſiverit*, ut *vſ.* 16. dicetur. *Furari verbum* ſic adhibitum fuiſſe non abludit a vero, quum κλέπτειν accommodum ſit iis, qui vel *ex inſidiis*, vel *ex abdito* & *inviſibili* aliquid moliuntur, peraguntve. Cogitabam aliquando *Sonum vocis ſubmiſſiorem* indicari, prout *vſ.* 16. דממה וקול *ſilentem vocem* concipiunt plerique interpretes. Sic *Lucian.* in *Amor.* p. 884. κλεπτομένην λαλιὰν & ψιθυρισμοὺς conjunxit: & p. 899. ὑπεσταλμένῳ τῷ τῆς φωνῆς τόνῳ τὸ ῥηθὲν ἔκλεπτεν. Sed id minus concinnum eſſe *vſ.* 16. accuratior expoſitio docebit: & *furari*, *ſuffurari ſermonem* non tam eſt *ſubmiſſe*, quam *minus diſtincte*, *diſerte*, *clare* loquentis; ſic ut nonnulla

nulla verba *ſubducta* & *interverſa* minus percipiantur. Prætulerim itaque ῥῆμα κλεπτόμενον ſenſu illo *Schmidiano*, quum *occulta* & *inviſibilis perſona* loquitur, eo ipſo vehementius adficiens, ac percellens, quo minus vocis auctor ſeſe conſpiciendum præbet. Eſt tamen aliud adhuc, quod commodiorem pleniоremque fundit ſenſum, nam *Verbum furtim allatum* interpretari licet, de *Revelatione per ſingularem gratiam facta*, qualis non promiſcue contingat, non multis quoque, ſed pauciſſimis, quos *Deus eximio* quodam & *arcano favore* dignetur; Regis ad inſtar, *furtim* Amicum interiorem adeuntis, eumque ſingulari quadam præ aliis gratia honorantis. Hoc & *Thalmudicis* dixerim obverſatum, quum in *Gem. Sanhedr. cap.* 10. hunc locum ſic explicant אלי דבר יגנב שמעתי מאחרי הפרגוד *Ad me verbum furtim factum eſt*, valet, *audivi de poſt paragaudam*. Ex *intimo throno*, *poſt aulæum*, *Oraculo* veluti *emiſſo*. Ergo *ſecretius* aliquid ſecum communicatum fuiſſe, inculcatum voluit *Eliphazus*, ut *Oraculo* iſti pondus eximium, ſibique inſignem auctoritatem conciliaret; quorſum omnia eſſe directa ex ſequentibus ulterius eluceſcet.

Ibid. Huc ſpectat ipſum quoque vocabulum דבר, quod per Excellentiam hic ſonat *Verbum revelationis*, ut paſſim apud *Prophetas*. Addo τὸ דבר in hac ſtructura *Verbum revelationis eminentius* ſignare, iterum κατ' ἐξοχὴν ſui generis, quod ex יגנב ad mentem noſtram explicito ſponte conſequitur, & ex altero etiam colo confirmatur, *Accepitque auris mea pauxillulum ex eo.* Ita reddi ſolet vox שמץ, ex raris obſcuriſque, quum ſemel tantum recurrat *Job.* 26: 14. *Fœmin.* forma שמצה *Exod.* 32: 25. extat, ubi plerique ex ſerie exſculpſerunt *infamiam*, שם רע, poſt *Rabbinos*; aut *ludibrium*, poſt LXX. *Belgæ* noſtri maluerunt *deminutionem*, ut *minutum* & *pauxillulum*, quod in gemino textu *Jobi* aſſumitur, utcunque exprimerent. Clar. *Guſſ.* expungit quoque *infamiæ* notionem, vertens פרעה לשמצה בקמיהם *Nudavit eum ut ſit pauxillulum quid in hoſtibus ſuis*; atque *facile ab iis vinci queat.* Ad iſtud *pauxillulum* nonnullis riſit luſus ex מצא & *præpoſ.* ש, *inventa rei portiuncula*; vel ex מצץ *expreſſit ſuccum*, quaſi dicas *id quod guttulæ inſtar eſt.* Huic argutiæ præluſum a LXX. & *Vulgato*, qui *Job.* 26: 14. Ἰκμάδα & *parvam ſtillam* ediderunt. His quum parum ſolidi ſubeſſe ſentiret Cl. *Cocc.* pedem ponere maluit in cognato themate שמע *audivit*, ut ſit *ſuſurrus*, ψιθυρισμὸς, & quidem ὑποκοριστικὸν pro שֵׁמַע *rumor*, mutato ע in ץ *rumuſculus.*

Ei præiverat *Forſterus*, confidenter adfirmans, ſatis perſpicue elucere ex tribus locis vim *auditiunculæ leviter aures ferientis.* Fateor loca *Jobi* favere; ſed *Exod.* 32: 25. duriſſima eſt verſio, *quod Aaron ocioſum feciſſet populum*, *ad auditulum de conſtitutionibus eorum*; quam non ſatis emollit *Cocceji*, *Ad muſſitationem in adverſariis ipſorum.* Doctiſſ. *Schmid.* exploſa quoque *minuti* notione, ut parum apta huic ſedi, conflat nobis ſub שמץ *Vocem in aëre formatam articulate*, & *in aures incidentem.* Hoc ex textuum inſpectione pateſcere ait. Scilicet qui talem ſibi ideam extra textum format, in textu ipſo clariſſime eam cernit, ſibi ipſi oculos præſtringens: nam profecto mihi quidem tam felici eſſe non licet, ut hanc vim videre queam, vel in hoc ipſo contextu, nedum *Exod.* 32: 25. ubi nil dilutius cuiquam in mentem venire poſſet. Hic autem quid aliud quam *ſonum* & *vocem in aëre expreſſam* denotari, docet *vſ.* 16. ubi fruſtra inſertum fuiſſet קול אשמע *Vocem audivi*, ſi illud tam diſerte per *artificioſiſſimum* hocce *vocabulum*, ipſo קול plenius, & luculentius, hic exprimeretur. Eadem de cauſa *ſuſurrus* minus opportunus, nec fundatum quod ὁ πάνυ *Cocc.* ſupponit, *Diſtinguere Eliphazum inter ſermonem*, & *ſuſurrum*; *quaſi diceret ſe quidem verba multa audiviſſe*, *ſed ea ſibi* ἄῤῥητα, *eo quod præ terrore ſuſurrum veluti ſermonis acceperit.* Hactenus ergo minus firma & tuta omnia; ipſum quoque *pauxillum* merito ſuſpectum, quippe quod parum aut nihil habeat præſidii. *Arabum* شلج *pellicula uvæ*; & dein figurate *exiguum quid*, ſono quidem paululum accedit, ſed tertia radicali ita diſcedit, ut parum iis tribuendum eſſe cenſeam, quæ in *prioribus Animadverſ.* vocabuli hujus occaſione tenta-

vi : multo minus cum Cl. *Cromajero* rem dubio vacuam dixerim. In *Clav. Dial.* p. 291. jam ſcrupulum meum indicavi, & *Thema* deperditum שׁמין conferri poſſe monui cum شمع *luſit*, *jocatus eſt*; unde שׁמצה *Exod.* 32: 25. ſit *ludibrium*. Hoc placuiſſe videbam & aliis Viris Doctiſſimis : eaque ſpecie ductus, ad ſimplicitatem & Radicis & ſignificationis tenendam, noſtrum שׁמין non non incommode forte capi poſſe opinabar pro *Tantillum*, *quod ſalivam quidem moveat*, *ſed mox ſpem eludat*. Sic alia ſub facie nobis rediret illud מִשֶּׁהוּ *pauxillulum*, quod heic loci volebant plurimi interpretes. Ubi tamen locum *Exodi* attentius perpendo, tam ſingulare quid, & reconditum, ibi ſubeſſe ſentio, ut in *Ludicro* non auſim acquieſcere. Omnino proverbiale aliquid contineri videtur in Formula repetita, *Viditque Moſes populum*, כי פרוע הוא כי פרעה אהרן לשמצה בקמיהם *quod Nudatus eſſet* ; *quoniam nudaverat eum Aaron ad ludibrium in hoſtibus ſuis.* Habes quidem aliquid ſatis rotundum ; ſed neutiquam fidum firmumque; nam פרע non eſt *Nudare*, ſed *diſſolvere*, *diſſipare*, *diſturbare ſeriem nexam*, *compoſitamve* ; ut *crinium* *Num.* 5: 18. *Lev.* 10: 6. *ordinis* ac *diſciplinæ* *Prov.* 13: 18. Ea eſt proprietas verbi فرط apud *Arabes*, atque inde פרע eſſe illuſtrandum monuit *Clavis Dial.* p. 270. Speciatim iſtud فرط frequentatum in *diſſolvenda* نظام *ſerie nexa margaritarum*, ut ad *Harir.* p. 45. oſtenſum, ubi *formula Proverbialis* prolata انفرط نظامه *diſturbata eſt ſphærula ejus*, vel *ſeries baccarum*, pro *res ejus* fuerunt *diſſipatæ*, *confuſæ*, atque ita *conturbatæ*, ut *reſtitui* non potuerint. Hinc explicandum cenſeo illud dictum, *Viditque Moſes populum* כי פרוע הוא *quod eſſet diſſolutus & diſſipatus*; quod *Legem*, *Diſciplinam*, *ordinem* omnem *turbaſſet*, & effrenis rueret in idololatriam, cum ſumma omnium rerum confuſione. Huic ſententiæ illuſtrandæ *Proverbium* ſubnectitur, originem iſtius locutionis ſub פרע, ſimulque gravitatem rei inſinuans ; כי פרעה אהרן לשמצה בקמיהם *Quoniam diſſipaverat Eum Aaron ad modum ſphærulæ inter hoſtes ipſorum.* Nempe antequam *Hebræi* abſolute פרע adhibuerunt pro *diſſipari*, & *diſſolvi quoad ordinem*, *diſciplinam*, omnemve aliam *compoſitionem* decentem, plena phraſi dicere debuerunt *diſſolutus fuit ad modum ſphærulæ*, aut *ſeriei nexæ.* Hanc *ſeriem* appellatam fuiſſe שׁמצה, non equidem adfirmo, ſed hac ipſa conjectandi anſa inductus ſuſpicor, accedente *Arabico* سِمَاطٌ שׁמוט *ſeries & ordo rerum*, nec non سِمْطٌ שׁמט *Linea*, ſeu *filum quo connexæ ſunt margaritæ*, *baccæve* : item *omne quod collo ornamenti gratia appenditur*. Ita *Gjauharius* السمط الخيط

ما دام فيه الخرز والا فهو سلك

قال طرفه ۞

۞ مظاهر سمطي لولو وزبرجد ۞

שׁמט *appellatur filum quam diu baccæ ei inſertæ manent : alias* שׁלך *vocitatur. Dixit Tarpha.*

> *Mea Linea margaritis conſerta & Zmaragdis.*

In *Camuſo* ſic declaratur, السمط خيط النظم وقلادة اطول من المخنقة *Simt vocatur filum* ſeu *Linea nexarum margaritarum* ; *nec non collare ornamentum vulgari longius.* Apparet idem plane eſſe سمط quod نظام, *funiculus* margaritarum, *Linea.* Venuſtas phraſes hinc formatas produxi ad *Harir.* p. 122. unde tantum teneatur illud *Hiſt. Tam.* p. 312. انحل عقد نظامهم وانفرط *Solutus eſt nodus ſphærulæ eorum*, *& diſſipatus eſt.* Deſcribitur ibi miſerrima *confuſio* & *perturbatio copiarum Tamerlanis.* Eundem uſum admittit & سمط, dici-

13 בשעפים מחזיונות לילה בנפל תרדמה על־אנשים׃

14 פחד

13 In Ecſtaticis cogitationibus e viſionibus nocturnis, quum ſopor altus mortales opprimit.

14 Tunc

diciturque *proverbialiter* انتظم سمطهم *conſerta fuit eorum Linea*, pro *res* eorum *compoſitæ & ordinatæ fuerunt:* nec non contra, انفرط سمطهم *diſturbata eſt eorum Linea*, pro *in omnem confuſionem inciderunt*. Hinc veri ſatis ſimile reddi videtur, פרעה לשמצה *Diſturbavit, diſſolvit eum ad modum ſphærulæ*, eſſe convertendum, ad *extremam & deſperatam confuſionem* ſignificandam, qualem ibi requiri evidentiſſimum eſt. *Arabes* dicerent فرطهم سمطا in *Accuſat: Diſſolvit eos Lineam*, pro *Lineæ ritu:* poſſent tamen & per *præp. Lam* ſtruere لسمط *ad modum Lineæ*, quia ل nonnunquam ſimilitudini ſubſervit; quod tamen rariſſimum eſſe haud diffiteor. Scrupulum hinc oriundum forte levare poſſet *proverbialis ratio*, aliquid extraordinarium captare ſolita, per quam פרעה לשמצה elegantius enunciatum, pro פרעה כשמצה; ut Latinis *ad ſphærulam*, pro *inſtar ſphærulæ*, non tantum vitio careret, ſed & virtutis aliquid exereret, dextre collocatum. Hæc ſi jam iſtius contextus gravitati reſpondere judicentur, שמץ noſtrum nil aliud quoque ſonare poterit, quam *Lineam, nexamque ſeriem, baccarum, margaritarumve*. Dialectos pro ץ *Hebræo* pleruinque ſubſtituere ט vix eſt ut tangam; quum vel a primo limine ſacra hæcce ſalutantibus id ignotum non ſit.

Ibid. Pulcherrima hinc Figura nobis ſubnaſcitur, atque pro *Pauxillulo & minuto*, aliquid *grande* ex gemino contextu *Jobi* eluceſcere incipit, quod reliquæ verborum magnificentiæ, lectoque eorundem flori, congruentius. Nempe שמט سمط *Margaritarum Lineam* transferunt *Arabes*, ad *ſermones elegantiores, digniores ve, pulcra ſerie nexos*. Sic *Harir. Conſ.* 14. فاعجبنا بما نثر من سمطه *Et admirati fuimus nexas quas ſoluta oratione ſpargebat ſphærulas*; id eſt, *elegantiores ejus ſermones* ac *ſententias*. Obſerves سمط ibi poſitum pro نظم *Oratio verſa, & figuratior*, quaſi *nexam lineam & ſeriem margaritarum* referens; cui opponitur نثر *oratio proſa & ſoluta*. Uſu latius manante *uniones & baccæ* ſunt *eximia dicta*, quorſum illud *Haririi Conſ.* 9. طال ما نظم درة الى درة *A longo jam margaritam margaritæ conſertam nexuit*. Vide etiam quæ ad *Conſ.* 1. *p.* 13. & alibi producta. Sentis שמץ hoc adſpectu offerre nobis *ſeriem nexam orationis pulchris figuris*, vel *ſalutaribus dictis, tanquam unionibus, aut gemmis, diſtinctæ*; quæ *imago* & hic mirifice quadrat, & infra *Cap.* 26: 14. concinniſſima reperietur; quamvis ibi aliam adhuc conjecturam forte ſim communicaturus; nam ea quæ nunc adduxi, necdum omnem mihi ſcrupulum exemerunt; ac proinde ut dubitanter propoſita ſunt, ita ulterius eadem examinanda mihi & diſcutienda reſervo.

Ibid. Explicationi huic favet nonnihil phraſis venuſta ותקח אזני *Et accepit auris mea*. Ea adferre videtur *ſingularem* quandam *attentionem*, & *profundiorem* rei auditæ *ſenſum*. Uſus ea etiam *Jerem. Cap.* 9: 19. *Audite ſermonem Jehovæ*; ותקח אזנכם דבר פיו *Accipiatque auris veſtra verbum oris ejus*. Minus commoda foret locutio, ſi שמץ *pauxillulum* ſonaret, & mallem tunc, *Rapuitque auris mea paululum ex eo*. Sed *perſonæ Eliphazi* convenientius putem, *Accepit auris mea nexam inde ſeriem ſalutaris & pretioſæ veritatis*. Sic *Latini, Accipere auribus*, de re gravi & momentoſa, quæ *audientiam* commovet intenſiorem. Item *Recipere auribus*, ſi quid admit-

mittatur, & alto demittatur pectore; quod & *combibere auribus*. Ad pondus fortean pertinet *Auris mea*, *ſing. numero* vividius pingens *ſuſpenſam* quaſi *attentionem*, in rem maximi momenti defixam.

Vſ. 13. Speciem *Revelationis*, per quam דבר *oraculum cœleſte* ipſi erat editum, graphice nunc porro deſcribit, coloribus qui *Apparitionem Divinam per ſomnium* nobis conſignant, qualis narratur *Abrahamo* accidiſſe *Gen.* 15: 11. Nimis tenuis ſenſus eorum, qui *circumſtantiam* tantum *temporis nocturni* hic indicari putant, & quidem μεσονύκτιον, quo ſolent *homines ſomniare*, & *dormire arctius*. Sunt etiam qui *vigilanti* tunc, & *viſa ſomniorum cum animo ſuo*, inter preces, *volutanti*, hæcce eveniſſe autumant. Non diffiteor תרדמה nonnunquam latius patere; genuinus tamen uſus ejus adfert *ſoporem Divinitus immiſſum*, ſive *tam profundum arctumque*; ut ordinarium naturæ *curſum* videatur excedere. Sic habes *Gen.* 2: 21. ויפל תרדמה *Et cadere fecit Deus ſoporem in Adamum.* Item *Gen.* 15: 12. תרדמה נפלה על אברם *Sopor Divinus oppreſſit Abrahamum.* Adde *Dan.* 8: 18. & 10: 9. Utrumque ergo membrum characterem exprimit *Extraordinariæ Revelationis cum ſomnio* & *ſomno Divinitus immiſſo.*

Ibid. Specialius ad primum colon obſervo, *Inter Cogitationes ex viſis ſomniorum*, multo aptius necti cum *ſeq. vſ.* quam cum *præced.*, atque inde etiam opinionem noſtram confirmari; quum enim *Eliphazus miraculoſum* quendam *terrorem* ſibi *incuſſum* dicat, inter has *cogitationes*, has ipſas Divinitus ſibi oblatas & impreſſas fuiſſe innuit. Ad hanc *gravem conturbationem* ſpectat quoque vocabulum סעפים, quod LXX. ἔκπληξις; *Vulgato* eſt *horror*. Recentiores ſimplicius dedere *Cogitationes*, & quidem a סעיף *Ramus*, quod ut, poſt *Kimchium*, notat *Mercerus*, *cogitationes in animo exiſtant tanquam rami ac frondes.* Aliquid enucleatius adhuc reperio apud Doct. *Pinedam. Vox originalis non ſignificat Ramum quemcumque, ſed eum qui in ſummitate cacuminis prominet, aut qui excellit alios longitudine, ut Eſaj. 17: 6. Tranſlatitie cogitationem ſignificat, quæ eſt velut ramus, germen, conceptus mentis; & præſertim eam cogitationem, quæ aliquid peculiare & magnificum habet, cujuſmodi revelationes ſunt, quæ reliquas excedunt, & velut cacumina ac ſummitates arborum prominent.* Hæc nimis ſubtilia quidem, aliquid tamen veri habent; lucemque fœnerantur ex notionibus vocabuli apud *Arabes* ſervatis, quibus شعفة שׂעפה eſt *cacumen montis*, plane ut סעיף סלע *Eminentia petræ* extat *Jud.* 15: 8. Ad *arborem* quoque transfertur, ejuſque *frondoſiora cacumina:* unde ad *Capitis* porro *Comas prominentiores*, ſive *Capronas Antiaſque* applicatur. Hunc uſum habes *Eſaj.* 17: 6. & 27: 10. & *Eſech.* 31: 6. 8. Tertio *Caput cordis* exponitur in *Golio*, ad quod intelligendum, ut & alia, quæ ſub hoc themate شعف minus peritis crucem figere poſſent, ipſos recludam fontes. *Gjauharius* ſcilicet propoſita notione *Verticis*, *in monte*, in aliis, ita pergit

والشعاف راس الجبل وكذلك الشعوف وشعفه الحب اي احرق قلبه قال ابو زيد امرضه فقد شعف بكذا فهو مشعوف وقرا الحسن قد شعفه حبا قال بطنه حبا

Etiam שׂאף *vocatur caput venæ unde cor pendet: itemque* שׂעף: *unde verbum ipſum uſurpatur in amore cor accendente. Abuzeyd ait, cor adfligente. Paſſive enunciatum, eſt, inſanum quantum adfici aliqua re, cum part:* משׂעף *dementatus. Haſenus producit phraſin, Amore* שׂעפה, *quod exponit, intime adfecit.* Habes & ex *Camuſo* شعاف *inſania*; quales *Gloſſæ* in *Lexicis* confuſius poni ſolitæ, neſcio quam caliginem oculis offundunt, quæ nec *Linguæ* naturam, nec convenientiam cum *Hebræa*, perſpicere ſinat. Exempli gratia, ſi non ultra *Lexicon* ſapiatur, nil aliud colligi poterit, quam hoc شعف adferre tantum *Inſaniam amoris*; ac proinde nihil ei commune eſſe cum noſtro שׂעפים: quum tamen *Amor* ſpeciminis tantum cauſa proponatur a *Lexicographis Arabum*, ad *ceteros adfectus vehementiores* eandem vim extendendam eſſe ne monentibus quidem; niſi quod in *Camuſo*

14 פחד קראני ורעדה ורב עצמותי הפחיד׃

14 Tunc pavor increpuit me tremorque: & quam multum oſſium mihi perterrefecit.

15 ורוח

15 Nam

muſo nonnunquam id fiat; uti in hoc ipſo verbo. والمشعوف المجنون ومن اصيب شعفة قلبه بحب او ذعر او جنون משעוף *appellatur dementatus: omniſque cui ſumma cordis vena eſt adfecta amore, aut terrore, aut inſania.* Eaſdem *cordis in ſumma Vena adfecti, commoti, perturbati*, atque ita *graviore* quodam *adfectu obſeſſi*, & *oppreſſi*, ideas frequentant etiam ſub شغف; ſæpe enim uni *Radici Hebrææ* geminam *Arabicam* reſpondere in *Clavi Dialect.* multis eſt pervictum. Sunt itaque, ut vela contraham, שעפים *Cogitationes graviores, Curæ totum cor occupantes*, idque *intime adficientes* atque *ad ſe trahentes*, ut in *Amore*, unde pulchrum illud proverbium 1 *Reg.* 18: 21. פסחים על שתי הסעפים *Claudicantes ſuper duobus Adfectibus*, & *Amoribus* quaſi *Religioſis*. Huc revocaverim *Pſ.* 119: 113. סעפים שנאתי ותורתך אהבתי *Amores inſanos* & *adfectus turbulentos odi: ſed legem tuam amo.* Poſſes & aliter, de quo latius alibi. In noſtro textu סעפים, & *Jobi* 20: 2. per *Sin* שעפים, ſunt *conturbatæ cogitationes, extraordinario* aliquo *motu totum cor ad ſe rapientes*; unde ſententia noſtra, ἔκςασιν ipſam, ſive ἔκπληξιν potius, hic deſcribi, haud parum corroboratur.

Ibid. Eodem quoque pertinet בנפל תרדמה *Quum cadit ſopor altus in mortales.* Radix רדם in *Origine* idem, haud dubie, ſignavit quod ردم *Arabum*, tritum pro *obturavit*, & *obſtruxit*, unde رَدْمٌ *obſtructio firmior*, & *inſuperabilis*; ſpeciatim *Murus ille ferreus*, دمير قپي *Demir capi dictus Turcis*, *alias Derbend*, *quem ad Jagogum & Magogum compeſcendum*, conditum fuiſſe memorant. Nempe ut eſt in *Camuſo* ردم الباب والثلمة سدّه كله او هو اكثر من السد *Thema* רדם *de porta, aut rima, eſt obſtruere univerſam; aut etiam obſtructione ipſa eſt fortius.* Exprimere vult *obturationem* multo *graviſſimam, quæ vix ac ne vix quidem poſſit rumpi*, aut *aperiri.* Hinc נרדם *altiſſimo ſopore opprimi*, & *quaſi obſtructum jacere.* Hanc emphaſin omnia loca palam præ ſe ferunt, in quibus etiam ubi de *Naturali ſomno* agitur, illud ἐκςατικὸν captatur; ut *Jon.* 1: 5, 6. *Prov.* 19: 15. Signanter dictum 1 *Sam.* 26: 12. תרדמת יהוה נפלה עליהם *Sopor Divinus eos oppreſſerat.* Succinit verbum נפל *Cecidit*, quo *immiſſum* Divinitus *ſoporem* commodiſſime exprimi ſentis. Non caret etiam ſua gratia noviſſimum באנשים *in Mortales*; quod vulgo extenditur ad *omnes homines.* Ex noſtro ſenſu reſtringendum eſt ad *Homines*, *quos* Deus *in ſomnio alloqui* dignatur, qui אנשים *Mortales* hic appellati, ut innuatur Eos tunc vel maxime perſentiſcere quam *Debiles* ſint, & *imbecilli*, ad *Majeſtatis Divinæ* præſentiam ſuſtinendam. Confer *Gen.* 15: 11. *Et Job.* 33: 15.

Vſ. 14. Iſtud *Mortali* vix *tolerandum pondus*, quod *Numinis præſentis ſacro horrore percellit, concutitque*, hac ipſa anſa attexitur, exquiſitiſſimis phraſibus. Prima eſt, *Pavor increpuit me tremorque.* Vocabulum פחד *pavor* conſonat quoad Originem cum *Græcorum* ὀῤῥωδία, in quo ineſſe creditur *metaphora* ab animantibus, quæ dum *pavitant*, *caudam ſubter femora ſubſtringunt.* Hoc infra opportunius pandetur. Alterum רעדה deſignat *tremorem* & quidem *vehementiorem.* Confer pro noſtro uſu *Dan.* 10: 11. *Arabibus* رعدة eſt *tremor quo membra torpent & rigeſcunt.* Hæc nunc non perſequar. קראני *Inclamavit me, increpuit me*, à pleriſque reducitur ad קרה, ut ſit, *Occurrit, Obvenit mihi.* Id non incommodum; habetque quo firmetur, quum

quum קרא, & קרה vices commutent. Sic *Gen.* 42: 28. קראהו אסון; quod *Gen.* 44: 29. קרהו אסון *obvenit ei noxa.* Iterum *Jer.* 32: 23. ותקרא אתם את כל הרעה הזאת *Et feciſti obvenire iis omne hoc malum.* Et 13: 21. מדוע קראוני אלה *Quare mihi obvenerunt iſta.* Accedit formula לקראת *in Occurſum*, perpetuo *Aleph* præferens, unde colligi poſſe videtur duo themata קרא *appellavit*, *compellavit*, & קרה *occurrit*, eandem habere *Originem.* Hanc, ſane quam profundiſſimam, in præſentia eruere haud vacat. Liceat mihi interea temporis aliquid proponere, quod a *Genio* Linguæ, & *Stylo* Libri hujus, non videtur abhorrere; *Pavor inclamavit me*, & *tremor*; id eſt *cum clamore quaſi irruit*, *invaſitque.* Apud *Arabes* etiam قرا *ult. Aleph. vocavit*, *clamavit*, *legit*; & قرا *ult. Vaw* vel *Jod*, *recta petiit* & *intendit*; *obviam ivit* alicui, *occurrit*, & alia, ſic differunt vivo uſu, ut eandem tamen ſtirpem redoleant. Si קרה quis malit retentum, licebit ei convertere, *Pavor invaſit me & tremor*, quod fortius quam *obvenit.*

Ibid. Venuſte & graviter additum, ורב עצמתי הפחיד *Et multitudinem oſſium meorum perterrefecit.* Iſtud רב *Mercero* ſignat *magnam partem.* Riſit hoc Cl. *de Dieu*, reddenti, *pleraque oſſa mea*, & improbanti plenius illud aliorum, *Quantum eſt oſſium meorum*, quia רב nunquam *univerſitatem* deſignat. Hoc ſi verum, præferendum haud dubie eſſet aliorum *Multum*, adverbialiter, μεγάλως, ut *LXX*; nam *pleraque oſſa* merum frigus eſt. *Schmidius* רב poſitum putat pro כל רב πᾶν τὸ πλῆθος, ut *Coccejo* quoque viſum. Non ceperunt Viri Doctiſſ. floſculum Orationis, quo *Multum*, & *parum* abſolute valet *Omne*, & *Nullum.* In *Hamaſa* Poëta vetus.

كثيرا ضواحيها قليلا دفينها

Multi eorum ſoli expoſiti; *pauci humati.*

Ubi *Tebrizius* قوله قليل لم يرد ان القليل منهم دفنوا ولكن اراد انهم لم يدفن منهم احد *Quod dicit pauci, non iſtum habet ſenſum, ac ſi nonnulli eorum eſſent humati; ſed omnino ullum ex iis humatum eſſe negat.* Ergo *multi* quoque tantundem ac *Omnes.* Iterum in *Hamaſa* Heros ille Celebratiſſimus, cui تابط شرا *Malum portat ſub axilla* nomen inditum, ſuam ſtrenuitatem profitetur hiſce

قليل التشكي للمهم يصيبه كثير
الهوي شتي النوي والمسالك

Paucus querimoniæ ob dirum quid ingruens;
Multus curarum; diverſus arduorum itinerum.

ubi *Tebrizius*, استعمل لفظ القليل لنفي الكل *uſurpat vocem paucus ad negationem univerſalem.* Addo *Multus* eſſe, ve. *perpetuus*, vel *totus*, quippe qui ὅλος καὶ πᾶς ἦ *in curis Heroicis.* Cernis ſpeciem *idiotiſmi* ex ſerie facile dignoſcendi; quemadmodum textus noſter *univerſitatem oſſium* aperte poſtulat, ſi רב *multitudinem* hic deſignet: itemque *Cap.* 33: 12. infra ורוב עצמתיו איתן *Et multitudo oſſium ejus perennis*; hoc eſt, *Quantum ei oſſium*, *perenni* hactenus *medulla vigentium.* Aperiam alium adhuc conſpectum; nam *multitudinis* notio eſt ſecundaria ſub רבב, a primaria *ſpiſſioris compactionis.* Inde ורב עצמתי הפחיד verti poteſt, *& compactionem ſpiſſam oſſium meorum perterrefecit:* ubi jam *omnia oſſa* per ſe intelliguntur, *intus* quaſi *concuſſa*, ac *præ terrore* vehementiſſimo *conturbata.* Contendas velim illud *Jerem.* 23: 9. *Confractum eſt cor in medio mei:* רחפו כל עצמתי *palpitarunt omnia oſſa mea:* proprie *emollita ſunt*; *ſpiſſa* & *robuſta firmitate eorum in mollitudinem* ceræ veluti *colliquefacta.*

Vſ. 15.

15 ורוח על־פני יחלף תסמר שערת בשרי׃

15 Nam ſpiritus ante faciem meam identidem pertranſibat: horripilante carnis meæ pilo.

16 יעמד

16 Ste-

Vſ. 15. Novæ ſubnectuntur circumſtantiæ, quas anceps eſt referaſne proxime ad *ſeq. vſ.* an ad *præced.* Pendet hoc a voce רוח *ſpiritus*, qui aliis eſt *Divina perſona*, aliis *Angelus*, aliis *ventus*. Poſtremum placuit *Coccejo*, conferre jubenti 1 *Reg.* 19: 21. *Act.* 2: 2. Calculum adjecit *Schmidius*; nec ego ab hac ſententia alienus; quum cernam verbum חלף in *ventis* quoque adhiberi, *Eſaj.* 21: 1. כסופות בנגב לחלוף ממדבר *ut turbines auſtrales ſolent pertranſire e deſerto.* Ineſt in hoc verbo חלף *impetus* tranſeundi *identidem repetitus*, & *per vices continuatus.* Narraret ſic *Eliphazus*, ante *Numinis faciem* præmiſſum fuiſſe *ventum vehementiorem*, qui ejus *adventum annunciarit.* Qui ipſum *Numen*, *Spiritumque Dei*, vel & *Angelum* intelligunt, non ſatis commodam explicationem dare poſſunt verbi יחלף *pertranſibat*; quod *meatum*, ut dixi, adfert *continuatum identidem*, & *recta ulterius pergentem.* Hoc *vento* aptiſſimum, *Spiritui* non videtur ſatis convenire.

Ibid. Verbum סמר a *Rabbinis* tranſitive refertur ad רוח *ventum*, vel *Spiritum*, ut ſit, *inhorrere fecit.* Admittit eam conſtructionem anceps genus רוח; etiam in eadem ſeſe periodo nonnunquam exerens, ut *Job.* 1: 19. 1 *Reg.* 19: 11. Similiter hic רוח יחלף; & תסמר. *Coccejus* tamen hoc minus teres cenſens, maluit ſub Ellipſi, *Spiritus contra faciem meam pervadebat*, idque *horripilare faciebat pilos carnis meæ.* Monet *Reciproce* etiam ſumi poſſe, *Horripilavit ſe.* Simplicius, quod *Mercerus* dedit, *Inhorruit pilus*, ut *Pſ.* 119: 120. *Pihel* hic ſignificationem intendente, ut ſæpiſſime ibi intranſitiva vis retinetur. *Jer.* 51: 27. grandi figura poſitum העלו סוס כילק סמר *Educite equum ut locuſtam horrentem.* Hæretur in ſimilitudine, nam *locuſta piloſa*, iiſque *pilis horreſcens*, nuſquam reperitur. Hinc *Erucam hirſutam* alii aſſumſere. Refutatur in *Hieroz.* p. 2. p. 455, 456. ubi docet τῶν *Locuſtas* habere *pilos in capite*, quos erigens videatur ὀρθοτριχεῖν, quum & *Claudianus* de *Locuſta* dixerit.

Horret apex capitis. ——

Addit, non tamen neceſſario *Locuſtam horripilantem* intelligi; quum & reliquo corpore poſſit *horreri*, adeoque & *depilis beſtiola* recte dici queat *horrens*, quæ toto corpore *cohorreſcat* ad conſpectum hoſtis imminentis, atque *ſemet ad defenſionem paret.* Nollem ſcriptum a Viro magno, nam nimis ſic langueret comparatio; quæ ne quidem ſatis vigebit, ſi cum aliis dederis *Locuſtam horribilem*, quorſum tandem *Bochartus* quoque inclinat; quod enim *Calvinus* annotat, *equos* hic cum *Locuſtis* componi ob *multitudinem*, non ob *robur bellicum*, paucis, credo, perſuadebitur. Omnino סוס *equus* ſumi debet pro *equitatu.* Hic & ob *multitudinem*, atque *agmina denſa*; & ob *robur bellicum*, cuncta *pervaſtans*; & ob *tela* atque *haſtas*, quibus *copiæ* iſtæ *horrerent*, contenditur cum ילק סמר *Locuſtis horripilantibus*, *pilos ſuos arrectos protendentibus.* Secundum illud *Virg.* 10. 178.

Mille rapit denſos acie, atque horrentibus haſtis.

Huc pertinere quoque poſſet Gloſſa in *Camuſo* ſub Radice سمر, cujus 2 *conj.* apud Cl. *Gol.* exponitur inter alia *Celcriter vibravit ſagittam.* Uſitatior notio eſt *Clavis compegit, confixitve.* Is *clavus*, ſpeciatim *ferreus*, appellatur مسمار ſignificatione *Hebræis* quoque cognita; duplici forma מִסְמָר & מַסְמֵר 1 *Chron.* 22: 3. *Jer.* 10: 4. *Eccl.* 12. 11. *Part.* eſt مسمور מסמור *Clavis confixus*, & *horrens quaſi*, ut in illo Poetæ apud *Gjauharium.*

O الحلق

16 Stetit, nec agnovi faciem e-jus, imago, coram oculis meis. Complanatio; & vocem audivi.

17 Num

16 יעמד ולא־אכיר מראהו תמונה לנגד עיני דממה וקול אשמע׃

17 האנוש

الحلق المضاعف المسمور ✲

Lorica compactiſſima, clavis horrida.

Ab hac *clavorum* poteſtate *Rabbini* quidam de-rivandam duxere illam *Horripilandi*, & *clavorum inſtar comas erigendi.* Ad hoc mirum *Schmidii* judicium, *Quum prior ſignificatio horroris uſitata ſit, non opus eſt huc confugere.* Atqui tria tantum loca extant, ubi סמר non ſimpliciter *Horrorem*, ſed *Horripilationem*, Ὀρθοτριχίαν emphaſi ſumma exprimit. Non omnis φρίκη continuo eſt Ὀρθόθριξ, quæ & Ὀρθοκίρως φρίκη apud *Poll. L.* 2. *Cap.* 3. *n.* 31. Hinc grandis cothurnus *Æſchyl.* 7. *ad Theb.* 576.

> Ἱκνεῖται λόγος διὰ στηθέων.
> Τριχὸς δ' ὀρθίας πλόκαμος ἵσταται.

> *Penetrat per pectora ſermo:*
> *Arrectæ ſtat cirrus comæ.*

Confer *Soph.* in *Oed. Col. Vſ.* 1460. & 1620. Iterumque *Æſch.* in *Choëph.* 30. Notum & illud Poetæ,

> *Obſtupui, ſteteruntque comæ.*

Belgica formula adhuc gravius quid in *horripilatione* pingit, eaque rite hic uſi Noſtri. Satis proin veriſimile verbum סמר *Horripilandi* vim induiſſe a *Clavo horrente, arrecto, extante:* ut *proverbiali ritu* enunciari cœperit, סמר שערו, *clavum fixum retulit*, Clavavit, *pilus ejus.* Hoc veri fit ſimilius ex proprietate ꝰ שער in *pilo horrente.* Confer *Gen.* 25: 25. & vocabulum שעיר *hirſute piloſus. Hirtus. Hircus.* Unde autem *Clavus* מסמר ſit adpellatus, altioris eſt indaginis, quam in aliud tempus rejiciemus.

Vſ. 16. Si רוח *Vſ.* ſuperiore *Spiritum* denotaret, יעמד *ſtetit* hic exprimeret *illius ſpiritus* propiorem *acceſſum*; qui poſtquam יחלף *pertranſiiſſet ante faciem ejus, poſtremo coram eo adſtiterit.* Id non uno incommodo gravatur. Nec tamen expedita ſatis ſtructura iis, qui *ventum* vertunt, *ſtetit aliquis*, imperſonaliter, aſſumentibus fere. Mallet *Cocc.* יעמד תמונה *Stabat forma coram oculis meis*, addens mille tales locutiones dari, in quibus *verbum* & *nomen genere* diſcrepent, *neutraliter* capiendas. Non negem; nec tamen illuc citra majorem vel neceſſitatem, vel evidentiam, venirem. Utramque ſtruendi rationem improbavit *Schmidius*, quod ſic *incertior redderetur anctoritas viſionis.* Exiſtimat ipſe, *propterea Eliphazum non poſuiſſe nomen ſiſtentis ſeſe, quod Deus, in viſionibus ſe ſiſtere ſolitus, ſponte ſubaudiretur.* Tentat idem, inſerto אשר, *Tum ſtitit ſe cujus ſpeciem non agnovi &c.* i. e. *Deus inviſibilis*: ſed prius præfert. Mihi poſterius magis arrideret, ſi *conjunctio Vaw* abeſſet, יעמד לא אכיר, quod eſſet יעמד אשר לא אכיר, Nec tamen ſimplicior ille ſenſus, tum *adſtitit is qui inviſibilis*, ſatis quadrat; ſed auctior requiritur, *ad modum apparitionis ſive præſentiæ Divinæ conſignandum: Stetit, & non agnovi faciem ejus adumbratim, ante oculos meos.* Sic ꝛ ו non amplius impedit, ſed adjuvat ſententiam, quæ eſt, *Adſtitit ante meos oculos cujus ne tenuiſſimam quidem ſpeciem formamve cernebam.* Videtur *paradoxum* quid in hac ſententia captatum, *Oculis meis inviſibile ſeſe Numen obtulit, nulla viſibili forma conſpicuum, ſed in puriſſima luce Divinitatis ſeſe conſpiciendum præbens, extraordinaria* plane *ratione, qua mihi Deum cernebam præſentiſſimum, abſque ut vel minimam ſpeciem diſcernerem.* Habemus hoc pacto ἐκφάσεως ſublimiſſimæ deſcriptionem; quæ ceteræ Orationi, intentionique, *Eliphazi*, egregie reſpondet.

Ibid. Diſtinctius adhuc de univerſa conſtructione agendum. Plerique ſic ſeriem pertexunt, *tum adſtitit, & non agnovi faciem ejus*;

jas: imago erat coram oculis meis. Id minus commode explicatur, ac ſi *ſpeciem* quidem *aliquam* ſibi *apparuiſſe* diceret *Eliphazus*, ſed non ſatis diſcernere ſe valuiſſe, *quis* aut *qualis* eſſet ille *Spiritus*. Huc tamen tendit quoque ſtructura rotundior *Cocceji*, *ſtabat (& non agnoſcebam ſpeciem ejus) forma coram oculis meis. Aliquis non τῶν γνωρίμων cujus lineamenta mihi inuſitata.* Cl. *Vitr. Obſ. Sacr. L. 6. Cap.* 10. *par.* 5, 6. תמונה exponit *umbram*, vel *Speciem viri humana forma apparentis*, quem & *Vſ. præc.* autumat appellatum רוח *ſpiritus*. Adverſus omnes haſce opiniones multos movere poſſem ſcrupulos; ſed nec diffido Lectori, eos ſponte ſenſuro; & nonnullos jam tetigit *Schmidius*; ex circumſtantiis rite colligens, nullam prorſus ſive *ſpeciem* ſive *formam* fuiſſe conſpectam. Vertit itaque, *ſtitit ſe, & non agnovi ſpeciem ejus, nec formam, coram oculis meis.* Id minus limpidum judicabunt, qui *Hebræa* adſpicient. Vir Doctus exempla talis ſtructuræ poſſim obvia aſſeverans, vel unum vellem produxiſſet; nam לא ἀπὸ κοινοῦ repeti poſſe concedo; iſto modo poſſe repeti pernego, ut לא אכיר מראהו תמונה *non agnovi ſpeciem ejus, formam*, valeat ולא תמונה *nec formam*; ne enim dicam ולא תמונתו ſtruendum fuiſſe; ſaltem, omiſſo לא, ſcribendum fuiſſet מראהו ותמונתו; ad minimumve מראהו ותמונה, *Non agnovi ſpeciem ejus & formam.* Eatenus tamen in hanc ſententiam pedibus eo, quod *viſibilem formam omnem ſedulo remotam* voluerit *Eliphazus*, hoc ipſum pulcherrime ſic enuncians, *Adſtitit, & non agnovi viſibilem ejus ſpeciem vel tenuiſſimam*, ac quaſi *adumbratam*. Vox מראה *adſpectum*, ſive *ſpeciem viſibilem* palam deſignat. Ei additur תמונה, quæ eſt *ſpecies tenuior*, & *ſubtilior*, *primis* quaſi *umbris delineata.* Hinc notanter poſitum *Deut.* 4: 12. *vocem verborum audiviſtis*, ותמונה אינכם ראים זולתי קול *at ſpeciem ne ſubtilem quidem ullam vidiſtis. Tantummodo vox.* Adde *Vſ.* 15. *ibid.* Eandem emphaſin agnoſcas *Exod.* 20: 4. *Non facies* פסל וכל תמונה *ſculptile, ullamve effigiationem tibi.* Inde & alia condiſcas. Non prætereundum quoque diſcrimen inter מראה & תמונה adhibitum *Num.* 12: 8. ubi *Moſes* dicitur *cum Deo colloqui* פה אל פה *Os ad os*; במראה ולא בחידות *in viſibili*, ſeu *adſpectabili ſpecie, & non in ænigmatibus: quin* תמונת יהוה יביט *in ſubtiliſſimam* Dei *ſpeciem*, *formamve* ἀτενίζειν, *vibrantem oculum intendere.* Cl. *Cocc.* מראה accepit de *ſpecie quæ luce conſtet & colore:* תמונה eidem eſt τὸ εἶδος *forma tum externa, tum interna & eſſentialis.* Dixerim מראה in iſto contextu eſſe *ſpeciem expreſſam, modo viſibili*; תמונה *ſpeciem tenuiorem* & *ſubtiliſſimam.* Non mirabere nunc hæc duo etiam heic conjuncta; & quidem ſic ut תמונה proxime cohæreat cum מראהו, vel per modum *adverbii*, vel per *appoſitionem*, quæ ſenſui cumulum addat. *Adſtitit: & non agnovi ſpeciem ejus viſibilem, adumbrationem, ante oculos meos.* Hoc eſt, *ne adumbratim* quidem; vel, *ne talem* quidem, quam *ſubtilem adumbrationem* appellamus. Structura eſſet ſublimis, & ſingularem ſpirans venuſtatem.

Ibid. Veritati litare ſtudens, aliud adhuc examini publico ſubjiciendum eſſe video. תמונה in iſto loco *Exodi* poſſet eminentiore ſenſu capi ex *Pſ.* 17: 15. *Ego in juſtitia videbo vultum tuum* פניך: *Satiabor* תמונתך *imagine tua, quum evigilavero.* Videtur innui *immediatus Dei conſpectus*, & τὸ εἶδος de quo *Apoſt:* 2. ad *Cor.* 5: 7. Nec non illud πρόσωπον πρὸς πρόσωπον 1 *Cor.* 13: 12. ubi palam reſpicitur ad *Num.* 12: 28. Si itaque *videre* תמונה *ſpeciem Dei*, eſt *eum videre* καθώς ἐστι 1 *Joh.* 3: 2. commodiore fortaſſis conſtructione verti poſſet, *Adſtitit ſpeciem, eſſentiam, coram oculis meis*; יעמד תמונה, *abſque ulla viſibili forma; atque Numen ſeſe mihi conſpiciendum obtulit in lumine ſplendidiſſimo ſuæ Majeſtatis.* Sic תמונה eſſet pro בתמונה, *iſto ſublimiore modo apparitionis*, ſive jam *Accuſativo caſu* efferas, *ſpeciem eſſentialem*; ſive caſu recto *ſpecies*, quod eſt, *ut ſpecies* ejus *vera*, & *forma interna* ſe habet; nam ſtylus figuratior ex æquo admittit אלוה יעמד תמונה *Numen adſtat ſpecies*, & *ſpeciem*; de *eminentiſſima* illla *revelatione*, qua

Divinitatis εἶδος *inviſibile præbet contuendum*; quemadmodum de *Moſe* enotatum *Num.* 12: 8. המונת יהוה יביט τὴν δόξαν κυρίου εἶδε, LXX. preſſius dare potuiſſent, εἶδος κυρίου ἀτενίζει; ſive ἀτενίζων εἰσορᾷ. Si quis interim conſtructionem receptiorem mallet, liceret ei orationem ſic digerere; *Adſtitit*, *cujus nullam agnovi formam viſibilem*, Numen; εἶδος *ipſum Divinitatis erat ante oculos.* Omnem movi rudentem, ut quid Linguæ genius ferret, in promtu foret. Quænam via ſit ſequenda, aliorum eſto arbitrium. Quam quis cumque fuerit ingreſſus, habebit *Revelationem longe excellentiſſimam*, quam *Eliphazus* non immerito tanto Orationis paratu executus fuit. In vulgari interpretatione nil reperio quod tanta cum magnificentia, ac pompa veluti, denarrari merebatur; unde & nonnulli *vanitatis dicam ſcribere Eliphazo* non dubitarunt: aliis *hominem ſpectro deluſum* argutantibus.

Ibid. Fluctuatur etiam in expoſitione poſterioris membri. Plurimi voluere, *ſilentium & vocem audivi*, pro *ſubmiſſam vocem*, *ſuſurrum tenuem*, per *Hendiadyſin.* Calculum his adjecit *Celeb. Vitr.* in *Obſ. Sacr. L. 6. Cap.* 10. *p.* 5, 6. *Belgæ*, aliique præclari interpretes, ita interſtinguunt, *Silentium fuit*; *& vocem audivi.* Objicitur a Cl. *Cocc.* tunc legendum fuiſſe וְקוֹל, ſi diſtinctio major intercederet inter has duas voces דממה וקול.. Uno tenore ipſe convertit, *auram & vocem audiebam*, obſervans דממה non tam *ſilentium*, quam *abſentiam ſtrepitus*, *turbinis*, *vehementis* φορᾶς *& ſoni*, notare 1 *Reg.* 19: 12. in phraſi קול דממה דקה, *Vox auræ lenis*; & *Pſ.* 107: 29. ubi opponuntur סערה *procella* & דממה *aura lenis*, quæ comparatione *tempeſtatis* ſit quaſi *ſilentium*, a דמם *ſiluit.* Addit, a דמה *aſſimilari*, דממה derivari alias poſſe, quaſi ἠχὼ, *Sonus repercuſſus*, *vociſve imago*, בת קול *Filia vocis* dicta *Rabbinis.* Poſterius longiuſcule deflectit ab *Analogia.* Prius ſatis ſpecioſum. Inde hic ſenſus redundat, *Quum ceſſaſſet ventus ille* φερόμενος, βίαιος, *violentus de quo Vſ.* 14. *qui non tantum externare poterat*, *ſed & exſurdare aures*, *tum deinde lenem auram*, *& cum illa claram vocem loquentis fuiſſe auditam: ut* 1 *Reg.* 19: 12. Sane דממה ibi *tranquillitatem*, *aëri turbato*, & *vento procelloſo* oppoſitam ſonare, non *ſilentium* ſtricte ſumtum, urguet etiam Cl. *Guſſ.* ſub דמם, quod קול דממה *Vox ſilentii*, ſit incongrua admodum, miſcens diverſiſſima. Varia quidem a variis tentata; ſed fruſtra; quum Epitheton דקה *Tenuis*, aliud quid exigat, quam *ſilentium.* Aliud quoque patitur *Origo* thematis. *Coccejo* ea fixa in *negatione motus*, quaſi *non moveri*; unde partim *ſilentium*, partim *excidium* & *extinctio* ſuccreverint; nec non *aura*, *ventulus* in דממה. Sic ille ex *ingenio*, conjectandique *artificio*, haud inſcite. *Genuinam* tamen *Proprietatem* præſtabit *Dialectus Arabum*, دمّ frequentans pro *complanare oblinendo.* Inde tranſlatio facta ad *Fluctus*, *ventos*, *ſtrepitus*, *voces*, *poſt motum reſidentes*, *ſtratas*, *complanatas*, *ad quietem tranquillitatemque compoſitas.* Alio flexu *complanare* traductum ad *excidium*, quo quid *extinguitur*, *deletur*, *ſolo æquatur*, *oblitteratur.* Hæc in *Clav. Dial.* prælibata *p.* 255. Conficias hinc דממה eſſe *ſtatum aëris nullo motu turbati*, & *tranquilliſſimum*, cernaſque pulchram ſententiam *Pſ.* 107: 29. יקם סערה לדממה *Stare facit procellam in complanationem*; tum *maris ſtrati*, tum *aëris ſedati.* Idem adſpectus *aëris ſedati* obverſatur mihi 1 *Reg.* 19: 12. in דממה דקה *complanatio tenuis*, quod *Epitheton* non pertinet ad *diminuendum*, ſed ad *augendum*; ſecundum naturam *Radicis* דקק دقّ *contudit minutiſſime*, in *pulverem* veluti; aut *farinam.* Sic דממה דקה *Complanatiſſimum*, & *ſedatiſſimum*, *aëris ſtatum* egregie pinget: & קול דממה דקה poterit dupliciter converti, vel cum *Belgis*, *ſuſurrus tranquillitatis complanatiſſimæ*: vel *Vox* i.e. *Oraculum cœleſte ex complanatiſſima* aëris *tranquillitate emiſſum.* Poſterius hocce firmari quodam modo poſſet ex *ſeq.* ויהי כשמע *Et fuit quum audiret Elias*, iſtam vocem ſcilicet, *obvolvit faciem ſuam &c.* Hæc aptiora ad *Oraculum*, quam *ſim-*

17 Num mortalis a Numine juſtus erit? an a Conditore ſuo purus erit vir?

18 Ec-

17 האנוש מאלוה יצדק אם־מעשהו יטהר גבר׃

18 הן

ſimplicem ſuſurrum ventuli vel auræ lenius motæ. Eandem vim & textui noſtro aptandam arbitrer; ut ſit, *Complanatio* facta; *& vocem audivi.* Innuit nempe *ventum poſuiſſe*, *aëremque*, ſub adventu Numinis, *ſedatum* & tanquam *complanatum* fuiſſe: atque ex illo *tranquillo*, *profundeque ſilenti*, *aëre*, *Oraculum exiiſſe clare reſonans*, *inviſibili ore emiſſum*; *audientiſque pectus ſacro horrore penetrans* ac *perfundens*. Sic tandem non longe abeſſem a ſententia Cl. *Cocc.* ſuperius expoſita; nam & ille cum *leni aura* reſonuiſſe ſtatuit *articulatam* & *claram vocem*. Viciniam quoque cum iis colo, quibus placebat *ſilentium* fuit; *vocemque audivi.* Noſtra conſtructio aliquid auguſtius inferre videtur. Suſpicabar olim *Paradoxi* quid expreſſum fuiſſe hoc pacto, *Altiſſimum erat ſilentium*, *& tamen vocem audivi*; h. e. *Nullus externus ſonus aures feriebat*, *atque omnia profundiſſime ſilebant: & tamen vocem intus in præcordiis reſonantem audiebam*, *clare* & *articulate mihi Divinitus inſinuatam.* Id quouſque in cenſum venire mereatur, atque cum *Revelationum Divinarum ratione* conſiſtere queat, examinandum relinquo iis, quibus ſapientia cœleſtis hac in parte illuxit.

Vſ. 17. Exhibentur porro ipſa *Oraculi* verba, vel potius, ex noſtra ſententia, primum ejus membrum, *Homines* ſpectans, ut poſterius *Vſ.* 18. *Angelos* tangit. Ea duplicem recipiunt interpretationem, *comparativam* alteram, alteram *poſitivam*, ut ſic dicam. Ex illa dari ſolet, *Num mortalis præ Deo juſtus erit? num præ Factore ſuo purus erit vir?* Ex hac, dari poteſt, *Num mortalis a Deo juſtus erit? num a Factore ſuo purus erit vir?* ſimplex modo conſpectus utriuſque verſionis, quænam plus ponderis ac momenti trahat, cuivis ſuggerit. Plurimos tamen in priorem ſenſum inclinaſſe putem, quod צדק cum מן conſtructum alibi etiam *comparationem* inferat; ut *Gen.* 38: 26. *Ezech.* 16: 52. quæ ſi abſit צדק לפני *Ante faciem Dei juſtum eſſe* potius ſtruatur, *Pſ.* 143: 3. vel עם *cum Deo*, *Job.* 9: 2. Accedit, hoc ipſum *Jobo* objectum fuiſſe, quod ſe *Deo Juſtiorem* in ſua cauſa contenderet: ut diſerte *Elihu* quoque, moderatior alias, collegiſſe dicitur *Cap.* 32: 2. eadem ſtructura adhibita. Sunt præterea qui ſupponant, hanc ipſam *Revelationem* obtigiſſe *Eliphazo* occaſione *Calamitatum Jobo inflictarum*; & quidem eum in finem, ut ejuſdem *querelæ adverſus Deum* tanto fortius retunderentur. Hoc poſtremum nullam habet ſpeciem veri; ſi vel haberet, commodior tamen foret alter ſenſus, *A Deo*, *A Factore ſuo.* Sane illud *præ*, non exiguis premitur ſcrupulis. *Primo* enim nullum unquam Mortalem, mentis ſanæ compotem, tanta potuit inceſſiſſe vanitas, atque arrogantia, ut *palmam Deo dubiam reddere*, ſeque *Numine ipſo Juſtiorem* ferre ſuſtinuerit. Repones forte, *Jobum* hoc feciſſe. Id vero nego, & pernego, iſto adſpectu, quo verba hæc ponuntur; in quibus ineſt *Theſis & Doctrina generalis*, qua ſtatueretur *Hominem* aliquem *in omnibus* Deo *juſtiorem* ac *puriorem* ſe dicere auſum fuiſſe. A tali mente ſe alieniſſimum teſtabitur Noſter, *Cap.* 9: 2, 3. *Novi enimvero hæc ita ſe habere: nam quid juſtus eſſet Mortalis cum Deo! ſi voluerit contendere cum illo*, *ne unum quidem e mille reſpondebit ei.* In tranſitu obſerves velim ibi eſſe עם, quod hic eſt מן, & palam reſpici ad hoc ipſum *Oraculum*; quod *Jobus Doctrinam ſibi notiſſimam continere* profitetur, ſibi injurioſius propterea objectum, tantoque conatu inculcatum. *Secundo* iſtud *præ* peperit expoſitiones argutas, parumque plauſibiles. Talis eſt illa *Doctiſſ. Schmidii*, ſic duo cola diſpeſcentis, ut prius *abſurdum*, poſterius *impoſſibile quid* proponat. *Abſurdum*, ut אנוש *homo humilis & infirmus*, ſit *juſtior* quam אלוה *Natura ſublimiſſima*, *infinita*, *increata*, *independens.* Secundo *impoſſibile*, ut is qui a *Deo factus* ſit, גבר *vir*, *majorem habeat puritatem quam Factor ejus*, *cui omnia ſua*, quin *vires* ipſas & *Facultates per quas purus eſt*, *debeat:* qui *proinde*, ſemper *majorem habeat juſtitiam*

ac puritatem. Hæc etiam citra *Oraculum* conſtabant, credo. Quam obſcurum quoque, atque intricatum, illud ejuſdem, *Obſervandum, quod juſtitia, de qua comparatio inſtituitur inter Deum & Jobum, non tam ſit perfecta juſtitia, ſine ullo peccato & defectu, quam juſtitia cauſæ & facti. Scilicet quaſi Jobus juſtus eſſet juxta ordinem divinum, quo Deus gratioſus eſſe vult; & Deus non eſſet tam juſtus ut promiſſis ſuis ſtaret.* Secundum hanc explanationem nemo Sanctorum, quos Deus calamitatibus ſubjecit probandos, *habuiſſet Juſtitiam cauſæ & facti:* atque *Jobus* etiam *Merito* tam *dira* & *infanda* fuiſſet expertus, quem tamen ipſe Deus *immerito abſorptum* pronunciat *Cap.* 2: 3. Tales iterum ſunt aliæ explicationes apud *Pinedam*, *tertia* videlicet, & *quarta*, quam ipſe amplectitur; ut *Lojolæ* diſcipulus; quum *primam* & *ſecundam* ſequi debuiſſet, de quibus mox diſpicietur.

Ibid. Diſtinctum locum Cl. *Coccejo* tribuo, aliquid *profundioris Theologiæ* hinc eruenti, & de *Juſtificatione hominis* agi ſtatuenti. Vertit, *Numquid homo juſtificabitur præ Deo? An præ Factore ſuo purus erit Vir?* Ad hæc ita commentatur. *Quum juſtificatio ſit ex gratia, & dono, ſi homo ſua juſtitia gloriari vellet apud Deum, quaſi non eſſet, quod Deus in ipſo juſte accuſaret; ſi, inquam, homo judicaret, ſibi ſtandum eſſe apud Deum juſtitia ſua, non autem donata propter ſatisfactionem alterius, nonne judicaret ſe oportere puriorem eſſe, quam Deus ipſe. Hoc enim quod Deus approbat, ceu ſanctum & rectum, ſibique glorioſum, ille nec ſanctum, nec rectum, interpretaretur; neque ſe conſtitueret* ὑπόδικον *Deo.* Sic *Oraculum* deterreret a *juſtitia propria*, in *Meſſiæque juſtitiam* ac *ſatisfactionem* unice recumbere juberet. Eximia veritas, & vere שמין *Linea margaritis ſerta.* Ea tamen non adeo commode inſerta hic fuiſſet ab *Eliphazo*, non utique hoc *Fidei fundamentum* adſtruenti adverſus *Jobum*, ſed eum vel *apertæ*, vel *occultæ hypocriſeos* convincere conanti; atque tandem deſcendenti ad *Corruptionis humanæ vim*, medullis ipſis implicitam quaſi, inde a primo ſtatu; in omnibuſque ita adhærentem miſero mortali, ut coram Deo, cujus *puritas* atque *juſtitia* captum omnem tranſſcendunt, ſemper *impurus* cenſeatur.

Ibid. Hanc fuiſſe mentem *Eliphazi*, atque illuc etiam *Oraculum* collineaſſe, dubitare non patitur *Cap.* 15: 14, 15, 16. ubi idem *Eliphazus*, eadem hæcce repetens, *Fontem peccati Originalis* aperit, atque ad *profunda corruptionis humanæ* penetrat. Ad hunc ſcopum itaque feriendum citra hæſitationem prætulerim *Numquid Mortalis juſtus erit a Deo? Num a Factore ſuo purus erit vir?* Et hoc שמין, *Monile pulchrum*, aut *Lineam baccatam Doctrinæ ſalutaris* dixerim: quæ Deo adſtituit decus infinitæ ſanctitatis; hominemque etiam *juſtiſſimum*, vereque *ſanctum*, ſemper exclamare admonet, *Ne intres in judicium cum ſervo tuo, quoniam non juſtificabitur*, vel *non juſtus erit, in conſpectu tuo, ullus vivens. Pſ.* 143. Sic *præp.* מן hic idem valebit quod לפני iſtic loci, aut עם *Job.* 9: 2. niſi quod preſſiorem adhuc induat rationem, per quam *A Deo* capi poteſt dupliciter; nempe vel tanquam ab *Actore*, vel tanquam a *Judice*. Si prius, צדק מאלוה *Juſtus fuit a Deo*, valeret, *juſtitiam ſuam adverſus Deum, injuſtitiæ accuſantem quaſi, aſſeruit, evicitque.* Si poſterius, molliore ſenſu exiſtet, *ut juſtus & purus conſiſtere potuit pro Tribunali ſupremo, atque inde, ex ſententia judicis, diſceſſit, criminis expers.* Utrumque cum natura *præpoſ.* מן intime conjunctum eſt. Utrumque egregium pandit conſpectum. Cl. *Cocc.* priorem illum *Dei Actoris* vidit, commendavitque: nec multum refrager, cum ſubſit aliquid *audacioris figuræ:* magis tamen propendeo in *Judicis perſonam Deo aptiorem*, atque etiam *congruentiorem* noſtro contextui, ubi ſummum *Numen* repræſentatur *inter Myriadas Angelorum inacceſſum habitans Lumen*, atque *infinito jubare Majeſtatis circumfulgens.*

Ibid. In eundem hunc ſcopum feruntur *duæ interpretationes* priores, apud *Pinedam*, licet in iis *comparatio* retineatur; etiam *ſanctiſſimos* videlicet *non poſſe ab omni labe*, *aut peccato*, *immunes pronunciari*, *coram infinita Dei ſanctitate.* Sed ait vir ille *Doctiſſimus*, non video quomodo hic ſenſus cohæreat cum propoſito *Eliphazi*, neque qua ratione inde colligere poſſit, *Jobum merito a Deo puniri*, aut *non debere de juſtitia Dei conqueri.* Eadem difficultas quoque reliquos interpretes videtur tenuiſſe, quo minus hanc expeditiſſimam vertendi viam fuerint ingreſſi. Atqui ſi rem rite pertentes, nihil propoſito *Eliphazi* congruentius. *Primo* enim, hoc *Oraculo*, ſic ſumto, vincere voluit, *Neminem mortalem*, quantumvis *Juſtum*, ac *purum*, juſtam habere cauſam de *Deo conquerendi*, ac ſi *innocens* adfligeretur: quum

18 הן בעבדיו לא יאמין ובמלאכיו ישים תהלה :

18 Ecce ne Servis quidem ſuis fidit: atque in Angelis ſuis notat omiſſionem, lapſationemve.

19 אף

19 Jam

quum omnes coram illo tribunali ſimus *nocentes*, & *materiam foveamus caſtigationis*, ac *punitionis* etiam *graviſſimæ*. Si intra hos fines mentem viri conſtringas, nil eſt quod deſideres, quoad nexum, & ſeriem, ut ad *Vſ.* 12. indicare cœpi. Magna tamen me tenet ſuſpicio, *Secundo*, eum *Oraculo* hoc inſuper abuſum fuiſſe, ad ſiniſtras, quas de *Amico* conceperat, cogitationes colorandas, & fortius urgendas. Omnino perſuaſerat ſibi *Jobum* fuiſſe *Hypocritam*, qui ſi jam pietatem *non dedita opera ementitus* fuiſſet, ſaltem a *corde doloſo* deberet eſſe *deluſus*. Hanc *Hypocriſin* nunc tandem, ipſius judicio, *nudaverat* Deus, prout antea eandem in ſinu ac receſſu cordis haud integri *notaverat*. Hoc ut *Jobo* quoque perſuadeat, indeque anſam nanciſcatur Eum ad reſipiſcentiam cohortandi, proponit ei immenſam Dei ſanctitatem, oculoſque illos ſole lucidiores, qui corda & renes pertentent, ibique ſæpe *fermentum* detegant, ubi ſumma *puritas*, atque *integritas* adeſſe credatur, non ab aliis ſolummodo, verum etiam ab ipſo homine ſemet decipiente. Celebre in hunc uſum practicum illud *Jerem.* 17: 8, 9. עקב הלב מכל *Lacunoſum*, Lacunis & ſalebris interciſum, *eſt cor præ menſurare.* (Thema כול hanc imaginem aptiſſimam offert) Nota reliqua. Tale quid intendiſſe *Eliphazum*, ex *cap. ſequentis* ſententia non una colligitur, ut ſuis locis ſubmonebitur.

Ibid. In gemino hoc *Eliphazi* argumento, modus haud ſervatus; atque *Jobo* facta fuit injuria. Poſterioris concluſionis vitium per ſe patet. Prior extus ſpecioſa, intus vitioſa. Revera omnes homines, quotquot vivunt, etiam *puriſſimi*, ac *juſtiſſimi*, reliquias circumgerunt *corruptæ* & *impuræ nativitatis*, eoque reſpectu, in ſe, *coram Tribunali cœleſti* conſiſtere nequeunt, ſed *nocentes* reperiuntur; πολλὰ πταίοντες ἅπαντες, ac propterea omnes ſuas ſpes opeſque reponentes *in fœdus gratiæ*, & *Juſtitiam Sponſoris cumulatiſſimam*. Inde tamen non conſequitur, quod nunc contendit diſputator, neminem *innocentem* a Deo *adfligi: rigidiuſque tractari* quam *meruerat*. Videlicet *Abſolutum* Dei *jus*, & *Dominium*, præſtrinxit ei oculos, quod *Jobus* etiam probe perſenſit; atque ita in primo ſtatim congreſſu commiſcere cœpit & confundere, quæ accuratiſſime debuiſſent diſcerni: nempe aliud eſſe *adfligi ex abſoluto Dei Dominio*, quod *Jobus* utique reverentiſſime agnovit, & contra uxorem defendit *Cap.* 2. aliud *adfligi*, & quidem *tam extraordinariis judiciis adfligi*, *ex merito*, ſecundum ordinarium curſum providentiæ mundum huncce gubernantis, & integritatis ſtudioſos, etiamſi necdum perfecte integros, foventis tamen, ac protegentis. Illud *Adfligi ex merito*, minus prudenter hic adhibitum, fractam *Jobi* mentem ita obruebat, ut ſe erigere in hoc certamine, modumque a ſua etiam parte ſervare non valuerit, quippe qui ſe *immerito adflictum* contendens, & jure ſane contendens, ſi rem ipſam ſpectes, in *Defenſionis* tamen *circumſtantiis* ulterius progreſſus fuit, quam par erat; atque tum de *innocentia ſua*, tum de *injuria* præſertim, non ab hominibus tantum, ſed ab ipſo Deo etiam, ſibi facta, nimis fortia jeciſſe verba deprehenditur.

Vſ. 18. Dubitatur ſintne hæc verba *Oraculi*, an *Eliphazi* inſtantis; & validum ratiocinium nectere inſtituentis, hac occaſione, *a Majori ad Minus*. Cl. *Cocc.* prioris opinionis ne mentionem quidem fecit. *Schmidius* ad poſteriorem quoque acclinis, eam firmat ex particula הן *Ecce*; quæ eſt compellantis; jam vero Deum ſic in Oraculo illo *Eliphazum* compellaſſe haud veriſimile cenſet. Addit הן ita poſitum *cap.* 15: 15. & 25: 5. ut ſine dubio ſint verba *Eliphazi*, & *Bildadi*. Mihi hic *ſecundum Oraculi membrum* videtur comprehendi: nam hæc veritas, magis adhuc cœleſtis auctoritatis ſigillo conſignari merebatur, quam ſuperior illa. Addo, vix ſine nota temeritatis hanc *ſententiam de Angelis* ab Homine mortali potuiſſe *pronunciari*; quum *in Ore* ipſius *Dei* habeat *ſummam decentiam*. Dilutæ ſunt, quas Vir Doctus adfert, ratio-

nes

nes, ex *Cap.* 15. & 25. nam ibi clare ad hæc ipſa verba reſpicitur, atque ea tanquam *Divinitus edita Oracula* urguentur. Præterea cur incredibile, *compellatum Divina voce Eliphazum*? quum diſerte præmiſerit *vſ.* 12. *Verbum Cœleſte ſingulari* quadam *ratione ſibi annunciatum* & *inſinuatum* fuiſſe. Sed mittatur *compellatio*, ſi velis, & teneatur tantum *demonſtratio*, quæ in hac particula ineſt. Potuiſſet Vir *Clar.* hujus opinionis incommodum ſentire, ex incommodo, quem profert, nexu, ac ſi *Eliphazus* nunc *Oraculi Veritatem confirmandam* ſuſciperet, comparatione cum Angelis iuſtituta. Quaſi vero qui *Oraculum mortales ſpectans* in dubium revocare voluiſſet, non continuo *Eliphazum* cum illa ſua probatione explodere potuiſſet, quod ſibi judicium de *Angelis* temere arrogaret, eorumque ſanctitatem inverecundius minueret, & delibaret. Concludo ergo ſatis fidenter, hanc eſſe *partem Oraculi*; *ipſiuſque Dei verba*, *infinitæ ſanctitatis characterem ſignantia*, ad quam omnis *creata perfectio*, ut *ſcintilla ad ſolem*, aut *guttula ad Oceanum*, evaneſcat.

Ibid. Ex hac ſententia mox *liquida* & *limpida* omnia; quum magnopere laboretur ab iis, qui *Eliphazum* hæc de ſuo inſeruiſſe ſtatuunt. Ad *Angelos lapſos* textum jam *detorquere* non neceſſe erit. Non confugere ad verſionem contortiorem, *Ecce ſervis ſuis non fidit, etiamſi in angelis ſuis ſplendorem poſuerit.* Non ad expoſitiones delabi quæſitas, precarias, frigidas; quarum nonnullas mox attingemus. Contra ſi Deus introducatur, Majeſtatis immenſæ gloria omnem creatam perfectionem obſcurans, & abſorbens, utrumque colon hujus verſiculi habebit aliquid Deo digniſſimum, ejuſque Spiritibus adminiſtris haud indignum, quocunque tandem ſenſu phraſes aliquid grande præferentes, ad *Angeloſque* præ Deo deprimendos magnum pondus trahentes, declarentur.

Ibid. In priori colo עבדים *ſervos* nonnulli *Rabbinorum* poſt *Chaldæum* retulere ad *Prophetas*, qui etiam mox *Angeli* ſalutentur, ſive *Legati.* Id a *Mercero* refutatum, a *Bolducio* recoctum, & dilutiſſime expoſitum, nunquam cuiquam in mentem veniſſet, ſi hanc eſſe *partem Oraculi* rite fuiſſet obſervatum. *Quicquid* inter *homines ſapientia*, *virtute*, *ſanctitate eminet*, id jam *Vſ. præc.* propoſitum titulo גבר. Ergo עבדים *Servi* hic iidem qui *Pſ.* 104:4. משרתים *miniſtri*; non illi *qui Domicilium haud ſervarunt*, quod extra oleas, ſaltem non adeo validum, ad *homines* etiam *puriſſimos*, coram tribunali ſupremo *impuritatis* convincendos. Hunc ſcopum unice tangit, *Ecce ſervis ſuis non credit*, vel *non fidit*; vel quod alii commodius autumnabant, *non ponit ſtabilitatem in iis.* Cl. *Schmidius* cornicum ſe oculos confixiſſe ratus, nihil plane vidit cum ſuo additamento, *Ecce in ſervis ſuis non fidit*, *quod juſti ſint præ ipſo.* Inſpice adjectam explanationem, & non frigus, ſed meram ſenties glaciem. Languet etiam *Nachmanidæ* interpretatio, *Non fidere Deum Angelis*, *quod iis arcana & myſteria ſua non credat.* Cl. *Cocc.* exiſtimat eam poſſe eatenus admitti, ut *Eliphazus a modo cognitionis*, *ad modum ſanctitatis & juſtitiæ argumentetur*; *colligatque*, *Angelos non poſſe eſſe perfecte ſanctos*, *coram Deo*; *quia nec perfecte ſapientes.* Meliora ſunt, quæ ὁ πάνυ de ſuo dedit. *Non fidit*, *Boni ſunt Angeli*, *ut opus Dei: ſed non ita boni*, *ut non poſſit eos annihilare*; *niſi voluntas ipſius gratioſa obſtaret.* *Recti ſunt Angeli*, *& faciunt voluntatem ejus: at potuerunt deficere.* *Deus*, *ne deficerent*, *munivit ipſos.* *Non fidit*, *eos per ſe ſtaturos.* Eodem tendunt, qui יאמין ad ſignificationem *Stabilitatis* reduxerunt, quam non habeant *Angeli* niſi *cum ſumma* a Deo *dependentia*; quin imo *quam* plane *nullam* habeant *reſpectu Dei.* Preſſius adhuc aliquid exhibuit *Mercerus*, ita commentans, *Diffidit Angelis*, *non exiſtimans eos idoneos eſſe & ſatis perfectos*, *pro quibus ſpondere audeat*; *& aſſerere*, *eos ab omni labe alienos*, *ac uſquequaque abſolutos eſſe.* *Intellige*, *ſi eos examinare velit*, *& ſecum comparare: conſiderans eos per ſeſe*, *excluſo eo quod in illos contulit.* Mea obſervatio eſt, poſteriora hæcce plus *ſpecie*, quam *re* differre, atque in concordiam coire omnia per *Originem* Radicis אמן, quæ eſt *firmo ac ſtabili greſſu fuit*, امن. Oppoſitum ei eſt *vacillare*, *lapſare*, *errare.* Ab iſta *ſtabili firmitate* ſubnata *veritas* אמת; ſubnata *fides*, *fidelitaſve* אמונה; ſubnata *ſecuritas*, aliæque notiones ſecundariæ. Hinc האמין *credidit*, *confidit*, proprie, *firmum*, *ſtabilemque cenſuit*: Sic *Gen.* 15: 6. האמין ביהוה *Firmum ineſſe cenſuit in Jehova*; hoc eſt *credidit ei.*

Ea-

Eadem ſtructura *Num.* 20: 12. 2 *Chron.* 20: 20. Non incommode etiam per uſum reciprocum ה֗ האמין בו accipias, *firmum, tutum, ſecurum ſe fecit, ſe cenſuit* in aliquo; *ei credens, ei fidens, atque innixus.* Sic ſecundum interiorem vim Linguæ בעבדיו לא יאמין valebit, *in ſervis ſuis non agnoſcit firmitatem.* Hoc *ſpecialius* reſtringi poteſt, ut ſit *non credit iis*, vel *non fidit iis*; poteſt etiam *laxiore* illo *ſenſu* capi; quod quantumvis *immortales*, quantumvis *ſancti*, atque a *contagione* & *labe* humanorum ſecreti; quin imo in gloria cœleſti confirmati; *nullam* tamen *in ſe* habeant *firmitatem*; nullam *ſtabilem, ſolidam, perennem vim Sanctitatis*, aut *perfectionis*, ob quam *ſibi aliquid arrogare* poſſent, aut cum Deo contendere; quum omnis illorum cœlitum *virtus, perfectio, juſtitia, puritas, ſanctitas*, ſane *maxima, umbra* tantum ſit, *ad infinitum jubar Sanctitatis* & *juſtitiæ Divinæ* collata, aut ſi quid umbra levius, tenuiuſve, cogitari poteſt. Hunc adſpectum aperit nobis ipſe *Eliphazus*, hocce *Oraculum* denuo inculcans *Cap.* 15: 15. nec non *Bildadus Cap.* 25: 5. ſub quo quicquid ſolidi ineſſe cenſebitur in præmiſſis magnorum interpretum meditationibus, ſponte comprehenſum; quamvis ego quidem a ſubtilitate hic temperare malim, atque ſubſiſtere intra comparationem generalem, *immenſum illud* quod eſt in *Creatore*, omnem *creatam perfectionem*, etiam *longe excellentiſſimam, præumbrare, obſcurare, delere*, ipſoſque Angelos quaſi *Nihil efficere*, apud eum *qui ſolus Eſt*, & *qui nomen* קדוש *Sanctus uni ſibi vindicare poteſt. Eſaj.* 57: 17. & 6: 2.

Ibid. In ſummas anguſtias coactæ fuerunt res opeſque interpretum, quum ἅπαξ λεγόμενον תהלה ad Radicem הלל, invita *Analogia*, revocarunt, atque pro duplici, quo pollere creditur, uſu, *ſplenduit*, nec non *inſanivit*, pars *ſplendorem*, pars *inſaniam, ſtultitiamve* huc intulerunt. Hinc tracta illa, *Quamvis in Angelis ſuis poſuerit ſplendorem*; vel ut aliis placuit ex collatione *Cap.* 15: 15. repetita negatione, *& in Angelis ſuis non ponit ſplendorem.* Tentatum quoque a Cl. *Cocc. Et in angelis ſuis ponit lucem*; i. e. *Eam magis magiſque auget.* Maxima tamen pars *inſaniam, ſtultitiam, ſtoliditatem*, ſane quam incommodam, adhuc commodiorem duxerunt, atque acumine vario accommodare ſtuduerunt. Apud Doct. *Mercerum* reperio, *ſi Angelos ſecum conferret Deus, non habens rationem donorum, quibus eos ornavit, & illuſtravit, inveniat eos ſtolidos, mancos, vanos.* Durum. Durius illud *Nachmanidæ, Angeli furioſi potius cenſeantur apud Deum, quam ut admittantur & intrent in ſecretum ejus.* Mollius *Coccejus, & in Angelis ſuis ponit ſtultitiam*, nempe *ſi veniant in comparationem Divinæ virtutis, ſanctitatis, ac perfectionis.* Monet aliis placuiſſe potentialiter *poneret ſtultitiam*, nimirum *ſi vellent cum Deo contendere, & diſputare, ſuamque ſcientiam cum ipſius ſapientia comparare.* Illa conditio riſit *Schmidio*, ſubſtituenti tamen *juſtitiam*, ut *ſi Angelus de ea contendere vellet cum Deo, juſtitiamque ſibi majorem arrogare, Deus ei oſtendere poſſet, quanta ſtultitia & inſania eſſet; ſic ut non tantum non juſtior Deo, ſed ne juſtus quidem habendus eſſet.* Hoc pacto *optime expeditum ſenſum* hujus membri putans vir Doctus, paucos, credo, ſubſcriptores reperiet, nam multo nunc eſt *impeditior*, quam antea. Mitto alios, in *Angelis lapſis* hanc *inſaniam* quærentibus: ut & *Vulgatum*, qui *pravitatem*, ac LXX. qui σκόλιόν τι dederunt. Sed non prætermittendus Cl. *Guſſetii* conatus, ſub Rad. הלל. *Deus ſua ſapientia poteſt, ſi velit, facere, ut Angeli ipſi appareant tam obtuſi, ut ſint pro ſtultis habendi.* Additur, *fut.* ישים non *ponere* aliquid *in actu* & *re*, ſed notare tantum, *Deum id facturum eſſe ſi velit.* Atqui ſic *Nihil* plane dicitur: quum hic aliquid *ponatur*, non ſuſpenſum ab ulla conditione, aut ſuppoſitione. Hos jam fluctus ſententiarum conſiderans, non poſſum quin emirer, tam tenaciter inhæſum fuiſſe *Notioni*, quam *Linguæ Analogia* plane non admittit. Primo enim *inſania* ſub forma הולל tantum recepta, commodius reducitur ad thema הול هال, quam ad הלל; nam *Pſalm.* 75: 5. אמרתי להוללים אל תהלו, non vertendum, *dixi inſanientibus, ne inſaniatis*; ſed, *Ne ſplendeatis, ne ſplendide vos efferatis*; quod mox אל תרימו קרן *ne tollatis cornu.* Secundo תְּהֳלָה *To-*

bola, ab הלל, aſſumere debuiſſet *Dageſch* forte. Fateor id nonnunquam omitti; nunquam tamen illuc veniendum niſi in ſumma evidentia, aut neceſſitate; qualis hic nulla. Tertio, quum *Defective* ab הלל in *Hophal* naſcatur הוהַל, derivatum hocce תוהַלָה ſcribi debuiſſet, quod fruſtra, ſine exemplo, in תהלה mutatum ſupponitur. Quarto ſi vel in ſubſidium nunc vocare quis vellet noſtrum הול, & lucrari abſentiam *Dagesh*, ne ſic quidem *inſaniam* haberet, quæ fuiſſet תוהלה. Quinto, quum Cl. *Mercerus* adſciverit *Radicem* הלה, unde תהלה deſcenderit, ſub *forma* תרמה *fraus*, a רמה, ex *Hophal*; ſcire velim, cur colligat iſtud הלה ejuſdem ſignificationis fuiſſe cum הלל. An *inſania* tam apta huic contextui, ut dubitationem omnem amputet? ſi iſta *Radix* ſit ponenda, non dubitem aliud eam valuiſſe, ſedi huic multo opportunius. Sexto, *Thema* תהל ſuggeritur per *Analogiam*, æque ac הלה, ad formam פעלה, quæ eſt *feminea*, a *Segolato* פעל Talia ſunt ערלה מחרת חרבה, &c. &c. Conſultius itaque & *Rabbini*, & Noſtri *Philologi*, vocem תהלה, ut *ignotam*, in medio reliquiſſent, quam tam incommoda ſignificatione mactaſſent. Id honoris vel profano Auctori deferremus, ut ignorantiam potius Linguæ fateremur, quam ut, ſub tanta *Anomalia*, ſententiam inexplicabilem ei tribueremus. Hoc ſi obſervatum fuiſſet in *Sacris*, Rem Hebraicam ſtrenue promoviſſet, & induſtriam acuiſſet multorum, qui nunc languent, & ſedent, quia ignorant, quam multæ adhuc partes adfectæ melioribus indigeant curis, prudentemque deſiderent vel medelam, vel confirmationem.

De תהלה noſtro jam aliquid præludere cœpi ex تهل תהל *Arabum*, atque in *Animadvſ. Philol.* monui themati illi ſubeſſe derivatum تهال quod per باطل *vanus*, *irritus*, *fruſtraneus*, exponitur, in phraſi ضلال بن تهال, quam *Camuſus* dupliciter declarat, الذي لا يعرف او هو من اسماء الباطل والتهل محركة الانبساط علي الارض *Homo ignotus*; *vel e nominibus hominis vani*. תהל *Tahal autem eſt humi ſterni*, *aut expandi*. Inſpecto fonte, formulam illam proprie ſonare dixeris mecum *Errabundum*, *filium lapſabundi*, aut *in terram expanſi*, *ſtrative*. Eadem ratione formatum ضلال بن تلال *Errans filius ſtrati*; nec non ضلال بن بهال *Errans*, *filius vagabundi*. Optarem equidem de تهل plura, & clariora, quam quæ *Camuſi* auctor exhibet, ſed apparet thema eſſe rarum, quod a *Gjauhario* ne quidem tactum. Si jam noſtrum תהלה illuc referre licet, *Lapſationem* ſatis commode deſignabit, oppoſitam אמונה, *firmitati pedis*, & *greſſus non fallentis*, quam prius membrum offerebat. Hoc pacto habebimus ſententiam haud incongruam, & ad ſeriem, & ad ſcopum, *in Angeliſque ſuis animadvertit lapſationem*; ex uſu & השים *Eſaj.* 41: 20. Poſſem ſignificantius adhuc, *Angeliſque ſuis imponit lapſationem*. השים ב *ponere in aliquo* uſurpari poteſt, pro *imputare alicui*, ut perite ſubmonitum a *Coccejo*; unde *imponere lapſationem*, eſt *imputare*, *eoque nomine* quaſi *notare*, ac *mulctare*. Cogita jam ipſum *Deum* introduci Loquentem, & quidem ut *Deum*; agnoſceſque nil minus potuiſſe dici, quam quod hic expreſſum. Quibus non ineſt אמונה *eſſentialis*, *atque in ſe*, ac natura ſua, *immutabilis veritas*, *firmitaſque* quæ reſidet tantum penes eum, qui eſt *Deus Amen*, in iis non modo *notari poſſet*, ſed *revera notatur* ab *Ente ſumme perfecto* תהלה *Lapſatio*, quin & *Lapſio*, citra peccatum tamen, quippe quæ oriantur

19 אף שכני בתי־חמר אשר בעפר יסודם ידכאום לפני־עש׃

19 Jam vero habitatores domuum lutearum! quorum in pulvere fundamentum, quos conterunt ad inſtar tineæ.

20 מבקר

20 At

tur non ex *mala*, ſed ex *finita Angelorum conditione*, quam licet eo uſque perfectionis evehas, ut mens ultra ſcandere nequeat, ſemper tamen, reſpectu *Numinis immenſi*, arctis finibus concluſa & conſtricta manebit. Si *notare* hic ſumas pro *advertere*, nulla erit difficultas: ſin *notare* nunc valeat *imputare*, ac quaſi *mulctare*, quorſum inclinarem, *Majeſtati* & *Supereminentiæ infinitæ* haud diſconvenire ſenties verbum, quod non *proprie* hic poſitum, ſed *figurate* & *improprie*, *ſpeciem* quandam infert *correctionis*, quam *ſuperior* erga *inferiores*, ſine cenſura pœnali, ad inſtructionem exercet.

Ibid. Expoſui conſpectum, quem *Thema* תהל ex *Arabia* revocatum, ſubminiſtrat. Sed, ut ſupra viſum, poteſt etiam hæc *Forma* per ת ſervile derivari ab הלה, *Radice* apud *Arabes* conſervata quidem, ſed tam rara, ut in *Auctoribus* nunquam mihi occurrerit. A *Gjauhario* omiſſa, uno tantum verbo attingitur in *Camuſo*; ubi extat هالاه فارغة قلب لاهاه verbum הלה *in* 3. *conj. idem eſt quod* להה *in* 3. *ex Phraſi*, *Remiſſo corde luſit cum eo.* Nempe لهي eſt *luſit*, *ſefellit* tempus, curas; *animo a negotiis avocato divertit ad jocos: relaxavit* & *remiſit a ſeriis.* In 3. لاهى idem fere, niſi quod inferat *colluſionem cum alio*, *quæ fit animi relaxandi gratia.* Clar. *Golius* alio ſenſu accepit, & هالاه expoſuit *certavit*, *diſceptavit cum ipſo.* Mea interpretatio magis accommodata ad totam phraſin, ex aliquo ſcriptore, ut videtur, productam, cujus integrum textum deberemus inſpicere, ad genuinam mentem percipiendam. Ditionis *Hebraicæ* quoque fuit להה; unde *Prov.* 26: 18. derivari ſolet מתלהלה, quod vulgo *furioſus*, rectius dederis *Ludibundus*, *animumque relaxans.* Alterum תֵּלַהּ *Gen.* 47: 13. *furebat*, ad *Rad.* وله יָלַהּ debet reduci. Si jam הלה idem notaverit quod להה, utrique themati congruet vis *remiſſionis*, & *relaxationis.* Hinc ſi forte deſcendat noſtrum תהלה, exiſtet *remiſſio vigoris*, *ſtudiive intenſioris*, *ceſſatio*, *omiſſio officii.* Hanc poteſtatem reſediſſe ſub להה لهي liquido confirmare eſt: idemque polluiſſe הלה هلي ſatis veri fit ſimile, tum ex *Camuſi* illa *Gloſſa*, tum ex adfini אלה, ألا, quod præter notionem *Hebraicam jurandi*, frequentatur pro قصر *defuit*, *minus fecit quam par erat*, *omiſit*, *negligentius remiſſiuſque egit. Tardus fuit in officio.* Has ſignificationes ſi הלה quoque obtinuit, ut inde per viciſſitudinem Elementi tranſſumtæ ſint, atque deſerta priori ſede, in hac potiſſimum conſederint, tum haud ſciam, an poſteriorem hanc & Radicem, & poteſtatem, aliquanto adhuc commodiorem exiſtimem, atque in ea pedem figam; ut ſit, *Ecce ſervis ſuis non credit*; *atque in Angelis ſuis notat ceſſationem*, ſive *defectum imparem officio*; non *vitioſum* quidem illum, ſed tamen *longe ſubſiſtentem* & *ſubſidentem* infra id quod *Numini infinito* debetur, cujus *Sanctitati*, *juſtitiæ*, *reliquiſque virtutibus glorioſiſſimis*, nullus honor, nullus amor, nullus cultus religioſus, nulla adoratio, ac ſubmiſſio, vel profundiſſima, ſatis queat reſpondere.

Vſ. 19. Hinc jam porro elicitur Ratiocinium, verborum ac ſententiarum lumine eximio contextum, ad Mortalium, terræque

vermiculorum, humilem, abjectam, & nihilo ipſo vaniorem, conditionem, vivis coloribus expingendam; ne vel muttire ſuſtineat aliquis גבר, idemque אנוש, adverſus Dei immenſam illam Majeſtatem, nedum ut cum *judice* illo *ſanctiſſimo contendat*, audaciusve *os* contra eum *aperiat*. Huc haud dubie directa periodus, tribus verſibus deducta. Magna quæſtio eſt, miro tamen ſilentio tranſmiſſa a commentatoribus, *Oraculumne* adhuc loquatur, an *Eliphazus* ipſe, urguens *Revelationem* ſibi factam, indeque Argumentum a Majori ad minus nectens. Scilicet quum plerique interpretes ſtatuant *verba Oraculi Vſ.* 17. finiri; & *Eliphazum Vſ.* 18. inde ordiri ſuam ipſius ratiocinationem, ne quidem ſuſpicio ulla ipſis potuit oboriri, *hæc* & *reliqua*, ad finem capitis hujus, non *hominis* eſſe verba, ſed *Dei* ipſius. *Jarchius* interim hanc ſententiam, ut dubio vacuam, propoſuerat, ad principium *Cap.* 5. annotans ע"כ דבר הנבואה *Huc uſque verbum Prophetiæ*. Doct. *Schmid.* ad *Vſ.* 18. hujus ſententiæ *Jarchianæ* meminit, ne ibi quidem *continuari Oraculum* concedens; tum alias ob ratiunculas, quas ſupra diſcuſſi, tum *quod a Vſ.* 18. *ad finem uſque capitis verba longe videantur eſſe ornatiora, quam ſimplicitati Oraculi Divini convenit.* Hoc parum ſtringit, neque eſt quod propterea ab iſta opinione deterreamur, ſi aliunde probabilis reddi queat. Quod ergo *Jarchius* ſuppoſuit, non firmavit, ſatis ſpecioſum & plauſibile forte reddi poſſet. Etenim *primo* videntur arcte cohærere verba *Vſ.* 19. cum 18. atque *uno ore* enunciata; jam *Vſ.* 18. pertinere ad *Oraculum*, vix dubitandum. *Secundo* ideo *Oraculum* ſuſpicer *brevius* conceptum a plurimis, quod שמץ *pauxillulum* eſſe ſibi perſuaſerint. *Tertio* ſi illud שמץ eſt *Linea* & *ſeries nexa margaritarum*, id eſt *ornatiſſimarum ſententiarum* ac *doctrinarum*, nemo non fatebitur, id de *univerſa* hac *periodo* concinnius dici, quam de uno alterove verſiculo. *Quarto* ad initium *cap. ſeq.* videtur *Eliphazus* jam velut *victor*, & *Divina auctoritate munitus*, qua *omne os occluſum*, novo impetu demum inſurgere contra Amicum, de ſuaque pharetra jaculari. *Quinto* illud קרא נא, *Clama, age!* in quo ineſt *provocatio* ad reſpondendum, aptius ſubnectitur *Oraculo finito*, quam *Ratiocinio* hominis *inde petito*. Addiderim *Sexto*, Phraſes omnes habere *pondus plus quam humanum* fere, atque præferre iterum *Majeſtatem* ipſius *Numinis*, Mortalibus *conditionem* ipſorum *ante oculos proponentis*. *Septimo* denique, ad *Jobi* convictionem, & refutationem, potentior erit hæc oratio, a Deo ipſo pronunciata, quam ſi *Eliphazus* eam concinnaſſe ſtatuatur, ad anſam ſibi ab *Oraculo* iſto porrectam.

Ibid. Hæc argumenta me ferme adducunt, ut credam, *Oraculum* etiamnum continuari. Recepta tamen opinio videtur conſtabiliri poſſe ex *Coll. Cap.* 15: 14, 15, 16. nec non *Cap.* 25: 4, 5, 6. ubi *Eliphazus* & *Bildadus* eaſdem veritates inculcantes, verba commutant, & poſtrema præſertim in totum novant, quod juris ſibi in *Oraculum* forte non arrogaſſent. Reſpondere poſſum id eos dedita opera feciſſe, variandi ergo, ne *ipſius Dei verbis* pugnarent denuo, ſed *Doctrinam* in iis contentam modo urguerent. Non poſſunt hanc reſponſionem rejicere, qui *Cap.* 15: 14. vident יזכה pro יטהר, *in ipſo* haud dubie *Oraculo*; pro גבר item ילוד אשה. Dein *Vſ.* 15. pro עבדיו & מלאכיו diverſiora adhuc קדשיו, & שמים, illo ישים תהלה converſo in לא זכו. Cave colligas inde *Vſ.* 18. noſtri *capitis* non eſſe partem Oraculi. Contrarium, ni fallor, evictum. *Eliphazus* ergo ſtudio variavit, *rem* tenuiſſe contentus; ac proinde ex verborum mutatione, quin & contractione, *Cap.* 15. & 25. facta, ſuperior Hypotheſis non labefactatur.

Ibid. Dixi ſupra phraſes omnes habere aliquid plus quam humanum ferme; nam revera, ſive jam *Dei* ſint, ſive *Eliphazi*, hæc *verba*, nihil grandius, plenius, preſſius, Deo dignius, in tali materia, concipi aut efferri poteſt. Nonnihil, ad limen, in vocula אף offenditur. Eam אף כי valere colligitur ex *Cap.* 15: 16. & 25: 6. Hoc pro diverſa ſerie *Quanto magis* ſignificare poteſt, & *Quanto minus*. Prior uſus placuit *Mercero* aliiſque, ut ſit *Quanto magis imperfectione laborant homines, &c. &c.* Poſterior *Coccejo*, ſupplenti, *quanto minus Juſtificabuntur habitantes domos luteas.* Noſtri poſt *Piſcat* habent; *Quanto minus fideret habitantibus, &c.* Cl. *de Dieu* non admittens

tens hanc vim, tentat ex uſu certiore τοῦ אף *Etiam qui inhabitant domos luteas, contererent eos ante tineam.* Id dilute admodum declaratur. Aliquid rotundius, & nervoſius, dedit *Schmidius*, tota periodo ſic tornata, *inſuper habitantes domos luteas &c. nonne tranſlata eſt ab ipſis dignitas eorum? juſtitiæ Originalis* videlicet; *Et moriuntur*, *ſapientia* ſive *imagine Dei* deſtituti? Recte ſtatuit conditionem hominum deprimi porro ex *Lapſu*, & *peccato*; nam *peccatum* demum אדם *hominem integrum*, reddidit אנוש *corruptioni & morti obnoxium.* Hoc ad *Vſ.* 21. preſſius enucleabitur; quippe quod totius pericopæ cardinem conſtituat, unde *vim* & *Emphaſin* cujuſque membri creſcere ſentietur. Si non arridet complexio longe circumducta, en ſimplicius *jam vero*, ut *Job.* 14: 3. אף על זה *jam vero ſuper talem aperis oculos.* Hinc ſuſpenſa quidem, minime tamen dubia, exoritur ſubſumtio, *jam vero habitantes domuum luti! quorum in pulvere fundamentum! quos conterunt in modum tineæ!* Sed & nimis fidenter pronunciatum cenſeam a Cl. *de Dieu* אף pro אף כי nunquam poſitum, ſic enim *Eſech.* 14: 21. & alibi uſurpatur. Adde quæ *Noldius* obſervavit in *Concord. partic.* Sane *quanto magis*, & *quanto minus*, ſub ſolo אף comprehendi poſſe nemo dubitet, qui modo attendat ad meum illud *jam vero!* alterutram harum comparationum ſponte ſuggerens, ſi ſeries illuc feratur. Si roges quodnam hic eligerem, mirabere forſan, ſi utrumque, quantumvis diffidens, hac in ſede conſiſtere poſſe dixerim. Reſpice tamen *Vſ. præc.* & mox perſpicies, quid velim, nam אף noſtrum ſeſe ad utrumque colon referre & poteſt & debet; hoc pacto. *Multo magis notet lapſationem in homuncionibus: multo minus iiſdem fidat:* quod tamen tantundem eſt ac, *multo magis iiſdem non confidat*; evidenterque demonſtrat אף, & אף כי, in hac ſtructura, nihil aliud eſſe, quam, *jam vero!* Mallem tamen per modum fortiſſimæ illationis τὸ אף *jam vero!* enunciatum cum *Reticentia*, quæ dum nihil exprimit, graviſſima quæque menti offert, atque hic ſpeciatim *abjectionem vilitatemque ultimam* deſignat.

Ibid. Accedo ad phraſes vere ſublimes. Prima eſt, *Habitatores domuum luti.* Doct. *Pineda* rogat, quidnam eſt *domus lutea*? an eſt *ſordium & ignobilitatis* ſymbolum? an *ſordidum & ignobile corpus* ſignificat, quod animus videtur inhabitare? ut 2 *Cor.* 5: 1. an vero ſunt, quod litera ſonat, *ex terrea materia conſtructæ ædes*? Laudat pro noviſſima opinione, ad quam inclinat nonnihil, *Olympiodorum*, *ſi Angeli, qui ſpiritus ſunt, ac cœli incolæ, cum divini judicii ſeveritatem ſubeant, habent, quod in ipſis reprehendi poſſit, quid nobis fiet qui ex argilla ficti ſumus, terramque habitamus*? ſed quis non videt, aliud intendiſſe *Olympiodorum*, ipſam nempe illam ἐπίγειον οἰκίαν τοῦ σκήνους de qua *Apoſtolus.* Ad literam quoque Cl. *Coccejus* adhæſit, ſic breviter hoc, & ſequens membrum, declarans. *Angeli cœlum & terram perambulant, & ſunt incorruptibiles. Homo a terra ſe non elevat, & ne cœli injuriis vexetur, domo e luto indiget.* Prior Gloſſa, *Homo a terra ſe non elevat*, pertinet ad אשר בעפר יסודם *quorum in pulvere fundamentum.* Mireris merito, tam tenuem ſenſum placere potuiſſe ingenio ſumma alias petenti. Cl. *Clericus* idem fere tenens alia nonnulla huc contulit, docta illa quidem, ſed parum apta huic ſedi, de *Orientalium ædibus ex luto ad ſolem ſiccato & durato.* Longiſſime a vero devius *Bolducius*, verſum hunc detorquens, pro ſua Hypotheſi, ad Sanctos *in ſpeluncis & cavernis terræ degentes*, quorum *fuerit in pulvere concilium*, (יסודם & סודם confundit) *quique ſint contriti* לפני עש *in conſpectu generalis congregationis.* Hæc ſunt vigilantis ſomnia; quæ refellere pretium non eſt. Ne *Chaldæus* quidem rem acu tetigit qui formulam hanc traxit ad *ſepulcra*; omnino enim, *Domus luti* ſunt *corpora mortalia*, ex *argilla*, ut recte *Olympiod.* Solide *Mercerus. Incolæ domorum lutearum, fragiles, infirmi, tot caſibus expoſiti, & interitui etiam obnoxii.* Vix dubitem quin *Apoſtolus* ex hoc ipſo loco deſumſerit ſublimius illud, ἡ ἐπίγειος οἰκία τοῦ σκήνους, omnia enim adamuſſim reſpondent τῷ שכני בתי חמר, quum שכן ſit σκηνοῦν. Figuram *Græcis* etiam adamatam fuiſſe vel δέμας *corpus* arguat, ἀπὸ τοῦ δέμειν ſic dictum.

 Iidem

Iidem σκῆνος ſuum tam multo magnoque uſu tradixere, ut abſolute σῶμα inde ſignificaverit; unde *Heſych.* illud, Σκῆνος, σῶμα. Sic *Ocello Lucano* ſυνέχειν τὰ σκήνεα dicitur vita; & σκήνεσι πυθομένοισι apud *Nicandr.* eſt *corporibus putrefactis*, loco per *Boch.* jam adducto *Hieroz. part.* 2. *p.* 305. Adeatur & Cl. *Elſner.* ad 2 *Cor.* 5: 1. Nec non *Barneſ.* ad *Eurip. Heracl.* 690. Ubi habes σμικρὸν σκήνωμα pro *corpuſculo*. γήϊνον σκῆνος *Platonis* & alia reperies apud Reyer. *Alberti* ad h. l. nec *Doctiſſ. Horreus* in *Dial. Æſch.* Ἀσύμβολος. Digniſſimus qui hic conſpiciatur locus *Æſchinis Dial.* 3: 5. Ἡμεῖς μὲν γάρ ἐσμεν ψυχή, ζῶον ἀθάνατον, ἐν θνητῷ κατειργμένον φρουρίῳ. τὸ δὲ σκῆνος τουτὶ πρὸς κακοῦ περιήρμοσεν ἡ φύσις: ᾧ τὰ μὲν ἥδοντα ἀμυχιαῖα, καὶ πτηνὰ, καὶ πλείοσιν ὀδύναις ἀνακεκραμένα, τὰ δὲ ἀλγεινὰ ἀκραιφνῆ, καὶ πολυχρόνια, καὶ τῶν ἡδόντων ἄμοιρα. νόσους δὲ καὶ φλεγμονὰς τῶν αἰσθητηρίων, ἔτι δὲ τὰς ἐντὸς κακώσεις, οἷς ἀναγκαστῶς, ἅτε περιεσπαρμένη τοῖς πόροις, ἡ ψυχὴ συναλγοῦσα, τὸν οὐράνιον ποθεῖ καὶ σύμφυλον αἰθέρα, καὶ διψᾷ, τῆς ἐκεῖσε διαίτης καὶ χορείας ὀριγνωμένη. Media oratio hiat, quam rotundiorem facere poſſes, legendo νόσους δέ τίκτει καὶ φλεγμονὰς τῶν αἰσθητηρίων, ἔτι δὲ τὰς ἐντὸς κακώσεις. Nempe τὸ σκῆνος τουτὶ *Tabernaculum hoc* γεῶδες, καὶ ἄλογον, quæ ibi præceſſerunt, *a Natura circumdatum & circumpactum ad malum*, cujus *dulciſſima* quæque *ulcus fovent*, *dolore vero*, *ac mero*, *fœtum*, *parit cum morbos inflammationeſque*, *tum cupiditates pravas*, *omnibus morbis morboſiores*. Similis loci noſtri conſpectus, in quo pingitur nobis אנוש *Homo per peccatum cupiditati*, *corruptioni*, *morti* obnoxius, & jam vere factus *Habitator Domus luteæ*, qui ut eſt עפר *pulvis*, ita אל עפר ישוב *ad pulverem quoque eſt rediturus*.

Ibid. Huc tendit altera phraſis, אשר בעפר יסודם, quod quibuſdam eſt, *quarum in pulvere fundamentum*, ut ſeſe referant pronomina ad *Domos luteas*; & *caduciſſima corpora* deſcribantur, *veluti arenæ inſtabili ſuperſtructa*, quæ fuit mens *Junii*. Similiter *Hieron. Si domus luteæ ſunt corpora noſtra*, *fundamenta domorum noſtrarum vitam hanc temporariam eſſe credendum eſt*; *qua ſubtracta*, *domus luteæ ruunt in mortem*. Eodem *Piſcat.* & *Belgæ* videntur inclinaſſe. Plerique ad שכני *Habitatores* ipſos relationem fieri autumant. Vidimus ſupra Cl. *Cocceji* illud, *Hominem ſe a terra non elevare*, *ſed ei tanquam adfixum hærere*. Ad *formationem* primam reſpexit *Mercerus*, per quam *homo ex humo fundatus factuſque*. Alii *ad reſolutionem in pulverem* applicant, putantque יסוד *fundamentum* appellari *corpus*, quod ſit *Baſis* & *vehiculum* animæ. Id nimis argutum. Argutior adhuc *Schmidius*, ad *Pedes* hæc trahens, qui ſint *Fundamentum corporis*. Ni ſua cuique pulchra forent, nunquam ſibi vir Doctus in illa interpretatione placuiſſet, quæ omnium eſt dilutiſſima. *Fundamenti* Emblema hic non *pedes*, non *corpus*, non *vitam temporariam* deſignat, ſed id quod in Homine maxime *firmum* ac *ſolidum* cenſetur. Iſtum *uſum generalem* exhibet *Cap.* 22: 16. נהר מוצק יסודם *Fluvius effuſus* eſt *Fundamentum eorum*. Quod in iis *maxime firmum ac ſolidum* habetur, *aquæ ritu diffluit*, *impetuque torrentis dilabitur*. Hic *ſpecialius* notari putem *Facultates*, *vireſque excellentiſſimas*, non *corporis*, quas ſatis extenuavit & depreſſit figura præcedens, ſed *Animæ*, in quibus quaſi *Baſis* & *Fundamentum* ſitum eſt *hominis rationalis*. Hæ *Facultates* cum *Lapſu* ita ſunt *collapſæ*, ut revera jam יסוד *Fundamentum* τοῦ אנוש *Hominis mortalis* ſit *in pulvere*, quippe cui *corruptio* iſta perpetuo adhæreſcat, etiam virtutes ipſas contagione ac labe quadam inficiens, quæ puram ac perfectam obedientiam Deo præſtare non ſinat. Hanc myſticam vim *Pulveris* nemo ignorat ex *Gen.* 3: 19. Similiter *Pſ.* 103: 14. junctim habes, יצרנו *Figmentum noſtrum novit*; *recordatus* כי עפר אנחנו *nos eſſe pulverem*; per quem cum *mortalitate*, miſeriæ illius *originem*, *fontemque corruptionis* denotari ſatis conſtat. Cum ſcopo univerſo quam conſpirent hæcce, monere nil attinet. Confer quæ ad *Vſ.* 17. ſunt dicta.

Ibid. Plenius hinc perſentiſcas, quantam emphaſin exerat tertia locutio, ידכאום לפני עש. Mirum profecto, in clara luce, quam oculis ingerit collatio *Cap.* 15: 16. & 25: 6. caligari potuiſſe. Non jam reſpicio *Rabbinos* illos, qui *Stellam Arcturi* nobis hic obtruſerunt. Non *Bolducium*, cum lepido ſuo commento *congregationis generalis*. Ipſi illi, qui עש *Tineam* tenuerunt, præſtricti conſtructione paulo rariore, לפני עש a genui-

genuino ſenſu abiiſſe videntur. Non probem ſaltem *Ante tineam contererent eos*, pro *citius quam tineam*. Aut, *vel tinea in eos inſurgente*, ut *Jun. Codurc. Cler.* Non illud Cl. *de Dieu*, *in præſentia tineæ*, quod quæſito nimis acumine declaratur, *in vita manente*, & *quaſi conſpiciente tinea*, *ut quum in bellis ac præliis*, *interfecto hero*, *tinea*, *quæ in veſtibus hæret*, *ſuperſtes manet.* Subtiliſſime etiam *Mercerus*, τὸ *ante tineam* expoſuit *velut in poteſtate & Dominio tineæ & vermis*, *ab eo atteruntur & comminuuntur*; *quaſi ante illum poſiti*, *& ejus arbitrio permiſſi*, *ut eorum cadaver in ſepulcro exedat*, *pro voto ſuo.* Sub ידכאום *atterunt eos* ſubaudiri vult, *Angelos*, *qui ut miniſtri Dei id curent.* Id *Schmidius* eatenus amplectitur, ut ידכאום potius referat ad *Deum*, & quidem *Triunum*, quorſum pertinere autumat *numerum Plur.* Sacroſanctum illud Myſterium heic loci prudentius omiſiſſet; quid enim dignitatis habet? *Adeo ut conterant eos* perſonæ Divinæ *coram tinea*, id eſt *homines tineæ contritioni ſubjiciant*, *efficiantque ut coram tinea non poſſint manere quo minus ab ea conterantur.* Felicius ſubſcripſiſſet *Coccejo*, quem tamen ut nimis hic remiſſum notat, *Quos enervant coram verme.* i. e. *Eo rediguntur*, *ut projiciantur vermibus conſumendi*, *laxata omni vi*, *quæ viventes agere*, *regere*, *erigere*, *roborare ſolebat. Hoc autem vitæ decurſu in iis agitur*, *ut ea perpetua mors ſit.* Egregius adſpectus, quem, ſi עש *tinea* eſſet *ſubjectum agens*, unice amplexandum cenſerem, *Enervant*, *& lentis ictibus conterunt eos*, לפני עש *ante quam deveniatur ad tineam* tandem, & *vermes*, *cadaver malis morbiſque confectum inde ab ortu*, *porro eroſuros.* Verbum *imperſonaliter* locatum, ſingularem vim & gratiam ſic exereret, referendum ad *dolores*, *ictus*, *tormenta*, & *malorum agmina*, quibus *corpuſculum* noſtrum *conflictatur*, durante *viva* hac *morte* ſua. Hunc ſenſum a *Rabbinis* quibuſdam jam propoſitum, ſuperioribus iſtis ideo poſtpoſitum putem, quod in membro præced. *corpus in pulverem reſolutum* invenirent. Atqui *Mors* ipſa demum deſcribitur *Vſ.* 21. Idem nonnihil officit poſtremæ interpretationi, præſertim ſi cum Cl: *Cocc.* לפני עש ſumas *coram verme*, in quo jam conſpicitur *cadaver vermi objectum.* Si לפני עש exponas *ante tineam*, pro *antequam illuc deveniatur*, minuetur difficultas, non plane tolletur. Poſtremo graviſſimum mihi ſcrupulum injicit ipſum עש *tinea*, quod ſecure nimis *vermem* quoque *cadavera depaſcentem* ſignificare, ſupponi video; quum ad *blattas tineaſque* uſus vivus Linguæ reſtrictus fuiſſe videatur; quem & conſervare conati ſunt qui *in præſentia tineæ*, vel *citius quam tineam*, vertebant.

Ibid. Nemini non compertum *blattas tineaſque* eſſe vermiculos qui *chartas*, *libros*, & *veſtes* exedunt lentiſſima conſumtione. Hinc facete *blattis tineiſque* tradendum dixeris *malum auctorem*, quatenus perituras conſcribillat chartas: *cadaver* ejus *tineis projiciendum* nemo *Latinus* dixerit. Eadem ratione *veſtem ſuperbi* contemnas, ut *a tinea rodendam*; non ipſum *ſuperbum*; quem *vermi* debes remittere. *Hebræos* inconcinnius hac in parte locutos non crediderim. Agnoſcunt omnes עש eſſe *tineam*; concinitque, ut alias, ita & nunc, amiciſſime *Dialectus Arabum.* Evolve *Golium* noſtrum, ibique reperies عثّ עִישׁ, *Eroſit* tinea lanam; nec non عثّة *deriv. fœm.* quod eſſet עשה, *Tinea lanam erodens:* etiam, *blatta libros rodens.* Signatiſſime *Eſajas Cap.* 51: 8.

כי כבגד יאכלם עש וכצמר יאכלם סס

Nam ut veſtem conſumet eos tinea, *& ut lanam exedet eos blatta.* Duas has voculas, ut ſynonymas, ex *Camuſo* obiter apponam.

العثّة سوسة تلحس الصوف

vox עשה *eſt* סוסה *quæ lambit*, *lambendo rodit*, *lanam.* Eandem vim geminus *Jobi* contextus offeret *Cap.* 13: 28. & 27: 18. Reliqua loca ſimiliter ad hanc *imaginem* eſſe revocanda, demonſtratum a *Bocharto Hieroz. p.* 2. *p.*616. & ſeq. ubi Emblema noſtrum aliqua etiam luce adſperſit, vertens *Contererent eos coram tinea*; i. e. *contererentur & abſumentur quomodo a tinea veſtes conteri & abſumi ſolent.* Iſtam vertendi viam ac rationem commendat *Cap.* 13: 28. והוא כרקב יבלה וכבגד אכלו עש *Et ipſe tanquam putredine conſumitur*; *& ut veſtem*, *depaſcitur eum tinea.* Si huic *imagini*, quæ etiam arriſit *Doctiſſimo de Pineda*, inſiſtamus, aliquid *grande*

ex-

exſculpi poſſet ex ſtructura לפני עש *ante faciem tineæ*, quæ ſic pingeretur tanquam *rodens*, *peredens*, & *lentis tacitiſque ictibus* quaſi *comminuens conterenſque* hominem, *toto vitæ ſuæ decurſu*, paulo preſſius adhuc, quam *Mercerus* volebat in *verme cadavera depaſcente*. Nempe דכא *proprie* eſt *tundendo terere* & *comminuere*. Quatuor ſunt *Radices* in *Arabia* iſtam vim conſignantes. Prima داك דוך, unde *Num.* 11: 8. דָכוּ בַּמְּדֹכָה *Contuderunt in mortario*, quod *Arabibus* & مداك מדוך, & مداكة מדוכה. Altera دك דכך cujus derivatum דַךְ *contritus* extat *Pſ.* 74: 21. & *Prov.* 26: 28. Tertia دكا *ult. Hamz.* דכא, hic & alibi proſtans. Quarta دكا *ult. Vaw.* vel *Je*, דכה, quam ſiſtet tibi in *Niph. Pſ.* 51: 19. & 38: 9. nec non דכי *Pſ.* 93: 3. Cernis amiciſſimum *concentum duarum Sororum*. Agnoſcis quoque nullum verbum opportunius potuiſſe inſeri huic ſedi, quam *tundendo penitus conterere*, in quo habes *lentam*, *moleſtam*, *gravem*, *omni die*, *omni hora*, *omni momento* ferme *incumbentem vim mortalitatis*, *quæ* homini *a primo vitæ ſpiritu*, *ad extremum* uſque, *adhæreſcit*, eumque etiam dum creſcit, & corroboratur, quaſi depaſcit atteritque. Hoc adſpectu עש *Tinea* præberet *Emblema lentæ tabis & conſumtionis*, ut *Hoſ.* 5: 12. *Ero ut Tinea* כעש *Ephraimo*, *& ut putredo* כרקב *Domui Judæ*. Hoc eſt, quicquid *ſolidum* atque *integrum* videbatur, *tacito morſu* quaſi, *lentiſque judiciis*, *conficiam* & *exedam*. Sic dexterrime vir ſummus *Hieroz. part.* 2. *p.* 617. ubi & alter contextus *Pſ.* 39: 12. adducitur in hunc ſenſum: *Diſſolvis tanquam tinea deſiderabilia ejus*. Quaſi diceret *Pſaltes*, *occulta Dei maledictione reprobos tabeſcere*, *& quicquid illis chariſſimum diſſolvi*, *& conſumi*, *quomodo tinea cæco morſu abſumit pretioſiſſima quæque veſtimenta*. Aliis tamen *Tinea* ibi emblema ſuſtinet ipſius *Hominis* vel *ipſo tactu facile terendi*; quod & *Belgis* poſt *Piſcatorem* præplacuit, locum huncce *Jobi* ibidem adducentibus; nec non alterum *Cap.* 27: 18. *Ædificavit ut tinea domum ſuam*.

Ibid. Diſtinctius hoc perpendi meretur, & contra pulchrum, quem *Bochartus* exhibuit, ſenſum, æqua lance trutinari. Iſti ſenſui, quantumvis ei faveam, obſtat *primo* diverſitas *metaphoræ*, quæ ab *ædificio* ſuſcepta, ſic deſineret in *veſtimentum*. Scio aliquando duo *diſſona Emblemata* conjungi, ut cum ipſa noſtra עש *tinea*, infra 27: 18. Eſt tamen ibi *diſcordia* ſatis *concors*, ut ſuo loco oſtendetur. *Concordant* quoque τὸ οἰκητήριον τὸ ἐξ οὐρανοῦ ἐπενδύσασθαι 2 *Cor.* 5: 2. & *Vſ.* 4. οὐ θέλομεν ἐκδύσασθαι ἀλλ' ἐπενδύσασθαι. Hic nulla *concordia* inter *Habitare domos luteas*, *Habere fundamentum in pulvere*: & *tanquam veſtis a tinea conteri ac conſumi*. Obſervo *ſecundo* commodius tunc fuiſſe ידכאם עש *Conterit eos tinea*; quam *conterunt eos ad faciem tineæ*. Sic directe *Eſajas Cap.* 50: 9. *Ecce omnes illi ut veſtis veteraſcent*: עש יאכלם *Tinea abſumet eos*: ubi inconcinnius judicarem יאכלום לפני עש *abſument eos ante tineam*. Accedit *tertio*, quod phraſis illa לפני עש *Ante faciem tineæ rodentis*, quantumvis queat adolandiri, merito ſuſpecta habeatur. *Quarto* aliquid momenti fert *Cap.* 25: 6. ubi *Mortalis* appellatur רמה *vermiculus*, & תולעה *lumbricus*, digito ad hunc ipſum locum intento, in quo proinde עש *Tineam* ipſius *Hominis imaginem* præbuiſſe colligitur. *Quinto* denique non *commodius* tantum ad reliquam ſeriem, ſed & *nervoſius* videtur, *Conterunt eos ad inſtar Tineæ*. Nil plenius Emblemate ſic ſumto. Habes in eo *ſordidos natales*, *& Originem labe infectam*. Habes *perpetuam miſeriam in ſuis quaſi ſordibus contabeſcentem*. Habes poſtremo *ſummam fragilitatem*, *quæ obnoxia ſit innumeris doloribus*, *per quos toto vitæ momentaneæ decurſu contunditur*, *& conteritur*. Non exiſtimem quemquam huic ſenſui facile refragaturum, ſi Lingua eum admittere poſſit. Id dubitare non patitur proprietas ל לפני, *Ad faciem*, quod alibi quidem ſæpius *coram*,

20 A mane ad veſperam contunduntur: nemine gravante in æternum pereunt.

20 מִבֹּקֶר לָעֶרֶב יֻכַּתּוּ מִבְּלִי מֵשִׂים לָנֶצַח יֹאבֵדוּ׃

21 Pro-

21 הֲלֹא־נִסַּע

Coram, *Ante:* ſed quidni etiam *Ad inſtar*, *Ad modum*? Hunc uſum vidimus *Cap.* 3: 24. in לִפְנֵי לַחְמִי *Ad modum panis mei.* Eundem requirit 1 *Sam.* 1: 16. אַל תִּתֵּן אֶת אֲמָתְךָ לִפְנֵי בַּת בְּלִיָּעַל *Ne ponas ancillam tuam ad faciem filiæ Belial.* Ne me *inſtar talis* eſſe cenſeas. Non video aliud quidquam ibi locum poſſe habere. *Ad faciem* valuiſſe *ad inſtar* apud *Latinos*, diſcas ex *Plauto Ciſt.* 1: 1. 73. *Ad iſtam faciem eſt morbus qui me macerat.* Nempe *amor melle & felle fœcundiſſimus*; *guſtu dans dulce*, *amarum ad ſatietatem uſque oggerens.* Potuiſſet ibi *ad eam ſimilitudinem*, *ad iſtum modum*, *ad iſtud inſtar*, adhiberi; ſed *ad faciem iſtam* habet aliquid rarius & venuſtius, quod ſtudio captatum. Alibi *totius corporis formam*, *habitum*, *inſtar*, *modumve*, idem Auctor *Faciem* appellare amat. Eandem amplitudinem admittit τὸ פָּנִים. Rectiſſime ergo *Ab. Eſra* כְּעָשׁ *ſicut tineam*, & σητὸς τρόπον LXX. Idem *Rabbinus* יְדַכְּאוּם refert ad בָּתֵּי חֹמֶר, ut *Domus luteæ* dicantur *contercre* ſuos· שׁוֹכְנִים *incolas* כְּעָשׁ *tanquam tineam.* Sed præſtat *imperſonaliter*, cum reſpectu ad *innumeros* illos *caſus*, quibus *terræ vermiculi* ſubjacemus.

Vſ. 20. Ad hos *caſus*, mortalem *tundentes*, & quidem ab *ortu vitæ*, ad *occaſum* uſque, pertinet etiam elegans ſententia, *A mane ad veſperam contunduntur.* Solide *Mercerus*. *Quaſi dicat breviſſimo tempore*, *ut ſint homines velut animantia* ἐφήμερα, *imo ne* ἐφήμερα *quidem*; *quorum mortalitatis onus uſque ac uſque ingraveſcat.* Similiter *Coccejus*, adducto nobili illo *Pindari* ſenſu.

> Ἐπάμεροι τὶ δὲ τις, τὶ δ' ὂ τις;
> Σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωποι. ———

Argutatur *Schmidius*, quum *locutionem figuratam* revocat ad *rigorem literæ*, inſinuari putans *multos homines eodem die naſci & denaſci: & quamvis hoc non adeo frequenter fiat*, *attamen quod paucis contingit*, *quia omnibus poſſet contingere*, *rectiſſime omnibus attribui*, *atque ad deſcribendam communis naturæ infirmitatem adhiberi.* Idem vir Doctus minus dextre quoque verbum יֻכַּתּוּ de *ipſa Morte*, & quidem *ſubita*, accepit, eos rejiciens qui *contuſionem* hanc *a mane ad veſperam durare* concipiunt, cauſſatus, τὸ *contundi* inferre *ſubitam mutationem*, non *lentum motum.* Hæc *parum*, vel *nimium*, *penſitata*, eoque ipſo ad *minutam exilitatem* redacta, quæ non reſpondent gravitati hujus ſcenæ. Si radix ſit כתת quæ eſt كد *Arabum*, ut in *Clavi Dial.* p. 315. reperies, audacter aſſumas licet *lentos* quoque *ictus*, *contuſioneſque indeſinenter incumbentes:* quin ſi proprietatem verbi retentam cupis, cave illam *ſubitam* & *momentaneam mutationem* admittas, quæ *uno ictu* peragitur; nam inter alias notiones כתת etiam valet *Cudere ferrum*; *tundere olivas*; & *contundere teſtam* in minutiſſimas particulas. Apud *Arabes* habes كد *tutudit* tanquam in *pila* vel *mortario*; cujus derivatum كد apud *Gjauharium* exponitur ما يدق فيه الاشياء كالهاون *omne in quo res tunduntur*, *ut pila*, *mortarium.* Ipſum etiam *Piſtillum* ſic appellari poteſt. Inde ſecundaria vis *moleſtia afficiendi*, *vexandi*, *affligendi*, quaſi *tundere continuis ictibus.* Hinc dubium nullum, quin יֻכַּתּוּ pertineat ad *vitam moleſtam*, & *laborioſam*, quæ miſero mortali ſit exantlanda, inter *continuas tuſiones*, *preſſuras*, *anxietates*, *ægrimonias*, uſque & uſque inſtantes, *a mane ad veſperam.* Duplex ſubeſt gratia, & Emphaſis. *Primo* enim *ab ortu vitæ ad occaſum ejus* incumbere hos ictus inculcatur. Hanc metaphoram

Q ma-

mane & *veſpera* in omnibus Linguis amplectitur. *Secundo* inſinuatur, hunc *Diem*, quem homunciones *menſibus*, & *annis*, *metiuntur*, eſſe *breviſſimum*, apud eum, cui *mille anni* ſunt *unus Dies*, quin ut *vigilia nocturna*. Illuc tendit dictum *Hiskiæ* Regis *Eſaj.* 38: 12, 13. מיום עד לילה תשלימני *A die ad noctem abſolvis me. Breviſſimo ſpatio telam vitæ meæ pertexis.* Utrumque *Hieronymo* obverſatum fuit. *In uno die totam vitam hominum monſtravit; quæ in mundo vernat; in parvulis floret; in juvenibus convaleſcit; & roboratur matura ætate in ſenioribus, tanquam in fructibus; & poſtremum in decrepita ſenectute conficitur, quam hic veſperam appellavit.* Non quadrat ad reliqua membra illud, *quæ in mundo vernat*, pro quo forte commodius fuerit, *quæ matutino vernat*; forma apud *Apulejum* frequente. Conferas & *Pſ.* 90: 5, 6.

Ibid. Non poſſum quin curatius anquiram de *forma*, & *vi*, verbi יֻכַּתּוּ, quod habetur pro *fut.* in *Hoph.* ex יוּכַתּוּ, *Schurek* in *Kibbuts* & *Dageſh forte* mutato, a *Themate* כתת. Cl. *Coccejus* appellat *formam mixtam* ex *Chald.* יִכַּתּוּ, & *Hebr.* יוּכַתּוּ; cui magnopere refragari nolim, quum figura hinc exoriatur inſignis, ſive *Bocharti* mentem præferas ad *Vſ.* præc. ſive Noſtram. Sane *tinea* eleganter dici poteſt כָּתַת *tundere*; & mortales tanquam *a tinea rodente pertundi*; nec ſcrupulo *Doct. de Pineda* moverer, verbum originale nimis acre & vehemens autumantis, quam ut *tineæ rodenti* detur, idque referentis propterea ad *divinam vindictam perpetuis cruciatibus deſævientem in impios.* Atqui agitur de *mortalitate omnes homines premente* ac *tundente.* Æque opportunum fuerit ſi ex noſtra mente capias *ad inſtar tineæ, a mane ad veſperam tunduntur.* At inquis, *Tinea* non *tunditur*, ſed *ſolo tactu teritur.* Recte vero; hoc ipſo interim imaginem iſtam *Tineæ* cumulatius adhuc implet *Mortalis*, quod tam *caducus*, tamque *fragilis*, qui vel *momento conteratur*, *lentæ* tamen *mortalitati damnatus*, per totum vitæ ſuæ curſum *ictibus* ſit obnoxius, atque *perpetua* quaſi *morte contundatur.* Nulla proinde mihi difficultas in hoc verbo, quod ad ſenſum: deſidero tantum *Analyſin* commodiorem; quam ſubminiſtrare videtur Thema נכת, ex *Dialectis* reſtituendum. Inter *Chaldæos* & *Syros* eſt *momordit.* Apud *Arabes* latior uſus *pungendi*, *compungendi*, *ictu impreſſionem faciendi* in rem, quod & نكت: inde *Mordendi* poteſtatem profluxiſſe facile credes. Cl. *Coccejus* hocce נכת adducens in *Lexico*, quatenus *Arabibus* eſt νύζειν, id deducendum putat a נקד *Hebræo.* Atqui *Arabibus* نقد נקד frequentiſſimum quoque, pro *punxit*, *momordit*; ne eos corrupiſſe putes *Radicem Hebraicam.* Non eſt prudentiæ *Hebræis* iſtud נכת nolle reddere, quum & derivata ejus reperiantur, & manifeſta extent veſtigia ex *Hiph. Num.* 14: 45. *Deut.* 1: 44. quæ loca alias vindicabuntur. Noſtro ſimile habes *Jer.* 46: 5. יֻכַּתּוּ, quod ex *Hophal* formatum pro יֻנְכְּתוּ, penultima ſyllaba ſuum *Kamets* in *Patach* cum *Dageſh* reſolvente. Sed ne id quidem ſatis expeditum. Dixerim potius *conflatam* eſſe hanc *formam* ex gemina Radice כתת *tundere*, & נכת *pungere*; unde יֻכַּתּוּ mira Emphaſi ſonat *compunguntur tuſi*, vel *compuncti tunduntur.* Hoc tum *Jeremiæ* contextui, tum huic noſtro, decus & pondus addere nemo negaverit.

Ibid. Pulcherrima eſt paraphraſis Cl. *Cocceji* ad poſterius colon. *Ruunt fluuntque omnes ad ſepulcrum; nulli ſufflaminatur ætatis decurſus: nuſquam inhibetur falx mortis: & ex morte redire ad vitam nequeunt.* Prudentiſſime iſtud לנצח יאבדו *in æternum pereunt*, reſtrinxit. Qui de *Animarum exitio æterno* hic agi putant, τὰ σκάμματα ὑπερβαίνουσι. *Apparentia externa* quam alii adferunt, nimis eſt exilis. *Mercerus* opinatur, hæc dici de *hominibus juxta naturam ſuam ſumptis*, *ut caro ſunt*, *irregenitique*: *regenitos enim Chriſti beneficio fore reſuſcitandos.* Hoc quid veri habeat nunc non diſputo; ſed expoſitionem iſti fundamento ſuperſtructam, ut argutiorem quam præſens materia patitur, abjudicarem. Si *Linguæ Hebrææ* uſus in priſca ſua amplitudine pa-

21 Profecto Nihil convulſum eſt nervus eorum, qui in ipſis: macerati diſſolvuntur, & non ſunt in ulla firmitudine ſolida.

21 הלא־נסע יתרם בם ימותו ולא בחכמה׃

CA-

pateret, ad talia nemo adhæreſceret, nec *cavillando*; nec *cavillationes defenſando*, *anſamve* iis *amputando.* אבד *perire* ex *origine* ſua nil aliud ſonat quam *abire e conſpectu ſine ſpe redeundi.* Ne *Latini* quidem verbi alia fuit poteſtas primaria. Hinc pro *Mori*, *Emori*, ſimpliciter uſurpatur. Major tamen heic loci vis ſubeſt, *diſſolvi* nempe & *deſtrui*, ac *deformari*: Non plus difficultatis eſt in לנצח, quod ex *Origine* valet *in purum putum*. Hinc ſecundaria notio *Æternitatis* ſponte ſuccrevit; ut alibi prometur. *In purum putum pereunt* phraſis eſt Orientalis, idem reſonans quod Latinis *in ſolidum*, *in perpetuum*. *Etiam atque Etiam*; quod poſterius rite hic adhibitum a Cl. *Cocc.* Sentis nihil eſſe in utroque vocabulo, quod non pro materia ſubjecta ſponte ſemet reſtringat; atque veriſſime poſitum eſſe, *omnes in univerſum homines ita poſt breviſſima vitæ ſpatia deformari*, *deſtrui*, *diſſolvi*, *ut in purum putum pereant*, *ſine ulla ſpe reſtitutionis in integrum*, *pro præſenti ſeculo.* Hos *fines* qui *tranſcendere* volet in pleriſque Libri noſtri ſermonibus, nihil firmi ac tuti ſub pedibus habebit; ſed perpetuis ſalebris impeditus & conſtrictus tenebitur.

Ibid. Reſtat obſcuriſſima locutio מבלי משים *Abſque apponente.* Cl. *Coccejus* duplicem offert rationem, vel, *Abſque ut alius apponat animum*; vitam *prorogaturus* aut *reſtituturus*: vel, *abſque ut ipſi homines attendant vitæ ſuæ brevitati.* Sic ferme reliqui interpretes in hanc vel illam partem inclinant; cum varietate quadam cuique propria, quas perſequi non lubet. Omnium minime arrideret mihi *Schmidius* ad *Deum* ipſum hoc applicans: qui quum ſolus *Miſericordia ſua impedire* poſſet *hunc humanorum interitum*, cum *temporalem*, tum *æternum*, id non faciat. Plus voluit dicere quam alii, & revera minus dixit. Verſio *Jun.* & *Trem.* exhibet *Nemine diſponente*, quod declaratur, *ſua ipſorum infirmitate*, *ſine ullo alieno facto.* Id valde ad rem: nec ab ea alienum, quod *Codurcus* dedit, *Nemine manum adhibente*; id eſt *ſua ſponte*, *citra vim*, aut *manum allatam.* Eodem & mea collineat conjectura; השים abſolute hic eſſe ἐπιτίθεσθαι *impreſſionem facere.* Confer השים לב *Cap.* 1: 8. ſic explanatum. Poſſem quoque, *Nemine imponente*; quod eſſet, *nemine majus onus injiciente*, *aut aliquid ſarcinæ*, id eſt *miſeriæ extraordinariæ*; *quum quotidiano mortalitatis ſuæ pondere fatiſcant*, ac *ſua* ſatis *ſponte diffluant.* Utrumque uſum verbi השים ad *Cap.* 23: 6. illuſtrabo.

Vſ. 21. Illuſtris pericope decenti clauſula ſignatur; in cujus explanatione multi fluctus ſententiarum. Vocabulum יתר tria denotat, *Nervum*, *excellentiam*, *reſiduum.* Hinc tripertita diverſitas aliorum aliud tentantium. Plerique id admiſere vitii ut quum cumulare deberent ſenſum periodi, grandiſonis figuris contextæ, eundem imminuant, ac relaxent.

Ibid. Languet ſane prioris membri verſio receptior, *An non transfertur excellentia eorum in ipſis*? id exponitur, *An non omnis eorum præſtantia cum morte abit & migrat*? *quodtandem cumque ſit illud quo ſe mortales putant excellere.* Cl. *Cocc.* aliquid fortius expreſſit, *Nonne abigitur optimum illorum in ipſis*? utique *dum vivunt*, antequam *mors* ipſis *excutiat omne*, quod habent, jam *perit*, & *migrare* compellitur, ipſorum *ingenium*, *ratio*, *memoria*, *judicium*, & *quicquid* habent *precioſæ dotis.* Habet hoc quo ſe commendet, præſertim quod quaſi gradum ſtruat ad ſequens ימותו ולא בחכמה *Moriuntur citra aſſecutionem ſapientiæ*; iterum ex mente magni interpretis. Vel ſic tamen ſenſus haud ſatis amplus; quem & incommodis ſuis aliunde laborare periti ſatis ſentient. Valde amplum eſt, & nervoſum, quod produxit Cl. *Schmidius*, vertens, *Non-*

 ne

ne tranſlata eſt excellentia ipſorum, quæ erat in ipſis? intelligit *Excellentiam imaginis Divinæ, & juſtitiæ Originalis*; qua per Lapſum amiſſa, morti obnoxium ſit genus humanum, *ſapientiaque* vera deſtituatur. Egregius profecto adſpectus, cui lubentiſſime inhærerem, ſi liquida ſatis & rotunda effici poſſet periodus, ſic tandem concluſa, ut poſt *miſeriæ humanæ* graviſſimam deſcriptionem, *adſcenderetur* ad *Fontem* hujus *mali*. Non negem exempla proſtare, ubi ſic *recurratur* ad *primam* rei *Originem*. Sed in hac *Mortalitatis* noſtræ *expreſſiſſima* ac *vividiſſima pictura*, commodius *imaginis Divinæ amiſſio* præceſſiſſet. Accedit quod *Vſ.* 17. אנוש *Homo miſer* ac *mortalis*, alius eſſe nequeat, quam qui *imaginem Dei*, & *juſtitiam* inde oriundam, perdidit. Idem ſupponitur *Vſ.* 19. & 20. quia alias illi colores parum decuiſſent.

Ibid. Quantumvis ergo faveam *Schmidianæ* interpretationi, aliud communicandum duxi, quod illis ſcrupulis vacat; & univerſæ pericopæ cumulum convenientiorem imponere videtur. *Profecto Nihil convulſum* eſt *Nervus eorum in ipſis*. In *Opuſculo de Defect. p.* 106. aliquid prælibatum de hac *figura Dithyrambica*, ſtylo hujus Libri congruentiſſima. Notandum *primo* ה non ſemper *interrogare*, ſed ſæpius *fortiter aſſeverare*. Sic *Vſ.* 3. hujus *Cap.* verti poſſe monui, *profecto nihil eſt &c.* *Rabbini* id vocitant הא האמתות *He adfirmationis*. Exempla paucula apponam. 1 *Sam.* 2: 27. הנגלה *profecto clariſſime revelatus ſum.* 1 *Reg.* 16: 31. ויהי הנקל *fuitque ſane quam leviſſimum, ambulare eum in peccatis Jeroboami.* Item *Jer.* 31: 20. הבן יקיר *ſane filius pretioſus mihi Ephraim*; אם ילד שעשעים *profecto puer oblectationum.* Adde *Hab.* 3: 8. *Jer.* 7: 9. ubi apud Cl. *de Dieu* alia adhuc loca huc pertinentia reperies, quæ non male ab eo per *Ecce* redduntur, ut ה illud ex הֵא vel הֵן Originem duxerit. Infra ad *Cap.* 20: 4. eundem uſum plenius illuſtrabo. *Secundo* לא *ſubſtantive* hic deſignare autumem τὸ μηδὲν, *Nihilum quid.* Illa vis *Vſ.* 6. quoque adſtructa. Reſpice & *Vſ. ult. Cap.* 3. Suſpicor hinc explicandum dictum, alias paulo dilutius, *Pſ.* 14: 4. יהוה לא קראו *Jehovam Nihil appellant.* Habes Characterem Atheiſmi. Latiſſime patet τὸ μηδὲν. *Plut.* in *Anton. p.* 950. κείσεται σκέλετος καὶ τὸ μηδὲν γενόμενος. Nempe μηδὲν εἶναι de *Mortuis* potiſſimum dicebatur. Aliter *Herod.* 8: 106. ὅτι με ἀντ' ἀνδρὸς ἐποίησας τὸ μηδὲν εἶναι. *Lucian. Revir.* τὰ πλήθη ἀναπείθων καταγελᾷν ἡμῶν, καὶ καταφρονεῖν, ὡς τὸ μηδὲν ὄντων. *Eurip. Hecub.* 622.

> Ὡς εἰς τὸ μηδὲν ἥκομεν, φρονήματος
> Τοῦ πρὶν στερέντες. Εἶτα δῆτ' ὀγκούμεθα;

Iterum *Iphig. in Aul.* 945.

> Ἐγὼ τὸ μηδέν. Μενέλεως δ' ἐν ἀνδράσιν.

Gravi etiam conſtructione formatum ὁ οὐδὲν *Eurip. Phœniſſ.* 601.

> — σὺν πολλοῖσιν ἦλθες, πρὸς τὸν οὐδὲν εἰς μάχην.

Vide porro *Androm.* 641. 1077. *Suppl.* 425. Ad hanc normam לא μηδὲν aut οὐδὲν infert *vilitatis* aut *imbecillitatis infimum gradum*; quem tamen ulterius adhuc deprimit τὸ נסע *Convulſum. Revulſum.* Significatio *proficiſcendi* ſub hoc themate eſt ſecundaria, ab *Origine* certiſſima *vellendi*; quam *Radices* نسع , نزع & نشع, inter *Arabes* conſervarunt. Hanc primariam vim facile recognoſces *Jud.* 16: 14. *Eſaj.* 33: 20. Alibi plura. Quid ſit *Nihil Convulſum, Revulſum, Eradicatum*, melius perſentiſcitur, quam verbis exprimitur. *Eradicationem* & *extirpationem* hoc ipſum verbum deſignat *Cap.* 19: 10. infra. Habebimus quoque *Cap.* 22: 20. אם לא נכחד קימנו *Profecto Nihil extirpatum* id quod *inſurgit contra nos.* Sic ſtruendum vertendumque. Additur *ibidem* ויתרם אכלה אש & *Nervum eorum abſumſit ignis.* Intellige ſis, *quicquid* habere videbantur *vigoris*, *firmitatis*, *roboris*, *præcellentiæ*. Ad eam rationem & hic. *Nihil convulſum eſt Nervus eorum.* Cave hæreas in *Nervis* ac *compage membrorum.* Denotantur

Vires

Vires corporis & *animi* ſimul, ac præſertim *excellentiores facultates*, quibus tumere ſolent mortales, ſibique placere. Huc ſpectat adjectum illud בם *qui in ipſis*. Si *præcellentiam* utrobique quis malit, non repugnabo, modo agnoſcat, quod veriſſimum, a *nervo* notionem iſtam *præcellentiæ*, & *vigoris præſtantis* ſuccreviſſe. Non videtur ſublimius aliquid concipi poſſe ab ingenio humano, quam ut *Nervus*, ſeu *Vigor nervoſiſſimus alicujus rei* appelletur לא נסע, *Nihil convulſum*. Notum *Pſaltis* dictum *Pſ*. 39. אך הבל כל אדם נצב *Profecto vanitas eſt omnis homo firmiſſime conſtitutus*. Idem *Pſ*. 62. audaciore ſenſu dixit *profecto vanitas filii hominis atque ſi ſimul in bilances adſcenderent*, id eſt *immitterentur*, *illi præ vanitate ſimul omnes adſcenderent*, id eſt *ipſa vanitate vaniores & leviores invenirentur*, *Nihilo præ omnibus* quaſi *præponderante*. Hæc ut ut grandia, ab aliis tamen etiam concepta & expreſſa reperias; ſed *Nihil convulſum* extra *Arabiam* credo fruſtra quæras.

Ibid. Continuatur decentiſſime *Metaphora* in membro poſteriori, quod ſecundum Linguæ antiquam indolem ſic ſonaret, *Macerati diſſolvuntur*, *& non ſunt in ſolida compactione*. מות *Mori*, مات, hanc *Originem* ſibi vindicat ex altero ماث *Med. Vaw & Je*, quod exponitur *Macerare*, & *Macerari in aqua*, atque ita *diſſolvi*. Ejus oppoſitum חיה حيى, quod eſt חיו حيو, & חיי حيي, *vixit*, iſtam vim ſecundariam aſſumſit a *coagmentatione*, qua *quid collectum compingitur*, & *continetur*. Singulari quadam Emphaſi hic poſitum eſſe illud ימותו nemo ambigat. Si cum reliquis interpretibus *Mortem* ſtrictius dictam teneamus, qua *diſſolutio ultima* naturæ noſtræ peragitur, habebimus *imaginem* ſuperiori ſeriei egregie reſpondentem, quæ ſua velut *putredine maceratum diſſolutumque* tandem pingit *Mortalem*, *ad inſtar tineæ*. Perpende tamen an non *univerſa* noſtra *vita* appelletur *mors*, & τὸ ימותו *Macerati diſſolvuntur*, comprehendat nunc, & ſimul compleat, ac cumulet, ſuperiora omnia, quorum utique ſumma non alia eſſe poteſt, quam, *Non vivere Homunciones*, *ſed in media Morte verſari*, *atque adeo perpetim mori*; *ſuamet maceratione ſenſim colliquefactos*, *tandemque penitus extinctos*. Hoc uno verbo ימותו conſignatum, habet aliquid quod *magnos ſenſus*, & τὸ ὕψος, hujus Libri attendentibus, haud diſplicebit.

Ibid. Idem ὕψος eminet ex coronide ולא בחכמה. Languidiſſime *Junius* ſupplet vertitque, *Et non* vivunt *ulla arte*. Illuc redit & aliorum Gloſſema, *quod nulla ſit ſapientia qua mortem evadant*. Tenuius Cl. *Cler*. *non ut decet ſapientes*. Nempe *Ægre mortem ferunt*, quum ſapiens *æquo animo* debeat *mori*. Fortius illi, quos *Mercer*. ſequitur, *prius moriuntur quam ſapiant*, *& quicquam intelligant de Divina ſapientia*: ut *Pſ*. 49: 21. Id placuit etiam Cl. *Coccejo*. Μείωσιν ſubeſſe vult *de Pineda*, pro *in magna ſtultitia*. Hanc ſuæ ſententiæ quoque accommodat *Schmidius*; exiſtimans *Sapientiam* hic eſſe *ipſam imaginem Dei*, ſic denominatam a nobili ejus parte; ſub eaque contrariam ſimul *inſipientiam* contineri; in hunc ſenſum. *Utique moriuntur*, *& quidem non in ſapientia*, *quæ olim in iis erat*, *propter quam dici poſſint indigne & injuſte mori*: *ſed in peccaminoſa inſipientia*, *quæ ipſis ad mortem uſque adhæret*, *& propter quam merito & juſte moriuntur*. Addit hoc noviſſimum eſſe adjunctum, *ut oſtenderetur hominem non tantum naſci in peccato*, *& cum defectu imaginis divinæ*, *ſed etiam mori ante plenam ejus reſtitutionem*; *indeque evinci*, *quod nullus homo juſtus ſit*, *nedum juſtior Deo*. Eſt in hiſce quod probes, eſt quod improbes. Mihi limpidiſſima omnia fore videntur, ſi premamus *vim* & *Originem* thematis חכם *ſapiens fuit*, ſitam in τῇ πυκνότητι *ſolida compactione*. Id in *Opuſc. de Defect*. demonſtratum. Apte cohærent ſic omnia: *Moriendo diſſolvuntur & non* ſunt *in ſolida compactione ulla*. Nihil in iis *firmum*, nihil *ſolidum*; præſertim carent *ſolidiſſima* illa *compactione mentis*, quæ appellatur חכמה *ſapientia*, *principium*, *progreſſus*, & *complementum omnium virtutum*. Confer *Cap*. 28: 11, 12. *&c*. ubi e terris hanc *Aſtræam* exulare a nemineque mortalium poſſideri pluribus ediſſeritur. Solidiſſima ergo concluſio, *Juſtuſne abiret a*

 Nu-

Numine mortalis? אנוש. *Purusne eſſet a Factore ſuo* vel *vir?* גבר, cui nomen illud a *ſoliditate* inditum, גבר جبر enim proprie valet *ſolidari*, *in ſolidum roborari*. Ecce ipſe *Nervus* ejus eſt *Nihil convulſum*; & omni *ſolida compactione ſapientiæ* ac *virtutis deſtitutus*, *vivam degit mortem*, *atque inſtar tineæ tandem diſtabeſcit*.

Ibid. Perpendantur nunc tandem hæc ſententiarum pondera, & dijudicetur a bonis Arbitris *Deuſne* loquatur, an *Mortalis*? Fateor equidem, me antea ſuſpenſum, ad receptamque opinionem propenſum, phraſibus his commeditandis pertractum fuiſſe in hypotheſin *Jarchianam*, quam ad *Vſ.* 19. ſatis plauſibilem eſſe oſtendebam. Sic haberemus hac in periodo, tanquam in brevi Tabella, vividiſſimis coloribus expreſſam *vim corruptionis humanæ*, *labiſque*, *ac tabis*, *in medullas ipſas implicitæ*, atque *intextæ*; ac proinde *capitaliſſimam Doctrinam*, non jam ab *Eliphazo* profectam, cujus auctoritas hac in parte ſuſpectior eſſet apud multos; ſed *ipſius Dei ore inculcatam*, qua *cumulatius nihil* hac in materia concipi, aut conſignari queat.

CAPUT QUINTUM.

Verſ. 1 VOca nunc! ecce eſt qui reſpondeat tibi: atque ad quemnam ſanctorum vertes te?

קרא־נא היש עונך ואל־מי *Verſ.* 1
מקדשים תפנה ׃

2 Enim

כי 2

Vſ. 1. Exhibetur nobis hoc capite novus *Eliphazi* impetus, quo *Jobum* altero quaſi pedatu aggreditur; ut quem *injuſtitiæ* ſe conviciſſe autumabat, eundem *juſtiſſimos* Deo vindici *pœnas dare* denuo concludat, atque pervincat. Hujus autem cenſuræ acerbitati nonnihil tandem conſolationis admiſcere incipit, oſtendens Deum quidem *ſuperbis reſiſtere*, *ſummiſſis autem*, & *ſeſe virgæ caſtigatrici ſubjicientibus*, *dare gratiam*; quin imo *graviſſimis plagis confectos* & *exhauſtos* ita *perſanare*, atque *in integrum reſtituere*, ut *omni pace ac proſperitate cumulentur uſque ad extremam ſenectutem*, atque *feliciſſimam* ex ſe *propagent* ac *relinquant familiam*. Non dubitabit, qui ſuperiora rite habet comprehenſa, quin ad hanc ſeriem totum hocce caput digerendum, atque ad hunc ſcopum omnis quoque verborum ac ſententiarum explicatio dirigenda ſit. Quicquid itaque meditationum huc non collineat, id merito a nobis ſeponetur, quamvis aliunde aliquid habere poſſet vel acuminis, ac gratiæ; vel ponderis ac dignitatis; quum nihil omnino in enucleationem tum aliorum, tum hujus ſpeciatim abſtruſiſſimi ſcripti, ſit admittendum, quod non certo validoque ictu ad finem propoſitum recta pergere deprehendatur, haud ſecus ac telum certa manu emiſſum.

Ibid. Evidentiſſime apparet *Eliphazum* tanquam victorem jam, Amico victo, vel dicam convicto, ut putabat, *injuſtitiæ*, & *Hypocriſeos*, denuo inſtare. Animos videlicet ei addiderat præmiſſum *Oraculum*; atque Divina auctoritate munitus, majores ſumit ſpiritus; denuoque in certamen deſcendens, *Jobum* provocat ad reſpondendum, vel potius omnem ei defenſionem ereptam, atque os præcluſum, gloriatur. Non poteſt hæc *provocatio* alio rſum tendere, quam quod ſupra jam intentatum ab *Eliphazo*, atque, ut opinabatur, evictum fuerat, *Jobum juſtas* Deo vindici criminum *luere pœnas*, ut *injuſtum*, & *culpæ proximum*. Ab hoc nexu ſimpliciſſimo deflectunt omnes interpretationes, & ſenſum per ſe clarum magnis

nis tenebris involvunt. Non ignotum, quam cupide ad *Vulgatam* verſionem *Pontificii* hinc arripuerint *invocationem Sanctorum*, merito caſtigati a *Mercero*, *Coccejo*, aliis: neque tamen in eorum expoſitionibus facile acquieſcas. Alienius utique, quod *Mercero* viſum, *Ne angelum quidem ullum dignaturum eſſe ſuo alloquio Jobum vocantem*, *aut inclamantem. Ergo longiorem adhuc diſtantiam eſſe inter ipſum & Deum*, *ſi ne minimus quidem Angelorum ipſum ſit allocuturus.* Anſam huic ſenſui præbuit prius membrum per *interrogationem* ſic ab omnibus fere conceptum. *Voca*, *age*; *num ſit qui reſpondeat tibi*? *&c.* Cl. *Cocc.* maluit *voca*, *age*. *Eſtne qui reſpondeat tibi*? *Et ad quem ſanctorum reſpicies*? Prius membrum explicat. *Age*, *cita Deum in jus*; *provoca*; *libellum ſcribe adverſus Eum. In vanum omnia. Non reſpondebit tibi. Non ſiſtet ſe*; *nec vadimonium obibit.* Vult ergo *Jobum* nunc *deterreri a contentione cum Deo*, quippe qui *excelſior ſit*, quam ut *in jus vocanti ipſum reſpondeat.* Poſterius colon ita declaratur; *Quum te Deo oppoſueris*, *omnes*, *qui Dei ſunt*, *te deſerent. Nemo nec Angelorum*, *nec Hominum ſanctorum te adjutabunt refragantes*, *quem in jus vocas*, *Deo. Nolunt illi ad ſe confugi*, *ſed ad Creatorem & Sanctificatorem ſuum.* Alia in eandem mentem ex ipſo fonte hauriri malim. Probo quod קרא hic *Judiciale* eſſe *vocabulum* moneatur, ex uſu *Cap.* 13: 22. Reliqua longiuſcule a ſcopo recedunt, neque enim *Quæſtio* eſſe potuit, *velletne Deus reſpondere Jobo cauſam* adverſus ſe *inſtituenti*; ſed an Mortalis ullus *juſtus* cenſeri poſſet *apud Tribunal* Dei, atque *a Factore ſuo purus abire.* Non etiam agitabatur, poſſetne *Jobus* aliquem ſibi *patronum* contra Deum *invenire in Cœlo*, aut *in terra:* ſed an *producere* poſſet *aliquem Sanctorum*, qui *ſe ad Sanctitatis Divinæ radios* illos lucidiſſimos *ſatis purum* auderet adfirmare. Hunc *ſtatum controverſiæ* longiſſime omnium deſeruit *Schmidius*, ſtatuens *Diſſuaderi* nunc *Jobo*, *ne indignabundo animo ſe avertat a Deo*, *ſeque convertat ad fictitium aliquem Deum*, *Angelumve*, *quem deinceps pro ſuo Numine habeat*, *& cui cultum ac religionem ſuam deferat.* Cruda profecto ſententia, quam fruſtra vir Doctus mollit, & incruſtat quæſitis coloribus. Eo gravius erratum in hac *Hypotheſi*, quod per eam ſequentia quoque *explicare* voluerit, quæ ſic *implicatiora* redduntur, quam erant.

Ibid. Locus hic debetur conatui *Clar. Bohlii* in *Diſp.* IV. *pro Formali Signif. par.* 3. ubi תו עָנָה attribuens primariam vim *ſimilitudinis*, hunc ſenſum exſculpit, *Nomina num ſit ſimilis tibi*? *&c.* Hoc eſt, *ne unicum quidem exemplum dare poteris*, *ubi homo Sanctus*, *qualem te fers*, *ita ſit adflictus*, *& qui ſicuti tu mala tam ægre tulerit. Ergo tu non es Sanctus*, *ſed dignus qui tam extraordinarie adfligaris.* Iſtud *Formale* thematis, unde *Diſp.* V, notiones *reſpondendi*, *adfligendi*, *&c.* extundit, majori jure rejicitur, quam propoſitum fuit, quum nihil ſit coactius, nihil fidiculis tortius, quam quæ vir Doctus circa has *Origines* protulit. Eſt tamen in ſenſu, quem huc intulit, aliquid quod alicui ridere poſſet. Eum pleniorem & elegantiorem miniſtraret תו *Reſpondere*, ſic elatum, *Nomina*, *age*, *num ſit reſpondens tibi*? *Qui tuo caſui reſpondeat*, *tibique per omnia ſit ſimilis.* Hanc vertendi viam tenuit *Bolducius*, niſi quod ad *modum lamentandi*, & *acerbiores Jobi querelas*, hæc retulerit, quales *nullus* unquam *ſanctus* uſurpaverit; & quæ *ſtultum* potius deceant, *ſatuumque*, quam Dei cultorem. Utrumque hunc adſpectum complectitur illa *Rabbinorum* commentatio. *Age vero voca*, *& profer Sanctorum virorum aliquem*, *qui vel talia paſſus*, *vel talia fuerit queſtus. Nec tam graviter adflictum*, *nec tam audacter locutum ullum*, *produces.* Hi tamen *reſpondere* non ſumſerunt pro *ſimilem eſſe*, & *referre*; ſed ſimplicem tantum uſum ſecuti ſunt, *Reſpondere vocanti*, *ſuumque* ei *exemplum præſtare.*

Ibid. Proponam, miſſis reliquis, quod mihi filum diſputationis ſuggerere videtur, *Clama*, *age! eſt profecto qui reſpondeat tibi! tu vero ad quem Sanctorum te convertes*? Triumphat quaſi *Eliphazus*, recitato *Oraculo*, quo ne *Angelos* quidem *intaminatos*, nedum *contaminatos mortales*, ad *præfulgens jubar Sanctitatis infinitæ*, ſatis *Sanctos* ac *puros* eſſe, pronunciatur; atque *Jobum*, cum Deo contendere auſum, provocat, ut nunc, ſi lubeat, denuo inſtet, & *Factori* ſuo *Litem intendat*, acſi *injuſte* adflictus fuerit, quum quicquid eſt *Hominum Sanctorum*, quin & *Angelorum*, profiteri debeat תצדק בדברך תזכה בשפטך *Juſtus es quum cauſam agis*, *& purus es* ac victor, *quum judicas*; omnibus *ante Tribunal* tuum *victis*, & *cauſa cadentibus.* Eſt autem hæc

2 Enimvero ſtultum enecat indignatio: & fatuum emori facit zelus.

3 Vi-

2 כי לאויל יהרג־כעש ופתה תמית קנאה׃

3 אני

hæc *provocatio* conjuncta cum *Ironia*, & *illuſione*, qualis apud *Latinos* in formula ſolenni *I nunc*. *Ite nunc mortales, & magnis cogitationibus pectora implete.* Nec non

> *I nunc, tolle animos; & fortia geſta recenſe.*

Eodem modo, *I nunc, voca, clama; ecce eſt qui reſpondeat tibi.* Eſt qui *Spiritus* iſtos tibi *frangat* ac *retundat*. Videtur autem *Semet ipſum* innuere, qui Divinam auctoritatem, & *Cœleſtis Oraculi deciſionem* produxerat, vel potius *Deum* hæc ex *Solio* ſuo ac *Tribunali* promulgantem. Verba קרא *Clamavit*, & ענה *Reſpondit*, induunt *vim judicialem*, ut diſtinctius oſtendam ad *Cap.* 13: 21. *Aut Clama, & ego reſpondebo: aut ego cauſam agam; & tu reponas mihi.* Iterum *Cap.* 14: 11. vel 15. Videtur τὸ קרא hoc uſu complecti quidquid *Actor* facit *per ſe, per patronos, per advocatos, per teſtes*; univerſamque adeo *Litis conteſtationem* a parte illius qui alium *in jus vocat*: ut contra ענה *Reſpondere* eſt illius qui *compellatur* & *accuſatur*. Nihil habet duri, quin imo multum commodi, היש non cum *interrogatione*, ſed cum *aſſeveratione* enunciatum; *Profecto eſt, Ecce eſt*; nam ſic & rotundior periodus, & uberior vis τοῦ יש, in quo ineſt notio ſubſtantiva *ſolidi*, vel *ſoliditatis*, hac facie, *Ecce ſoliditas reſpondentis tibi. Adeſt ecce qui tibi in ſolidum reſpondeat, oſque tibi tuum obturet.*

Ibid. Si quis mallet retinere *vim interrogandi* in היש, non incommodum plane eſſet, *Voca, age! Num ſit qui reſpondeat tibi? atque ad quem Sanctorum vertes te?* periculum fac, ſi lubet, novæ cum Deo contentionis, atque *advoca* ſimul *cauſæ* tuæ *Defenſores: non erit* ſane *qui* tibi *reſpondeat* vel *Homo*, vel *Angelus.* Quicquid eſt *Sanctorum* vel *in Cœlo*, vel *in Terra*, renuet tuæ cauſæ defenſionem, atque te citra ullam dubitationem condemnabit. Figurata eſt oratio; quam extra ſcopum ad Theologicas veritates detorquere eſt ληρεῖται, μὴ θεολογεῖται. Exiſtimo tamen fortius fore, ſi ſolum membrum poſterius cum interrogatione efferatur; *Sed ad quem Sanctorum tu vertes te?* Eſt qui tibi *clamanti, litem intentanti, injuriam tibi fieri proteſtanti, reſpondeat*, vel *Ego*, vel *Deus*, cujus *Oraculum* audiviſti. *Tu vero ad quem Sanctorum converteris?* Quem tibi *Defenſorem ex* univerſo *Sanctorum choro* parabis? Omnes uno ore, una mente, omnem ſuam Sanctitatem deleri fulgore virtutum Divinarum confitebuntur, atque Deum etiam in judiciis graviſſimis, quæ exercet, infinite *juſtum*, infinite *purum* eſſe, atteſtabuntur.

תפנה *Reſpicies, convertes te*, ſignanter poſitum, ut *Eſaj.* 45: 22. ad *opem* nempe & *defenſionem* ſibi comparandam.

Ibid. Nihil contradicere potuiſſet *Jobus* ſi intra hos fines ſe continuiſſet Cenſor. Sed vitioſiſſima erat illatio, *Juſtiſſima* ſemper ſunt *Numinis Judicia*, Ergo *Jobus* iſtis *judiciis* adflictus eſt *injuſtus*, eſt *Hypocrita*, & *meritiſſimas* criminum ſuorum *pendit pœnas*. Hoc vitium argumentationis jam nudavi ad *Vſ.* 17. ſub finem: indeque colligere eſt, expoſitionem noſtram cum filo ſuſcepto intime congruere, ac conſpirare. Aliud quid ordinem hujus verſiculi ſpectans, ſequenti nota indicabitur.

Vſ. 2. Quum alii exiſtiment continuari, quod *Vſ.* præced. erat inchoatum; alii novam orationem inſtitui velint, non poteſt non magna exiſtere diſcrepantia; pro diſſonis, quæ aſſumuntur, hypotheſibus. *De Pineda* priores partes ſequens, quinque tentat vias, neutiquam pervias, in quibus fruſtra moras necteremus. *Bolducius* non omnino incommode, *Hujuſmodi ſermones non decent Sanctum, ſed potius ſtultum & fatuum, qui effrænatos animi ſui motus non comprimens præ excandeſcentia & furore, ſe ipſum interimit quaſi*;

quaſi; *mortemque peroptat.* Simile quid obverſatum fuit Cl. *Coccejo*, brevius hocce apponenti, *ſtultorum enim eſt jurgari cum Deo*; *quod grave eſt peccatum*; *graviter puniendum.* Hoc & ad ſuam opinionem ſic flexit *Schmidius*, ut *Jobo* tanquam *ſtulto*, & *fatuo*, ac *blaſphema* in Deum *effutienti*, denuncietur *pernicies*, ſi *ſeſe* ſic a Deo *avertere*, & ad alia Numina *convertere* pergat. In has anguſtias non fuiſſet deventum, ſi *Vſ. præcedens Capiti Quarto* annexus fuiſſet, ad quod revera proxime pertinet; diſputationi ibi deductæ coronidem veluti imponens, atque cum ſarcaſtica increpatione primam illam convictionem claudens. Videtur tamen in *Quintum Caput* tranſlatus hic *Vſ.* ut verba jam non *Oraculi* eſſe, ſed *Eliphazi*, primo oculi conjectu, intelligeretur. Ea interim diviſio non poteſt, non debet obſtare, quo minus *Vſ.* 1. ſuperiori contextui pro clauſula reddamus: atque *Vſ.* 2. *Novam* exordiamur *periodum*, ad *Vſ.* 8. progreſſuram. Sic alios quoque aliud membrum hic incipere monuit Cl. *Mercer.* pro *Nam* כי, reponens *ſane*, *profecto ſtultum interficit iracundia &c.* Id dupliciter exponitur. Primo, *in ſtultum & fatuum ira Dei deſævit*; *ergo tu Jobe iiſdem accenſendus*, *in quem vindicta Dei incumbit.* Secundo, *ſtultum interficit* ſua ipſius *ira*, *& fatuum ſua perimit indignatio*; *dum in adflictione gravius incandeſcit*, *adverſus Deum murmurans*, *ac propterea a Deo plane perdendus.* Hæc per ſe bona; ſed parum apta ad ſeriem. Ea ex oppoſitione *Vſ.* 3. exigere videtur, cum novo ſermone, cenſuram in illos ſtrictam, qui *Fortunis improborum invident*, *eoſque beatos prædicant*, *non ſine adfectu vehementi Zelotypiæ*; quum nil *miſerabilius* ſit *improbo*, quantumvis *florente*, atque *altas radices* agente; quippe quem *Fulmen judicii* Divini necopinato ſit tacturum, atque ſua cum domo extirpaturum, in media vel *meſſe*, vel *vindemia*, ſuarum opulentiarum; quas juſtus vindex aliis pro arbitrio diripiendas, ac poſſidendas, ſit traditurus. Cernis imaginem, quam *Eliphazus* pinxit, ut *Jobus* in ea ſuam cladem recognoſceret. Eum ut fortius pungeret, exordii loco præmittit *Enthymema* multa cum gravitate pronunciatum. *Enimvero ſtultum jugulat indignatio: & fatuum enecat invidentia.* Hoc eſt, *Profecto ſtultiſſimus ſit Mortalis oportet*, quem *tangat*, aut *cruciet* momentanea illa Felicitas, qua aliquando *Hypocritæ*, & *improbi* gaudent; quum certo certius calamitas ipſos oppreſſura ſit, & radicitus deletura.

Ibid. Duplex hinc ſeſe offert nexus, valde opportunus. Primus, ut per *novam inſtantiam* adfirmetur & illuſtretur, quod *Vſ.* 7, 8, 9. *Cap. præc.* erat inculcatum. Secundus, ut tacita removeatur, vel refutetur, objectio, quæ ad ea moveri potuiſſet, *neutiquam improbos exſcindi*, *ac flatu Numinis diſperdi*, quum contra *inſtar Arborum* excelſarum capita attollant, atque Fortunæ eorum *altiſſimis radicibus fundatæ*, largamque opulentiæ *meſſem* ferentes, *probos* ſæpe *ad Zelotypiam* provocent, atque *ægrimoniam & indignationem publicam* concitent. Adfectum hunc, facillime Bonis ſubrepentem, caſtigat & coërcet totus *Pſ.* 37. Ejuſdem *ſtultitiam* deſcribit *Pſ.* 73. Ac proinde haud male ex Principiis ſanioris Doctrinæ effatum hocce proponitur, *Profecto ſtultum enecat indignationis plena invidia*, *contra improbos florentes concepta.*

Ibid. Aliquid ſcrupuli forte alicui ineſſet adverſus hanc interpretationem, quam *Codurco* etiam in mentem veniſſe video, quod durum videatur voces כעס & קנאה, quæ *generatim* complectuntur omnem *indignationem*, & *Zelotypiam*, ſic *ſpeciatim* reſtringere; quum in hoc *Vſ.* nihil ſit adjectum, quod ad hanc *ſpeciem invidentiæ* manu ducat. Reſpondeo eandem difficultatem moveri poſſe ad *Pſ.* 37: 1. אל תתחר במרעים אל תקנא בעושי עולה *Ne exardeſcas adverſus maleficos*; *ne Zelotypia adficiaris adverſus patratores iniquitatis.* Nulla erit oratio iſta, niſi abſolute intelligas *Zelum accenſum adverſus improbos florentes*. Dices id ex ſequentibus ibi pateſcere. Idem ego de noſtro contextu dicere poſſum, quum משריש *Radices agens Vſ.* 3. ſubnectatur, *in* נוה *pulcra* & *amœna ſede florens.* Accedit קנאה *invidentiam* ſua natura potiſſimum ex *Rebus florentibus* & *Opimis* exiſtere aliorum, atque inde apud *Latinos* id nominis inveniſſe, quod *nimis fortunas alienas intueatur*, ut a *Cicerone* obſervatum. Denique idem incommodum magis adhuc gravat aliorum expoſitiones,

3 Vidi ego ſtultum divitem radices agentem: & deteſtatus ſum manſionem ejus deſubito.

3 אני ראיתי אויל משריש ואקוב נוהו פתאם ׃

4 Lon-

ירחקו 4

quam meam; nam mollius eſt *indignationem* & *Zelotypiam* abſolute referre ad *ſtultum invidentem* fortunis aliorum; quam vel ad *iratum Numen*, vel ad *ſtultum impatienter ſeſe* ſub manu & virga Dei *gerentem*. Non eſt poſtremo, quod quis adhæreſcat ad voculam כי; quaſi ea minus rite per *Profectò* redderetur. Habes hanc vim *Gen.* 22: 17. כי ברך אברכך ἦ μ̃ ἐυλογῶν Ἐυλογήσω σε. Similiter 1 *Reg.* 1: 14. *Pſ.* 118: 10, 11, 12. *Joſ.* 2: 24.

Ibid. Genus commentandi, quod ſuſcepi, verique inveniendi amor, quo unice ducor, exigunt, ut alium adhuc conſpectum hujus loci offeram, a quibuſdam forte præferendum, quibus commodius videbitur verba הרג *necavit*, & המית *occidit*, non referri ad *ægritudinem enecantem ſtultos invidos*; ſed ad *cladem* divinitus *infligendam*, per כעס *indignationem*, & קנאה *Zelum* Numinis, quo ſolet *improbos ſtultos*, & *dulci fortuna ebrios*, in medio curſu felicitatis, necopinato *evertere*, omnibuſque *fortunis evolvere*, in exemplum aliorum. Hoc pacto non removeretur tacita objectio, ſed tantum graviſſime inſtaretur in id, quod *Cap.* 4: 9. erat intimatum, *A flatu Numinis peribunt*, *atque a Spiritu Naſi ejus conſumentur.* Hoc ipſum nunc reſumeret *Eliphazus*, atque ſub *Emblemate Arboris* ſubita tempeſtate *ſubverſæ* & *eradicatæ*, denuo expingeret. Nonnihil favet gravis poteſtas ꝧ הרג cum ל *Emphatico*, *occidionem*, ſive *internecionem* inferentis *Pſ.* 135: 11, 12. *Pſ.* 136: 18, 19. Magis moveret me אויל *Vſ.* ſeq. recurrens pro *improbo* ipſo, quem proinde & hoc *Vſ.* intendi, ſatis ſpecioſe colligi videtur. Sic ſenſus foret, *Profectò ſtultum interimet gravis ira*; *atque fatuum neci dabit Zelus* Numinis, *flatu ſuo omnem improbum diſperdentis.*

Vidi ſane ego ſtultum Radices agentem. &c. &c. &c.

Ibid. Librabo tandem duas ſententias, quarum alterutra obtinere debet. Primum, quo *occurritur objectioni*, eo ipſo plus adfert momenti. Verba quoque ſingula ſic ſingularem ſpirant gratiam. אויל *ſtultus*, ut בער *brutus* in *Pſ.* 73: 22. פתה *fatuus*, *ſimplex*, *imperitus* rerum, qui *ſpecie externa capitur*; ut *Prov.* 14: 14. הרג *Enecare*, & המית *occidere*, pro *gravi ægritudine diſcruciare*, etiamſi exemplis Biblicis careret, non tamen diſpiicere poſſet bonis Arbitris. Vocabula כעס *ægrimonia indignans*, & קנאה *Zelotypia* ſive *invidentia* huc quoque opportuniſſima eſſe, modo diſcuſſum. Fateor itaque me hanc in partem maxime propendere; Nec tamen ſecundum cancellare auſim, in quo אויל & פתה denotent *improbum ſecurius agentem*, & *fortuna proſpera confiſum.* הרג & המית *Pœnam graviorem tali homini publice inflictam pro exemplo juſtitiæ Divinæ.* Denique כעס, & קנאה eam ipſam *Juſtitiam vindicatricem*, inſtar *fulminis* malos male perdere & extirpare ſolitam.

Vſ. 3. Si prior ſententia valeat, אני *Ego* exeret vim *prudentiæ* & *experientiæ*, oppoſitam *ſtultitiæ imperitorum*. Si poſterior, erit confirmatio præcedentis doctrinæ per eandem *experientiam*. Simile habes *Pſ.* 37: 33, 34. בהכרת רשעים תראה *Extirpationem improborum videbis.* ראיתי *Vidi ego improbum violentum*; *& perenni vigore præditum inſtar palmæ patulis ramis diffuſæ.* Nimis ſubtiles qui *Experientiam* hanc *Eliphazi* convertunt in *viſionem Ecſtaticam*. אויל *Stultus* hic idem qui רשע *improbus*. Cl. *Cocc.* ſic dictum

diſtum putat ab הואיל, a יאל, in quo *themate* ineſſe cenſet *voluntatem ſubitam in opus prorumpentem*; unde אויל proprie deſignaret *levem hominem, qui ſine conſilio vult, agitque &c.* Hæc quidem acuta, ſed parum ſolida. Verba יאל & אול non confundenda. Utrumque enucleatius in *Originum* opere excutietur. Hic tantum monebo *Arabibus* آل med. *Vaw*, אול, inter alia eſſe *incraſſuit* liquor, idem quod خثر. Hoc poſtremum transfertur ad *animum turbatum, confuſum, ſui minus compotem.* Utriuſque verbi *participium* آيل pro اول אֱוִל, & خاثر חָשֵׁר proprie *incraſſatus, craſſeſcens*, commode uſurpatur pro *ſtolido*, cui *judicium turbatum, corruptum*, ac quaſi *incraſſatum.* Sic fere *Græcis* παχὺς *ſpiſſus, craſſus*, ad *ſtupidum, ſtolidumve* tranſiit: quin *divitem* ac *opulentum* ſignat idem παχὺς, nec non *pinguem & opimum.* Hanc amplitudinem ignoraremus, ſi intra unius Libri cancellos lectio noſtra *Græca* contineretur. *Heſychius* nonnullas harum *Gloſſarum* tetigit. *Suidas* paulo plures. Eum conferas velim in παχεῖς; itemque παχύνεσι. Quæ tamen ille carptim, & confuſim, plenius aliquando & diſtinctius proſequar. Nunc tantum obſervabo illud παχὺς nonnunquam ſic poni, ut *ſtolidum* & *divitem* exprimat ſimul. Iſta *geminata idea* hic mire quadraret: nec tamen eam nimis urgere auſim, quamvis in Lexico *Goliano* noſtrum آيل אֱוִל *craſſeſcens*, etiam exponatur *pecuniæ amans.* Ceterum אויל משריש παχὺν, *Stolidum radices agentem*, talem tibi proponas, qualem exhibet *Pſ.* 37. ſupra adductus, qui & *radices deorſum, & ramos ſurſum diffundens*, inſtar celſæ Arboris caput effert, perennemque promittit vigorem. Talem ſe *Nebucadnezar* gloriabatur *Dan.* 4: 1. *Eram ego opima tranquillitate gaudens in domo mea, &* רענן בהיכלי *Viridis in palatio meo.* Rectius, *patulis ramis diffuſus.*

Ibid. Nonnihil diffidetur in altero membro; quod aliis eſt *imprecantis*, aliis *exitium præſagientis.* Hi parum attendunt ad vim vocabuli פתאם, quod adfert *necopinatum* quid ac *derepente incidens*; atque nuſquam non *de improviſo* venit reddendum. Vertas ergo, *& execratus ſum manſionem ejus de improviſo*, & ſenties non aliam mentem admittendam, quam *Merceri, Belgarum, Cocceji*, ad *exitium improviſum & ſubitarium* illius improbi hæc referentium. Durum id vocat *Schmidius*, ipſe revera durus, quum פתאם poſitum ait pro לפתאם, ut ſit, *Maledixi habitaculo ejus in ſubitum*, i. e. *ut ſubito periret. Hoc* ut *Latinum* eſſe nemo conceſſerit, ita *illud* pro *Hebraico* non agnoſco. Suum viro Docto impoſuit acumen; argutum quid hinc extundenti, quod ab omni ſpecie veri abhorret, quaſi *ſpiritu Prophetico actus Eliphazus, prædixiſſet*, cum execratione ſortis, *iſtum hominem ſubito periturum.* Mirum quoque judicium Cl. *Clerici*, qui languidulam interpretationem hac criſi claudit: *Qui voculam* פתאם *referunt ad exitium ſubitum improborum, id vident, quod verbis non ineſt: nam de filiis demum eorum, pereuntibus miſeria, agitur Vſ. ſeq. ipſi ſubito periiſſe non dicuntur.* Quid audio? an is, cujus conditionem, ſortemque, execramur, ac ſolennibus abominantium verbis deteſtamur, *non dicitur periiſſe*? imo vero *peſſime* eum *periiſſe* inculcatur, quippe qui *fulmine necopinato* iræ cœleſtis *tactus*, triſte jaceat exemplum, *manſione amœniſſima*, in qua florebat, in *bidental*, locumque fulguritum, *converſa*, quæ diris publicis itidem contacta lugeat. Hanc vim & emphaſin verbum נקב haud dubie exerit, quod proprie hic valet *diris* devovit & *defixit, transfixit*, Confer *Cap.* 3: 8. ut autem ibi, ſic & heic loci, habes *execrationes & diras publicas:* quum *Eliphazus* non quid *ſolus* viderit, egeritve, ſed quid *omnes* cum ipſo *boni*, Numiniſque reverentes, notarint, enarrare cenſendus ſit.

Ibid. Subeſſe aculeum, ad *Jobum* in domeſtica clade pungendum, vix dubium eſſe poteſt. Sed probare nequeo *Schmidii* mentem, quaſi *Eliphazus* dicere voluiſſet, *ille probe radicatus cito tamen periit: quanto minus*

R 2 tu

4 Longe aberant filii ejus a ſalute, & conterebantur in porta; & non erat, qui eriperet.

4 ירחקו בניו מישע וידכאו בשער ואין מציל :

5 Quip-

5 אשר

tu ultimam maledictionem evades, cui radices jam ſunt reſectæ. Cavebis ergo tibi. Hæc frigent. Calidus *Eliphazi* impetus hanc ei *imaginem* ſuggeſſit, ut intelligeret *Jobus*, illud *exitium*, quo tanquam *ſubita tempeſtate extirpatæ fuerant florentiſſimæ* hominum *improborum domus*, in ipſum quoque incubuiſſe: ac proinde *ex judicio ipſi, familiæque univerſæ, Divinitus inflicto*, nihil aliud colligendum relinqui, quam *meritas & ipſum pœnas* tandem *luere*, qui ut אויל παχὺς, & *in felicitate ſecurus vindictæ cœleſtis*, a longo *Theſaurum* hunc *iræ* ſibi quaſi conſtruxerat, & præpararat.

Vſ. 4. Cum patris ruina, conjungitur clades filiorum. Singulæ phraſes ſuum habent pondus ac momentum. Prima, *Longe aberant filii ejus a ſalute.* Non placet ſub *forma imprecandi, Longe abſint.* Non etiam *comminandi, Longe aberunt.* Inculcat *Eliphazus*, quid viderit, quid non uno exemplo didicerit. ישע *ſalus*, proprie *laxitas ſpatioſa* omnium rerum, hic non eſt directe *Divina opitulatio*, aut *defenſio.* Multo minus ipſe *Salvator, Deus*; quod *Schmidio* viſum. Recte *ſalutem æternam* quoque ſepoſuit *Mercerus*, de *ſalute externa*, & *defenſione* hominum agi putans; haud ſatis tamen recte, ſaltem non ſatis clare. Omnino ישע *Laxitas* hic ſignat *omnium bonarum rerum copiam*, & *abundantiam*, in qua hæc *Familia* floruerat. Sic *Arabibus* وسع , وسع & وسع eſt *omnis copia, commoditas, opportunitas, opulentia*, & *affluentia*, qua quis in *ſpatioſiſſima luxitate* gaudet. Eadem vis reſidet in سعة, quod eſſet שֵׁעָה, dempto *Jod*, ut tria ſuperiora exhibent tres *formas ſegolatas Hebræorum.* Ab illa jam *laxiſſima copia bonarum rerum, procul abfuiſſe* dicuntur, qui inde *in perpetuum exciderant*, atque in *miſeriam ineluctabilem deciderant.* Eſt λιτότης *Longe aberant a laxitate*, pro *anguſtiis & miſeriis ineluctabiliter obruti jacebant, cum publica* omnium hominum *execratione.* Hoc ultimum ſuggerit mihi formula *Arabum* ابعده الله *procul abeſſe eum jubeat Deus*; pro *maxima mala cruce mactet.* Propius adhuc accedit ſolenne illud لا تبعد *Ne procul abeas*, in fauſtis comprecationibus, aut averruncationibus; qua anſa بعد *diſtitit, longius abfuit*, invaleſcere cœpit pro *male periit* هلك, quod in *Lex. Goliano* primum comparet. Inter *Nænias præficarum*, & *funebria verba*, erat لا تبعد *Ne procul abſis*, hoc eſt, *utinam felix fortunatuſque ſupereſſes; nec unquam perires.* Sic in *Hamaſa.*

ما كان ينفعني مقال نسايهم
وقتلت دون رجالها لا تبعد ۞

Non juvaret me nænia mulierum,
Si occiſus eſſem pro viris, ne procul abſis.

Ad hæc *Tebrizius* لا تبعد لا تهلك كلمة تقال للميت وكانها دعاء له وبعد الرجل اذا هلك وفي القران كما بعدت ثمود وفي الدعاء علي الرجل بعدت اي هلكت *Ne procul abſis, id eſt, ne pereas. Eſt formula quæ mortuo accinitur, cum fauſta quaſi comprecatione. Nam procul abfuit, valet male periit; ut in Alcorano, quemadmodum procul fuit Themodæa natio.*

5 אשר קצירו רעב יאכל ואל־
מצנים יקחהו ושאף צמים חילם׃

6 כי

5 Quippe cujus meſſem famelicus depaſcebat; & vel e ſpinis rapiebat eam: abſorbſitque Everriculum opulentiam eorum.

6 Nam

natio. Hinc in imprecationibus, procul abſis, pro, male pereas.

Ibid. Altera formula וידכאו בשער adhuc gravius quid conſignare debet. Obſcuritate non caret, *Conterantur in porta.* De *porta inferna*, & *damnatione æterna*, accepit *Chaldæus.* Rectius de *porta judiciorum* plerique; in quem uſum extat *Prov.* 22: 22. אל תדכא עני בשער *Ne conteras pauperem in porta.* Hinc *Mercerus* vellet, *opprimentur in judiciis, nemine miſerente; ut parens nullius fuerat miſertus, ſed omnes oppreſſerat.* Magis illud *Cocceji* arrideret, *ut injuſti confundebantur, & contundebantur, coram tribunalibus.* Addidit *Schmidius, ob æs alienum vapulare, aut carceri,* ac *ſervituti, mancipari.* Non multum hinc abeunt qui *in porta*, exponunt, *in publico, tota civitate inſpectante*; & *applaudente.* Aliam adhuc faciem offerunt LXX. κολαβρισθείησαν ἐπὶ θύραις ἡσσόνων; tanquam *mendicabula* videlicet, *oſtiatim victum quæritantes*, & *repulſi.* Id habet, quo ſe commendet. Liceat tamen aliud circumſpicere. Ad genuinum ſenſum prælucere forte poterit ſimilis ſententia *inf. Cap.* 34: 25, 26. *immittit noctem, & conteruntur* ידכאו, eadem forma, quæ in noſtro contextu. *Infra improbos deſligit eos; in loco ſpectantium.* Hoc eſt, tanquam *in theatro; in loco publici ſupplicii.* Depingitur ibi *exemplum juſtitiæ divinæ uno ictu evertentis* & *conterentis ſuperbos*, metaphora deſumta a *ſupplicio publico*, quod רשעים *improbis*, hoc eſt *capitibus ſceleratis*, & *a judice damnatis*, infligitur. Eandem ſcenam & hic aptiſſimam nemo neget. Hanc habebis, ſi vertas *Conteruntur in judicio publico.* Intellige ſis *portam* & *Tribunal* ipſius *Dei*, quod erigit, quum *extraordinarium* aliquod *judicium* exercet, *improbam Domum* quaſi *ſupplicio publico mactans*, & *ignominioſiſſime* cum omni poſteritate *diſperdens*, atque *extirpans.* Non diſſimile eſt illud *Alcorani Sur.* 23: 79. فتحنا عليهم بابا ذا عذاب شديد *Aperuimus contra eos portam maximi ſupplicii.* Extat & profundioris elegantiæ formula שער קטב *porta excidii*, apud *Eſaj.* 28: 2. quæ an huc pertineat, nunc diſcutere haud vacat. Hic adſpectus cum grandior, tum convenientior ad *Cladem Domus Jobææ*; quam his coloribus adumbrare quoque voluiſſe *Eliphazum* omnia ſuadent. Conf. *Pſ.* 72: 4.

Ibid. Adjuvat hanc interpretationem tertia formula ואין מציל, *& nullus erat vindex.* Languide *Schmidius* refert ad *Eum*, qui *pro miſeris obæratis aliquid pecuniæ numerat, eoſque a verberibus, carcere, aut ſervitute redimit.* Obſervavi in *atrociſſimis calamitatibus* locutionem hanc frequentari, & מציל ſpeciatim exprimere *Vindicem* aliquem *præſentem* ac *præpotentem*, qui *manu fortiſſima aſſerere valeat oppreſſos.* Sic de *Deo* ipſo *Pſ.* 35: 10. *Quis ſicut tu* מציל עני *Vindicans pauperem ab eo qui fortior eſt quam ipſe, pauperemque & egenum a diripiente eum.* Contra אין מציל *Deut.* 32: 39. & *Job.* 10: 37. *Pſ.* 50: 22. *Ne diſcerpam, & nullus ſit Vindex.* Eſt *metaph.* a *Leone*, cui qui *prædam ex faucibus extorquet*, κατ' ἐξοχὴν dictus fuit מציל. Clarum id ex *Eſaj.* 5: 29. *Hoſ.* 5: 14. *Mich.* 5: 7. *Pſ.* 7: 3. Diſcas hinc quanta emphaſi poſitum ſit τὸ ואין מציל *Jud.* 18: 25. *Jeſ.* 42: 22. & 43: 13. *Dan.* 8: 47. Ex omnibus hiſce locis elucet, præcedens membrum exprimere *gravius* quoddam *Judicium Dei, uno ictu ita diſperdentis*, ut *nulla cujuſquam ope, nulla arte, nulla manu, exitium defendi* aut *averti* queat. Rotundius hinc ad mentem meam repræſentari poſſet. *Longe aberant Filii ejus a Salute: & conterebantur in judicio, quod nullus vindex avertere valebat.*

Vſ. 5. Inter obſcuriſſimos reputandus hic verſiculus; ad quem omnia tentata a præclaris ingeniis, ad aliquam lucis ſcintillulam eliciendam. Si cuncta excutere vellem, finis vix foret. Stringam quæ omitti nequeunt, quæque ad Veritatem tutius eruendam prælucebunt.

Ibid. Ad prius membrum obſervo diverſiſſimam inſtitui cohærentiam, aliis אשר referentibus ad *Filios*; aliis ad *Patrem familias*; aliis per metatheſin ad aliquem *pauperem & abjectum hominem*, *cujus meſſem famelicus* dicatur *depaſcere*; qui ipſe viciſſim hunc *divitem ſit depaſturus*. Maluerunt alii, *Nam ejus meſſem famelicus comedit*, quod *Junii* eſt; *de Dieu* tentavit *certe meſſem ejus* &c. præfert tamen *relatione* neutrali, *Quod meſſis ejus* eſt, *famelicus comedet*. Cl. *Coccejo* placuit, *Adeo ut meſſem ejus comederet*. A *Schmidio* ſuppletur, *idem eſt*, *cujus meſſem* &c. recte ad *Stultum Radicantem* reducenti. Potuiſſet, meo judicio, ſimpliciſſime reddi, *Cujus*, videlicet hominis florentiſſimi, *meſſem famelicus depaſcebat*. Reſumitur *imago vſ.* 3. ſuſcepta; atque convenientibus coloribus conſummatur. Illam convenientiam tamen neglectam video: nam *meſſem* hic accipiunt omnes de *ſegetibus*, & *proventu agri*, quem quum percepturum ſe putabat improbus, ſubito amiſerit, *depaſtum* a *pauperibus*, vel *erronibus*, ac *prædonibus*. Longius adhuc abiit *Schmidius*, qui minus felici acumine *tantam* hinc extundit *maledictionem agris ſtulti immiſſam*, *ut vix proferant tantum*, *quantum famelicis* ſeu *pauperibus relinqui ſolebat in agris: ut proinde operæ pretium non ſit iſti ſtulto*, *ut ipſe metat*, *ſed meſſem ſuam ultro pauperibus relinquat*, *parcens ſumtibus ſuis*, *quos meſſis non ſit exæquatura*. Ex ſublimi ſententia tam humilem ſenſum non expectaſſem. קציר habet amplam ditionem, notat quippe *Ramum*, notat *Meſſem*, notat quoque *Vindemiam*, quæ quaſi *Meſſis* eſt *arborum*, qua *metuntur* & *demuntur fructus autumnales*. Rariorem hunc uſum præſtabit *Eſajas cap.* 18: 15. ubi קציר reperies pro *Vindemia*, ſive *maturitate autumnali*, in *vite*. Item *Joël.* 3: 13. *Vindemia* ſeu *autumnitas olivarum*, ac *Vitium*, τρυγητὸς, ut prudenter LXX. Nec aliter *Eſaj.* 16: 9, ubi קיץ וקציר ſunt *Æſtivi* & *autumnales fructus*; itemque *Jer.* 8: 20. quamvis & aliud ibi eſſe poſſet. Sed ecce tibi eandem vim *Jobi cap.* 18: 15, 16. *Spargetur ſuper amœnam ejus manſionem ſulfur. Deorſum radices ejus areſcent*, *& deſuper exſcindetur Meſſis ejus.* Adſpicis eandem picturam *Domus florentiſſimæ de improviſo fulminibus tactæ & ambuſtæ*; ut nullum relinqui queat dubium, quin & hic קציר *Meſſis* tribuenda ſit *Stulto* משריש *Radices agenti*, qui ut deorſum *firmus*, ita deſuper *copioſus* vigebat, atque jam *in ipſa Autumnitate fortunarum ſuarum* erat conſtitutus. Eadem imago *Job.* 29: 19. *Radix mea erat expanſa ad aquas*; *& ros pernoctabat* בקצירי *in ramo meo.* Ita nonnulli; *Cocc. in ſegete mea.* Rectius putem *in autumnitate mea.* Repræſentatur *arboris ſummus honor vigorque*, *autumnali ſuo fructu ſuperbientis* quaſi; ut *vſ.* 4. illius *cap.* erat præmiſſum, *Utinam eſſem ſicut in diebus Autumni mei*, vel potius *meæ Autumnitatis.* Hinc pulcherrimus ſenſus emergit, *Cujus autumnitatem famelicus depaſcebat.* Cujus *fortunas ad maturitatem jam perductas necopinus* corripuit *turbo*, *graſſatoriſque famelici impetus ita diripuit*, ut uno die, uno quaſi momento, omnia fuerint depaſta, atque conſumta. רעב *Famelicus*, proprie *Cavo ventre præditus*; ut oſtendit رغب *amplæ ventris cavitate fuit*: item, *guloſus & vorax fuit.* Suſpicor κατ' ἐξοχὴν רעב dictum *Lupum*, quem κοιλογάστορα appellat *Æſchylus*. Amant nempe *Epitheta* animalium pro ipſis *animalibus*, quibus apponuntur, frequentari. Sic *Arabes* mille nomina Leonum præbere poſſunt; mille aliarum rerum, quæ *poëticis epithetis* inſigniri ſolent. Pro זאב רעב *Lupo famelico & raptore* ergo רעב, κοιλογάστωρ, isque iterum pro *prædone inexplebili*. Collective eos *Jeremias Cap.* 5: 6. complectitur Emblemate זאב ערבות *Lupi deſertorum*, vel *Arabiarum*. Habes & זאב ערב *Lupum veſpertinum Hab.* 1: 8. *Zeph.* 3: 3. cum quo *Graſſatores* & *Viri Militares* comparantur. Alluſum iterum, hoc pacto, ad *Chaldæos* & *Sabæos prædatores*, qui *Jobum* cum maxime *opulentia conſpicuum*, uno die *nudum excuſſumque* reliquerunt.

Ibid. In altero membro צנים aliis ſonat *Spinas*; aliis *Scuta*. A *frigore*, quæ eſt notio dubia vocis צנה, *frigore enectos* alii, quod me-

merum frigus. *Vulgatus* dedit, *Et ipſum rapiet armatus.* Sic fere *Aquila*, & *Symmachus* πρὸς ἐνόπλων ἀρθήσεται. Concinnius fuiſſet *De inter arma rapiet*, vel *ex mediis armis*. Magno tamen conſenſu Recentiores, *E medio ſpinarum*. Id nonnulli ad *improbum* ipſum retulere, qui *meſſem ſibi ereptam ipſe e mediis ſpinis rapuerat*. Huc *Belgæ* conceſſerunt. Plurimi ad *Famelicum*, *vel e ſpinis iſtam meſſem rapturum*. Ita *Mercerus*; quaſi *cum periculo*, vel *etiamſi inter ſpinas abdita fuiſſet hæc meſſis*. In vicinia verſatur *Coccejus*, *uſque a ſpinis* reddens, h. e. *ab ultimis Sepibus, quæ e ſpinis*. Concipit *ſegetem circumſeptam vepribus*, quam & *Clericus* exhibet. Duriſſime *Schmidius*, *Et ad id, quod e ſpinis, accipiet eam*. Propoſuit ſibi *agrum* hujus *improbi*, cum *frumento ſpinas ferentem*, *ita ut impius poſſeſſor cogatur ſegetem ſuam, quam demetere non poteſt, inter ſpinas relinquere, & permittere, ut dum pauperes pruna ſylveſtria colligunt e ſpinis, ſimul meſſem illius colligant in corbem*. In *dumeta* correpens, *Spinis* ſe compunxit *Vir Doctus*, qui quum אל מן pro למן exemplo firmaſſet Cl. *Cocc.* ſcribere non debuiſſet, nec *Mercerum*, nec alios, iſtam conſtructionem probaſſe. Sine exemplo quoque ea ſe ſatis approbat, ſi enim למן genuinum, אל מן non poteſt eſſe ſpurium, pro *uſque ex ſpinis*; quin אל מן, الى من videtur propius ad *Arabiſmum* accedere. *Allegoriam* hanc perpendenti dubium nullum erit, quin *Raptor* hicce *Lupus* dicatur *prædam ſuam vel mediis e ſpinis ſuſtuliſſe* & *avexiſſe*. Pertinet hic Character partim ad *aviditatem Raptoris*, partim ad *acerrimam* ejus *vehementiam*, omnia *perrumpentem*. Nil tritius apud Poëtas, quam *Lupos* depingere, cavo ventre ſtimulatos, ad omnia impetu rabido perfringenda. Omnium inſtar erit *Poëta Æneid.* 2: 355.

Sic animis juvenum furor additus, inde lupi ceu
Raptores atra in nebula, quos improba ventris
Exegit cæcos rabies, Per tela, per hoſtes
Vadimus haud dubiam in mortem. ——

Qui alia & plura cupit, *Hierozoicon* adeat, *part.* 1. *p.* 822. & ſeq. In hiſce autem צנים *Spinis*, quibus *circumſepta* proponitur *Arbor* noſtra, agnoſces facile mecum Emblema *potentiæ*, qua *improbus* hicce ante hac *intactum* & *illæſum* ſeſe præſtiterat, adverſus *graſſatores* & *prædones*. Huc ducit nos formula ſolemnis *Arabum* اشتدت شوكته *Corroborata eſt ſpina ejus*, pro *potens* & *formidabilis evaſit*. Nempe شوكة שׁוכה *Spina* figurat *tela*, *arma*, *vim bellicam*, *robur aculeatum*, *quod tangere formides*. Exempla phraſeos adducta in *opuſc.* de *Defect.* Addo hic *proverbium* inſigne, خرط القتاد *Decorticatio tragacanthæ*, ſive *ſpinæ nodoſæ*, qua exprimunt *ſummam* rei *difficultatem*. Sic in *Hiſt. Tamerl. p.* 339. ولكن كان بينه وبين المراد خرط القتاد *Attamen inter illum, & id quod cupiebat erat decorticatio tragacanthæ*. Iterum *p.* 211. & 48. In notis ad *Hamaſa* plenius exhibetur a *Tebrizio* ex veteri Poëta.

دونها خرط القتاد تخاف
شوكته اليد ☸

Subeſt decorticatio Spinæ, cujus aculeum horret manus.

Hoc eſt, *intercedit difficultas* ferme *inſuperabilis*, ut nemo *tangere* aut *aggredi* tantam rem ſuſtineat. Hinc quid ſit *vel mediis e ſpinis rapere meſſem*, *vindemiamve*, *divitis præpotentis*, quem nemo antea *tangere* audebat, cujuſque *inacceſſa* erat *potentia*, luculenter cernere eſt; quemadmodum & occultus in *Jobum* aculeus manifeſto nunc ſeſe exerit. Confer Emblema *Spinoſæ ſepis*, qua Deum *Jobi fortunas circumſepſiſſe* dicebat *Satanas*, ſupra *Cap.* 1: 10. declaratum.

Ibid. Intricatius adhuc tertium membrum. Nodus potiſſimum nectitur per צַמִּים, rariſſimi uſus, quod extra *Cap.* 18: 9. hujus Libri, nuſquam reperire eſt. Radix צמם etiam abeſt ex reliquiis Biblicis Linguæ, in quibus unicum צַמָּה ſupereſt, ter, quaterve, per *comam* ab interpretibus expreſſum.

Inde plurimi *comatum* fecerunt in gemino *Jobi* textu; per quem intelligi volunt *prædonem horridum*, *hiſpidum*, *ipſo vultu* & *crine promiſſo immanem*. Confert Cl. *Cocc.* ex *Pſ.* 68: 22. *Verticem piloſum* aut *Comatum*. Doct. *Merc.* iſti Etymo *Rabbinico* haud ſubſcribens, *prædonem* mallet ita dictum ab *Exugenda pecunia* viatorum. Supponit צמם idem notaſſe atque צמא *ſitivit*, unde & alii *ſiticuloſum* hic exſculpſere, qui cum רעב *famelico* conjunctus eat. Iſtam ſpeciem oculos poſſe præſtringere haud negem; ſed quum *Cap.* 18: 9. aliud exigat, mirum ſpecie duci ſe paſſos Viros Doctiſſimos. Eſt antiquus error, qui *Veteres* interpretes, nec non *Rabbinos* luſit; atque in ipſo צַמָּה pro *Coma* dedit *Sitim*. Cl. *Cler.* ſatis felix ad *Cap.* 18: 9. ubi *Nodos* ex ſerie aſſumſit, hic infelicius verſatur, צַמִּים contractum ſtatuens ex צְמֵאִים, & vertens, *Quivis ſitientium*, i. e. *egenorum* & *avidorum*. Addit Criſin, qua melius ſuperſeſſum fuiſſet, de corruptione per Librarios invecta; quum *Grammatica* ratio poſtulaſſet שאפו צמים. Atqui nil incertius iſta derivatione; nil a vera norma Linguæ alienius. Ne *Mercerus* quidem audiendus, cum ſuppoſitione iſta, צמם idem valuiſſe ac צמא, quod *Analogiæ* ſervandæ excogitatum. *Comatus* pro *prædone*, quamvis ad meam mentem egregie quadraret, *conſenſu* ſic vertentium magnorum interpretum ſeſe ſuſtinet, ſed *aſſenſum* impetrare vix ac ne vix quidem poterit, ſi attendatur צמה in locis, ubi proſtat, eſſe *comam ornatam* atque *comtiorem*. Idem obſtat *Schmidio*, huncce *Comatum* explicanti de *Mendico*, ſordidis veſtibus, & *fœdo crine*, quem non *detondet præ paupertate*. Quid non ſibi indulgent Viri Docti, quidvis ex quovis fabricantes, ſine ulla Veteris Linguæ auctoritate? Severius *Hebraizandum* eſt, ſi ſuum ſacratiſſimo verbo honorem deferre, ſperatumque inde liquidi ſenſus fructum referre volumus. *Decus comæ* ſaltem ſervatum in interpretamento cujus meminit *Ab. Eſra* אמר רבי משה שפירושו בתולות בעלות הצמות *R. Moſes auctor eſt explicandum eſſe vocabulum* per *Virgines comto crine præditas*. Quæ ſuaviludia! quibus nova ſomnia addidit *Bolducius*. Idem *Ab. Eſra* alterius *Gloſſematis* memoriam nobis ſervavit, quo nonnulli ex *Lingua Iſmaelitica* verterunt *Lapidem duriſſimum*. Nempe vetus fuit ſtudium, quod nunc ut novum ſuſpectatur, & *R. Jona* Cordubenſis, qui inter primos cluet inſtauratores Linguæ patriæ, e *Dialecto Arabica*, quam percallebat *Hiſpanus*, ſub *Maurorum Arabum* degens ditione, pleraſque *Radices Hebraicas* accuratius quam alii *Rabbini* enucleaſſe traditur. Iſta *duri Lapidis* poteſtas *Arabibus* nota ſub اصمّ, quæ eſt *form. Compar.* a *rad.* صمّ, *ſurdus fuit*, *obſurduit*, unde plena phraſi eſt حَجَرٌ أَصَمّ *Lapis ſurdior*, pro tam *ſolido*, ac *duro*, ut *percuſſus nullum* reddat *ſonum*, omni *cavitate* videlicet carens. Inde videntur formaſſe *fœminina termin.* صَمَّاءُ *Dura fortuna. Calamitas graviſſima*; quæ alias نازلة صماء *infortunium ſurdum*. An hoc *Rabbini* illi intenderint, dicere non habeo. Faveo equidem conatui, nec tamen eum admitto, quia ex hoc fonte צמה *Coma* non potuit fluxiſſe. Idem officit Clar. *Hottingero*, in *Smegm. Orient.* firmanti *prædonis* notionem ex צמם صمّ *percuſſit fuſte*, *lapide* &c. Conjecturam haud infelicem adoptarunt Viri Cl. *Hinkelm.* in *præf.* ad *Alcor.* & *Cromaj.* ad h. l. qui etiam צנים *ſpinas*, modo viſas, convertit minus feliciter in *panaria*, ſive *Caniſtra*, ex صنّ *fiſcella*, *in qua reponitur panis*. Pace Viri Doctiſſimi, eadem mecum ſpatia decurrentis, & præclarum in hiſce nomen adepti, dixerim, nunquam nos ſecuros eſſe poſſe de aliqua explicatione per *Clavim Arabiſmi*, neque aliis eam perſuadere, niſi notio producta reſpondeat ad reliqua, & cum ceteris uſibus Biblicis amice conſpiret. Clar. *Hottingerus* hoc etiam nimis ſæpe neglexit, quod Ei haud immerito objectum ab illis, qui *Dialectis* minus favent. Non quid aliquis locus admittere queat, ſed quid recipere debeat, ſecundum certa & explorata totius Linguæ fundamenta, diſcutiendum, & demonſtrandum eſt ab iis, qui dubias, aut flu-

fluctuantes ſignificationes tuto in portu collocare allaborant.

Ibid. Ad veram vim צַמִּים eruendam, ſciendum eſt ſecundum principia Critica omnium Linguarum, unde *Coma* dicta ſit צמה, & quid צמם olim ſignificarit. *Coccejus* hæſitanter, *An convenit*, inquit, *Chaldaicum* צמצם *conſtringere*? Rectiſſime; niſi quod preſſius adhuc ex *Dialecto Arabum* ſuccurrat طمّ טמם, *plexuit* comam; & شعر مطموم *capillus plexus.* Hanc *Originem* adſtruxi in *Obſervat. Philol.* ad *Eſaj.* 47: 3. ubi oſtenſum צמה eſſe proprie *Comam plexam, tortamque.* De *Tzade* in *Ta* commutato conſules *Clav. Dial. p.* 285. 286. Indicatum ibi alterum Thema צמם ضم *conſtrinxit*, & *nexu inſtrinxit*, eandem hanc *Originem* præferre: quin tertiam quoque radicem صم a *Plectendo* uſus ſuos ſecundarios inveniſſe. Liquido proinde adfirmare eſt, צמם *Hebræis* ſignificaſſe, *plectendo implicare & intorquere*, unde צמה πλόκαμος, vel πλέγμα, vel πλεκτάνη, quæ vocabula in *Cincinnis Crinibuſque nodatis*, aut *intortis*, nemo ignorat. Apud *Heſych.* habes πλόχμοι, πλόκαμοι, ἐμπλοκαί; ubi vides latius etiam uſum diffundi. Eadem latitudine πλέγμα eſt *omne id quod nectitur ac plectitur:* ſpeciatim *Rete.* Simile obſerves in πλεκτάνη, quod *Rete* ſive *Laqueum* nonnunquam denotat. Jam vero oculum conjicias velim in congeriem illam, quæ *Cap.* 18: 8, 9, 10. pertexitur, ſex nomina cognatæ poteſtatis exhibentem, רשת, שבכה, מלכדת, חבל, צמים, פח. Quinque extra controverſiam *Retia*, & *Laqueos*, deſignant; unum צמים in medio ſitum iiſdem hallucinationibus diſtrahitur, quas ſupra vidimus, niſi quod Cl. *Cler.* ibi ſerie duce deprenderit *Nodos*, notionem iſtam adfirmans auctoritate *Arabum*, & etymo vocis צמה *Coma quam mulieres in cincinnos & nodos cogunt*; quod ipſum in *Obſerv. Philol.* a me fuerat annotatum. Non probem tamen quod *forma plurali* poſitum velit *Vir Doctiſſ.* צמים, vertatque *Firmat in eo nodos.* Eſt omnino *ſingulare*, reddendumque, *inſtringet ipſum Laqueus Nodatus.* Vim ſibi quodammodo facere deberet, qui eam notionem in illa ſerie recuſaret. Eandem & hic obtinere, me confecturum confido. Alienius prima fronte videri poſſet a contextu noſtro *Rete*, ſive *Laqueus innodatus*, ſed revera nihil concinnius, pleniuſve. Una ſcilicet *figura perinſignis* nunc cumulat omnia, quæ de *pernicie necopinata*, & *ineluctabili*, qua *improbus cum Domo univerſa involutus peſſime perierat*, dicta erant: atque mutata conſtructio patrem ſimul, ſimul familiam *Eodem Laqueo* perditionis *implicat*, & *irretit*, quum ſubnectitur tandem, *Et Abſorpſit Rete Nodatum opulentiam Eorum.* Notiſſima in omnibus Linguis imago, præſertim inter *Arabes*. Sic Poeta vetus in *Diwan. Hudeil.*

وَعَلَّنْتُمْ بِهَا حَبْلًا مِنَ ٱلدَّهْرِ
حَابِلًا ۞

Poſuiſtis ei Rete infortunii circumretiens.

Notatum ibi a *Scholiaſte.* يقال انه لحبل احبال اي داهية دهياء وصل اصلال مثله *Dicitur Rete Retium, de prodigioſo infortunio, nec non homine vafro ac ſceleſto, qui & ſerpens ſerpentium.* In Lexico Cl. *Golii* habes حِبْلٌ *Malum.* Intellige ſis *Infortunium gravius*, داهية, ut *Gjauharius* exponit, a primaria notione حبل חבל, *Rete tenſum.* Gloſſa ſic habet الحبل بالكسر الداهية والجمع الحبول *Forma* חֵבֶל *ſonat prodigium mali, cujus plur. fr.* חבול. In *Camuſo* eadem Gloſſa apponitur حَبْلٌ חֶבֶל *funis.* In ſacris protrita & *vox*, & *figura* ei ſubjecta. *Pſalm.*

 18:

18: 6. habes חבלי שאול *Tenſos Funes*, *Retia Orci*, & מוקשי מות *Laqueos Mortis* Omnia haud perſequar: dabo tantum ex *Eſaj.* 24: 17. grande ſimul, ſimul ex alliteratione venuſtum illud פחד ופחת ופח *Terror*, & *Fovea prærupta*, & *Laqueus*; *ſuper te, o habitator terræ!* Adde *Luc.* 22: 35. ὡς παγὶς ἐπελεύσεται &c. Hanc *imaginem* prementes *Poetæ Arabum*, talibus *Retibus*, *Funibus*, *Laqueis*, dant *nexus*, & *nodos* validiſſime *intortos*, & *ineluctabiles*. Sic a Radice شزر *torſit funem a dextra ad ſiniſtram fila inter ſe implicans*; (משזר quid fuerit *Hebræis* hinc condiſcas) derivatum شَزْر *intortio* & *implicatio funis*, abſolute exponitur in *Lexico Goliano*, ex *Camuſo*, شدة & صعوبة. Verte, *Gravis Calamitas*, & *moleſtia inſuperabilis*. Naturam phraſeos ſenties ex *Diwan Hud.*

حَوَادِثُ أَيَّامٍ لَهَا مِرَرٌ شُزْرُ

Infortunia caſuum, quorum funiculi intortiſſimi.

Scias مِرَّة proprie eſſe *funiculum*, ſive *filum*, unde *funis* denſior *contexitur*; aut potius *nexum* & *plexum* ipſum, quo *funiculi* in *Funem* coëunt. Hi jam vocantur شُزْر *Funiculi intortiſſimi*, ab أَشْزَر in *plur. fr.* quod apud Cl. *Golium* iſta notione non comparet. Eſt aliud adhuc verbum برم *torſit* funem, & quidem plexu duplicato. Inde قضاء مبرم *Fatum intortiſſimum*, proverbialiter uſurpatur, pro *malo divinitus immiſſo*, ac ſpeciatim pro ipſa *Morte*. Juvabit unum alterumve exemplum poſuiſſe. *Hiſt. Tamerl. p.* 122. وصل اليه تيمور وهو لا يعلم وانقض عليه كالقضاء المبرم فلم يفق الا والبلايا احتوشته واسود المنايا انتوشته. *Invaſit eum Timurus nec opinantem, & deruit ſuper eum ut Fatum intortiſſimum; neque ad ſe rediit, niſi quum jam Calamitates ipſum indagine cinctum in retia compellerent, & Leones mortium ipſum corriperent.* Iterum *Pag.* 255. ووصل اليها ونزل نزول القضاء المبرم عليها وضبط ما وصلت اليه يده من جماعة ابن عثمان وحرمه وامواله وخزاينه وحشمه وخدمه *perveniitque Timurus Pruſam, atque ſuper eam deſcendit more Fati intortiſſimi: corripiens, quicquid contingeret manus ejus, de Othmanidæ collectione univerſa, uxoribus, divitiis, Theſauris, aſſeclis, ſerviſque.* Habes eandem ſcenam quæ in noſtro contextu proponitur, *Abſorbetque Laqueus intortiſſimus opulentiam eorum.* Ubi inſuper obſerves velim ה׳ שאף *Anhelare*, proprie *auram trahere ad veſtigandum, captandumque*, eſſe *verbum venatorium*, apprime hic quadrans, quod & per *venari* licet exponere. Ita *Schol.* ad *Diw. Hud.* ساف وحشا صاد واصل السوف الشم وذلك ان الصايد انما يصيد بالشم. *Verbum* שוף *eſt venatus fuit feram; Origo autem ſita eſt in odore attracto: quandoquidem venator auram trahendo venationem exercet.* Derivatum hujus Radicis שואף سواف frequentatur pro *interitu univerſali*, aut *peſte interneciva*, quaſi *venationem* dicas *Mortis*, aut *Noxæ*; ὄλεθρος Ἄτης. Exaratur quoque per *med. Hamzatam* in *Camuſo*. سُؤُفَ مَالُهُ وَقَعَ فِيهِ السُّؤَافُ وَهُوَ لُغَةٌ فِي السُّوَافِ بِالْوَاوِ *intranſitiva forma verbi* שָׁאַף, *eſt interneciva peſte perimi, quæ vocatur* שואף *media Aleph*

&

ו6 כִּי לֹא־יֵצֵא מֵעָפָר אָוֶן וּמֵאֲדָמָה
לֹא־יִצְמַח עָמָל׃

6 Nam non exibit e pulvere vanitas: & e tellure non efflorefcet improbitas.

7 כִּי

7 Quia

& media Vaw ex Dialecto. Ergo tranſitiva forma שאף سَاف ſpeciatim uſurpari poteſt, pro *interitu univerſo involvit*, *& abſorbſit*, plane ut בלע *Cap.* 2: 3. *Retis imaginem* non mirabitur in *Orientali ſtilo*; qui eam *Græcis* quoque familiarem fuiſſe haud ignorat. Cothurnus eſt *Æſchyl. Prom. vinct.* 1071.

Μηδὲ πρὸς Ἄτης θηραθεῖσαι
Μέμψησθε τύχην, μηδὲ ποτ' εἴπη
Θ' ὡς Ζεὺς ὑμᾶς εἰς ἀπρόοπτον
Πῆμ' εἰσέβαλε. Εἰδυῖαι γὰρ
Εἰς ἀπέραντον δίκτυον Ἄτης
Ἐμπλεχθήσεσθ' ὑπ' ἀνοίας.

Idem *Agam.* 366. dabit tibi *muris Trojæ injectum* στεγανὸν δίκτυον *clauſum Rete*, & μέγα γάγγαμον Ἄτης παναλώτου *magnum everriculum Noxæ univerſalis.* Iterum *Vſ.* 1124. 1125. Δίκτυον Ἀΐδου, quamvis ibi aliud adhuc ſubſit, ob quod & *Clytemneſtra* Ἄρκυς ἡ ξύνευνος, ἡ ξυναιτία φόνου, vocatur; quippe quæ *fatali veſte irretierit Virum*, ab adultero *mactandum.* Hæc omnia habent aliquid proverbiale. Tritum quoque ἐντὸς ἀρκύων ἔχειν *Lucian. T.* 1: 767. & ἐντὸς ἀρκύων γίνεσθαι. *p.* 462. *Plut.* in *Lucull. p.* 493. *Eurip. Med.* 1278. *Philo.* 982. 864. 629. Id *Æſchylus* cothurnate extulit *Perſ.* 99. παράγει βροτοὺς εἰς ἀρκύστατα, ὅθεν οὐκ ἔστιν φυγεῖν. Item *Agam.* 1384. πημονὴν ἀρκύστατον φράξειεν, ὕψος κρεῖσσον ἐκπηδήματος. *Stanlejus* corrigit πημονῆς ἀρκύστατον *perniciei Rete.* Grandius quid ſpirat, & *Æſchylæum*, πημονὴ ἀρκύστατος, i.e. ἄφυκτος, ut rectiſſime *Scholiaſtes*, proprie *pernicies circumſtans inſtar Retis.* Similis conſtructio & figura *Eurip. Oreſt.* 1422. Ἐς ἀρκύστατον μηχανὰν ἐμπλέκειν *implicare in machinam retis inſtar ambituram.*

Vſ. 6. Filum *vſ.* 2. jam intricari cœptum ab interpretibus, hic plane perditur; ita ut ſeſe extricare nequeant. *Jun.* & *Trem.* abrumpunt orationem, & hunc *Vſ.* cum 8. connectunt; hac mente. *Quum calamitates non fortuitæ ſint, aut ex terra oriantur, ſed hæreant in ipſo homine propter peccatum, ei omnibus rebus omiſſis confugiendum eſt ad Deum.* Clar. *Cocc.* hæc cohærere putat cum *Vſ.* 2. *Juſtum eſt ut ſtultos occidat ægritudo, quia murmurant contra Deum, cum deberent murmurare adverſus ſe ipſos. Miſeria enim non e terra naſcitur; ſed eſt pœna peccati: ita ut* און ματαιότης *inducat homini* עמל *laborem, dolorem, morbos, mortem, ſuamet culpa.* Hinc non multum diffidet *Merſerus*, niſi quod, ſine nexu illo, novam periodum ordiatur, qua probatur *hominem in ſemet ſuorum malorum cauſam gerere, ac proinde non eſſe quod aut terram, aut cœlum incuſet &c.* In hanc ſententiam accommodat *de Pineda* illud *Vulgati*, *Nihil in terra ſine cauſa fit &c.* i. e. *Mala noſtra non ex terra germinant; ſed ex noſtrorum peccatorum ſemine metimus dolores.* Circumcido alios adhuc conatus apud Eundem. Cl. *Clericus* hac non ſuccedere videns ſenſum, alia via rem aggreſſus eſt, per interrogationem dans, *An non egreditur e pulvere improbitas? an non e terra moleſtia germinat?* utique *ab homine hæc oriuntur qui eſt terra & pulvis.* Coacte. Hiulcum quoque illud, quod in aliis verſionibus notat vir Doctus, ſic non expletur. *Schmidius* poſtremo, nexum Cl. *Cocceji* tenens, dum in explicatione ab eo diſcedit, incidit in ſenſum languidiorem, quamvis eundem augere voluiſſe videatur, *aſſumta* ad hanc *negationem*; contraria *adfirmatione*; in hanc mentem, *Tantum abeſt ut terra nobis iniquitatem & moleſtiam proferre cenſenda ſit, ut contra optimas herbas & proventus ferat, animantium vitæ conſervandæ.* Sic *figuratum* illud quod Reliqui ſervabant, plane perit: & *tenuiſſima litera* relinquitur; huic ſeriei parum congruens. Animoſius quid & celſius exigit concitatus ille *Eliphazi* impetus, qui poſtquam in prægreſſis pinxiſſet *ſtultum*, *tempeſtate divinitus immiſſa exciſum, ad inſtar Arboris cum radicibus ſuis revulſæ, & extra ſedem, ubi floruerat, dejectæ*, ac *traditæ in prædam & direptionem*; illi imagini convenientiſſime nunc ſubnectit,

7 Quia homine ad improbitatem nato, obſtinato; adſunt tela coruſca, quæ alte volitant.

8 E-

7 כי אדם לעמל יולד ובני רשף יגביהו עוף :

8 אולם

Nam non emicabit e pulvere vanitas: & non efflorеſcet e terra improbitas. אין & עמל hic ſunt *Homines vani & improbi*, ut *Cap.* 11: 11. niſi quod figuratius *Abſtracta* pro *concretis* ponantur. Licet quoque *vanitatem*, & *improbitatem* veſtire *proſopopoea* ſacris profaniſque literis receptiſſima; quod adhuc ſublimius quid adferret. Illa *vitia emicant*, & *efflоreſcunt e terra*, quum *in orbe terrarum caput exerunt*, atque *altiſſimis* quaſi *radicibus nixa*, longe lateque *ſe diffundunt*, virtutemque *præumbrant*, *gravant*, *opprimunt*, *extinguunt*. Jam vero negat *Eliphazus* id permiſſurum Deum; *improbiſque* omnibus, atque adeo *improbitati* ipſi, denunciat *extinctionem* atque *interitionem* certiſſimam, ut ſola *virtus*, *veritas*, *Religio*, in terris *emicent*, atque *efflоreſcant*. Habes argumentum *Pſalmi* 37: 1. 2. 8. 9. 10. 20. 34. 35. alibi paſſim inculcatum in ſacris, aliiſque & aliis locutionibus variatum. Hanc *Eliphazi* mentem adfirmat *Caput* 8: 11, 12. ubi *Bildadus* doctrinam iſtam repetit ex inſtitutione patrum primævorum. Adde *vſ.* 15, 16, 17, 18. in quo ad verba ipſa *Eliphazi* digitus intenditur, annexa clauſula ומעפר אחר יצמחו *Et e pulvere alii efflоreſcent.* Nempe *probi*, *ſuccisis & deletis improbis.* Hic ſenſus infra vindicabitur. Quin ipſe *Eliphazus* mentem nobis ſuam explicatius proponet *Cap.* 15: 29. & *ſeq. ad finem* uſque; quæ periodus huic noſtræ ad amuſſim reſpondet; ut *ibid.* demonſtrabo. Notes *ult.* עמל *improbitatem*, & און *vanitatem*, noſtri contextus expreſſe repeti, quibus videlicet illa ſors ſit maneatque decreta, ut cum *Radice & Ramo diſpereant*, atque *e terra eradantur*. Verba יצא *exiit*, *emicuit*, proprie; & צמח *floruit*, *efflоruit*, proprie *ſplenduit*, *exſplenduit*, unam ſedem commodiſſime ingrediuntur. Omnium inſtar fuerit *Eſaj.* 61: 11. כי כארץ תוציא צמחה וכגנה זרועיה תצמיח כן יהוה יצמיח צדקה ותהלה נגד כל הגוים *Quoniam ut Terra emicare facit ſuum germen; & ut hortus ſata ſua facit efflоreſcere: ita Jehova efflоreſcere faciet juſtitiam & Laudem coram omnibus populis.* Vide & *Hagg.* 1: 11. Iſtas proprietates antiquas *thematum* יצא & צמח in *nitore & ſplendore*, Opus *Originum* latius adſtruet. Non adhæreſces עפר *pulvis*, quaſi inde incommodi quid crearetur, contra noſtram expoſitionem: nam nil tritius in Libro *Jobi*, quam ut עפר *pulvis*, & ארץ *Terra* alternent. Videas præter *Cap.* 8: 18. ſimile plane *Cap.* 14: 8. Nec omittas *Cap.* 28: 2. & 41: 25. quamvis illis in locis ſpecialius quid ſubſit. Junctim habes עפר ארץ *Job.* 14: 19. & עפרות תבל *Prov.* 8: 28.

Ibid. Nullus ambigo, quin genuinum nexum ſenſumque attigerim; ad quem extra omnem aleam collocandum, obſervari velim, *Eliphazum & Amicos* reliquos *Jobi* perpetuo hanc incudem tundere, atque iteratis ex hoc principio ictibus animam adflictiſſimam penitus contudiſſe. Hauſerant illi ex ſaniore Doctrina, *Juſtos fore ut Arbores plantatas ad Rivos aquarum, terramque hæreditario jure poſſeſſuros* &c. *Improbos autem e terra exſcindendos, & ut palea ante ventum diſplodendos ac diſſipandos*; etiamſi *ad breve tempus* forte *caput exerant*, & *læto virore* ac *vigore ſuperbiant*. Jam vero non diſtinguentes varia Dei tempora, nimis ſtricte capitalem veritatem, Fideique ſolidiſſimum fundamentum, interpretabantur, atque omni tempore, & ævo, ſub providentia Numinis improbos male perdi, & extirpari, probos autem florere, contendebant, & quidem præſenti ſeculo volvente; atque intra hujus vitæ ſpatia. Hoc filum diſputationis imprudentius ſemel ſuſceptum, magis magiſque intricaverunt, importunius concludendo; *Atqui Jobus manifeſto Dei Judicio jacet exciſus: ſequitur ergo ut tanquam improbus meritas pœnas perſolvat.* Hi Diſputatores in Quæſtione iſta ventilanda id paſſi ſunt, quod hominibus ferme accidere ſolet, quum

in-

in æſtum quendam ac fervorem diſputandi inciderunt: nam ex principiis ſolidis certiſque, ſuus tunc impetus cuique ſuggerit conſequentias, ultra quam par eſt, tenſas, atque pro luce nil niſi caliginem, & confuſionem, inferentes. Qui hoc oculo inſpexerit, quicquid in his certaminibus diſceptatum, & magnis animorum motibus diſcuſſum fuit, e veſtigio deprehendet quid *Ratio*, *Revelatiove*, dictarit, & quid *Adfectus* iiſdem admiſcuerit.

Vſ. 7. Magnifice clauditur hæc pericope; atque *improbitati* adverſus Deum *obſtinatæ*, oſtenduntur *Fulmina*, certo certius *feritura*; *malumque ſemen de terris deletura.* Hunc ſenſum grandem, & filo unice reſpondentem, vis connexionis mihi ſuggeſſit; atque deinceps collatio ſimilium locorum confirmavit.

Ibid. Ab hoc ſenſu quicquid eſt verſionum longiſſime deflexiſſe nil mirum, quum ad *Vſ.* præcedentem in omnia alia diſceſſum fuiſſet. Quantæ tenebræ hunc locum circumvallent, vel ex *Vulgato* pateſcat, cujus eſt, *Homo ad laborem naſcitur, & avis ad volatum.* Sic magno conſenſu Veteres. LXX. νεοσσοὶ δὲ γυπὸς τὰ ὑψηλὰ πέτονται. *Syrus* & *Arabs*, *Filii volucrum attollunt alas.* Expreſſerunt *Symmachum*, τὰ τέκνα τῶν πετεινῶν ὑψῶσι πτερά. *Aquilæ* fragmentum ſiſtit υἱοὶ πτηνῆς pro בני רשף; & Alius veterum exhibet, νεοσσοὶ δὲ ἀετῶν τὰ ὑψηλὰ πέτονται. Omnia hæc arrepta ex appoſito יגביהו עוף *ſublimant volatum.* Ex mente *Hieronymi* ſignificatur, quod *Labor moneat hominem ut a vitiis caſtigatus incedat.* Quinque alias applicationes vitioſæ verſionis, quas recenſuit *de Pineda*, amputo, coactiſſimas ſane, & a ſcopo penitus abhorrentes; qui ipſe mirificum quid exſculpſit, huc rediens, *Hominem natum eſſe ad laborem & laſſitudinem*; inſuperque *aves moleſtiſſimas* & *nequiſſimas capiti* ejus *involitare.* Intelligit per *Aves*, malos *dæmones*; nec non *dolores acres*, *urentes*, *mordentes*, hominis *capiti inſidiantes &c. &c. De Dæmonibus* etiam cogitatum fuiſſe ab aliis, docet *Paraphraſis Chaldaica prima*, quæ dat בר נש למלעי באוריתא אתברי ובני מזיקי בגובהא יטוסון *Filius hominis ad ſtudendum in lege creatus eſt: & filii dæmonum in celſo volitant.* Quid intendatur, haud operæ eſt anquirere. R. *Salomon* bonos contra *Angelos* induxit, *in altum evolantes*, ſupra יצר הרע *figmentum & fermentum mali*, *cui obnoxius homo.* Apud *Aben Eſram* reperio tres interpretationes. Primam, בני רשף: *volucres* eſſe. Alteram, הראויים להיות בגיהנם *dignos gehenna*, qui in hoc ſeculo alte evolent. Tertiam, ניצוצי האש eſſe *ſcintillationes ignis.* Poſterius hauſtum ex *Paraphraſi Chald. altera*, qua *homo ad laborem natus* dicitur *finiri ut ſcintillæ, quæ e prunis exiliunt, ac mox evaneſcunt.* Supponitur רשף eſſe *prunam*, & figurate בני רשף *filios prunæ* appellari *ſcintillas.* Idem *Kimchio* aliiſque *Rabbinis* placitum; inde ad Noſtros propagatum, & diverſiſſime explicitum. *Mercerus* per עמל *moleſtiam & ærumnam* intelligit, *ad quam natus* dicatur *homo*, *quemadmodum naturale eſt ſcintillis ut volent, & in altum attollantur.* Enucleatius *Coccejus*, *Comparatio*, inquit, *duplex eſt.* 1. *ut naturale eſt ſcintillæ efferri, ita naturale eſt homini, miſerum eſſe;* 2. *ut ſcintilla evolans ſtatim reſolvitur, & in cinerem deſcendit, ita homo ſtatim, atque natus eſt, ad mortem diſponitur: & calore quidem innato ad tempus tollitur, ut ſcintilla igne ſuo, ſed eo ipſo reſolvitur.* Confert ונעופה *& avolamus*; *Pſ.* 90: 10. Cl. *de Dieu* huic interpretationi receptiſſimæ ſcrupulos nonnullos obmovet, ipſe exhibens, *Quia homo ad moleſtiam naſcitur, & ſcintillæ in altum evolare facerent eum.* Exiſtimat vir Doctus *miſeriam hominis* declarari ex eo, quod *tantæ* ſit *levitatis* & *vanitatis*, ut vel *ſolæ ſcintillæ* eum *abripere*, & *ſurſum quaſi volando auferre queant.* Voluit vim *Conj. Hiph.* in יגביהו עוף preſſius reddere. Noviſſime Cl. *Cler. Quum homines ſint inſtar ſcintillarum, ſeu brevis ævi, alta tamen ſapiunt, & adgrediuntur: ut ſcintillæ alte volant.* Agmen claudat Doct: *Schmidius*, iis calculum adjiciens, qui עמל non *ærumnam*, ſed *iniquitatem* ac *improbitatem* expoſuerunt. Horum mens hæc erat, *Hominem ad iniquitatem naſci, &, prout ſcintillæ in fornace circumvolitant, ita cupiditates* ejus *ex fomite corrup-*

tionis jugiter proſilire, *atque circumvolare in alto cordis.* Hanc imaginem ſic immutat *Schmidius*, ut *filii prunæ* figurate ſint *ipſi Homines*, *vanam*, *levem*, *& corruptam* parentum ſuorum *naturam* habentes. Ejus mens huc redit. *Homo ad iniquitatem naſcitur*; *& filii prunæ* i. e. *peccatores a peccatoribus proſeminati*, *non poſſunt non ejus eſſe naturæ*, *ut in altum evolent*, *& ſint ſicuti parentes*, *ſumma cum levitate peccantes*, *quemadmodum ignis in altum evolat.* Omnia refert ad *Peccatum Originale*, atque prius membrum applicat ad *corruptam conceptionem* & *nativitatem:* poſterius, ex ſua Theologia, trahit ad *propagationem mali per traducem*, quam ex hoc loco nunquam quiſquam probandam fore cogitaſſet.

Ibid. In omnibus hiſce nihil eſſe quod ex ſolido luceat, nemo non ſponte agnoſcit. Eſt quin imo quod miremur, tantum ſibi indulſiſſe graviſſimos interpretes in formula ſublimi non minus, quam abſtruſa, per quam *ſcintillas* deſignari nimis ſecure creditum fuit. Detur ſane רשף ſignificare *prunam*; an inde conſequitur בני רשף *Filios prunæ* heic loci denotare *ſcintillas*? Quidni potius *fulmina*? quæ גחלי אש *prunæ ignitæ* vocantur *Pſ.* 18: 13, 14. Utique *fulmina*, vel *fulgetra* per רשפים expreſſa *Pſ.* 78: 48. & *Pſ.* 76: 4. רשפי קשת *fulmina arcus* nemo ſpreverit, pro *telis fulmineis*, ſive *fulminis inſtar evibratis. Coccejus* aliique volunt *prunas arcus*. Ego quidem *prunam* hac voce ſignificatam non dixerim: nam *Cant.* 8: 6. languidius verti ſolet, *prunæ ejus*, *ſunt prunæ ignitæ*. An ergo dantur *prunæ non ignitæ*? Senſit languorem illum Clar. *Guſſet:* hoc vocabulo ſpeciatim ſignari conjiciens, *id quod in igne vehementiori ſeſe vibrat*, *ſicut in fulmine*; *flammam rubentem præ denſitate*, *& intrinſeca partium ignitarum commotione.* Potuiſſet ſimplicius dixiſſe רשף eſſe *vibramen coruſcum*, *coruſcationem.* Inde pulcherrime dictum in *Cantico* רשפיה רשפי אש שלהבתיה *Coruſcationes ejus ſunt Coruſcationes ignis*; *flamma Dei.* Intelligo *Coruſcationes fulminis*, quod ſæpe אש *ignis* abſolute; eoque ducit שלהבתיה *flamma Dei*; nam & ipſum שלהבת pro *fulmine* poſitum *Job.* 15: 29. Habes *Amorem Dei fulmine ipſo vibrantiorem*, *penetraliorem*, *potentiorem.* Non ſpernes quoque רשפי קשת *Coruſcationes arcus*, *Pſ.* 76. pro *jaculationibus fulmineis*, quæ *Pſ.* 78: 48. haud dubie deſignantur. Quid *Deut.* 32: 24. & *Hab.* 3: 4. ſpeciatim inrendatur, in *Originibus* anquiram, ubi proprietas Thematis ſtabilietur in *ardore Vibrante* ac *coruſco*. Hinc בני רשף *Filios coruſcationis* pro *Fulminibus Coruſcis* eſſe adhibitos omnia ſuadent; idemque nexus ſupra indicatus evidentiſſime arguit.

Ibid. Apparet nempe, *Improbis denunciari* & *oſtendi Fulmina Iræ Divinæ*, quæ *Capitibus* eorum *immineant*; eoſque *prohibeant e terra emicare* & *efflorescere.* Hoc voluiſſe *Eliphazum* diſerte patet, ex *Cap.* 15: 29, 30. ubi comminationes eaſdem repetit, & amplificat. Inter alia dicitur ibi שלהבת *Flammam arefacturam tenellum* improbi *ſurculum*; *Eumque Spiritu Oris Dei eſſe exterminandum.* Vides *procellam fulmineam*, *Arbori florenti immiſſam.* Eodem collineavit *Bildadus Cap.* 8: 18. & expreſſius *Cap.* 18: 15. *Sulfur ſpargetur ſuper manſione ejus amœna*; hoc eſt, *Fulmina eam reddent triſte evitandumque bidental*; ut *vſ.* 3. hujus capitis præſtructum. Hunc conſpectum tibi ſiſtere poteſt hæc vertendi ratio; *Nam homo* quidem *ad improbitatem naſcitur*; *ſed & fulmina coruſca alte volant.* Sic ſenſus eſſet, *Hominem* quidem *inde a nativitate eſſe corruptum*, *& inclinatum ad improbitatem*; haudquaquam tamen Deum eſſe permiſſurum ut *Improbitas regnet* in *terris*, ſed *fulmina* ſua *in alto* habere *parata*, & *deſtinata ad improbos extirpandos.* Hæc Dei *arma*, & *tela improbis præparata* copioſius exhibet *Pſ.* 7: 12, 13, 14. Nihil eſt, quod in hac verſione magnopere deſiderari queat. *Ad improbitatem naſcitur homo* pro *Homo a nativitate ad vitium inclinatur*, ac *propendet*, adeo nihil habet quod offendere queat, ut pleriſque *Rabbinis* etiam arriſerit. Dices forte nimis vagum eſſe illud, *At fulmina alte volant*; potius *ferientia* debuiſſe repræſentari. Sed vide an non hoc ipſum vim & pulcritudinem ſententiæ augeat? quum *Eliphazus* ſic deſcriberet אוצרות *theſauros* Dei, & *arma* ac *tela parata* ad feriendum. Alias in *volatu* ipſe quoque *ictus fulmineus* comprehendi poterit: ut 1 *Sam.* 2: 10. *ſuper eo tonabit in cœlis Deus.* Nemo inde excluſerit *vim ruentis procellæ*. In ſtilo Tragico hoc genus lo-

8 אולם אני אדרש אל־־אל ואל־־
אלהים אשים דברתי :

8 Enimvero Ego enucleatius diſſeram de Deo, & de Numine inſtruam ſermocinationem meam.

9 עשה

9 Qui

loquendi efficacius cenſetur. יגביהו עוף *Celſum faciunt volare*, eleganter poſitum, ut הגביה לשבת *celſiſſime ſedere*, *Pſ.* 113: 5. השכים קום *ſummo mane ſurgere*, *Pſ.* 127: 2. הגבה שאלה למעלה *Celſum facere petendo ſurſum verſus*; *Eſaj.* 7: 11. Hæc moneo, ne quis forte ſuſpicetur verti poſſe cum *fulminibus*, ut Cl. *de Dieu* inſtituerat cum *ſcintillis*; hoc ſenſu; *At fulmina coruſca eum alte facient avolare.* Hoc quamvis prima fronte placere poſſet, ut *tempeſtate raptus* & *avectus* homo improbus inducatur, ſuperiora rite expendenti diſpliciturum puto; quum nec genio Linguæ æque conveniat, nec æqualem adferat gratiam.

Ibid. Aliud ſubmonendum reſtat. Dubitatur de forma verbi יוּלָד, ſitne *Præt.* in *Pyhal*, cum *Schurek* pro *Kibbuts*, more *Chaldaico*; an *fut.* in *Hoph.* cum *Dagesh forti ſupervacuo*, pro יוּלַד, a ילד. Mihi hinc ſuſpicio oborta, aliud quid latere ſub hac *punctatione irregulari*; & forte aſſumendam *Radicem* לדד, aut לוד; unde in *fut. Hoph.* יוּלַד item deſcendit, cui inditum fuerit hoc *Dageſh*, ut diſtingueretur a יוּלַד thematis ילד. Utraque Radix apud *Arabes* ſervata, quibus لدّ *med. def.* לדד eſt *pertinacius obſtitit litigando*; لود *med. Vaw* לוד *perverſus & contumax fuit.* Melius ex *Camuſo* percipies genuinum verbi uſum, أَلْأَلْوَدُ من لا يميل الي عدل ولا ينقاد الي امر وقد لَوِدَ والشديد لا يعطي طاعته والعنق الغليظ. *Forma* אֲלְוַד *ſignat Eum qui ad juſtitiam flecti nequit, nullique imperio obſequitur*, *a themate* לוּד: *Item durum*, *& domari neſcium: nec non collum durum.* Hinc commoda heic loci naſceretur ſententia; *Nam homo* quidem *ad improbitatem obſtinate perverſus eſt: at Filii coruſcationis in celſo volant.* Poſſes quoque, *Quum homo ad improbitatem obſtinate pervertetur; aderunt & filii coruſcationis alte volantes.*

Ibid. Exhibui duplex יוּלַד, quod Linguæ ſinus continuit, unum *Naſcetur*, a ילד, alterum *obſtinate perverſus erit*, a לוד. *Analogia* ab utroque *Dageſh* excludit. Dicemuſne ergo ex utroque hanc formam coaluiſſe? atque *Dageſh forte* propterea fuiſſe inſertum? De talibus certius judicium ferri poſſet, ſi majore copia Linguæ uteremur. Similis coalitionis exemplum vidimus *cap.* 4: 20. & occurrent plura deinceps. Tentavi itaque in verſione, quod vel jungi, vel disjungi, ſe patietur.

Vſ. 8. Continuandis cenſuris & convictionibus ſuis *Eliphazus*, diſſertationem ſuſcipit de viis admirandis Dei, & providentiæ, quam tenet in mundo hocce gubernando, bonos conſtanter protegentis, malos ſuamet malitia illaqueantis, ſeque & ſapientiſſimum & juſtiſſimum ubique probantis. Doctrina iſta præparare voluit *Jobum* ad commonitiones admittendas, quas caſtigationibus ſuis ſubnectere decreverat, adjunctis & promiſſionibus, ne omnem ſpem *veniæ* ac *gratiæ* præcidiſſe videretur miſero peccatori; ſed potius portum aperuiſſe, quem ei ex hoc fortunarum naufragio capere liceret, ſi ſeſe docilem atque ſummiſſum præberet. Periodus graviſſimis ſententiis contexta ad *Vſ.* 17. uſque, non multum nobis negotii faceſſet, quum circa ſignificationem verborum parva futura ſit fluctuatio, atque in tranquillo ferme, & liquido, ſimus navigaturi.

Ibid. In nexu concipiendo & hic variatum. Plurimi volunt *Admonitionem* inſtitui, atque in primis *Jobo* ſuaderi, ut ad *preces* confugiat, & *ſupplicationes*, miſſis expoſtulationibus; quaſi diceret *Eliphazus*, *Ego quidem*, *ſi tuo loco eſſem*, *quærerem Deum*, *ad eumque dirigerem verba precantia.* Malunt alii, quibus

9 Qui facit magna, quæ quidem veſtigare non eſt: & mirabilia uſque eo, ut numerare non ſit.	9 עֹשֶׂה גְדֹלוֹת וְאֵין חֵקֶר נִפְלָאוֹת עַד־אֵין מִסְפָּר׃
10 Qui dat pluviam in ſuperficiem terræ: & qui emittit aquas ſuper faciem platearum.	10 הַנֹּתֵן מָטָר עַל־פְּנֵי אָרֶץ וְשֹׁלֵחַ מַיִם עַל־פְּנֵי חוּצוֹת׃
11 Ad	11 לָשׂוּם

bus ſubſcribit *Schmidius*, ſuum exemplum *Jobo* imitandum propoſuiſſe *Eliphazum*. Cl. *Clericus* cum *Vſ. præc.* arctius copulat ſecundum illud, quod ibi ſubeſſe putarat; ut ſit, *Ego quidem me non attollam ſuperbus, ſed Deum humilis quæram, meamque ei cauſam permittam.* Omnibus hiſce præferrem *Cocceji* verſionem, *Enimvero ego intendam ad Deum; atque ad Numen ponam ductum meum.* Recte obſervat *Vſ.* 17. *ſuaſionem* demum incipi. Ei *ſuaſioni* præſtruitur hæc periodus, ut ſupra declaratum. דרש ergo hic valet *diſquirere*, *diſſerere*; Cl. *Coccejus* vult, *Curam alicui intendere*: ob ſequens אל *Ad.* Commodius dederis, *Quæram de Deo*; de ejuſque viis ac virtutibus *diſſeram.* Nil frequentius אל pro על ſic ſumto. Suffecerit *Job.* 42: 7, 8. לא דברתם אלי נכונה *Non diſſeruiſtis de Me recte.*

דרש درس proprie *Trivit*; inde porro *ſtudioſe quæſivit*; quin & *diſquiſivit*: de quibus alibi. Alterum membrum ſiſtit דברה *diſſertationem*, vel *ſermocinationem* longiuſcule *deductam*; ut ipſum verbum דבר in loco adducto. Radici ineſt *ſeries ſtructa* & *deducta*, quam دبر ſervavit. *Coccejus* ex *Chaldaica notione* jam elicuerat *Ductum*; eique *ponere ductum ad Deum* erat τάττεσθαι πρὸς τὸν θεὸν, *Ordinare ſe omni rationis judiciique facultate.* Idem mecum intendiſſe videtur, nam שום & השים bellicam vim induunt, *ordinare in acie, inſtruere*: unde mollius exibit, *Atque de Numine inſtruam ſermonem meum.*

Vſ. 9. Suam hanc mentem diſerte declarat *Eliphazus*, in *genere* nunc præmittens *contemplationem* divinæ *potentiæ* ac *ſapientiæ*, infinitum quantum omnem cogitationem tranſſcendentis, ſecundum illud hinc expreſſum, ὦ βάθος πλούτου σοφίας &c. ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα αὐτοῦ. &c. Ergo, inquit, homini non eſt cavillandum, non diſputandum cum Deo, multo minus expoſtulandum, ſed adorandum. Videlicet ex ſequentibus pateſcit, illuc Theſin hancce generalem eſſe directam, ut ad *Judiciorum Divinorum profunda*, profundiſſima etiam veneratione ſublidamus, ſimulque agnoſcamus Deum *ſuperbis reſiſtere*, *humilibus autem demiſſiſque dare gratiam*, viis atque rationibus, quæ cum ſumma potentia, ſummam ſapientiam & juſtitiam in oculis ac mentibus omnium defigant. Quadrant huc illa *Heſiodæa.*

Ῥέα μὲν γὰρ βριάει, ῥέα δὲ βριάοντα χαλέπτει,
Ῥεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει, καὶ ἄδηλον ἀέξει,
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης, ὃς ὑπέρτατα δώματα ναίει.

Vſ. 10. Iterum in verbis nulla erit mora. De ſenſu paucis diſpiciemus. Ad *naturalem pluviam* vulgo refertur, quæ argumentum præbeat *admirabilis* cum *ſapientiæ*, tum *potentiæ* Divinæ. Vide ſis *Mercerum.* Diſtinctius, & magis ad ſcopum, addidit Cl. *Coccejus*, *Deum hac parte providentiæ ita uti, ut homines humilientur, & rurſus humiliati recreentur.* Sagaciter quoque ὁ πάνυ prius membrum applicat *pluviæ tenuiori*, *terram irriganti*; poſterius *imbribus copioſioribus*, *qui aquam ſufficiant elicibus & ciſternis.* Diceres eum in oculis habuiſſe حوض חוץ pro *aquarum conceptaculo*, *elice*, *ciſterna.* Non habuit tamen, nec, quod putabat *Schmidius*, חוצות *plateas* ſumſit pro ipſis *elicibus* ac *ciſternis*; ſed tantum innuit, *imbribus copioſius cadentibus*, *ita ut plateæ inundentur*, in *elices* & *ciſternas aquarum* inde *copiam derivari.* Fruſtra ergo rogatur; *an non ciſternas potius in domibus, quam in plateis ha-*

11 לשום שפלים למרום וקדרים שגבו
ישע :

11 Ad collocandum humiles in excelſum; utque ſordidati ſublimentur ſalute.

12 מפר

12 Qui

habuerint.? Mitto Virum Doctum cogitare debuiſſe de *Arabia* potius, quam de *Germania.* Ad *aquas Diluvii* locum hunc traxit *de Pineda*, quia in ſeq: *improborum pœna, juſtorum protectio* & *Salus* deſcribitur. Ei rationem conſtare, haud putem. Omnino palmam deferendam cenſeo *Schmidio*, ſtatuenti *totum hunc verſum nihil aliud eſſe, quam allegoriam continuam: in qua terra & plateæ ſint homines humiles aut humiliati; terræ quaſi adhærentes, ut terræ filii; vel in plateis jacentes, quod domos non habeant præ paupertate.* Commendaretur hoc pacto Dei *munificentia humiles & abjectos largiter benedictionibus ſuis perfundens, ut pulverem ac miſeriam eorum abſtergat & abluat.* Nonnulla in his luxuries, quam ſeveriore falce voluiſſem caſtigatam. Rem ipſam ferme dubio vacuam dicere audeo; quum *Allegoria* iſta & genio gentis, & ſeriei Orationis mirifice reſpondeat. Adduxit Vir Doctus *Eſaj.* 41: 18. & 44: 3. nec ſperno, quamvis paulo diverſior ſit adſpectus. *Terram* & *Plateam* allegorice ita ſumtam adducere potuiſſet ex *Eſaj.* 51:23. *Dedi calicem illum oppreſſoribus tuis, qui dicebant animæ tuæ ſubſide, ut pertranſeamus: & poſuiſti* כארץ *ſicut Terram tergum tuum, &* כחוץ *ſicut Plateam tranſeuntibus.* Apparet eſſe *dictum proverbiale*, quod & *Arabes* frequentant, ut quum ajunt من اطاعني كنت له ارضا *Obſequenti mihi præſtabo me terram*, id eſt *obſequentiſſimum, humillimumque, ad omnia toleranda paratiſſimum.* Huc pertinet formula تخطي رقاب الناس *inceſſit per colla hominum*, pro *alios ſuperbo pede* quaſi *calcavit.* Eodem ex fonte videtur fluxiſſe mos Orientalis *adorandi*, i. e. *humi procumbendi, terramque ore premendi ante Reges & Magnates:* quaſi diceret *adorator* كنت لك ارضا *ſum tibi terra, quam arbitrio tuo calcare poſſis.* Huc revocanda figura *Eſaj.* 29:4. Vides anſam non unam formandæ pulcherrimæ hujus allegoriæ, qua inſinuatur, *pluvias & imbres Divinæ gratiæ largiter defluere in humiles ac ſummiſſos*, quin imo *Plateæ* inſtar *calcatos* a *ſuperbis*; quorum *erecta* cœlo *capita*, ut *vertices montium aridos*, fulmina ſoleant ferire. Non eſt quod luculentiſſima hæc imago pluribus confirmetur, aut illuſtretur.

Vſ. 11. Minus feliciter divulſus hic *Vſ.* a præced. quaſi ad aliud fieret tranſitus, aut progreſſus, quum ſit explanatio Allegoriæ præmiſſæ. Malui *ad Collocandum humiles in altum*, quam *in alto*, quia ſic præivit *Hebræa constructio*, dans למרום non במרום. Clarius quoque ſic percipitur ſubita illa commutatio ac converſio rerum, qua de ſolio dejectis ſuperbis, eorum *culmen conſcendere* jubet Deus illos, quos pedibus ſuis conculcarant. Id venuſtiſſime expreſſum per שום למרום. Similis gratia elucet ex altera phraſi שגבו ישע. Nimis exiliter multi *exaltantur ſalute*, i. e. *ope divina.* Fortius alii *in ſalute*, pro *in loco tuto & edito.* Præplacet *Schmidius*, & *Atrati alti erunt ſalutem*; quamvis dilutius exponat, quam par eſt. Haud dubie reſpicitur ad משגב *Locus excelſus, Arx invicta. Munimentum.* Sic שגב *Deut.* 2: 36. de *munimento inacceſſo.* Non ſpernes igitur שגבו ישע *in Arce ſalutis conſtituentur; ſublimabuntur ſalutem, eamque ut Arcem ſuam occupabunt ac inſidebunt perpetuo.* Conferas velim ex *Pſ.* 12:6. אשית בישע יפיח לו *Ponam in ſalute, quæ reſpirationem* ac *laxitatem præbeat ei.* Alluſum ad Originem ישע in *Laxitate ſpatioſa*, quæ ditione ſua complectitur quicquid hominem beare poteſt. Vocabulum קדרים vulgo *Atrati, pullati*, plus dicit, *ſordidatos* ſignans; ut ad *Cap.* 6. aperietur. Reſpondet *Arabicum* قذر,

 ſor-

12 Qui fruſtratur ſupputationes aſtutorum : ut non efficiant manus eorum ſummam ſolidam.

13 Ut viſco capiens ſapientes per ſuam ipſorum aſtutiam : conſiliumque tortuoſorum præcipitatur.

14 In-

12 מפר מחשבות ערומים ולא־תעשנה ידיהם תושיה :

13 לכד חכמים בערמם ועצת נפתלים נמהרה :

14 יומם

ſorduit; *illuvie & ſqualore fœdatus fuit.* Talia dabit *Clav. Dial. p.* 204. 205. Cl. *Cromajer.* illuſtrari cenſebat ex كدر *obſcurus*, *turbiduſque fuit* color. *Miſera & moleſta fuit* vita. Quid veri ſubeſſe poſſit ad *Job.* 15: 24. diſcutietur.

Vſ. 12. Promta & expedita omnia, ſive generalem uſum harum ſententiarum ſpectes, ſive ſpecialem, & arctius ſuperiori filo connexum; quo inſinuatur *homines callidos*, & *aſtutos*, multa quidem *movere*, ſed nihil *promovere*, ac præſertim illam potentiam, dominationem, ac felicitatem, quam ſibi promittunt ex oppreſſione aliorum, nihil habere firmi, nihil ſolidi. Phraſes deſumtæ videntur ab *Arithmetica*: nam מחשבות ſunt *computationes*, & *calculationes*. הפר eſt *eas frangere* ac *conturbare*; quamvis de *Origine* haud dum liqueat. תושיה *ſolidam ſummam* dedi, quod יש proprie *ſolidum* deſignet, a اشي & وشي *ſolidari*, de quo alibi latius. Non videtur de nihilo, quod *Manus* inducantur, *nihil ſolidi computantes*, *nullam ſummam quadrantes*; notum quippe priſcam mortalium ſimplicitatem *digitis*, variiſque *flexibus manuum*, ſupputare ſolitam. Hoc ſi bene conjectum, latebit aculeus, & hæ *Manus* ſimul *aſtutorum artes*, *machinas*, atque adeo *vim* ipſam, deſignabunt.

Vſ. 13. Inſignis amplificatio, & cumulus. *Adeo* ſcilicet *Fortunas ſuas non conſtabiliunt Aſtuti*, ut contra *perniciem ſibi ipſis machinentur*, atque *ſuiſmet laqueis capti male diſpereant*. In verbo לכד ineſt gravior ſignificatio *viſco* vel *glutine nectendi*, *capiendive*. Hunc *nexum compactiorem* ac *conglutinatum* ſiſtit *Job.* 38: 30. & 41: 9. Id *Arabibus* تلكك, in 5. *conglutinatis compactiſque partibus fuit.* Hinc *Eſa.* 8: 15. *Illaqueabuntur* ונלכדו & *viſco adhærente capientur.* Eadem vis pellucet ex *Deriv.* מלכדת *Decipula.* Porro חכם *ſapientem* pro *Callido* poni non mirabitur, qui *Græcis* quoque id receptiſſimum novit, non tantum in σοφιστὴς, ſed & in σοφὸς. *Eurip. Med.* 409.

Κακῶν πάντων τέκτονες σοφώταται.

Et *Androm.* 936.

Κἀγὼ κλύουσα τούσδε Σειρήνων λόγους
Σοφῶν, πανούργων, ποικίλων λαλημάτων,
Ἐξηνεμώθην μωρίᾳ. —— ——

Idem obſervare eſt in πυκινὸς, πυκινότης, ut in *de Defect.* monui, ubi *Origo* Thematis חכם ad πυκνότητα revocatur. Ad ſequentem voculam עָרְמָם adhæreri non debuiſſet, quaſi eſſet contracta, pro עָרְמָתָם. Rogo ſcrupuloſos illos Grammaticos, unde עָרְמָה ſit ductum? An non a veteri עֹרֶם? Cur ergo id veſtigium antiquitatis hic non agnoſcitur? *Schmidius* qui formam *ſegolatam* עֹרֶם hinc reſtitui poſſe viderat, mox tamen communi præjudicio abreptus, mavult *infin.* in *Kal*, quam *ſegolatum*, alibi ſcilicet non reperiundum in Bibliis. Ita viri Docti pomœria Linguæ, quæ amplificare debuiſſent, neſcio quo fato coarctare ſtuduerunt.

Ibid. Aliquid grande in poſteriori membro reſidet, quod nollem imminuiſſet Cl. *Crom.* adducto *Arabum* جهم *ingenii acumine penetravit rem*; ac ſi ſenſus foret, *Conſiliumque calli-*

14 יומם יפגשו־חשך וכלילה ימששו בצהרים׃

14 Interdiu impingunt in tenebras horrentes: & tanquam noctem palpant in meridie.

15 וישע

15 Et

callidorum penetratur, atque ſic *irritum redditur a Deo.* Iſtum uſum habes *Pſ.* 45: 2. in voce מהיר *celer*, *promtus*, *peritus.* Sed hic admodum languet. Minus felicia etiam ſunt quæ de נפתל movet, nam فتل nec eſt *dimovit ab inſtituto*, nec *decepit*, ſi proprietatem Linguæ ſpectes, ſed unice *Torſit*, *intorſit.* Inde ſecundario, *detorſit eum ab inſtituto*, ſi ſequatur عن *a.* Formula, cujus dimidiam partem tantum produxit vir *Doctiſſ.* ſic habet ما زال يفتل منه في ذروة وغارب *Non ceſſavit contorquere ei in ſummitate gibbi*, *pilum* ſcilicet. Eſt proverbium ductum a *Camelis refractariis*, *ad quos mulcendos & deliniendos pili in ſummo gibbo torquentur*, *quo pacto ſtatim obſequentes redduntur.* Extat in *Hiſt. Tam. p.* 108. ويفتل منه في الذروة والغارب *Et torquebat ei ſummum gibbum*, *ac tuber*; hoc eſt *omnibus modis eum delinire* ac *circumducere ſtudebat.* Hæc nihil ad noſtrum contextum. נפתל *contortus*, *tortuoſus*, hic haud dubie eſt *Homo verſutus*, & *tortuoſis conſiliis ſeſe implicans.* Cl. *Cocc.* in *Lexico* dat *Reluctantes*, a notione illa qua *implicari* & *intorqueri* ſub נפתל transfertur ad *Luctam.* Sed ea *metaphora* hic alienior. Rectius in *Comment.* dedit *verſutos*: quamvis & ibi relabatur ad *obluctationem.* Horum *Tortuoſorum Conſilium* נמהרה *præcipitatur*, i. e. *præceps eſt*, ſive *fatuum*, *præceps*, ac *temerarium fuiſſe* deprehenditur, ſecundum *Mercerum* & alios; ab *Origine feſtinandi*, ut *feſtinata* conſilia ſint *præcipitia* ac *temeraria.* Ea interpretatio improbatur a *Schmidio*, tanquam parum ad rem faciens; quod mirum non ſit, ſi *temeraria conſilia reddantur irrita.*

Ipſe ſtatuit *Admirandam* Dei *ſapientiam prædicari* eo nomine, quod *prudentiſſima* impiorum *conſilia æque fruſtretur eventu ſuo*, *ac ſi eſſent præcipitata* & *fatua.* Hoc ipſum tamen & ſuperiores illos voluiſſe, ſatis apparet; ac proinde, ne ſic quidem ſententia conciſior expediri poteſt. Aſſumenda gravior vis *Conj. Niph.* qua נמהר valet, *ad feſtinationem* & *præcipitationem adigi. Conjici in conſternationem.* Sic uſus eſt hoc verbo *Eſajas. Cap.* 35: 4. *Dicite* לנמהרי לב *in conſternationem* cordis *conjectis*, & *confuſis metu* ac *terrore*; *fortes eſtote ne timeatis.* Hinc emergit, Et *conſilium* prudentiſſimum *tortuoſorum adigitur* ſubito *ad conſternationem*, *cum deſperatione* & ἀπορίᾳ *conjunctam.* Optimum conſilium ipſis, per ſapientiam Dei, convertitur in Laqueum perniciei, & cauſam ruinæ.

Vſ. 14. Hoc ipſum magnis luminibus orationis declaratur, & celſiſſimo *Arabiæ* cothurno dupliciter effertur. Utrique membro ſubeſt *Oxymorum.* Primum eſt *de die impingunt tenebris horrentibus.* חשך ſignat *Craſſam* & *horridam caliginem*, ut vidimus *Cap.* 3. פגש *occurrere*, *obvium fieri*, in *Origine* videtur valuiſſe *offendere*, *offendendo allidi*, & *impingi* in aliquid. Ex uſu priore multi, *occurrunt tenebris*, *obvias habent interdiu tenebras.* Bona figura. Melior tamen forte, *offendunt tenebras*, *ad caſque caput* quaſi *allidunt.* Sic erit *Metaph.* a Cæco deſumta, qui *ad parietes*, ad alia, *impactus*, *alliſuſque*, *ruit.* Vult *Eliphazus*, etiam *Sapientiſſima conſilia*, quæ comparat *Diei*, ac *Luci diurnæ*, Auctoribus ſuis *præſentem* ferre *ruinam*, & *interitum* ineluctabilem, ſi non amore Religionis, & virtutis, fuerint directa ad Dei gloriam. Inſuper יומם *diurnam lucem* referrem ad *ſucceſſum*, & *felicitatem*, in *materiam infelicitatis* & *maledictionis converſam.* Eodem tendit alterum membrum, etiam duplicem hunc adſpectum ultro recipiens. *Meridies* ſignat *culmen ſapientiæ*, ac *felicitatis.* Hoc illis necopina-

15 Et ſalvum præſtat a gladio, ab ore eorum: & e manu prævalidi egenum.

15 וַיֹּשַׁע מֵחֶרֶב מִפִּיהֶם וּמִיַּד חָזָק אֶבְיוֹן׃

16 Eſt

16 וַתְּהִי

pinato *convertitur in Noctem*, ad *inſipientium* & *infelicium conditionem* ipſo exitu *redactis*; qua in *Nocte* Miſeri oberrant, haud ſecus ac cæci, neſcii quo ſe vertant, atque omnia circumpalpantes. Hic ſubſiſtere poſſem. Exiſtimem tamen adhuc grandius quid ſpiraſſe *Eliphazum* in כַלַּיְלָה יְמַשְׁשׁוּ בַצָּהֳרָיִם, quod verti ſolet *tanquam noctu palpabunt in meridie*. Id fuiſſet כְּבַלַּיְלָה. Quidni ergo? *Tanquam Noctem palpant in Meridie*. In *Luminis ſummo culmine* offendunt ad *tenebras*, tam *denſas*, tamque *graves*, ut *palpari*, quod dicitur, *queant*, in quibus ſimul *palpando oberrare* cogantur. Firmatur duplex hæc poteſtas ex *Cap.* 12: 25. Adde *Exod.* 10: 21. *Deut.* 28: 29. *Eſaj.* 59: 10. unde amplitudo dicti luce meridiana clarius pateſcet. Aliorum ſententias, ſuamque, dabit tibi *Schmidius*, in quibus quid deſiderem, quid comprobem, inſpectio & collatio docebunt.

Vſ. 15. Impeditior nexus. Nec ſenſus uſque quaque liquidus. Coactius certe, quod dat *Coccejus*, *Eum qui non habet*, *quo ſe tueatur*, *ſalvat*, *ne nocumentum accipiat vel a gladio.*, hoc eſt, *plagis Dei communibus in improbos*, *ut peſte*, *fame*, *bello: vel a perſecutione improborum*, *tum quæ fit ore*, *per obtrectationem boni nominis*; *tum quæ vi*, & *manu*. Omnino *Gladius* ad *improbos* quoque pertinet, quamvis מֵחֶרֶב מִפִּיהֶם aliquid inſolens habeat, quod multam peperit diſcrepantiam ſententiarum. Sunt qui *Gladium* ab *ore* ſic diſtinxerunt, ut *duplex violentia* notetur, partim *ferro*, partim *calumniis* graſſantium impiorum. Id a *Mercero* prælatum; *Schmidii* quoque calculo firmatur. Valde durum; ne dicam dilutum, cum *Gladio* ſic conjungere *os maledicum*; quod ipſum ſentiens *Mercerus* alio adſpectu *os* ſumi poſſe putabat pro *rictu* & *dentibus*, *ad laniandum apertis* atque *exertis*. Haberemus ſic *Leones Devorantes*, quos nemo tamen *Gladio* armare vellet, quibus ſui *ungues* videlicet ſufficiant. Si hanc imaginem voluiſſet *Eliphazus*, חרב ἅρπη *Enſis falcatus* deſignare deberet *Ungues Leoninos*. Horum nihil ſequor. Nec *appoſitionem* ſubeſſe conceſſerim, quaſi foret, *a Gladio*, *ab ore eorum*, pro *quod eſt os eorum*, vel *ab ore quod ipſis erat pro gladio*. Senſum non ſperno; figuram elegantius concinnarunt quibus placuit *Gladius oris eorum*. Hi monent מִן ſæpe *Genitivum* formare. Nil tritius ſane apud *Arabes*, ut quum ſtruunt ثوب من حرير *Veſtis e ſerico*, pro *ſerici*; ſed tunc alia longe eſt ratio. Palmam ergo aufert illud Cl. *de Dieu* חֶרֶב אֲשֶׁר מִפִּיהֶם *Gladius qui ex ore eorum*. Nil venuſtius. Dici potuiſſet יֹשַׁע מֵחֶרֶב פִּיהֶם *ſervat a Gladio oris eorum*; ſed ſonantius nunc elatum מֵחֶרֶב מִפִּיהֶם *A Gladio ab ore eorum*, vel *ex ore eorum exeunte*, ἀπὸ ξίφους ἐκ στόματος αὐτῶν. Non abſimile eſt *Pſ.* 18: 9. אֵשׁ־מִפִּיו תֹּאכֵל *Ignis ex ore ejus*, *ab ore ejus* exiens, *abſumebat: prunæ arſerunt ex eo*, emicantes. Integra locutione habuiſſes מֵחֶרֶב אֲשֶׁר מִפִּיהֶם יַהֲלֹךְ vel יֵצֵא, ex *Cap.* 42: 10, 12. quam in מֵחֶרֶב מִפִּיהֶם eſſe contractam non eſt quod miremur. *Figuratus* & *improprius* hicce *Gladius ex ore exiens*, & *late graſſans*, abſque ulla controverſia aptior eſt ſeriei antecedenti, (ubi deſcripti erant *ſapientes aſtuti*, & *verſuti*) quam *Gladius proprie dictus*, quo *impotentes tyranni* ſæviunt. Si quis tamen illum mallet, *Os gladii* ſumere deberet pro *Acie*, hoc pacto; *Et vindicat a gladio*, *ab acie* inquam *eorum*. &c.

Ibid. Hic poſterior conſpectus non eſt abhorrens a vero. Potuiſſet iſtoc ſenſu ſimpliciter poni מִפִּי חַרְבָּם *ab acie gladii eorum*: ornatior ſtylus pro eo dediſſet מֵחֶרֶב מִפִּיהֶם, *a Gla-*

16 ותהי לדל תקוה ועלתה קפצה פיה :

16 Eſt proinde demiſſo promta ſpes: at iniquitas conſtringet os ſuum.

17 Ec-

17 הנה

a Gladio, *ab acie*, *eorum*. Multis interim partibus illam nobilem figuram præfero, quæ exhibet *Gladium ex ore* Aſtutorum *evibratum*, & *emiſſum*. Notum Emblema *Gladii ancipitis*, quod *ex ore ſummi Doctoris exit*, adjunctis & *ſagittis politiſſimis* ex *Eſaj.* 49: 2. & *Pſ.* 45: 4, 5, 6. Eſt hoc *verbum veritatis*, *verbum Legis Euangelicæ*, cui ſeſe opponit *verbum mendacii*, *aſtutia* & *ſapientia mundana politum*, quaſi, & *exacutum*. Hic *Gladius* exit *ex ore ſophiſtarum*, & *Sapientum* hujus *ſeculi*, contra quos potiſſimum directam eſſe orationem liquet. Confer 1 *Cor.* 3: 19. Hoc *ſævo* & *importuno Gladio* infeſtantur probi, impugnatur Religio, propugnatur irreligio, ſuperſtitio, vanitas, ſuperbia; ejuſdemque ſub ictibus ſæpe vitium de virtute ſpolia reportare, ac triumphare, videtur. Deus *virtutem* & *probitatem* hoc *Gladio premi* patitur, non *opprimi* & *extingui*. Etiam *victa vincet veritas*, atque omnis *Egenus*, i. e. Verus virtutis cultor, mundanæ & vanæ ſapientiæ contemtor, *pauper ſpiritu*, a *ſola* Dei *gratia* ſummiſſe *dependens*, *improbitatem* ac *vanitatem debellatas* videbit, de iiſque viciſſim lætum aget triumphum; בקום למשפט אלהים להושיע כל ענוי ארץ *quum conſurget ad judicium Deus*, *ad vindicandum*, *in ſalutemque ampliſſimam aſſerendum*, *omnes manſuetos terræ*. *Pſ.* 76: 10. Confer *Pſ.* 94: 3, 4, 5, 6. ubi cum hac *Inſolentia verborum*, etiam *Violentia manuum* conjungitur.

Ibid. Idem in noſtro contextu obſervare eſt; additur quippe יד חזק *Manus prævalidi*, *præpotentis*, *Robuſti*. Non placet, *e manu valida*; id fuiſſet יד חזקה. Obſtat quoque ſtatus conſtructus. Urgetur a Cl. *Schmidio* poſt *Mercerum* comparativa vis *A manu fortioris ipſo*. Et hoc diſplicet, quia minuit, non auget. חזק abſolute hic ponitur, ut *Eſaj.* 28: 2. ubi ſignat *potentem* & *invictum bellatorem*. Eadem emphaſi a plurimis capitur *Eſaj.* 40: 10. *Jehova veniet* בחזק *contra potentem*, *& brachium Ejus Dominabitur in eum*. Intelligitur, ſi hæc verſio teneatur, ὁ ἰσχυρὸς *Robuſtus* ille, & *fortis armatus*, ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου, cum omnibus ſuis opibus, copiiſque. Ad clariorem conſpectum utriuſque loci utar obſervatione docta Cl. *Rhenferdii*, cujus mentionem feci *Cap.* 4: 4. juxta quam חזק *Jeſ.* 28: 2. eſt *Robuſto brachio præditus*; אמיץ *nervoſo* & *firmo genu pollens*. Eandem proprietatem חזק exerceret *Jeſ.* 40: 10. quum *Robuſto* iſti *Robuſtius* tamen *Brachium* admovendum dicitur. Vides hinc quid intendi putem in noſtro contextu per *Robuſtum* cujus *e manu vindicatur Egenus*. Eſt *is cujus brachium præpollet*, quique *iſtis viribus ſuperbus*, *gravis incumbit Egeno*, id eſt *Deum reverenti*; omnibus modis eum *vexans*, *opprimens*, *adfligens*. Eſt quoque ipſe *Spiritus improbitatis*, *regnans in mundo*, & *opes ſuas* partim *Lingua*, partim *Manu* hominum *improborum* ſtabiliens. His omnibus ſuperior evadet אביון *Pauper*, *inops*, ſola *probitate*, & *patientia*, *armatus*, atque Deum tandem potentiſſimum *vindicem virtutis*, *ultoremque vitii*, experietur.

Vſ. 16. Hunc latiſſime fuſum proſpectum, ſenſumque, confirmat clauſula ſuperioribus annexa. *Eſt ergo probo ſpes*; *at improbitas os ſuum occludet*. Non reſpondent gravitati & dignitati hujus ſententiæ, quæ *Schmidius* tum ex Aliorum, tum ex ſuo penu dedit. Nimis tenue ſane erat illud *Merceri*, quaſi dicat, *jam improbi non habent quod Domino objiciant*, *quaſi ille ſuos deſtituerit*. Alienius, quod ipſi *Schmidio* viſum, *ſi quis malitioſe & blaſpheme Deo obmurmuret*, ut Jobus fecerat, *graviſſime eum fore puniendum*, *ut mutire non audeat præ timore majoris pœnæ*, *ſi vel maxime intus fremat*. Sic eſſet *dehortatio* a *murmure*, *metu gravioris mali*. Abſonum. Felicius ſubſcripſiſſet *Coccejo*, *injuſtus ſtupet*, *obmuteſcit*, *confunditur*: *ut contra tenui id evenit* & *obtingit quod ex-*

17 Ecce beatum hominem illum, quem Numen arguet! & caſtigationem Omnipotentis cave reſpuas.

18 Quo-

יז הנה אשרי אנוש יוכחנו אלוה

ומוסר שדי אל־תמאס׃

18 כי

expectat. Omnia huc ſpectant, Deum reſiſtere ſuperbis; & humilibus dare gratiam. Sic & *Belgæ* aliique, quibus plane aſſentio; niſi quod latiorem ſumam campum: atque egregium hoc Dictum applicem ad *Triumphum probitatis, virtutis*, & *Religionis*; *clademque ac confuſionem ſempiternam improbitatis, certo certius exſcindendæ* e terra, & *æterna ignominia obruendæ*. Eadem eſt latitudo hujus ſententiæ *Pſ.* 107: 41, 42. וישגב אביון מעוני *Et in Arcem* rerum *ſublimabit* Deus *Egenum ex adflictione: familiaſque ponet ut greges. Videbunt recti & lætabuntur: at omnis improbitas conſtringet os ſuum* כל עולה קפצה פיה. Credere par eſt, formulam hanc emanaſſe ex antiquiſſima inſtitutione & diſciplina, qua ſancti Veteres ab *improbitate* deterrebant, quippe cui quantumvis audaci, præfidenti, *gladium acutum* in ore gerenti, *vincente* ac *triumphante* divinitus *probitate*, *ignominioſiſſime* foret *obmuteſcendum*, atque *ore conſtricto conticendum*. Contra *animaſſe* videntur & *armaſſe probos* ad *pietatem* & *patientiam*, adhibita formula יש תקוה *Datur ſpes; Eſt ſolida expectatio*; qua inſinuabant *Virtutem* tandem ex omnibus anguſtiis emerſuram, & læto exitu coronandam fore. Vide *Jer.* 31: 17. *Thren.* 3: 29. *Job.* 11: 18. ubi de hac locutione plura.

Ibid. Paucula ſubnectam circa vim verborum. Subtiliter *Coccejus* diſtinxit inter דל *tenuem*, & אביון *egenum*. Hæc duo conjuncta videas *Pſ.* 72: 13. & 82: 4. *Eſaj.* 25: 4. Utrumque exprimit Characterem *hominis religioſi*, atque *in ſolum Deum ſpes opeſque ſuas reponentis*. Addiderim *ob religionem* vel *vexati*, vel *contemti* in mundo. Sic *Eſaj.* 11: 4. & 26: 6. & alibi. Iſti *Tenui eſt* תקוה *ſpes prompta & certa*. Id ſuggerit *Origo*, quæ tamen non ubique premenda. At in formula יש תקוה *ſoliditas* eſt *ſpei*, eam negligere par non eſſet. Hic habes ותהי תקוה, eodem ſenſu, quo promittitur *felix* rerum *converſio*, & *lætus exitus*. Cl. *Cocc.* ipſum *eventum* hic complexus eſt, *Et extitit* ſive *facta eſt tenui ſpes*, id *quod expectaverat*, ei *obtigit* & *evenit*. Reciperem, quod Genius Linguæ haud renuit, ſi cum præc. *vſ.* ita necterem, ut continuetur beneficium, per וישע *Vindicat in ampliſſimam ſalutem* expreſſum. Sed exiſtimem eſſe *Epiphonema*, quo *probitati triumphus promittitur*, ſolenni hoc יש תקוה.

Ibid. In altero colo ועלתה reddendum *omnigena improbitas*. Sic conſonat accuratius cum *Pſ.* 107: 42. Extat *forma* hæc productior etiam *Pſ.* 92: 16. ubi valet *iniquitas quæcumque*. Sine *He parag.* redit עַוְלָה *fem. ſegolati* עֶוֶל, quod & עול ſcribi potuit ex ea lege, qua omnia nomina formæ כּוֹר in Origine fuerunt כֶּוֶר, unde in *plur.* כְּוָרִים exiſtit. Eodem ergo jure עוֹלָתָה poſitum, quo עַוְלָתָה. Primaria notio *Radicis* reſtitui poteſt ope *Arabum*, quibus عال eſt *propendit* in alteram partem *lanx*. Item *judex*. Inde *injuſtus*, *iniquus*, *improbus fuit*, magno multoque uſu, quem jam non perſequor. Ad verbum קפץ ſubmonet Cl. *Cocc.*, quum *ſalire* notet *Cant.* 2: 8. *forte geſtum manus inſilientis in os indigitari* in noſtra phraſi; prout *manus ori appoſita* occurrit *Job.* 40: 4. & alibi. Similiter in *Lexico* קפץ פה recurrens *Pſ.* 107: 42. & *Eſaj.* 52: 15. ei eſt *manu impoſita claudere os*. Hæc longius petita. قفص קפץ *Arabibus*, eſt *σφίγξει*, *συσφίγξει*, qua voce uſi οἱ LXX. *Deut.* 15: 7. לא תקפץ את ידך reddentes *οὐ μὴ συσφίγξεις τὴν χεῖρά σου*. Hic habent *ἀδίκου δὲ στόμα ἐμφραχθείη*. Pulcherrime

18 כי הוא יכאיב ויחבש ימחץ וידו תרפינה׃

19 בשש

18 Quoniam ipſe lurida adficit plaga, idemque obligat: haurit vulnerans, ejusdemque reſarciunt manus.

19 In

rime potuiſſent, Ἀδικία δὲ τὸ ϛόμα συζφίγξει, συζφίγξεται. Qui *ſalit*, σφίγξει τοὺς πόδας phraſi *Homerica*; ſed σφίγξειν τὸ ϛόμα eſt φιμοῦν *conſtringere* & *obturare alligato camo.* Hac imagine nil plenius quiſquam deſiderabit. Confer *Matt.* 22: 12. Ὁ δὲ ἐφιμώθη.

Vſ. 17. Poſt Doctrinam capitalem de *Dei providentia*, *juſtitiaque* in Fortunis bonorum ac malorum pro merito diribendis adſtructam, progreditur *Eliphazus* ad *præcepta* ſalutaria, *promiſſis* amplis & magnificis cumulata, in quibus reliqua viri Oratio conſumitur, cum gravitate, & auctoritate quadam cenſoria deſinens, atque eodem, quo inceperat, aculeo *Jobum* pungens. In hoc autem verſiculo rite conſtituendo laboratur. Sunt qui *Conſolationem meram* concipiant. Alii *Adhortationem* & *ſuaſionem* eſſe ſtatuunt, connexam cum *Vſ.* 8. Rectius *Mercerus* pulchram vocat *Parænesin* ad *Jobum*, ut immiſſas divinitus adflictiones æquo ferat animo, qua ſimul *perſtringatur*, quod tam *impatiens* fuerit. Particulam hujus *præcepti*, ſimulque *promiſſorum*, quæ annexa ſunt, ad *Jobum* quoque pertinere dubium eſſe nequit; ita tamen oratio hæc mihi digeſta eſſe videtur, ut cum *commonitione* ſat acris *caſtigatio* eat conjuncta, & *promiſſiones* tacitis *comminationibus* contrarii *Jobum* feriant; quod *præceptum* hoc verſu inculcatum inſuper habuiſſet, atque in *temerariam* adverſus Deum *contentionem* audacter erupiſſet. Nempe *perſona ſecunda*, qua hic uſus eſt cenſor, non directe *Jobum* ſpectat, Eumve compellat, ſed *tertiæ perſonæ* vicem ſuſtinet; quod in *Commonitionibus* & *Comminationibus* crebrum. Exemplo illuſtri ſit *Cap.* 8: 20, 21. *Ecce Deus non repudiat integrum: & non confirmat manum maleficorum. Donec impleat riſu os tuum; & labia tua jubilatione.* Non eſt directa promiſſio, *Jobo* facta; ſed *integro*; ac proin *Jobo* ſi *integrum* ſe præſtet. Ergo tantundem eſt, ac ſi diceretur, *Donec impleat os illius riſu*, niſi quod gravius ſit, & majorem adfectum ſpiret, *Donec impleat os tuum* o integer, quiſquis es. Ad cam rationem heic loci *o beatum virum*, *quem Deus arguit! diſciplinam autem Omnipotentis ne repudies*, quiſquis es; *neve te* ferocius *manui caſtiganti opponas*, ut hic Amicus noſter facere ſuſtinuit.

Ibid. Non obſcurum hinc eſſe poteſt, quo ſenſu *primo* dicatur *Beatum eſſe illum quem Deus arguat.* Nempe *caſtigatio convincens ſimul* & *emendans* innuitur, quæ eſt genuina vis & *proprietas* verbi הוכיח *Arguit.* Hoc *Latinum* ab ἀργὸς *clarus*, *manifeſtus* derivatum, notat *reprehendendo convincere.* Planiſſume conſonat *Origo Hebræa*, latens ſub وضح *Albus*, *Clarus*, *manifeſtus*, *evidens fuit*, idem quod وضح; unde in 4. *Conj.* extitit *ad evidentiam demonſtrare*, *evincere*, *convincere.* Submonitum in *Clavi Dial. p.* 250. Sentis tacite *Jobum redargui*, quod ſe a Deo *argui*, id eſt *convinci* non ſiverit, ſed cum Deo expoſtularit, eique obmurmurarit. Idem inſinuatur in *altero* illo, אל תמאס, *ne repudies*, aut *adſperneris*, Tu quiſquis es, quem Deus caſtigat, *cave exulcerato animo reſpuas*, ſed potius *virgam oſculare*, atque *pro beneficio plagas*, ſalutarem fructum tibi parituras, *excipe.* Subeſſe λιτότητα hanc, a Cl. *Cocc.* quoque annotatum. Cernis iterum *redargutionem*, quæ ſimul *Jobum* commoneat duplicis officii, in poſterum præſtandi, ſi unquam ex hoc malorum gurgite emergere ſperaret.

Vſ. 18. Acutius reliquis cernere volens Cl. *Schmidius*, revera parum vidit, quando pulcherrimam ſententiam, quam in *præſenti* conceperant alii Interpretes, & recte explicuerant, ex *generali adſpectu* reſtringit ad *Jobum*, & ſimul vim *Futuri* retinendam cenſet, hoc pacto, *ſi non repudiaris diſciplinam Dei, tum, etiamſi futurum ſit ut te dolore adficiat, tamen rurſus obligabit te.* Huic languido per ſe ſenſui addidit adhuc *conditionem*, qua nervus plane inciditur, כי אם pro כי ſumens, *Nam ſi forte dolore te adfecerit, rurſus tamen obligavit.*

gabit. Non ſatis quoque perſpexit idem Vir *Doctiſſ.* vim omnium verborum, quum ait, eſſe continuam *Allegoriam*, qua Deus comparetur cum perito *Chirurgo*, ac *Medico*, qui *dolorem* quidem *inferat*, *ulcus ſecando*, verum mox *obliget*, *ſanetque inciſiones a ſe factas.* Agnoſco *Medicum* in parte dimidia, חבש, & רפא: ſed הכאיב & מחץ ad *ſectiones chirurgicas ulcerum* applicari non patitur Linguæ genius, qui hiſce verbis ſubdidit *atrociſſimas plagas*, *vulneraque intus adacta*, ad *cor*, ac *vitalia viſcera hauriendum.* In *præſenti* ergo, & *generatim*, enunciatum, *plaga graviore ferit*, *obligatque: haurit vitalia reſarcitque*; ut oſtendatur nemini *adſpernandam* eſſe Dei *caſtigationem*, quippe qui poſtquam ut *judex verbera* impoſuit, & *vulnera* etiam *graviſſima*, eadem ut *Pater* & *Medicus* non minus clementer, quam potenter, *perſanare* ſoleat; ſi quis Manui percutienti non reluctetur, ſed eam debita cum ſubmiſſione exoſculetur. Iſto *adſpectu* quilibet facile intelligit *Futurum* pro *præſenti* eſſe opportuniſſimum, quum ſic innuatur quid Deus *faciat*, & quid *facturus* ſit; unde etiam non incommode converti poſſet, *Feriet*, *idemque obligabit*; *hauriet*, *ejuſdemque manus perſanabunt.* Hæc generalis eſt regula, & norma, omni ſeculo quadrans, unde ex *Eliphazi* mente tantum ſibi applicare poterat *Jobus*, quantum ſummiſſione ſua ſub manum Dei mereretur; id eſt parum admodum, hactenus quidem, aut nihil. Hanc *formam futuri* commodiorem adhuc eſſe ad ſequens filum mox pellucebit.

Ibid. Luce adſperget haud injucunda totum hunc contextum *Origo* verborum כאב, & מחץ. Prius tritum in *gravi dolore* ac *mœrore.* Apud *Chaldæos* & *Syros* eadem vis nota; nec diſcrepat *Dialectus Arabum*; nam in *Camuſo* habes أَلْكَأَبُ الغم وسوء الحال والانكسار من حزن وكَئِبَ واكتاب فهو كَئِبٌ وكئيب ومُكتَئِبٌ واكاب حزن ووقع في هلكة ورماد مكتيب ضارب الي السواد والكاباء الحزن واكابه احزنه *Vox* כאב *ſignat mœrorem*, *& adflictionem*, *& fracti animi ægritudinem. In* 1. *&* 8. *afflictus fuit*; *cum part:* כאב, כאיב, מכתאב. *Item* 4. *conj.* אכאב *Moeſtus fuit*; *incidit in grave infortunium. Dicitur etiam* מכתאב *de cinere ad nigredinem vergente. Ægritudo quoque* כאבא *vocatur*; *&* אכאב *ægritudine adfecit.* Similia reperias in *Gjauhario*, qui non neglexit hanc Gloſſam, ورماد مكتيب اللون اذا ضرب الي السواد كما يكون وجه الكييب *Et cinis* מכתאב *colore*, *appellatur*, *quum vergit ad nigrorem*, *qualis eſt facies mœrentis.* Ea quantivis pretii eſt; videtur enim aperire *proprietatem* latentem *Radicis*, quæ unde *mœrorem*, *ægritudinem*, *adflictionem*, ſignificare cœperit, ignorabitur, niſi aſſumas *colorem fuſcum*, *nigreſcentem*, *luridum*, Nempe *gravior ægritudo* non *pallet*, ſed *luret*, *tabemve luridam inducit.* Hinc dixere مريض كييب *Æger lurore adfectus. Lividas* & *Luridas plagas* ergo *Hebræi* videntur appellaſſe מכאבים; quam poteſtatem præferunt loca complura; ut *Pſ.* 69: 17. *Jer.* 30: 15. *Jer.* 51: 8. *Capite opobalſamum ad ejus luridam plagam. Jeſ.* 53: 3, 4. איש מכאבות וידוע חלי *vir luridarum plagarum*, *& familiaris excoriationis. Excoriationes noſtras* ſcilicet *ipſe portavit*, & מכאבינו *Luridas plagas noſtras ipſe bajulavit. &c. &c.* Eadem emphaſi hic poſitum, יכאיב *Luridas infligit plagas.* Quid 2 *Reg.* 3: 19. valeat, *Agrum bonum* תכאבו באבנים hinc obſcurum eſſe nequit, *facta lapidatione ſub plagis luridis quaſi conficietis*, *ut tabe*, *ſqualeque perpetua horreat.* Ad *Pſ.* 23. mox aliquid recurret, ad ejuſdem loci illuſtrationem.

Ibid. Ad *Thema* מחץ paucis perfungar; quod in *de Defect. pag.* 54. & ſeq. jam oſtenderim quantopere fluctuetur in notione ejus figenda; quam *ibid. p.* 69, 70. ope *Arabici* مخض finivi in *hauriendo aquam*, *commota*, aut *huc illuc jactata*, *urna.* Hoc ad *gravia* & *fœda vulnera* tranſlatum fuiſſe nemo mira-

mirabitur, qui in promtu habet *Latinorum* *Haurire* jugulum, latus, *enſe &c.* *Exanclare* vel *exantlare ſanguinem &c.* Addidi ex *Luciano* in *Tim.* λαφυσσόμενος καὶ ἐξαντλούμενος; ſed quia locus ille alium adhuc ſenſum recipit commodiorem, certiora hic apponam, ut noſtro מחץ, quod *Græco* Ἀντλεῖν fere conſonat, novum lumen & robur accedat. Figura hac ſublimi uſus *Eurip. Rheſ.* 430.

> Ἔνθ' αἱματηρὸς πέλανος εἰς γαῖαν Σκύθης
> Ἠντλεῖτο λόγχῃ Θρῃξ τε συμμιγὴς φόνῳ.

> *Ibi cruor condenſatus in terram Scythicus*
> *Antlabatur haſta, Thraciuſque mixtus cæde.*

Compoſitum διαντλεῖν ſic adhibet *Schol. Hom. Iliad.* 13: 507.

> Ῥῆξε δὲ θώρηκος γύαλον, διὰ δ' ἔντερα χαλκὸς
> Ἤφυσε. ὁ δ' ἐν κονίῃσι πεσὼν ἕλε γαῖαν ἀγοστῷ.

Illud ἤφυσε, a διαφύσσω *haurio*, explicans διήντλησε καὶ διέκοψε τὰ ἔντερα τὸ δόρυ *exanclavit, & tranſverberavit viſcera haſta.* Eadem Gloſſa recurrit *Iliad.* 14: 517.

> Οὖτα κατὰ λαπάρην, διὰ δ' ἔντερα χαλκὸς ἄφυσε.

Quod eſt διέκοψε. διήντλησε. Hoc genus loquendi ex *Oriente* emanaſſe, dubitari nequit, ex iis quæ & in *Origin. Cap.* 6. & in *Opuſc. de Defect.* adduxi. In eo *Poëtæ Arabum* luxuriant. *Antara ibn Sjeddad* in *Moallek.*

> والرماح كانها اشطان
> بئر في لبان الادهم ۞

> *Haſtiliaque ut funes putei longiores in pectus equi demiſſa.*

In *Hamaſa* item *Poëta vetus.*

> كَأَنَّ رِمَاحَهُم أَشْطَانُ بِئْرٍ بَعِيدٍ
> بَيْنَ جَالَيْهَا جَرُورِ ۞

> *Tanquam ſi haſtæ forent funes longiores putei profundi, cujus latera multum diſtantia.*

In hiſce *puteus profundus profundum* pingit *vulnus*; ut *latera diſtantia*, ejus *amplitudinem*, & *ſpatium.* Iterum in *Diw. Hudeil.*

> فترى الرماح كانما هي بيننا
> اشطان بئر يوغلون ونوغل ۞

> *Cerneresque haſtas, ac ſi illæ inter nos*
> *Funes putei, quibus invicem nos penetrabamus.*

Iſtud اوغل *penitius immerſit*, eſt illius qui ימחץ דליו يمخض دلوه *concutit urnam ſuam & huc illuc jactat, ad aquam* e puteo *hauriendam*; qua anſa مخض מחץ abſolute invaluit pro *gladio in viſcera adacto cruorem hauſit*; ac *profundiſſima vulnera inflixit.* Imaginem hanc luculentiſſime expreſſit *Harithus* in *Moallekat.*

> فجبهناهم بطعن كما تنهز
> في جمة الطوي الدلاء ۞

> *Frontem iis hauſimus confoſſione, qualiter concutiuntur*
> *Profunda in aqua putei ſitulæ.*

Duobus verbis id repræſentatum *Pſ.* 68: 22. in ימחץ ראש *hauriet caput gladio*, ſitulæ inſtar, *immerſo.*

Ibid. Non diu nos detinebunt duo verba *Medica* חבש & רפא, eleganter hic poſita, & ſecundum proprietatem ſuam diſpoſita. Prius, quod eſt حبس *ligavit, ligando repreſſit, vincivit*, uſurpari amat in *obligatione vulnerum. Hoſ.* 6: 1. *Eſaj.* 1: 6. & 30: 26. & 61: 1. *Pſ.* 147: 3. *Eſech.* 34: 4, 16. Alterum רפא proprie eſt *reſarcivit rupturam*, quod *Arabibus* رفا *ult. Hamz.* Ita apud *Græcos* ἀκεῖσθαι *mederi, ſanare*, a *ſarciendo* traxit originem, de quo alias. Nunc tantum

19 In ſex anguſtiis extrahet te: & in ſeptem non tanget te malum.
20 In

19 בשש צרות יצילך ובשבע לא יגע בך רע׃
20 ברעב

obſervabo eandem notionem frequentari ſub رفا *ult. Waw*, quod eſt רפה, ex viciſſitudine nota quieſcentium ad *tert. Radical.* quamvis *Hebræis* iſtud Thema alias deſignet *flaccidam remiſſionem.* idem *Arabibus* fuiſſe رفي, patet ex ارفي *Flaccus*, *flaccidis auribus præditus.* Hinc in 3. *conj.* رافا *dimiſit &c.* Item *convaluit*, *coaluitve* vulnus; prout in 1. erat *Reſarcivit* veſtem ruptam. Non erit ergo, quod quem offendat הרפינה, pro הרפאנה; neque par eſt ut ad talia, corruptionis, aut mendæ, vel minima ſuſpicio oboriatur. Confer *Clav. Dial.* p. 245.

Vſ. 19. Attexuntur cumulatiſſimæ benedictiones, quibus Deus proſequitur eos, qui caſtigationibus ſeſe corrigi, & ad ſolidiorem virtutem emendari paſſi ſint. Hoc ipſum vero arguit, has *conſolationes* non directe *Jobum* tangere, ſed tantum eatenus, quatenus conditionem *Vſ.* 17. religioſius impleviſſet. Reprehenditur a *Schmidio* noſter *Coccejus*, quod hæc & reliqua *futura* in *præſenti* extulerit; quum hic *futuræ Jobi liberationes* promittantur. Atqui non alia mens ſedebat *Coccejo*, quum ait, *Ita loquitur in pollicitatione*, *quaſi hæc jam extarent*; *ideoque præterita & futura hic permiſcentur.* Suſpicatur nempe *more Prophetico* hæc prolata fuiſſe de *Jobo*, tanquam *typo Chriſti*; atque Locutorem noſtrum *in ſpiritu* quaſi *præſentia* exhibere, quæ poſtmodum eſſent *futura.* Iſti *Hypotheſi* parum tamen ego quidem tribuerem; nec ullus ei locus videtur relictus, ſi, quod certum utique, tum *Eliphazus*, tum reliqui Amici, *Jobum* pro *improbo* damnarint. Eadem de cauſa non poſſum admittere vulgarem ſententiam, quam *Schmidius* adhuc languidiorem reddidit, quaſi *Jobo* ventura brevi *liberatio* promitteretur; toties repetenda, quoties Eum *caſtigaturus* eſſet Deus, *ſexies*, *ſepties*, imo *infinities.* Nil tale vidit, voluitve, *Eliphazus.* Auſim quoque dicere, non multum de *Jobi* reſtaurandis fortunis præſumſiſſe hunc cenſorem, quippe qui contrarium potius inculcare voluiſſe videatur, tum in prægreſſis aſperioribus cenſuris, tum in hac ipſa magnifica pollicitatione, ſic concepta, & contexta, ut *Jobum* quidem non penitus excludat, ſi forte ad meliorem redeat mentem, ſpirituſque ſuos elatos deponat; ſed tamen hactenus quidem parum loci Ei in omnibus hiſce relinquat; qui tum ob *Hypocriſin* vitæ ſuperioris, tum ob *contumaciam* in præſentibus calamitatibus, a Deo reprobatus eſſe videretur. Inſpice alteram viri declamationem *Cap.* 15. atque de hac ejus ſubulcerata erga *Jobum* mente nullus dubitabis.

Ibid. Teneamus itaque *Conſolationem* hanc *Modeſtis*, *demiſſiſque*, inſinuari, ſub *perſona ſecunda* iſti officio aptiſſima. Ad ubertatem & pulcritudinem Orationis eruendam conducet obſervatio Clar. *Cocceji*, cohærere per ſe *in ſex*, *in ſeptem anguſtiis*; nec non, *Eripiet te*, & *non attinget te malum.* Hoc eſt, *ita eripiet*, *ut nullum te malum tangat.* Dubitatur a Doctis interpretibus, *adflictioneſne* intelligantur, quibus *alii mortales* involverentur; an quibus ipſe *Jobus*, vel ex mea hypotheſi jam, quilibet *probus*, *Deique reverens*? Si cohæreant, ut ſane poſſunt, illa duo, *Eripiet te ita*, *ut nullum te malum attingat*, omnino de *calamitatibus* adverſus alios *ſævientibus* ageretur; atque illuc etiam ſequentia videntur manu ducere. Uberius tamen fore crediderim, ſi utrumque complectamur, atque primum יצילך *extrahet te* referamus ad *Liberationem* e malis præſentibus; alterum לא יגע *non tanget te malum*, extendamus ad *reliquæ vitæ liquidam tranquillamque ſtationem*, nullis amplius fluctibus turbandam. Duo illa membra ſic digererem. Primo *in ſex ſeptemve anguſtiis eruet te*, ex iiſque *te vindex extrahet potentiſſime*, id valet הציל, *qui judex juſtiſſime immerſerat.* Secundo, *in ſex ſeptemve anguſtiis non tanget te poſtea malum*, poſtquam ſemel bona fide ad Deum converſus, ſincerum te Religionis & virtutis præſtiteris cultorem. Rogat *Clar. Schmidius* illud *non tanget te malum*, qui conſiſtere queat cum *anguſtiis*? & reſpondet, non *attingere malum* dici, quia *felix exitus*;
&

20 ברעב פדך ממות ובמלחמה מידי חרב׃

20 In fame redimet te a morte: & in bello, a manibus gladii.

21 בשוט

21 In

& quia non *ſuccumbitur*, nec *peritur*. Argutius haud dubie, quam ſolidius. Sic ne *Jobum* quidem *mali quicquam attigiſſet*, fuit enim eventus fortunatiſſimus.

Ibid. Nonnihil ſcrupuli incidit circa *modum numerandi*, qui aliquid proverbiale redolet. בשבע *in ſeptem* pro *in ſeptima* poſitum autumat *Schmidius*; nec non *Clericus*. Id ex eorum mente languidiſſimum facit ſenſum. Veteres in *ſeptima die quietis* luſerunt, quæ *labores ſex diebus exantlatos* ſubſequeretur, ſive in *præſenti*, ſive in *futura* vita. Hæc & alia dabit de *Pineda*. Omnino vertendum putem *in ſex*, *imo in ſeptem*; ut *Prov.* 6: 16. ubi ſimilis diviſio & digeſtio verborum in duo membra, quæ uno ſic potuiſſent deduci; *ſex iſta*, *imo ſeptem odit Dominus*; *atque abominatur.* Alibi habes *Tria*, *imo Quatuor*; ut *Prov.* 30: 15, 18, 21, 29. *Amoſ.* 1: 3. & ſeq. Eſt in his aliiſque formulis aliquid interioris elegantiæ, ob quam vel ab *impari* ad *par*, vel a *pari* ad *impar* procedatur. Diſquiritur præterea, *finitumne* hic *numerum* voluerit *Eliphaſus*, an *infinitum*; & an *recenſio* ſequens *malorum* ad *ſeptenarium orbem* ſit exigenda. Cl. *Schmidius* explodit *numerum finitum*, nimis *incertum* dictitans, num quæ ſubjiciuntur *ſeptem ſpeciebus* ſint diſtincta. Sed collatio *Prov.* 6: 16. &c. ducit ad *enumerationem definitam*; ita tamen ut *indefinitam* quoque *vim* admittere nihil impediat, quum hæc mala *ſpeciminum loco* percenſeantur. Catalogus a *Coccejo* ita texitur. *Fames. Bellum. Lingua. Deſtructio Vaſtatura. Deſtructio quæ Vaſtavit*, *cum caritate annonæ. Beſtia terræ. Saxa & beſtiæ agri.* Poſſet quoque ſic digeri. *Fames. Bellum. Lingua flagellans & graſſans. Extrema miſeria & paupertas. Fera terræ* i. e. *ſerpentes. Lapides agri. Beſtiæ agri.* Sed enucleatius de ſingulis videndum, in quibus nonnihil obſcuritatis reſidere haud diffitebor.

Vſ. 20. Primum malum non caret difficultate; eſt enim tenue quod dat *Mercerus*, *Tempore famis redimet te a morte*, *ne fame conficiaris & pereas.* Id ipſum preſſius adhuc urſit *Schmidius* ac ſi per ממות inculcaretur, *pios non ſemper liberari a fame*, *ſed a morte per famem*; *licet de fame etiam participent.* Non deberent talia Viris Doctis excidere. Promittitur hic *depulſio omnis mali*; jam vero non minus miſerabile *longa fame excruciari*, & *tabeſcere*, quam *emori*. רעב *Fames* complectitur nunc omnia illa *Judicia Dei*, quibus terris inducit *caritatem annonæ*, *eique annexam mortalitatem extraordinariam*; ſic *Ezech.* 36: 29, 30. *Edicto* quaſi *publico citabo frumentum*, *idque multiplicabo: neque imponam vobis* רעב *famem publicam*, *ejuſve opprobrium* &c. Item *Deut.* 32: 24. מזי רעב *Exſucti famis.* Agnoſces facile ſub uno vocabulo multiplicem miſeriam *ſterilitatis*, *intemperiei*, *caritatis*, *poſtilentiæ*, omniſque *morbi tabifici*, ac *lethalis*, quam *fames* trahit, inducta *varia mortium imagine.* Sic *Arabibus* موتان, מותנא *Syris* & *Chaldæis*, eſt *peſtilitas*, omniſque *morbus lethalis.* Ipſum موت מות pro *peſte* etiam frequentatur. Vide *Abulphar.* p. 49. & 54. Eundem uſum agnoſcas *Jer.* 18: 21. ubi הרגי מות *interfecti mortis*, non alii eſſe poſſunt quam quos *fames peſtem trahens*, vel *peſtis ex fame oriunda*, *abſumit.* Plura dabo ad *Cap.* 27: 18. infra. Notum præterea, מות *Mortem* ſeſe extendere ad omnem *miſeriam graviorem*. Senſum hinc luculentum tibi offero, *in fame redimet te a morte & miſeria omni*, qua *gravis incubat* terris, atque *illæſus intactuſque* abibis non tantum, ſed & *copiis commeatibuſque abundabis.* Hanc amplitudinem, tum res ipſa requirit, tum vis verbi פדה *Redimere*, atque *in plenam libertatem* vel *laxitatem aſſerere*, clare præfert.

Ibid. Secundum Malum nihil habet difficultatis. *Belli* nomine complector etiam *latrocinia*, & *impreſſiones populabundas*, in quibus *gladio ſævitur*, & quidem *promiſcue* ac pro *arbitrio.* Hoc deſignatur per *Manus gladii*; quas frigide *Schmidius* ait ſignare *operationem* & *effectum.* Non placent qui *Manus armatas* hinc fecerunt. Paulo rectius cogitatum de *acie ancipiti.* Vera tamen emphaſis in *violentia promiſcue*, & pro *arbitrio*, *deſæviente*, &

21 In flagellante graſſatione Linguæ occultabere: & non metues ab incurſatione quum invaſerit.

22 Ad vaſtitatem & famem ridebis: & a fera terræ minime timueris.

23 Quin

21 בשוט לשון תחבא ולא־תירא משוד כי יבוא׃

22 לשד ולכפן תשחק ומחית הארץ אל־תירא׃

23 כי

& longe lateque ſtragem edente. Apud *Arabes* يد *Manus* omnis rei, eſt *vis*, *robur*, *potentia*, *dominatio*, *violentia*. Verbi gratia يد الريح *Manus venti*, *flammæ* &c. &c. In ſacris habemus item *Manum ſepulcri*, *Leonis*, *Urſi*, *Canis*, *Laquei*, *Flammæ*, pro *violentia ad arbitrium perdente*. Noſtram phraſin reperias *Eſech.* 35: 5. *Jer.* 18: 21. *Pſ.* 63: 11.

Verſ. 21. Tertium Malum eſt *Lingua*, ejuſque *flagellatio*, ad quam, ex conjectura, ſequens quoque membrum refero. בשוט לשון *In flagello Linguæ*, pleriſque valet, *Quum erit flagellum Linguæ*. Cl. *Cocc.* aliquid in eo incommodi ſentiens ſupplet בשוטט שוט *in Vagando flagello*. Aliis commodius viſum *a flagello*, quaſi משוט. Sed optime *Schmidius*, forma *infin.* *Quum divagabitur Lingua*; niſi quod retinenda ſit *Origo impetus flagello impulſi*, de qua ad *Cap.* 1: 6. Pulcherrima enimvero Imago, *Lingua flagellata*, ut ſic dicam, *& flagellans*. Nimis anxius eſt *Schmidius*, quum pro *Lingua*, ſubſtituit ipſum *Calumniatorem*, qui rectius dicatur *Vagari*, quam *Lingua*. Nil vitii habet לשון pro איש לשון, ſed hac in ſede minueretur gratia, & vis, non augeretur. Lucem feret *Pſ.* 73: 10. *Ponunt os ſuum in Cœlis*, *& Lingua eorum graſſatur in terra.* Agitur de *ſuperbis oppreſſoribus*, iiſdemque *accuſatoribus innocentium*. Heic loci intelligerem quoque *graviores* illas *calumnias*, *accuſationes*, ac *condemnationes*, quibus *improbi potentes* periculum creant tenuioribus; eorumque *famam* non tantum, ſed & *fortunas*, ac *vitam*, deſtruunt. Hoc *Pſ.* 31: 22. eleganter vocatur ריב לשונות *Terror concutiens Linguarum*; unde ſimul perſpicies, quanta ſit amplitudo verbi תחבא *Occultaberis*, & *tanquam in latibulo tutus ſedebis*; quum ibi plenius ponatur *abſcondis eos in tentorio a terrore concutiente Linguarum.* Clar. *Clericus* de ſola *calumnia* cogitans, *hac illac ſparſa*, eamque minus quadrare ſentiens, ſuſpicionem movit mendi, & pro לשון *Lingua*, mallet vocabulum, quod *Latronem* ſignificare poſſet, ut שודד, vel ſimile quid. Adſpectus quem dedi omnem ſcrupulum circa lectionem eximit.

Ibid. Negotium creavit alterum colon; ejuſque שוד, quod verti ſolet *vaſtatio*. Id quomodo a שד *Vſ.* ſeq. ſit diſtinguendum, non ſatis liquet. Cl. *Cocc.* prius exponit de *vaſtitate veniente*, poſterius de *extante cum ſuo effectu*, nempe *fame*. Non minus ſubtilis diſtinctio *Merceri*, שוד eſſe *calamitatem publicam* a Deo *immiſſam domi*: שד *ab hoſte populante inductam extrinſecus*. Utrumque a *Schmidio* revocatur ad *devaſtationem* per *tempeſtates & grandines*. Id parum plauſibile. Si שוד hic ſecundariam vim *vaſtationis* obtineret, exiſtimarem non nimis ſolicite eſſe reſtringendum, quod ſua natura latiſſime patet, & *populationes*, *prædationes*, *calamitoſas tempeſtates*, *terræ motus*, *ruinas*, *incendia*, *mala omnia vaſtitatem inducentia* amplectitur. In eo acquieſcere poſſum. Non poſſum tamen, quin ſuſpicionem exponam, quæ mihi inceſſit, שוד eleganti *paronomaſia* reſonans ad שוט, ei etiam reſpondere ſignificatione *incurſationis vehementis*. Id *Arabibus* eſt شد שדד, atque inde *vaſtatio* ſubnata. Sic *Lingua ſæva* pingeretur *ſuo flagello degraſſans*, atque longe lateque omnia *incurſans*, ac *populabunda perſultans*.

Vſ. 22.

Vſ. 22. Quartum in catalogo meo malum eſt שד וכפן. Hærent interpretes, nec expediunt ſatis differentiam a שוד *Vſ.* præc. & a רעב *Vſ.* 20. De שד nonnulla jam vidimus, non adeo firma. Tutius & firmius videtur, quod olim protuli de uſu ſpeciali *Arabum* in ſua شدة, qua exprimunt *inopiam* & *egeſtatem ultimam*, ſolenni formula jungentes شدة وجوع *inopiam & famem.* Eſt etiam phraſis pertrita اشتد الزمان *grave incubuit tempus*; pro *inopia & inedia laboratum eſt.* Eam vim exerit שד *Hoſ.* 9: 6. & *Eſaj.* 51: 19. Duo paria malorum proponuntur, disjunctim ad majorem elegantiam enumerata, cohærent quippe שד ורעב *vaſtatio & fames*; itemque שבר וחרב *confractio & gladius.* Aliter tamen Clar. *Vitringa*, cujus tum judicio, tum auctoritati, lubens conceſſerim. Quicquid ſit, שד *vaſtitas*, heic loci arctiorem ſaltem nexum habet cum כפן *fame*, inferens, ut putem, *res adflictas, anguſtas, ad extremam miſeriam, inopiam, inediam, redactas*, quam amplitudinem شدة admittit. Porro quid כפן *Fames* proprie valcat minus liquidum. Bis tantum legitur, & quidem in noſtro ſolum Libro. *Chaldaica Dialectus* כַּפְנָא & כְּפַן frequentat pro *penuria*, & *eſurie*; ipſumque thema כפן *eſurivit.* Eadem vis apud *Syros.* Vide modo *Matt.* 4: 2. Mitto *Samaritanos.* Hinc notio *Famis* ſatis fundata; quamvis *Ab. Eſra* ex *Eſech* 17: 9. verti poſſe dicat אספה *collectionem*; atque inde etiam *Kimchius* pater *penuriam nummorum* exſculpſerit, ob quam quis *frumentum* ſibi *comparare* nequeat. Aliis *Rabbinis* viſum כפן & רעב ſic differre, ut רעב ſignet *Famem ex defectu annonæ*, & *ſterilitate oriundam:* כפן vero *caritatem annonæ* a frumentariis flagellatæ, *in horrea ſua eam colligentibus, & ſupprimentibus.* Id comprobat *Coccejus*; improbat *Mercerus*, *graviorem* adhuc *famem* indicari putans quam in רעב. Omnes rejicit *Schmidius*, nihil hic novi agnoſcens, & *vaſtationem per grandinem*, quam ſequatur *fames*, duabus his vocibus expreſſam autumans. Haud perſuadet. Aliquid lucis huic contextui adfulget ex *Cap.* 30: 3. בחסר ובכפן גלמוד *Defectu & eſuritione dura ſilex &c.* Colligas hinc רעב eſſe *famem publicam*; כפן *famem privatam, eſuritionem, extremam penuriam*; quam & *Arabes* conſervarunt in مكفن מכפן *part.* 4. *conj.* apud *Golium*, *ſale*, *lacte*, & *obſonio carens.* In *Camuſo* extat طعام كفن لا ملح فيه وهم مكفنون ليس ملح ولا لبن ولا ادم *cibus* כפן *eſt ſale nullo conditus*, & *in part.* 4. *dicitur* הם מכפנין, i. e. *ſale, lacte, obſonio, condimentove omni carent.* Ultima vox complectitur quicquid *pani* additur, ut *butyrum, mel, fructus, carnes, piſces, omne edulium.* Tanta *egeſtas* depingitur nobis *Cap.* 30. eaque per כפן in *Vſ.* 3. conſignatur. Hæc unde aſſumta ſit ſub *Radicem* כפן كفن, altioris eſt, & longioris, indaginis, quum *Arabia* plures adhuc, eoſque diverſiores, ſignificatus exhibeat; ut *Coxit panem* ſub cineribus. *Ferali amiculo involvit* mortuum. *Nevit* lanam. &c. Concludo hic agi de *egeſtate*, & *eſuritione ultima*, ad quam non deventuri eſſent unquam; qui *ſpes opeſque* ſuas in Deum *bona fide* repoſuiſſent; ſecundum illud *Pſalm.* 37: 24.

Ibid. Grandi figura dictum *Ridebis adverſam fortunam & eſuritionem*, pro *ſecurus ea mala contemnes*, nunquam ab iis *circumveniendus*, aut *opprimendus.* Aliorum *fortunæ retro ſublapſæ, ad ſummam recident inopiam*; *tuæ* vero *conſtanter augeſcent, & florebunt.* Non abſimile eſt *Hab.* 1: 10. *Ridet omne munimentum*; h. e. *ſpernit ſecurus munitiſſimas arces, iiſque*, tanquam Victor, *illudit*: in quem ſenſum additur, *Colligit pulverem, & capit eas.* Hoc eſt

Erigit undantem glomerato pulvere nubem

atque ſic *primo impetu quicquid eſt munimentorum, & arcium, ſubjugat.* Lentum nimis eſt, quod *Colligere pulverem* explicent de *aggere jacto,*

23 Quin cum lapidibus agri fœdus tuum: & fera agri pacabitur tibi.

24 Et

23 כי עם־אבני השדה בריתך וחית השדה השלמה־לך:

24 וידעת

jacto, & *circumvallationibus*. An & iſto adſpectu voluit *Eliphazus*? *Victor illudes & inſultabis Eſuritioni*, *Egeſtati*, *omnique adverſæ & anguſtæ fortunæ*, *alios adflicturæ*. Conferas *Job.* 39: 22. & 41: 20. ubi eandem emphaſin facile agnoſces. Nimis ſubtilia ſunt, quæ Cl. *Cocc.* de *Antichriſto* & *Eccleſia* hic meditabatur: ſed non merebatur ejus verſio propterea rideri, quæ eſt, *Riſeris annonæ caritati.* Etiamſi enim, ut *Schmidius* fecit, urgeas *præſentis* vim, ſemel a *Coccejo* aſſumtam, *Rides*, appliceſque ad *Jobum*, *in cinere lamentantem*, neutiquam erit *ridicula oratio*, quæ id quod *futurum* adfirmatur, ad majorem certitudinem in *præſenti* enunciat. Rectius tamen *Futurum* tenetur.

Ibid. Quintum locum occupat *fera terræ* חית הארץ, quam a חית השדה *fera agri* diſtingui poſſe, quin &, in tanta vicinia, debere, exiſtimarem. Nempe alterutrum ſpecialius videtur denotare *ſerpentes*, omnemque illam venenatorum animalium turbam, quæ *proſerpentium beſtiarum* nomine cenſetur. Apud *Arabes* frequens ea notio, in حيّ חי & حيّة חיה *ſerpens mas* & *femina*, plane ut *Græcis* θηρίον *venenatam beſtiam* peculiariter notat; unde θηριακὰ φάρμακα nomen invenerunt. In *Hieroz. part.* 2. *p.* 371. reperies quæ huc faciunt; quibus adde ارض محياة ארץ מחיה *terra ſerpentibus abundans*, θηριοτρόφος. حيّوي *ſerpentinus.* حيّوت *ſerpens mas.* Conſonat uſus *Chaldæorum* & *Syrorum*, quibus *ſerpens* eſt חויא, ejuſdem *Originis* cum חיוא *fera beſtia*; nam *Radices* חיה ſeu חיו, & חוה ſeu חוי, non plus differunt quam הוה & היה. Dubitari utique nequit, quin *Hebræi* ſub חית הארץ complexi quoque fuerint *ſerpentes*, ſed an ſpeciatim θηρίον pro *ſerpente* uſurparint, ambigi poſſet, niſi hic locus iſtam reſtrictionem poſtularet. Ceterum אל תירא *ne timeas*, venuſte poſitum pro *cave timeas*, multo plus ſonans quam לא תירא *non timebis*, eſt enim *prohibentis*, & *increpantis* quaſi, ne ſuam *dignitatem* ac *majeſtatem minuat* veluti, eos *timendo*, quos ut Dominus *pede* ſuo *calcare* poſſit illæſus, ſecundum illud *Pſalm.* 91. *ſuper Leonem ſævum & aſpidem calcabis: conculcabis leunculum & draconem.* Habes & ibi utrumque genus ferarum formidoloſiſſimarum, quæ *Semini promiſſo* nullam noxam ferre queant. *Eliphazus* ex priſca *Catecheſi* ſimile quid hauſerat, atque magnificis promiſſionibus hiſce, ad veræ virtutis & Religionis cultores directis, intexendum putavit.

V. 23. Magnopere ſudatum in hoc *Vſ.* ac præſertim in *Lapidibus agri*, quibuſcum *fœdus* ſit *futurum.* Hoc ſextum in Catalogo noſtro malum. Octo, novem, diverſos conatus exhibet *Doct. de Pineda*, qui ad duo maxime inclinat. Primum eſt, alludi ad *Lapides terminales*; ut promittatur *Terminum* nunquam fore *refigendum*. Id *Bolducius* tanquam ſuum adoptavit, taxans alteram ejuſdem conjecturam, ne hanc ei ſublegiſſe crederetur. Secundo nempe opinatur, reſpici ad *Scopeliſmum*, quem in *Arabia* obtinuiſſe memorat *Ulpianus*. *Solebant inimici alicujus prædium ejus σκοπελίζειν, id eſt, Lapides ponere, indicio futuros, quod ſi quis illum agrum coluiſſet, malo leto eſſet periturus inſidiis eorum qui iſtos ſcopulos poſuiſſent. &c. &c. &c.* Accedit ex parte *Coccejus*; & non abſimilem ritum profert ex 2 *Reg.* 3: 19, 25. unde liquet, morem tenuiſſe, *ut hoſtium agros lapidibus injectis corrumperent.* Hæc adblandiri poſſe non negem; ſed accuratius expenſa minus placent; quod hi *Caſus* ſint *rari* & *ſingulares*, vix quadrantes ad *benedictionem* hanc *generalem* pios omnes proſecuturam. Magis rideret hæc *Cocceji* meditatio, *Saxa & ſcrupi molles tibi ſunt*, *non offendis in illis pedem.* Argutius eſt, quod additur, *Nulla loca ſaxoſa*, *& horrida*, *tibi ſunt infeſta*, *quæ vel latrones inſideant*, *vel in quibus feræ ſtabulari ſoleant.*

24 וידעת כי־שלום אהלך ופקדת נוד ולא תחטא :

24 Et experieris pacem eſſe tentorium tuum: luſtrabiſque amoenam manſionem tuam, nec votis fruſtrabere.

25 וידעת

25 Et

leant. Melius aliquid daturus *Schmidius*, turbas dedit, contendens non *novum* hic *malum* proponi, ſed rationem reddi eorum, quæ *Vſ.* 22. dicta erant. Intellexerat autem ibi, in priore membro, *vaſtationem & famem ex grandine ortam*, ad quam confirmandam nunc ex *Lapidibus agri* mirifice *grandinem* exſculpit, *agris infeſtam.* Hæc parum judicioſa; nec ullo Linguæ fundamento nixa. Cl. *Cler.* refert ad *Fundum lapidoſum unde ad Jobum uber proventus ſit redundaturus.* Hanc ſententiam ſub *Thomæ* auctoritate ſeptimo loco expoſuit *de Pineda*, qui promitti cenſuit *uberrimos fructus etiam ex ſterili, ſalebroſo, & lapidoſo agro colligi, Deo benedicente. &c. &c.* Iſti explicationi plurimum defero; præferrem tamen ſimpliciſſimam illam *Merceri* aliorumque, *videberis fœdus cum lapidibus camporum percuſſiſſe, ne tibi noceant, ad eoſve pedem offendas, ut eſt in Pſ.* 91. quem ſimiles ferme promiſſiones continere idem *Vir Doctiſſ.* ſubmonuit. Argutatur Cl. *Schmidius*, quum rogat, *Quare lapides, ad quos impingitur, dicerentur lapides agri? nonne in viis potius ſunt? Hoc debuiſſent obſervare qui ad hunc Pſalmum provocant.* Non debuiſſent profecto, nam fuiſſet minuta & anxia nimis obſervatio, quum etiam in *Pſalmo* illo *omnes* omnino *Lapides* intelligantur, atque *in viis tuis*, ſit improprie poſitum; alias argumentum *tentatoris* parum valuiſſet *Matth.* 4. Anguſtum hic fuiſſet *Lapides viæ.* Auguſtum eſt, *Lapides agri, terræ univerſæ.* Tam late patere *Agrum*, vel ex חית השדה, *fera agri*, quæ alias חית כל הארץ, percipere potuiſſet *vir Doctus*, niſi *grando*, quam ſub *Lapidibus agri* conceperat, ad *ſata* & *arva* mentem ejus traxiſſet. *Lapides agri* ergo ſunt *ſaxa majora, minora, ſcopuli, ſcrupuli*, quicquid tandem nominari poſſit *durum*, & *lapideum*, unde homini *offenſio, noxa, incommodum, periculum*, creari queat, ubicumque locorum. Cum iis *fœdus*, & *ſolenne pactum* quaſi *feriiſſe* dicuntur illi, qui *Deo ſe totos tradiderunt*, quatenus omnes creaturæ *pacatæ* & *ſubjectæ* ſunt iis, qui ſe Deo *ſubjecerunt*, in ejuſque familiam ſunt adſcripti. Par ſane eſt ut *Terra*, ejuſque *plenitudo*, & vel *Lapides* quoque, *Filios Dei* revereantur, atque Sacroſancto fœdere ſeſe devinctos ſentiant, ad obſequia *Hæredibus futuris Terræ* præſtanda. Obſervetur & hic *Eliphazum*, ad *doctrinam de piorum felicitate ex veterum Catecheſi hauſtam*, in his phraſibus ubique alluſiſſe, quemadmodum & ea, quæ *de impiorum infelicitate diſſeruerat*, indidem expromſiſſe videtur. Eum *tempora Dei* in hiſce haud ſatis prudenter diſtinxiſſe liquido apparet.

Ibid. Cumulum ſeptimo loco imponit *pacatio omnium ferarum*, earumque *ſubjugatio.* Grande quid continetur in verbo השלמה, quod non eſt *pacifica erit tibi*; non etiam *colet pacem tibi*; ſed *jure deditionis obnoxia tibi erit, & ſerviet pacata.* Sic *Arabes* اسلم השלים frequentant pro *ſe dedidit ſubmiſitque imperio.* Eundem uſum inter *Hebræos* viguiſſe, patet ex *Joſ.* 10: 1,4. & 11: 19. ubi eſt *in deditionem venire.* Item 2 *Sam.* 10: 19. 1 *Chron.* 19: 19. *pacificationem* notat cum *deditione*, & *ſervitute* conjunctam. In *Proverbiis Cap.* 16: 7. eſt, *Quum Viæ alicujus placent Domino, etiam inimicos ejus* ישלים אתו *faciet pacem petere cum ipſo*; ac quaſi *in deditionem ei venire.* Sic uberior naſcitur ſenſus, nempe qui omnibus modis *oppugnabant*, ultro *pacem ambient*, ſeque *victos fatebuntur.* Ad eam rationem & heic loci, *Fera terræ* te oppugnans, atque hoſtiliter tibi imminens, *deditia* quaſi *tua evadet*; atque *Majeſtatem tuam vereri cogetur.* Hanc amplitudinem noſtro השלמה tribuendam cenſerem. Elegantior uſus *Latinorum* ſimiliter *pacari* exhibet pro *ſubigi*, & quidem ita ut rebellari non poſſit. Sic *Sen. Suaſ.* 1. *Orbis victus adhuc magis, quam pacatus. Cic.* de *prov. Conſ. Macedonia munita imperatorum non turribus ſed tropæis; & multis victoriis jam diu trium-*

25 Et cognoſces denſum eſſe ſemen tuum: & ſuboles tuas, ut herbam virentem agri eſſe.

26 In-

25 וידעת כי־רב זרעך וצאצאיך כעשב הארץ׃

26 תבוא

triumphiſque pacata. In eadem *Orat. cap.* 12. invenias *gentes* omnes *ſubactas*, *domitas*, *pacatas* ab Imperio Romano; *ſic ut etiam Victoriis ejus lætentur.* Hæc gradatio *Emphaſin* iſtius uſus adhuc clariore in die exponit.

Verſ. 24. Depulſioni & averruncationi malorum cumulatiſſima adjungitur felicitas, & rerum ſuper vota fluentium poſſeſſio ac fruitio perennatura. ידעת *cognoſces* hic valet *experieris*, *experimento perſentiſces.* Tritiſſimum verbum ידע poſt *comminationes*, itemque *promiſſiones*, experimento *comprobatas.* Poſteriorem hunc uſum dabit *Zach.* 4: 9. & 1 *Reg.* 20: 13. שלום *pax*, *ſalus*, *omnibus numeris completa felicitas*, eſt *abſtractum* pro *concreto*; ut *Benedictio*, *Gen.* 12: 2. *&c. &c.* Eadem formula recurret infra *Cap.* 21: 9. בתיהם שלום מפחד *Domus eorum pax*, *citra terrorem.* Venuſtate inſigni dicitur porro *viſitabis manſionem tuam*, pro *inſpicies*, & *ſingulas partes enumerabis* ac *percenſebis*, cuncta *obeundo*, ac *luſtrando.* Ad amplitudinem poſſeſſionum id pertinet. In noviſſimo ולא תחטא ferri non poteſt *conditio*, *ſi non peccabis*, nec poſitio, *Et non peccabis*; ſed *recte ages*, *ſcies Domum tuæ bene præ eſſe.* Ne *monitio* quidem quadrat, *Et ne pecces*; *cave pecces* in poſterum. Languet quoque *Schmidii* illud, *Et non eris peccator*: deprehendes te non ut *peccatorem* tractari a Deo, quem maledictio ſequatur, ſed ut *Amico* Dei largiſſime tibi benedicetur. Placet tamen λιτότης, quam hæc explicatio ſupponit. Non procul abit Cl. *Cler.* dans, *Neque peccati pœnas lues.* Ab alia notione verbi חטא, quæ & primaria, *erravit*, *aberravit a ſcopo*, tentarunt Alii, *non patieris damnum*; *non fruſtra eris.* Malebat *Codurcus*, *non eris erro* & *palabundus*, ſed *fixas ſedes habebis.* Id inconcinnum. Concinnius *Non fruſtraberis*, quod Cl. *de Dieu* dedit; quamvis languidiuſcule explicuerit. Plenius *Coccejus*, *Non aberrabis a ſcopo & fine deſiderii tui.* Huic ſenſui primas tribuo, nixus certiſſima *Origine* thematis, & ſimili uſu *Arabum*, ſub صواب *tactio ſcopi*, & خطاء *aberratio a ſcopo.* Prius infert cum *virtute* omnem *felicitatem.* Poſterius cum *crimine* & *peccato*, omnem *infelicitatem*, *malamque fortunam.* Hæ notiones pro circumſtantiis vel ſtrictius, vel laxius, ſeſe exerunt, ita ut خطاء nunc ſignet *peccatum*, *errorem*, *hallucinationem*; nunc *infelicitatem*, atque *infortunium*, quum quis *ſcopum*, quem *ferire* ſperabat, non *attingit*, ſed *fruſtra eſt.* Hinc לא תחטא rectiſſime verti poſſe videtur, *ſemper & ubique feliciſſimus eris*; per λιτότητα, qua *non excides ſcopo*, valet *ſcopum perpetuo tanges*, atque nulla in re *fruſtra eris.*

Vſ. 25. Hæc *felicitas* perennatura uſque & uſque, neque reliquo vitæ ſpatio interturbanda, *numeroſa filiorum* ac *nepotum creſceret ſobole.* In verbis nulla difficultas. רבב in *Origine* ſonat *denſum*, aut *ſpiſſum*; unde ad *multitudinem* pronus tranſitus. צאצאים proprie ſunt *germina micantia*, *emicantia*, a צוא, idem, cum יצא *micuit.* Sic وضا & ضاء apud *Arabes* deſignant *nitorem micantem.* Eodem tendit comparatio adjecta *ſicut gramen terræ.* עשב عشب eſt *herba viridis.* Radix in *Bibliis* non occurrens, lætum & latum tenet campum in *Arabia.* Diſcas ex *Camuſo.*

العشب الكلاء الرطب وارض عاشبة وعشبة وعشيبة بينة العشابة كثيرة العشب وارض معشاب وارضون معاشيب والتعاشيب القطع المتفرقة منه واعشبت الارض نبتته كعشّبت واعشوشبت القوم اصابوا عشبا

26 תבוא בכלח אלי־קבר כעלות גריש בעתו :

26 Intrabis in decrepita ſenectute ad tumulum: prout conſurgit acervus frugum in ſuo tempore.

27 הנה־זאת

27 Ecce

عشبا وتعشبت الابل رعته وسمنت كاعشبت وعشب يبس وعبال عشب لبس فيهم صغير

Vox עשב *notat herbam viridem, unde dicitur* ארץ עושבת, & עשבת, & עשיבה, *form. part. Terra habens* עשובה *herboſitatem, & gramine viridi abundans. Eadem* מעשוב *vocatur, in plur. fr.* מעאשיב. *At* תעאשיב *ſunt herboſiores terræ ſparſim ſitæ. In* 4. *conj.* ארץ אעשבת *& in* 2. עשבת, *eſt, herbam, pabulumve viride produxit. Et in* 12. אעשושב *potitus eſt pabulo viridi. Item in* 5. תעשב *Cameli viridi pabulo paſti fuere & pingues evaſerunt. Eadem vis in* 4. *obtinet. In* 1. *conj.* עָשֵׁב *valet, exaruit. Formula,* עיאל עָשֵׁב *Familia gramen virens, uſurpatur, quum nullus in ea parvus.* In *Gjauhario* ſcribitur عَشَبٌ עָשֵׁב, quod Cl *Golius* exponit *Adultos, inter quos nullus parvus.* Mihi videtur, صغير *parvus*, non tam *ætatem*, quam *conditionem fortunæ* ſpectare; ut ſit *nullus deſpectus*; *vilis*. Forte utrumque intenditur. Hinc non tantum Radicem univerſam, ſed & *lætam figuram* illuſtrari cernis, qua *herbæ virenti* comparatur *numeroſa proles, fortunarum ſplendore emicatura* quaſi, & *late terram impletura.* Conferri velim *Pſ.* 72: 16. יציצו כעשב הארץ *Efflореſcent ſicut herba viridis terræ.* Similiter *vernans* quædam ac *lætiſſima fortunarum ſpecies* hoc *Emblemate* expingitur *Pſ.* 92: 9. & *Eſaj.* 42: 15. Alibi contra עשב non *floridam*, ſed *evanidam* & cito *defloreſcentem* adfert *ſpeciem*, ut *Pſ.* 102: 5. *Ictum eſt* כעשב *ut herba, & exaruit, cor meum.* Et *Vſ.* 12. *Ego ut herba exareſco*, איבש. Hac anſa crediderim عَشِبَ עָשֵׁב, pro يَبِسَ יָבֵשׁ *exaruit* uſitari cœpiſſe, quaſi dicas *herbaceus fuit.* Non abſimile deprehendas in χλωρὸς, quod & *virentem inſtar herbæ vernantis*, deſignat, & *pallidum inſtar herbæ areſcentis.*

Vſ. 26. Felix vita ſenectute ad ultimum maturitatis provecta, & jam ſponte mortis falcem invitanti, terminatur; atque ſpecioſiſſimo tumulo honoratur. Multum negotii faceſſivit rarius כלח, quod infra *Cap.* 30: 2. recurrit, nuſpiam alibi inveniundum. LXX. ſolute admodum ἐλεύσῃ δὲ ἐν τάφῳ ὥσπερ σῖτος ὥριμος κατὰ καιρὸν θεριζόμενος. Preſſius *Vulgatus*, *in abundantia.* Apparet utcumque aliquid exſculptum, quod quadrare poſſet. Eodem fundamento *Syrus* & *Arabs*, *in quiete.* Nec aliud habuit *Chaldæus*, quod ſequi potuerit in בשלימות שניך *completis annis tuis.* Per *Gematriam* exſculpſere *Thalmudici ætatem* 60 *annorum*, quod בכלח *numerali* literarum *poteſtate* tantum efficiat. Prudentius alii *ſenium*, & quidem *gravius* ac *provectius*, aſſumſere, ipſis *Rabbinis* fatentibus, ſignificationem ex conjectura tantum conſtitui poſſe. *R. Salom.* ut perpetua foret allegoria, ſatis judicioſe conjecit *maturitatem ſummam* deſignari, quum *fruges* ſunt *percoctæ.* Quam vellem *aliquid fundi* ſubeſſet huic notioni; cui præ reliquis omnibus lauream deferrem, ſi æque quadraret *Cap.* 30: 2. quam heic loci. Cl. *Coccejus* adoptavit poſt *Nachmanidem* vim *ſenectutis vegetæ ac robuſtæ*; quaſi כֶּלַח conflatum eſſet ex לח *vegetus*, & כ *ſimilitudinis.* Adblandiebatur haud injucunda imago, ex *Deut.* 34: 7. לא נס לחה *Non fugerat Viror & Vigor ejus vegetus.* Precarium tamen, quin *Analogiæ* contrarium, nemo negaverit. *Maturam ætatem* ex ſenſu adſcivit Cl. *Cler.* præfatus in *Dialectis* nihil eſſe, unde de ejus propria ſignificatio-

tio-

tione conjicere liceat. Atqui *conjectum* fuit a Viris Doctis, quamvis forte nihil *effectum*. Ex *Æthiopum* uſu adduxit Cl. *de Dieu* כלח *clamavit*; indeque tentat, *ingredieris cum clamore in ſepulcrum*, i. e. *cum acclamatione & plauſu*; in quam mentem ex ſeq. membro addit, *magnas fieri ſolere acclamationes, quum acervi frugum convehuntur in borrea*. Id longius petitum: nec reſpondens *cap*. 30: 2. quamvis & ibi tentarit Vir Doctus, *ſuper eos periiſſet clamor*, *fruſtra eos inclamaſſem*. Hoc parum gratiæ ibi adfert. Ex *Syriaca Dialecto* produxit *Caſtellus* in *Lex*. כלח pro *integritate*, *ſanitate*; unde heic loci eſſet, *Venies in Sanitate ad ſepulcrum*; *morieris ſine cruciatu* & *dolore*. *εὐθανασία tibi continget*. Magis tamen inclinaſſe videtur idem Vir *Doctiſſ*. in notionem *Arabicam* تكالح *ſubriſit*; unde foret, *venies cum hilaritate ad ſepulchrum*. Hoc & *cap*. 30: 2. ſic aptat, ut *homines moroſiſſimi*, *quibus riſus periit*, dicantur *Jobum irriſiſſe*. Neutrum quadrat, ſenſumve explet. *Hotting*. in *Smegm. Orient*. aliter calculos poſuit, obſervans كلح כלח *Arabice eſſe auſtero fuit vultu, rinxit*, & كلحة כלחה *Rictum*. Id commodiſſimum cenſet *Job*. 30: 2. At in noſtro textu *ſterilitatem* aſſumit, itidem ex *Arabia*. Idem tamen in *Theſ. Philol*. p. 502. *Senium* confirmatum iverat ex كلح *tetrico vultu fuit*, quod *Senes cano ſint capite*, *& arata rugis fronte &c*. Huc conceſſerunt *Doct. Hinkelm*. in *Præf. Alcor*. *Cromaj. Stock*. ſtatum *Silicernii*, & *decrepitæ ſenectutis* hac voce ſignari judicantes. Sic revoluti ſumus ad ſignificationem, quam ſeries utrobique ſuggeſſerat *Rabbinis* pleriſque, quamque Noſtrorum plurimi comprobaverant. De his ut accuratius judicium ferri queat, fontes *Arabum* aperiam, ex *Camuſo*. كلح كلوحا وكلاحا بضمهما تكشر في عبوس كتكلح واكلح وما اقبح كلحته محركة اي فمه وحواليه وكلاب وقطام السنة المجدبة والكولح القبيح وتكلح تبسم والبرق تتابع ودهر كالح شديد Radix כלח, *cum inf*. כלוח & כלאח, *dammata prim. rad. eſt ſtrinxit dentes cum auſteritate vultus. Idem in* 5. תכלח, & אכלח *in* 4. *Dicitur etiam*, *O quam turpis ei ſtrictio dentium*, *de ore & quicquid circumſitum eſt. Formæ Chulahh & Chilahh notant ſterilem annum. Chaulechh* כֹּוְלַח *denotat turpi ore præditum. in* 5. תכלח *etiam eſt ſuaviter riſit*, (ſive *renidit*) & תכלח אלברק *eſt indeſinenter refulſit Fulmen. Denique tempus* כולח *vocatur durum*, *adverſumque*. Ex hiſce evidentiſſima poteſtas *deſtringendi dentes*, ſive in bonum, ut ſit *renidere*, quod eleganter ad *fulmen* traductum quoque: ſive in malum, ut ſit *auſtero vultu ringere*; ſive medio uſu, ut ſit *quovis modo rictum diducere*, *& diſtringere*, *nudatis dentibus*. Inſigni *metaph*. inde *Annus* كالح *dentes ſtringens*, eſt *adverſus* & *ſterilis*; unde Clar. *Hotting*. hic כלח *ſterilitatem*, *tempus adverſum* & *ſterile* eliciebat. A *renidendo* Cl. *Caſtel*. aſſumpſerat *hilaritatem*. A *reſtricto ore*, *& renudatis*, *cum caperato vultu*, *dentibus*, alii, *decrepitam ſenectutem*. Horum uſuum exempla ad *Cap*. 30. promam, ut tanto melius dijudicari queat, eorumne aliquis, & quiſnam præcipue, iſti contextui conveniat, Heic loci *Decrepitam Senectutem* reliquis præfero quidem, ſed tamen in ea acquieſcere vix poſſum, niſi ſimul aſſumatur poteſtas *Hyemis*, & *frigoris hyemalis*, quam כלח æque ac *ſenium* induere poſſe videtur. Nempe כולח كالح eſt *Epitheton* quod *Hyemi* ac *Frigori* aptat ſublimior *Arabum* ſtylus, quaſi dicas *reſtricto dente*, & *rugoſo* ac *caperato vultu*, *infeſtum tempus*. Sic *Haririus conſ*. 25. *Narravit Harithus Hemmamides* شتوت بالكرج فبلوت من شتايها الكالح وصرها النافح ما عرفني جهد البلاء وعكف بي علي الاصطلاء *Hyemavi in Curgiana*, *atque ex ejus* שתו אלכולח *hyeme ringente* (*dentes ſtringente*) *& frigore perurente*, *expertus ſum*, &

& perpeſſus, graviſſimam miſeriam; atque ad focum torreri ſum coactus. Similiter in Hiſt. Tam. p. 311, 312. ſæviſſima hyems deſcribitur, cujus برد اصبح كالحا *Frigus* dicitur *evaſiſſe Ringens*. Hinc jam grandior exiſteret figura, qua כלח deſignaret *Hyemem Ringentem Vitæ humanæ*, id eſt, *decrepitam & ad extremum uſque ſenectutis eductam ætatem*; quum jam vel *Capitis nives*, vel potius *Calvitium*, *Defluviumque capillorum*, ut & *dentium*, quin imo *Oris corrugatio*, & *contractio deformior*, hominem arguunt *ſepulcro* plus quam *maturum*, quem citra longiorem moram, qua ſibi aliiſque gravis evaderet, *falce mortis demeti*, atque *in horreum* quaſi *convehi*, ipſa Natura rerum flagitet. Hanc *Hyemis ringentis* vim infra quoque commodiſſimam eſſe oſtendam. De cetero non eſt quod moneam, nedum probem, *Ver*, *æſtatem*, *autumnum*, *hyemem*, ad Vitam humanam transferri. Illud tantum uno verbo diſtinctius addam, כלח noſtrum ſic formare pulcherrimum *ex Ancipiti* luſum, quo cum *Hyeme ringente ætatis*, etiam *oris* jam *ſenio ringentis*, & *reſtricti*, adſpectus præbetur, *ſepulcrum*, ut ita dicam, ipſo illo habitu *anhelantis*.

Ibid. Videor inveniſſe, quo *Allegoria* venuſtiſſime queat pertexi. Hanc ut completiorem exhibeam, ſingulis verbis inſiſtendum. Ac primo quidem obſervo בוא *intrare*, eſſe verbum *Rei Ruſticæ* dicatum, nam תבואה eſt *proventus agri*, qui dicitur בוא, quum *ex Agro comportatur in horreum*. Multa ſunt loca, quæ ex hoc ſpeciali uſu plus lucis & & gratiæ expectant; præſertim in *Proverbiis*. Huc alluſum, quum dicitur תבוא *intrabis domum* quaſi *illatus* ac *comportatus*. Secundo tenenda *Origo* vocabuli קבר, quæ eſt *Tumulus*, *acervus*, nam Radix in *Dialecto Syriaca* frequens pro *acervare. Tumulare. In cumulum congerere.* Vides quid invitare potuerit comparationem cum גדיש, quod *Cocc.* in *Comm.* reddit *Manipulum*, melius in *Lexico*, *Metam frumenti*, eſt enim proprie *part. Pahyl*, a גדש deperdito, at inter *Arabes* conſervato ſub كدس *accumulavit*; ג in כ trajecto, cujus mutationis exemplum dat كبريت *ſulfur*, pro גפרית, aliaque in *Obſ.* ad h. l. primis; & in *Clav.* p. 201. adducta. Ibidem ſubmonui pro كَدِيس *Arabes*, *forma ſegolata Hebræorum*, frequentare كُدْس *Acervus non excuſſæ meſſis*; qui & كُدَّاس, cum *plur. fracto* كداديس; pro quibus omnibus etiam جُدْس &c. &c. ſcribi poſſe patet ex اجداس pro اكداس *Acervi* in *Pent. Erpen. Gen.* 31:46. & *Exod.* 8:10. Qui ex *Lexicis* ſapiunt, colligerent كديس, ibi non comparens, fruſtra a me confingi; ſed vindicat hanc *formam particip.* interpres *Arabicus*, bono conſilio גדיש noſtrum exprimens per كديس. Reliquas notiones hujus thematis, quin & جدش, ac جدس, ad concordiam revocabunt *Origines.* Infra *cap.* 21: 32. גדיש recurret pro *tumulo ſepulcri*, prout *Arabum* uſus latius quoque dimanat. In *Hiſt. Tamerl.* 237. اكداس الحجارة *acervos lapidum* reperias. In *Camuſo*, كُدَّاس ما كُدِسَ من الثلج *Cudas vocatur cumulus congeſtus nivis*; cujus *fæm.* كداسة *cudaſa*, ما يكدس بعضها علي بعض *omne quod in cumulum congeritur*, *aliud ſuper aliud.* Sentis quam exquiſite dictum ſit, בעלות גדיש בעתו *ut quum adſcendit cumulus* frugum demeſſarum *ſuo tempore.* Τὸ עלות pro *exciſione* & *demeſſione* ipſa, quam Plurimi volebant, nec Linguæ, nec Figuræ, ſatis congruum. *Illatio & comportatio in horreum*, quam cum *Aliis* ſecutus eſt *Coccejus*, egregie quadrat. Convenientius adhuc *adſcendere*, pro *ſurgere in cumulum*, & *coacervari*, quod & *Schmidio* placebat, male tamen huc revocanti אל תעלני Pſ.

X 2 Pſ.

27 Ecce hoc; inveſtigavimus illud: ſic ſeſe res habet. Audito illud, & tu tibi cognoſcito.

27 הנה־זאת חקרנוה כן־היא שמענה
ואתה דע לך :

Pſ. 102: 25. quum alia ibi ſit ratio; ſaltem ultra *collectionem* & *ablationem ex agro*, quam Cl. *Cocc.* dedit, procedi nequeat. Non abhorrere dixerim a ſtylo hujus Libri, ut utrumque ſimul complectamur, *inferri*, & *ſurgere in cumulum.* Ad ipſam ſimilitudinem quod attinet, eam docte illuſtravit *Coccejus* ex *Arrian. Epict.* 2: 6. Κατάρα ἐστιν ἐπὶ σταχύων τὸ μηδέποτε θερισθῆναι; καὶ ἐπ᾽ ἀνθρώπων τὸ μηδέποτε ἀποθανεῖν. Addo *figuram* καλάμης *culmi areſcentis*, traducti ad *corpus ſenile*, *Odyſſ.* 14. *vſ.* 214.

Ἀλλ᾽ ἔμπης καλάμην γέ σ᾽ ὀΐομαι εἰσορόωντα
Γινώσκειν — — —

Quam varie id explicitum ſit, diſcas ex *Heſychio* in voce καλάμη; nec non *Schol.* qui τὸ γῆρας, & πρεσβυτικὸν σῶμα recte interpretatur. Exiſtimem alluſum a *Poëta* ad *culmum jam maturum falci*; ut ſit *corpus ſenile morte meti deſiderans* aut *expectans.* Vicinum eſt, quod καλάμη etiam uſurpari amet pro *cadavere*, *falce belli demeſſo.* Sic *Iliad.* τ. *vſ.* 221.

Αἶψά τε φυλόπιδος πέλεται κόρος ἀνθρώποισιν,
Ἧστε πλείστην μὲν καλάμην χθονὶ χαλκὸς ἔχευεν,
Ἄμητος δ᾽ ὀλίγιστος. — —

Ubi *Scholiaſt*, iterum videndus. Conferatur & *Polyæn.* 6: 53. ubi oraculum jubet Ῥήσου καλάμην *Rheſi culmum terræ mandare.* Concinunt *Metaphoræ* notæ ſub Ἀμᾶν. θερίζειν. *Metere*, pro *Morte ſternere*, quas perſequi nil attinet.

Vſ. 27. Clauſula orationi ſubnectitur, reliquo corpori reſpondens, id eſt acris, & cenſoria. הנה זאת *Ecce hoc: en tibi deductum quid*; & ex ſolidiſſimis principiis Rationis ac Religionis *contextum.* Videtur *pronomen* illud ea Emphaſi hic poſitum, qua pollet ذات, quum *rem ipſam*, ejuſve *eſſentiam* deſignat. *Ecce rem & veritatem ipſam. Ecce quod res ipſa dici mereatur, quodque aliter nec eſt, nec eſſe poteſt.* Sequens חקרנוה ſejunctim ſtat; *perveſtigavimus illud*, *exploravimus*, *ſcrutati ſumus* & alia, quæ hic habent Viri Docti, bona ſunt; ſed *proprietatem* nec indicant, nec exprimunt. Cl. *Cocc.* circumſcribit potius, quam finit, per *rem integram in omnibus ſuis partibus inſpicere.* Definitius quid dare voluit Cl. *Guſſ.* ex ἄκρα, quod ſono affine, ut ſit ἀκριβοῦν. Acute profecto, ſed parum ſolide; niſi velimus *Avenarianos* luſus, & vitrea acumina, pro gemmis amplecti. Sed hæc *Originibus* reſervanda; ne in immenſum excreſcat commentarius. Mens *Eliphazi* eſt, ſe & *diligentiſſime veſtigata*, & *exactiſſime librata*, atque *examinata*, protuliſſe. Addit propterea כן היא *ita ſe res habet. Certum*, *firmumque eſt*, quicquid dixi, a nemine unquam convellendum. Ergo שמענה *Audi illud*; *Aure promta atque aperta admitte* dicta hæc; *altoque ea pectore demitte. Tu* inquam, qui tam elatos ſumſiſti ſpiritus, דע לך *cognoſce tibi*, quæ diſſerui; atque te pro meritis a Deo eſſe punitum, nunc tandem revictus agnoſce.

CA-

CAPUT SEXTUM.

Verſ. 1 וַיַּעַן אִיּוֹב וַיֹּאמַר׃

2 לוּ שָׁקוֹל יִשָּׁקֵל כַּעְשִׂי וְהַיָּתִי בְּמֹאזְנַיִם יִשְׂאוּ־יָחַד׃

3 כִּי

Verſ. 1 Reſpondit autem Jobus, ac dixit.

2 O ſi librando libraretur ægritudo mea! & vaſtum mœrorem meum in bilances tollerent ſimul!

3 Nam

Verſ. 1. Acerba *Eliphazi* oratione, in quam conſenſiſſe, ac conſpiraſſe, animadvertebat reliquos etiam Amicos, vehementer conturbatus *Jobus*, in novas quereias & expoſtulationes erumpit, atque præfocato velut gutturi laxamentum quærit, de immenſa gravitate miſeriarum ſuarum, de Amicorumque inconſiderato ac temerario adverſus ſe judicio, quin & affectu exulcerato, extincto, atque in odium converſo, deplorans; ſimulque oſtendens, ſe ſaltem hoc officii ab iis expectaſſe, & nunc ſuo jure exigere poſſe, ut depoſitis injuſtis ſuſpicionibus, ac criminationibus, juſtitiæ ac veritati locum concedant, & cauſam ſuam adverſus Deum denuo acturo, æquiores faciliores que aures commodent. Generalis hic conſpectus totius Capitis quomodo membratim digerendus veniat; filo rite evoluto ac deducto, ſponte in oculos incurret.

Verſ. 2. Acrem *Eliphazi* impetum ut retunderet, ac refutaret, *Jobus*, exorditur commodiſſime ab immenſa mole anxietatum, quibus obrutus & oppreſſus jacebat, ſine ulla reſpiratione. Nempe ſic inſinuatum ire voluit, nil mirum eſſe ſi pondere iſto eliſus quaſi, acerbiores voces rupiſſet: ſimulque *Eliphazum* atque *Amicos* tacite reprehendit, quod, ut ſolent ferme homines, Calamitatem alteri incumbentem elevarent, de eaque tenuiter ſentirent. Gravi & appoſita hanc in rem utitur imagine *Bilancium*, in quas *mala* ſua *univerſa* congeri optat, ut *accurato examine librentur*, ac *trutinentur*. לוּ *Utinam*, proprie *ſi*, ut لو, unde לוּלֵא *Niſi*. Rectiſſime id jam obſervatum a *Coccejo* in *Lex.* aliiſque: & confirmatur uſu *Græco* εἰ pro εἴθε; ut *Eurip. in Oreſt.* 1580. 1582. &c. כַּעְשִׂי nonnullis eſt *ira mea*, ſumta *paſſive*; *mihi incumbens*: aliis active, *mea indignatio* ob Calamitatem qua immerito adfligor. Hi ſubtilius *unam in lancem conjectam* vellent *indignationem Jobi*, *in alteram Miſerias intolerabiles*, ut ſic pateſceret *non excedere querelas magnitudinem malorum.* Hoc *Mercerus* merito improbavit, qui tamen pro *indignatione* melius dediſſet *ægrimonia mea*, ut *Coccejus*, vel potius auctiore ſignificatu *miſeria irritans*, *prægravans*, *& ægrimoniam* ac *indignationem vehementiſſimam ciens* ex alto cordis conturbati. Cum ea conjungitur הַיָּתִי. *Maſorethæ* ſubſtituere הַוָּתִי, ignoratione, ut videtur, priſcæ Linguæ; quæ ex æquo admiſit הַיָּה, & הַוָּה, a *radicibus* היה & הוה eadem ſignificatione *exiſtendi* notis. Earum tamen *primigenia indoles*, unde harum vocularum accuratior intelligentia pendet, minus notuit. Hinc fluctus opinionum. *Merc.* poſt *Jarch.* adſcivit *contritionem*, *confractionem*, ex uſu & נהיה *Dan.* 8: 27. In *Concord. Hebraic.* duplex traditur poteſtas thematis היה, *exiſtendi* altera, altera *confringendi.* Hæc parum fida & firma; unde aliis tutior viſa notio *calamitatis*, *ærumnæ*, *infortunii*; ab eo *quod fit*, quaſi dicas *fientiam*, ſi *Forſtero* credimus; cui præluſit *Ab. Eſra.* Eodem collineavit & *Coccejus* הַוָּה & הֹוָה reddens συμφορὰν, *caſum malum*, *infortunium*, περίστασιν. Recipio equidem in הֹוָה, quod eſt *part. præſ.* iſtam vim, ita tamen, ut a *Cadendo*, tanquam vetuſtiſſima proprietate, derivetur. Sic *Eſaj.* 47: 11.

תפל עליך הוה *cadet ſuper te caſus improviſus.* Item *Eſech.* 7: 26. הוה על הוה תבוא *Ruina ſuper ruinam ingruet.* Idem *Arabibus* eſt הויה هاوية, quo vocabulo comprehendunt omne *χάσμα*, & *profundius actam*, *tractamve*, *ruinam*, aut *hiatum terræ*, ipſum adeo *Chaos*, aut *Orcum*. Radix هوي iiſdem eſt, *ex alto decidit*, *cum impetu delapſus eſt.* Ad hanc rationem הֹוָה notare poſſet *ruinam graviorem fortunarum. Ruinoſum caſum.* Video tamen uſum Linguæ ſub hoc vocabulo magis inclinaſſe in *Caſum ruinamve mentis*, vel *collapſæ in mœrorem*, tanquam in vaſtum aliquod Chaos : vel *delapſæ in cupiditates*, *Vanitateſve inexplebiles.* Varios uſus perſequi haud vacat : in præſenti teneatur tantum هوي frequentari in *attonitæ mentis collapſione*, ut ſic dicam, *qua velut in vaſtum aliquod Chaos anxietatis ineluctabilis ſubſidit.* Penes *Golium* in 10. *conj.* extat استهوي *Attonitum & mente perculſum reddidit.* Primæ eandem vim vindicabit *Hiſt. Tamerl.* 76. فهوي عقلها ووهي. *Et mens ejus mœrore collapſa eſt, ac diſſiluit.* Nil grandius hanc in rem, nil plenius hiſce *Sen. Tragici* in *Troad. vſ.* 950.

> *At miſera luctu mater audito ſtupet.*
> *Labefacta mens ſuccubuit. Aſſurge ; alleva*
> *Animum ; & cadentem miſera firma ſpiritum.*

Cernis, quo fundamento expreſſerim *Vaſtum mœrorem*, quem *Job.* 30: 13. etiam egregie quadrare videbimus ſuo loco. Adde *Prov.* 19: 13. הות לאביו בן כסיל, *Ægrimonia vaſta, profunda, ineluctabilis, qua mens magis magiſque collabefacta ſuccumbit, eſt filius ſtultus.* Numerus *pluralis* ibi adhibitus, ad hoc ipſum conſignandum. *Prov.* 17: 25. præceſſerat כעס לאביו בן כסיל ; unde ſimul elucet ex interiore genio Linguæ כעס & הוה, vel היה, hic unam ſedem occupare. Alia alibi exequar.

Ibid. Animi pendeo, referamne ultimam phraſin ישאו יחד *tollerent ſimul*, ad *congeſtionem* & *conjectionem* vel *ſublationem* in bilances, an potius ad *librationem* ipſam, quæ fit *bilancibus ſublatis in altum.* Prius plurimorum puncta tulit : poſterius & ordini, & ponderi ſententiæ, congruentius forte. Nec dubitandum, quin נשא *ſuſtulit in altum*, vigente Lingua etiam applicari potuerit ad *Librationem*, vel *ſublationem bilancium ad collibrandum.* Dubium præterea quid יחד *ſimul*, inferat, per quam voculam anſa porrecta errori, ac ſi *Jobus* voluiſſet hinc *querelas* ſuas, illinc *mala*, librari ; qui tamen Cl. *Clerici* aſſenſum impetrare potuit, haud abſterriti per incommodum conſtructionis *vſ.* 3. inde exoriturum. *Mercerus* in illo *ſimul* comprehendi putat *oppoſitam gravitatem* ; quod & *Jarchius* intendebat. *Coccejus* exponit *nulla ejus parte prætermiſſa.* Adjecit *Schmidius*, *una vice*, quaſi *ſimul & ſemel*, ut *tota*, *quanta quanta erat calamitas*, *una vice ſimul appenderetur* ; ne *diverſis vicibus quicquam de pondere diminueretur.* Mihi *quanta quanta* ſufficit ; *ſemel* etiam paterer ſenſu illo Latiniore quo *ſemel* quid fieri dicitur, quod fit quam accuratiſſime & completiſſime ; alias minutum aliquid ex iſta ſubtilitate naſceretur. Habes יחד non abſimili uſu pro *quanti quanti*, *omnes in univerſum*, *Pſ.* 62: 10. Elici inde poſſet adhuc preſſius aliquid, quo יחד valeret *ſimul*, ſive *una*, *in unamque lancem collata ac congeſta omnia* ; quibus ut in *Pſalmo* opponitur *vanitas*, & *Nihil*, *pondus* habiturum *præ hominibus* omnibus *unam in lancem ſimul conjectis* ; ita ex *vſ.* ſeq. ſatis percipere datur, *in lancem adverſam* hic ingeſtam debere concipi *Marinam arenam*, cujus *gravitas* in Proverbii vim adſcita fuit, ad *immenſum pondus* deſignandum. Habes ſic *Prov.* 27: 3. *Gravitas lapidis* ; *& onus arenæ* ; *at* כעס *moleſtia ſtulti gravior ambobus.* Ceterum vix capio, quid voluerit Cl. *Schmidius*, quum ait *Jobum probe ſciviſſe dolorem non poſſe appendi*, *optaſſe tamen ut ad oculum gravitas ejus poſſit demonſtrari* ; *atque omnibus pateret*, *ac conſtaret.* Nimis anxie videtur adhæſiſſe ad *Literam*, quum *Figura ſit proverbialis*, ſecundum quam *utique dolor* poteſt *appendi*, ac *librari*, quum ſcilicet de ejus *magnitudine* ac *mole* juſtum inſtituitur examen, verum fertur judicium. Hoc officium

3 כי עתה מחול ימים יכבד על־כן דברי לעו :

3 Nam ſane marium præponderat ſabulo: propterea verba mea æſtuantia ſunt.

כי 4

4 Te-

cium ſibi ab Amicis neutiquam præſtitum inſinuat *Jobus*, haud dubie condolituris tenerius, ac *verba calidiora pectoris æſtuantis* excuſaturis, ſi *legitimas lances* attuliſſent, ad tantam afflictionem prudenter ponderandam. Hac imagine delectati Veteres, qui eam ad omnia permiſerunt. *Cic.* de *Fin.* L. 5. 30. *Audebo igitur cetera, quæ ſecundum naturam ſunt, bona appellare; virtutis autem amplitudinem quaſi in altera libræ lance ponere. Terram, mihi crede, ea lanx, & Maria deprimet.* Iterum *Tuſc. Qu.* 5. 17. *Quo loco quæro quam vim habeat libra illa Critolai, qui quum in alteram lancem animi bona imponat, in alteram corporis & externa, tantum propendere illam boni lancem putet, ut terram & maria deprimat.* Apud *Arabes* eadem *Libra*, *Lanceſque*, percelebratæ, ad omnem omnino materiam: ut quum ajunt Deum cujuſque *opera in die judicii exactiſſime libraturum in bilancibus, quarum magnitudo cœli ſpatia æquet*; quod genus jam perſequi haud lubet.

Vſ. 3. In priori membro, quo ſuſcepta imago completur, nil magnopere curam noſtram deſiderat. Vox עתה *Nunc*, magnam vim habet, partim enim *adfirmat* & *concludit fortiter*; partim per *notationem temporis præſentis* innuit, *Nunc*, *nunc* enimvero *eo uſque mala increviſſe*, ut nihil *immenſam iſtam molem moleſtiarum* æquare poſſit; quum Amici ne guttulam quidem conſolationis ei impertirent; quin imo injuſtiſſimis criminationibus innocentem prægravarent. *Arena marium* proverbialiter in ſacris, & *multitudinem immenſam* adfert, & *gravitatem*. Vide *Jer.* 15: 8. *Pſ.* 78: 27. *Hoſ.* 2: 1. *Gen.* 41: 49. &c. &c. Utrumque ſimul complecti res ipſa jubet, quum *numerum miſeriarum*, earumque *molem*, quaſi certaſſe videamus, in viro hocce *obruendo*, ac *elidendo*. Verbum יכבד non ſumſerim *imperſonaliter* cum Cl. *Cocc.* multo minus retulerim ad היתי per *Enallagen Generis*, quod volebat Cl. *Cler.* ſed cum Cl. *Schmid.* ad כעס quod *vſ. præc.* primum locum obtinens, ſequens היה ſub ſe complectitur, verbumque ad ſe rapit.

Ibid. Plus laborandum erit in altero membro, quod reddi ſolet, *Ideo verba mea abſorbentur.* Diverſiſſime id applicatur. *Coccejus* poſtquam *Rabbinicas* quaſdam opiniones poſuiſſet, addit, *ſenſum videri reciprocum, verba ſe abſorpſerunt, duplici mente; 1. ut ipſe non ſatis explicuerim magnitudinem calamitatis meæ. 2. ut non ceperint audientes vim & molem doloris mei.* Prior expoſitio placuit etiam *Mercero*, eique ſubſcribit & *Schmid.* niſi quod urgeat uſum verbi לוע *tranſitivum*, unde cum כעסי & היתי proxime connectens dat, *propterea abſorbent verba mea*, ægritudo & calamitas. *Nec potui* verbis magnitudinem dolorum conſequi; *nec* ſane *potero abſorbentibus* ea, & *intercipientibus*, meis *miſeriis* & *anxietatibus*: reſpondebo tamen quantum dolores permittent. *Kimchius* vim *tranſitivam* retulit ad *Amicos*, qui *verba Jobi deglutiiſſe* dicerentur, quia *ea contemſerant*, & tanquam *bolum* non *maſticatum tranſmiſerant*. Id valde durum, ac coactum. Argutius quid exſculptum a *Clerico*; *ideoque verba mea abſorberentur*; id eſt, *non magni momenti haberentur, ſed ventis eſſent leviora:* ſi videlicet hinc *calamitas* mea, illinc *querelæ* a me *fuſæ*, tanquam *in libra appenderentur.* Verum acies fruſtra tenditur ad commodum ex aliquo verbo ſenſum eliciendum, ubi incommoda ei, & non ſua, ſubjecta eſt ſignificatio. In *Animadverſ. Philol.* ad *Obad. Vſ.* 16. ſubmonere cœperam, *incertam* eſſe *vim abſorbendi*, non aliunde ſane ortam, quam ex affinitate noſtri לוע cum בלע *deglutivit.* Idem *Arabibus* eſt بلع; ſed لاع *Med. Vaw* apud eoſdem ſonat *accendi*, & quidem *interiore æſtu*, *eoque aduri.* Habent quoque thema لغي *temere effutivit*; unde olim tria loca, quibus לוע extare creditur, explanare tentavi. Nunc δεύτεραι φροντίδες, ut ſpero, ipſam tandem *verita-*

tem

4 כי חצי שׁדי עמדי אשׁר חמתם

ʼשתה רוחי בעותי אלוה יערכוני :

5 הינהק

4 Tela quippe Omnipotentis in me ſtant defixa; quorum venenatus ardor meum ebibit ſpiritum, Terrores Numinis aciem contra me inſtruunt.

5 Num

tem aperient, atque æquis arbitris approbabunt. Teneo Thema לוע, quod declaro *æſtu interiore aduri*; atque illuc *primo* nunc revocare malim *Prov.* 23: 2. שׂמת סכין בלעך *Impones cultrum in Gulam tuam*; *ſi aviditate ſis præditus.* לוע ſignatiſſime ibi *Ardorem edendi* exprimit, ſecundum illud Poetæ.

> —— —— —— *Furit ardor edendi*
> *Perque avidas fauces, immenſaque viſcera regnat.*

Eodem modo لاع ab *Arabibus* transfertur, de quo alias. *Secundo* apud *Obad.* *l'ſ.* 16. nil plenius, nil aptius, hoc ſenſu, *Bibent*, & ולעו *ardore* & *æſtu* calicis venenati intus *adurentur.* In *tertio* loco *Prov.* 20: 25. ילע קדשׁ hanc concipio gravem ſententiam, *Laqueus eſt homini, ut exæſtuet Sanctum*; hoc eſt, tanquam *Sanctum* quid Deo *voveat*, *æſtuante ardore cordis* impulſus. Denique contextui noſtro hinc alta & nobilis figura ſurgit, *Verba mea æſtu interiore aduſta ſunt.* Sic vocat *Jobus* verba illa quæ *cap.* 3. profuderat, ſane quam *calidiſſima*, quin imo *æſtuantia*, atque adeo *interiore* illo *æſtu cordis*, quo *coquebatur*, veluti *inflammata*, & *aduſta.* Eſt *Dithyrambicum* genus loquendi, quod in hoc Libro regnat, quo *Verba* ipſa dicuntur *æſtuare*, & *inflammata* eſſe, quæ ex *inflammato corde*, ac *gutture aduſto* quaſi prorumpunt. Poſtremum illud reperias *Pſ.* 69: 4. נחר גרוני *Aduſtum eſt guttur meum*; nec abit *Pſ.* 102: 4. עצמתי כמוקד נחרו *Oſſa mea, ut Focus aduſta ſunt.* Non abſimili cothurno graditur *Æſch.* 7. ad *Theb.* 449. de *Capaneo*; quod os in cœlum erigens & exercens,

> —— γεγωνῶ Ζηνὶ κυμαίνοντ᾽ ἔπη
>
> *Eructet in Jovem verba æſtuantia.*

Proprie *fluctuantia*, *æſtuante fluctu* velut *ejecta.* Latiſſime patet apud *Arabes* verbum illud لاع לוע, quod teſte *Phiruzabadio* proprie ſignat حرقة في القلب والم من حب او هم او مرض *uſtionem interiorem cordis*, & *dolorem*, *vel ex amore*, *vel ex angore*, *vel ex morbo.* Exemplum unum alterumve tantum dabo. *Haririus Conſ.* 20.

ولما رقات دمعته وانغثات لوعته

Quumque ſedatæ eſſent lacrymæ ejus, & *reſtinctus æſtus mœroris.* Hinc in *participio præſ.* لايع *æſtuans mœrore*, ſpeciatim eſt *in querelas impatientius erumpens*; diciturque ſolenni formula هايع لايع *attonitus*, *æſtuanſque*; de eo qui *ſui minus compos pavet*, *lamentatur*, *ſortemque ſuam complorat.* In *Hiſt. Tam.* *p.* 438. hoc uſu reperio 5. *conj.* a *Lexicographis* omiſſam.

ويصير ذلك المسكين يتكوي ويستغيث ويتلوع ويستجير بالله واياته ويستشفع بكل ما في ارضه وسمواته

Tum vero miſer ille dolore uri, & *quiritari*; *æſtuque impatienti opem implorare Dei*, & *miraculorum ejus*; *atque petere interceſſionem ab iis*, *qui vel in terra*, *vel in cœlo.* &c. &c. Vides تلوع adhibitum in *vociferationibus* & *quiritationibus pectoris æſtuantis:* ad quam rationem ambigi non poteſt quin phraſis noſtra דברי לעו ſignet itidem *verba æſtuantia illius*,

qui

qui intus æſtu dolorum exurebatur. Intendit *Jobus* tum quæ *in Execrationem diei Natalis*, flammato impetu jecerat: tum quæ denuo ejaculari, cum maxime cogebatur, ad amicorum injuſtiſſimas criminationes depulſandas.

Vſ. 4. Grandi imagine pingit urentiſſimos illos dolores, qui *æſtuantia* & *aduſta* veluti verba ei extorquebant. Vocem עמרי reducendam autumavi ad *Originem* a עמר *ſtetit*, unde proprie infert *arctiſſimam copulam*, *qua* quid proxime *adſtat*, *inſtat*, *adhæret*, *adfixum eſt.* Plus ſonat quam עמי, nec habet *Daleth Epentheticum*, ſed *Radicale.* In *Orig. Hebr. L.* 1. *P.* 190, 191. locum hunc obiter tetigi, ibique commonui duplicem faciem recipere ſequens colon, quod verti poteſt, *quorum* telorum *venenum ſpiritus meus ebibit:* vel, ordine conſtructionis inverſo, *quorum venenatus ardor ebibit ſpiritum meum.* Alluſum ad morem *tela veneno illinendi*; atque ut *Silius* loquitur, *inflammandi.* Illud *venenum combibi*, *perbibi* dicitur a *vulnerato*, quum in viſcera & medullas ſeſe penetrat æſtus, metaphora deſumta a *veneno tinctili*, ſive *coloribus*, quos *Lana* dicitur *bibere*, *imbibere.* Eleganter *Plin. L.* 9: 38. *Quinis lana potat horis*, *rurſuſque mergitur carminata*, *donec omnem ebibat ſaniem.* Agit ibi de *purpura tingenda.* Sic figuratum illud *Sen.* in *Herc. Oet.* 566.

> *Nunc congeratur virus*, *ut veſtis bibat*
> *Herculea peſtem.* — — —

Reliqua ex *Origin.* repetantur. Contra ipſum *venenum* dicitur *bibere*, *ebibere*, *exſorbere*, *haurire* medullas alicujus, quum eas *ingenti cum cruciatu conſumit.* Inſigni loco *Lucani* 9: 741. quem ibid. adduxi, addas velim *Cic. Tuſc.* 2: 8. ubi ex *Soph.* in *Trachin. Vſ.* 1061. ita peſtem qua *Hercules* vivus abſumtus, deſcribit.

> *Hæc me irretivit veſte furiali inſcium.*
> *Quæ lateri inhærens morſu lacerat viſcera.*
> *Urgenſque graviter*, *pulmonum haurit ſpiritus.*
> *Jam decolorem ſanguinem omnem exſorbuit.*

Sophocles dederat,

> — — πνεύμονος τ' ἀρτηρίας
> Ῥοφεῖ ξυνοικοῦν, ἐκ δὲ χλωρὸν αἷμά μου
> Πέπωκεν ἤδη. — — —

Idem in *Electr.* 785.

> — ἥδε γὰρ μείζων βλάβη
> Ξύνοικος ἦν μοι, τοὐμὸν ἐκπίνουσ' ἀεὶ
> ψυχῆς ἄκρατον αἷμα. — —

> — — *Nam hæc major calamitas*
> *Cohabitabat mihi*, *meum ebibens ſemper*
> *Animæ puriſſimum ſanguinem.* —

Vide & *Antig.* 541. 542. quæque Clar. *Cocc.* ad hunc ſenſum quoque inclinans, in medium contulit. Videtur hic adſpectus gravior adhuc, & celſior, quam præcedens, eoque præferendum eum cenſerem. Erit tum *metaph.* a *ſole*, *igne*, *æſtu*, *humorem ebibente*, atque ita *exſiccante*, & *exurente*, quicquid *tetigerit.* Quodcumque elegeris, reſpondere ſenties figuræ iſti, qua *verba æſtuantia* dedimus *Vſ. præced.*

Ibid. Ad *Tela* illa *infeſtiſſima* quadrant *Terrores ſtructa acie incumbentes.* Eſt imago *Arabibus* mirum in modum frequentata; adeo ut عسكرة *exercitus*, abſolute pro *agmine malorum* ponatur, teſte *Tebrizio* ad *Hamaſa*, ubi *Poëta* vetus.

> عساكر تغشي النفس حتي كانني
> اخو سكرة دارت بهامته الخمر ☼

> *Exercitus obruerunt animam*; *haud ſecus ac ſi*
> *Frater eſſem temulentiæ*; *cui caput rotat vinum.*

Ad quæ ille. عساكر جمع عسكرة وهي الشدة قال

> وظل في عسكرة من حبها

Y *Aſa-*

5 Num rudet onager ſuper gramine? an mugiet bos ad ſuum pabulum?

6 Num

5 הינהק פרא עלי־דשא אם יגעה שור על־בלילו׃

6 היאכל

Aſakir plur. ab Askera, exercitu, pro miſeria uſurpato, ut in illo.

Ex amore ejus incubuit ei exercitus.

In *Camuſo* extat quoque العسكر ع الشدة والجدب *Exercitus uſurpatur pro miſeria & calamitate.* In Libro noſtro figura hæc recurret non ſemel, ſuiſque locis denuo illuſtrabitur.

Vſ. 5. Nexus & vis harum comparationum non uno modo evolvitur. *Mercerus* cauſam reddi putat, cur tam *acerbe conqueſtus* fuerit, & *clamaverit Jobus*, quod nempe *neceſſario cibo* & *victu* jam deſtitutus jaceret. Ita etiam *Boch. Hieroz. Part.* 1. *p.* 407. Alii ſpecialius rationem dari volunt *graviſſimarum querelarum*, quod Amici qui *adflictum conſolari* & erigere debuiſſent, non præbuerint illud *pabulum*; ut propterea *rudere* & *mugire* fuerit coactus. Cl. *Cocc.* maluit exponere, *Mirum non eſt, vos otioſe de me judicare, & non æſtimare pondus miſeriæ meæ, atque mihi indoleſcere, quibus nihil deeſt.* Obſcuriuſcule dicta, non intellexit *Schmid.* qui refert ad *perverſum de Jobo judicium Amicorum*; quum referre debuiſſet ad *Eorundem-ſecuritatem*, Amici *malis non indolentium*, *nec condolentium*, quam mentem ei ſubjicere potuiſſent verſiculi *Æſchyli* a *Coccejo* adducti; ut & *Ab. Eſra* quem ſeſe ſecutum profitetur; præ quo id quod *Schmidius* offert nec ſal habet, nec gratiam. Videlicet ſenſus eſt, judice *Rabbino* illo, כי היושב בהשקט לא ישאג ולא ידאג וכמו כן אתם *Qui ſedet in tranquillitate non rugit, nec mœrore angitur. Sic ſane vos*, Amici mei, *qui inſuper effertis in me verba nullo ſale prædita.* Quid jam *Schmidius*? Ait ſimilitudinibus hiſce indicare voluiſſe *Jobum*, *ſe tantis doloribus preſſum & obſeſſum, non poſſe ſatis commoda verba loqui, ſed ineptum potius eſſe ad diſputandum, prout onager ineptus eſt ad rudendum, quando in paſcuis ſuis ſit, & bos ad mugiendum, quando ſuum habeat pabulum.* Hæc magnopere hiant, & diſſimilia omnia exhibent, nam *rudere* & *mugire* eſſet *diſputare*; itemque *herba* & *pabulum* figurarent *Dolores Jobi*; quæ ſane δὶς διὰ πασῶν diſcrepant. *Herba* & *pabulum* omnino hic figuram præbent *copiæ*, *abundantiæ*, & *tranquillitatis*; quali gaudebant Amici *Jobi*. Emblema in ſacris protritum, & in florido *Arabum* ſtilo regnans, exemplis haud indiget. *Rudere* & *mugire* ſeſe referunt ad *verba dolentia*, ac *ſenſum miſeriæ ſignificantia.* Jam ergo comparat *Jobus* Amicos ſuos, non ſine aculeo, cum *Onagro in herbis exultante ac laſciviente*; nec non cum *Bove*, *pabulo gratiſſimo ad ſatietatem uſque diſtento*; quippe qui non *condoluerint miſero*, ipſi felices; neque *mugierint* cum ipſo, ſed potius *mugitum* ejus, tanquam *importunum clamorem* increpuerint, ac ſi impatientius ſeſe & inſolentius contra Deum extuliſſet. Huc tendit quoque quod priori ſuæ interpretationi ſubnexuit *Mercerus*, *perſtringi ſimul ſocios, quaſi illi in tranquillitate verſantes, nihil habeant quod querantur: atque facile ſit illis calamitoſos impatientiæ accuſare.* Perpendatur itaque an duplex ſit loci facies, altera in *Jobum*, altera in *ſocios* converſa. *Jobus* videlicet *rudebat* & *mugiebat*, quia *commodis* omnibus *exciderat*, ac *ne minimam* quidem *conſolationem*, cum *herba* ac *pabulo* comparatam, poterat carpere. *Socii* contra in rebus *lætis* & *lautis* conſtituti non *rudere*, non *mugire*, non *verba dolentia* proferre, ſed *acres cenſuras deſtringere* adverſus eum, quem ſublevare, atque erigere *commiſeratione*, & *conſolatione ad magnitudinem mali accommodata*, debuiſſent. Hoc ut viris ſapientibus *indignum*, *inficetum*, *inſulſum*; quin imo *fatuum* quid, quod ſtomachum moveat, concutiatque, ſtomachoſa ſane oratione iis objecit *Jobus*, ultra quam dici poteſt irritatus falſiſſimis criminationibus, & temerariis condemnationibus, quibus ipſum tanquam *Hypocritam* & *improbum* gravaverant.

Ibid. De vocabulis ſtrictim. Ad נהק, quod bis tantum in Libro noſtro, nec alibi, reperire eſt, adduxit *Ab. Eſra* auctoritatem *Arabi-*

6 היאכל תפל מבלי־מלח אם־יש־
טעם בריר חלמות׃

7 מאנה

6 Num comedetur ſputans jejunumve, nullo ſale præditum? an eſt ſapor in ſaliva ſomnolentiæ?

7 Re-

rabicam, confirmatam a *Boch. Hieroz. part.* 1. *p.* 869. ubi videbis نهق *Rudere* & نهاق vel نهيق *ruditus*. In *Originibus* oſtendam eſſe verbum ὀνοματοπεποιημένον. Ejuſdem indolis eſt quoque alterum געה *boavit*, *mugivit*, ut ibidem aperietur. דשא eſt *herba denſa* ſimul & *tenera*. בליל non eſt *pabulum mixtum* ut volunt, *ex fœno* & *palea*, ſed *pabulum viride* & *recenti vigore humectum*, ut proinde lectiſſimis vocibus hæ ſententiæ ſint expreſſæ; ſub quibus proverbiale quid contineri ſatis apparet.

Vſ. 6. *Stomachus* commotus, *Jobo* dictavit figuras *Vſ.* 6. & 7. contentas; quibus quam abſurda, quamque faſtidii omnis plena ſibi viſa ſit oratio *Eliphazi*, demonſtrat. Hunc nexum, a pleriſque *Hebræorum* jam indicatum, ſecuti ſunt principes e noſtris, *Mercerus*, *Belgæ*, *Coccejus* &c. Inſipidum merito a *Mercero* vocatum Gloſſema *Perizolidis*, quod *Jobus* ſe *eo inopiæ redactum* eſſe conqueratur, *ut* etiam *inſipida*, *ingrata*, *nauſeam moventia* edere cogatur, *ad vitam tuendam*. Figuratius hæc *de Pineda* transfert ad *miſerias*, & *moleſtias* a quibus natura abhorreat, haud ſecus atque ab *inſipidis* & *inſulſis*, quas tamen devorare continuo debuerit. Aliis hoc *inſipidum*, *inſulſumque*, quod *faſtidium* per ſe *creet*, eſt *mors*, quam tamen nunc *guſtare* diſcupiat, ut ex hiſce tandem malis exſolvatur. Hæc quam dura ſint, quilibet ſentit; quibus addidit *Schmidius* aliquid adeo quæſitum & contortum, ut nihil ſupra. Nempe ſtatuit *his ſimilibus oſtendere voluiſſe Jobum ſe præ ingentibus doloribus parum aptum eſſe ad colloquendum*, & *diſputandum*; *quin ingratum ſibi eſſe multa loqui*, *haud ſecus ac ingratum eſt palato albumen ovi*, *aliudve inſipidum*. In tam abſonos ſenſus non incidere poſſent viri Docti, ſi Linguæ vim & indolem accuratius expenſam haberent.

Ibid. Enucleatius de verbis agendum. Circa תפל nutat & friget, quicquid eſt interpretationum. Aliis enim eſt *cibus coctus ſine ſale*; aliis omne *inſulſum*; aliis, ne tautologia ſcilicet exiſteret, *inſipidum*. Cl. *Coccejo* eſt *non paratum ut oportet.* Ex *Arabia* quid productum a Cl. *Hotting.* de quo ad *Cap.* 1: 22. judicium tuli. Cl. *Hinkelm.* in *præf. Alcor.* offert *legumina guſtu carentia*, probante Doct. *Cromaj.* Cuncta hæc languent in ſede, ubi requiritur aliquid *putidum*, *nauſeamque creans* ex *Vſ.* ſeq. Fraudi fuit iis, qui ex ſerie ipſa ſignificationes elicere ſolent, adjectio illa

בלי מלח *ſine ſale*, quæ jam membrum per ſe conſtituit *inſulſum*, *fatuumve* quid deſignans. Ex notione quam *Cap.* 1. 22. adſtruxi, *ſalivans* aſſumo, ſive *jejunum* quid *inſtar ſalivæ*, aut *ſputi*. Id nemo *comederit*; ſed merito faſtidiat. Cum eo comparat *ſermonem non rite meditatum*, ſed *temerario* & *ſalivante* quaſi *impetu* fuſum, Hanc figuram habes ſub vocabulo noſtro *Thren.* 2: 14. nec non *Eſech.* 13: 10, 11, 14, 15. ubi cum *diluta* & *ſalivante calce*, conjungenda poteſtas *futilium dictorum*, quæ *mera* ſunt *jejunitas*.

Bene additum itaque בלי מלח *ſine ſale*, quia ſermo *Eliphazi* non fuerat conſperſus ac conditus illa *ſapientia*, *prudentia*, *moderatione*, quin & *convictione* ac *correctione ſalutari*, cujus ſignificationem Emblematicam præbet *ſal*.

Ibid. Languidius concipi ſolet poſterius Colon, in quo ריר חלמות pleriſque valet *Albumen vitelli*. Anſam dedit חלמון *vitellus*, ut putatur, in Dialecto *Chaldæo-Rabbinica*; cujus *albumen* commode hic expreſſum videbatur voce ריר *ſalivæ*, quia *lentum* eſt, & quaſi *ſalivoſum*. Mirum verſionem iſtam plurimos tuliſſe calculos, quum comparatio non reſpondeat *Stomacho Jobi*, nec *acrimoniæ* qua

qua exarſerat ad acerbiſſimas cenſuras. Abhorret etiam a *Vſ.* ſeq. ubi *faſtidium pingitur*, & *nauſea*. Alia ejuſdem incommoda non perſequor, quæ *Schmidius* vitaturus auxit, חלמות extendens ad *ovum cum albumine & vitello*, ut ריר ſit *lenta* utriuſque *viſcoſitas*. Sic abſurda redditur ſimilitudo; nam quod Vir Doctus dicat *æque fere vitellum ſine ſapore eſſe*, *quam albumen*, *niſi ſallatur*, quid veri habet? & ſi haberet, quis ei iſtud *niſi ſallatur* hic inſerendum concedat? Non tam *ſuperbo palato* erat *Jobus*, ut *Ovum ſine ſale* faſtidiret. R. *Salomon* ריר *ſalivam* retinet proprie dictam, & חלמות exponit *quicquid forte*, & *acre ad ſalivam ciendam*, ut *allium &c. &c.* Innititur uſui verbi חלם *Job.* 39: 4. *roborari*; unde alii expreſſerunt *ſalivam ſanitatis*, quæ ſcilicet ſit ἄπιον. Id merito ἀνκλοι dixit *Coccejus*; quem tamen חלמון & חלמות pro *vitello* derivantem ab iſto themate חלם *vivum*, *ſanum*, *validum eſſe*, haud ſequor. *Salivam ſanitatis* adoptavit Cl. *Guſſ.* & caſtigavit quod ex *Arabia* adductum a Cl. *Hott.* ubi حالومة *lac coactum preſſo ſimile*; unde *ſpumam lactis* hic elicuit. Id inconcinnum fateor: quamvis ratio Cl. *Guſſetii*, *cremorem* ſub *ſpuma lactis* contineri, nil valeat. Non concinnius, quod ex حلمة *papilla* tentavit Cl. *Capell.* ac ſi indicaretur *id quod inſtar ſalivæ ultro de extremitate mammillæ defluit*. Suſpicabar aliquando חלמות eſſe nomen *Herbæ inſulſæ*, & *inſipidæ*, cujus ריר *ſaliva* in proverbium iverit, ut πῦτλον & *Beta*, quæ *Fatua* dicitur; qua anſa Comicus in *Ranis Vſ.* 973. πυτλία μικρὰ *betulas parvas* adhibuit pro *inſipidis inſulſiſve dictis*. Huic ſuſpicioni aliquid tribuendum cenſerem, ſi hoc verſu *edulia* notarentur *inſipida*, atque *literæ proprietas* eatenus retinenda foret. Sed nil impedit, quo minus omnia *figurate* accipiamus; pro *Verbis jejunis*, & *temere effutitis*; quæ *Vſ.* ſeq. demum comparabuntur cum דוי לחם *putredinoſis eduliis*. Ergo ſubſcribendum illis, quos R. *Salomon* ait חלמות revocaſſe ad ſignificationem ? חלום *ſomnii*. Non explanat qua mente *ſalivam ſomnii* adſciverint iſti Doctores; contentus eos rejeciſſe, ob inſertum *Dageſch forte*. Ea difficultas nullius eſt momenti, nam 'Ανκλογῶς a חָלָם *Somniator*, naſcitur חַלָּמוּת *Somnolentia*; unde רִיר חַלָּמוּת *Saliva ſomnolentiæ*, graviter figurare poteſt *jejunam futilitatem verborum ſomniantis quaſi*. *Gallice* non abſimiliter *Bavarder*, *ſalivare*, eſt *futilia & abſurda proferre*; a *bave*, quæ eſt *ſaliva infantis ſponte fluens*. Sic *Arabum Critici* رَيَّرَ quod eſſet רַיֵּר, & رِيَّرَ quod eſt רִיר, & رَارَ quod eſſet רוּר, declarant per الماء يخرج من فم الصبي *Aquam manantem ex ore infantis*. Alias notiones Radicis ex *Camuſo* reponam in aliud tempus. Cernis duo verba תפל & ריר ſibi reſpondere; & ut prius ſignat *ſalivæ expulſionem*, ita poſterius *ejuſdem manationem ſpontaneam*. Habes hanc vim 1 *Sam.* 21: 4. de *Davide ſalivam fluere ſinente*, ut *ſimularet fatuum*. Hoc *Pſalm.* 34: 1. vocatur שנות טעמו *mutare ſaporem ſuum*. Nempe טעם *ſapor*, ſpeciatim *ſuavior*, & *appetitum movens*, qui *Arabice* طعم, transfertur ad *ingenium*, *judicandi ſolertiam*, omnemque *ſanam* & *ſapidam ſententiam*. Iſtum uſum *improprium* hinc non abeſſe poſſe, ſatis liquet. *Proprietatem* quoque ſic retinere poſſis ſimul, ut ריר חלמות *ad literam* ſit *ſaliva ſomnolentiæ*, quæ vel *infanti*, vel, ſi mavis, *ſeni*, *ſponte effluit*. In ea non eſt טעם *ſapor appetitum ciens*, ſed contra *nauſeam movet*. Secundo *figurate* ריר חלמות *ſaliva ſomnolentiæ*, commode pingit *jejunum ſermonem ſomniantis* veluti, ſive præ *torpore* ingenii, ſive præ *ſenio*, ſive alia de cauſa. In tali ſermone *nullus* iterum טעם *ſapor*; ſed omnia *inſubida*, *inſipida*, & *ſtomachum moventia*. Hunc *ſenſum ex ancipiti*, *gravi aculeo pungentem*, reliqua orationis *vehementia* commendat: neque eſt quod *nimis vehementem*

7 מאנה לנגוע נפשי המה כדוי לחמי׃

7 Renuit tangere anima mea: ſunt illa ut putredinoſa cibi mihi.

8 מי־

8 Uti-

tem eum arbitreris, nam adhuc *animoſiora* in Amicos *dicta* deinceps intorqueri videbimus; eſtque inſuper notandum, non tam *invidioſam* eſſe hanc *figuram* Orientalibus, quam nobis forte videri poſſet; nam & *Jobum* a ſua parte incidiſſe in תפלה *ſputationem* i.e. *inconſultum* ac *temere prolatum ſermonem* ſupra inſinuatum, *Cap.* 1: 22.

Vſ. 7. Miror *Doct. Mercero* arridere potuiſſe ſententiam *Perizolidis*, ut adſcito ad initium אשר reddatur, *Quæ renuebat tangere anima mea*, *ea ſunt* nunc *ut dolores panis mei.* Hoc ita declarat; *Quæ antea abhorrebam*, *& ne tactu quidem dignatus fuiſſem*, *iis nunc uti cogor veluti cibis*, *ſed cibis moleſtis & injucundis*; *cum ea cibum meum inſuavem & injucundum reddant. Intelligit antem fœtores ulcerum ſuorum*, *& mala quæ patiebatur.* Multa ſunt hujus interpretationis incommoda; a qua tamen non longe abeſt *Vulgatus*, vertens, *quæ prius nolebat tangere anima mea*, *nunc*, *præ anguſtia*, *cibi mei ſunt.* Id *de Pineda* ſic expoſuit. *Nauſeabam ego quondam ad hujuſmodi ærumnas*; *movebant mihi ſtomachum ſqualor*, *paupertas*, *vilior cibus*, *ulcera*, *ſanies*, *vermes: nunc vero his ipſis abunde paſcor.* Dura omnia; אשר relativum in initio inſertum: כדוי לחמי fidiculis tortum; alia, quæ diſcutere longum foret. Duriſſimum quoque *Pagnini* interpretamentum, *Quæ renuebat tangere anima mea*, *ipſa ſunt velut ægritudines carnis meæ*; quod *Vatablus* declarat, *tam intime mihi adhærent*, *ac ipſæ ægritudines quæ viſcera mea occupant.* Ineptum, quod dat *Bolducius*, *reſpuit natura mea* ſagittas Dei, eaſque tangere recuſat, *ac ſi eſſent immunditiæ carnis meæ*; quaſi reſpiceretur ad *impuritates Legales.* Minus apta & alia exhibuit *de Pineda*, quæ circumcido, ut deſinam in omnium alieniſſimo *Schmidii*, ad *Jobi* ipſius *verba* hæc detorquentis, ac ſi diceret, *Abhorreo incipere loqui*, *invita orationem exorditur anima mea*; *coactus* tantum aliquid vobis *reſpondere conor*; *nam verba*, *quæ locuturus ſum*, *tantum faſtidium mihi creant*, *quantum panis*, *& cibus*, *quem in doloribus hiſce ſumere cogor.* Videlicet qui ſemel male calculos ponere cœpit, quod in præced. feciſſe vidimus Virum Doct. is tandem conturbet neceſſe eſt.

Ibid. Remotis alienis, verum nexum adſtringamus, quem *Belgæ*, *Junius*, *Coccejus*, alii, præiverunt, poſt *Chaldæum*, & *Nachmanidem.* Nempe perſiſtens in Allegoria *Jobus*, oſtendit ad *Eliphazi* orationem *ſtomachum* ſuum *gravi faſtidio vellicatum ac concuſſum fuiſſe.* Optime notatum a Cl. *Cocc.* נפש ſæpe ſignare τὸ ἐπιθυμητικόν, & ad *appetitum* referri. Sic הריק נפש רעב *Eſaj.* 32: 6. *Evacuare animam eſurientis*, *cavo ventre cibum anhelantis.* Loca paſſim obvia. *Jobus* in *æſtu* dolorum appetebat *conſolationem*, & *recreationem* aliquam: apponitur ei ab *Eliphazo* acerbiſſima invectiva, cui admiſta quidem ad finem conſolatio, ſed ſub iniquiſſima conditione, ut ſe primo *Hypocritam* fuiſſe agnoſceret, qui meritiſſimas criminum pœnas lueret. &c. Jure itaque nunc *Jobus*, *Tangere recuſat anima mea* id genus cenſurarum, *reſpuit* inquam & *abhorret* talia dicta, talia monita, quæ non ſale *ſapientiæ* ſunt temperata, & modeſte applicita; ſed immodeſte, & temere, ingeſta. *Non tangere* velle *cibum*, ſpeciatim quadrat in *immundum*, *infectumve*, de quo dicebatur *ne tangas.* Sic fortior erit ſenſus; neque probem nunc quod adoleſcens tentabam ex نجع *ſaluber* fuit *cibus*, *efficaciam* habuit *oratio*, *exhortatio*; quaſi dicas *tetigit*; nam nec conſtructio quadrat, & tenuis nimis ſententia, quæ requirit *fugam* & *averſationem.* Liquet id tum ex præmiſſis, tum ex adjectis המה כדוי לחמי. Non lubet immorari hallucinationibus, quibus verba iſta huc illuc tracta. Omnino ſequendum cenſeo *Coccejum*, reddentem *ut faſtidita cibi*, niſi quod *putredinoſa* ſimul verti poſſe moneam. Hæc nempe primaria vis radicis דוה دوي *intus corrumpi*, *tabeſcere*, *putreſcere.* Id *Origines* pervincent. דְוֵי *conſtr.* pro דְוִים, a

ſing.

8 Utinam veniret petitio mea! & expectationem meam daret Deus.

9 Placeretque adeo Numini, ut me contereret: altiuſque penetrante plaga me conficeret.

10 Sic

8 מי־ יתן תבוא שאלתי ותקותי יתן אלוה :

9 ויאל אלוה וידכאני יתר ידו ויבצעני :

10 ותהי

ſing. דְּוֶה *part. præſ.* quod eſt *intus corruptum & putreſcens.* לחם vel *cibus* in genere, vel *caro* ſpecialius ex uſu *Arabum* ſub لحم de quo ad *Cap.* 20: 23. *Aff.* in *Dativo* reſolvendum ſæpe eſt. Declarat ergo *Jobus*, ut verbis *Cocceji* finiam, *Amicorum dicta aſpera*, *quod ſale diſcretionis & caritatis carerent*, *ſibi putere, ac fœtere*, *utpote temere & inutiliter fuſa.*

Vſ. 8. Acriter ſic perſtricto *Eliphazo*, qui *importunum*, & *intolerabilem*, geſſerat *cenſorem*, reſumendum mox filum nonnihil interrumpitur, per oppreſſi pectoris ſuſpiria, & *ſingultantia*, ut ſic dicam, *verba*, in cœlum converſa, quibus crimina ſibi objecta validius adhuc refutat, quam ſi directa Oratione *Eliphazum* confutare perrexiſſet. Variatur ſententiis circa cohærentiam. Plerique ſtatuunt rediri ad *Vota Moriendi*, *Cap.* 3. abrupta; quaſi *iterum* nunc *optet quantocyus finiri*, atque ita tandem *miſeriarum capere portum* ac *levamen.* Addit Cl. *Coccejus*, *impatientiæ purgationem ex eo*, *quod etiam in morte ipſa conſolationem ſuam conſtanter ſit retenturus*, *eamque doloribus omnibus oppoſiturus.* Si *Celeb.* interpres per *conſolationem* intellexiſſet *teſtimonium bonæ conſcientiæ*, quo *ſe armatum ſentiebat* invictus noſter athleta, tum adverſus *tela* hominum, id eſt *malignas criminationes*; tum adverſus *jacula Dei*, id eſt, atrociſſimas plagas, quibus ut improbus exſcindebatur, nihil deſiderarem. Sed aliter accepiſſe videtur, & applicuiſſe, *ſolatium* hoc, cum *fide* minime *vacillante in Deum:* nempe ad *futuræ felicitatis certam* atque *immotam ſpem*, quæ efficiat, *ut mortem vehementius* & *ardentius concupiſcat.* Non negem *hunc ſenſum* occultius, & obſcurius, *Jobo* adfuiſſe, eumque animaſſe, ad fortia hæcce dicta, quæ mox enucleabimus, proferenda: ſed ſi iſte *conſolationis radius clare* in *anima* viri *reluxiſſet*, non potuiſſet utique tam dolenter, tamque acerbe, de ſorte ſua deplorare, tanquam quem *Deus terrorum agmine oppugnaret*, *teliſque venenatis* non *extus* tantum, ſed vel maxime *intus*, *transfigeret.* Exiſtimem itaque *Jobum* criminationibus *Hypocriſeos* ad ſui defenſionem animatum, ſubito erupiſſe in *graviſſimam innocentiæ ſuæ*, *præclaræque conſcientiæ*, *teſtificationem*, *ardentiſſimo concepto voto*, *ut Deus ipſum vel diriſſima morte mactet*; *exultaturum quippe tunc ſeſe*, & *triumphaturum*, *quod vere innocens*, *juſtus*, *Sanctuſque Sancti Numinis cultor*, *necem occumberet*, *atque vel ſic tandem miſeriarum finem ac terminum inveniret.* Magnitudinem *affectus* hujus vix cogitatio noſtra attingit, nedum ut eam verbis æquare valeam.

Ibid. Grande votum, & plane extraordinarium, a ſe concipi declarat Noſter, gemina adhibita formula מי יתן *Quis dabit*? & יתן *Det Deus*, cum vocibus שאלה *poſtulatio*, & תקוה *expectatio*, quibus hic innuitur *mors ſubita*, *gravis*, *horrenda*, quam poſt tot *tela*, tot *ictus*, & *expectare* ſe oſtendit, & nunc cum maxime *poſtulare.* Elegans videri poſſet, quod תבוא שאלתי a Clar. *Clerico* revocetur ad formam illam loquendi, qua oratio dicitur בוא *venire*, *intrare in cœlum*; metaph. a *libello ſupplici ad Regem perlato.* Vertendum itaque cenſuit *Vir Doctus*, *utinam perveniret poſtulatum meum ad Deum*; perperam reddi contendens *eveniat petitio mea.* Blanda ſpecies fraudi fuit, nam בוא ſic abſolute poſitum, durius eſt, nec uſpiam proſtat: & ſi proſtaret, hic tamen non conveniret, ubi per בוא *venire* exprimitur *ſubitus* & *celer eventus*, *adventuſve*, *rei poſtulatæ.*

Vſ. 9. Heroico illo impetu & affectu, quem modo indicavi, abreptus & ſuccenſus *Jobus*, optare hic ſuſtinet, *ut omnis Dei ira quantocyus in ipſum deſcendat*, *quo ſub pondere iſto penitus contritus*, *Spiritum exhalare cogatur*;

10 ותהי עודי נחמתי ואסלדה בחילה
לא יחמול כי־לא כחדתי אמרי
קדוש׃
11 מה־כחי

10 Sic exiſtet adhuc conſolatio
mea; & pede terram quatiam cum
exultatione, ſi non pepercerit: nam
non abnegavi verba Sancti.
11 Quid

tur; *quod ipſum ſibi neutiquam expreſſurum ſit confeſſionem hypocriſeos*, *aut improbitatis*; (quam *Eliphazus* urſerat) *ſed potius materiam præbiturum triumphi*, *quod innocens perii ſſet.* In hunc ſcopum tria graviſſima verba collineant. Primum eſt ידכאני *conterat me*, quo ſignatur nunc *exitium* aliquod *dirius*, ut *Cap.* 5: 4. *Pſ.* 44: 20. *&c.* Secundum eſt יתר ידו *ſolvat manum ſuam*, ut vulgo vertitur, a נתר. R. *Salom.* a יתר, *amplificet manum ſuam*, יגדל ידו במכתו *eamque graviorem faciat in plaga ſua.* Bonus ſenſus, ſed נתר non deſerendum; quamvis Docti hæreant in ejus explicatione. Aliis ſcilicet *ſolvat manum* eſt *laxet*, *non amplius me retinendo in vita.* Hoc voluiſſe videtur *Coccejus*, dans, *abducat manum ſuam & finiat me.* Aliis eſt, *extendat manum* fortius percuſſurus; *eamque quaſi ligatam* hactenus *laxet in me.* Cl. *Guſſ.* minus feliciter, *retrahat manum*, *quæ hactenus mihi gravis hæſit.* Hoc cum ſcopo, quem fiximus, directe pugnat. Ne mireris interim varia tentari, ubi verbi indoles haud ſatis perſpecta. Lexica ſub נתר exhibent *Salire*, *exilire*, in *Kal.* in *Hiph.* התיר *ſolvere*, quaſi *ſalire facere* inquit *Coccejus.* Non omnino male. Sed profundior *Origo* ſiſtit *vibramen tinnulum* & *tremulum*, velut *chordæ* vel *nervi*, *ſalientis*, *diſſilientiſve*, *omnis* item *rei tractæ* aut *vulſæ vehementius*. Quomodo notio hæc applicanda veniat ſuis contextibus, jam non proſequor. Hic tantum monebo, ex ſignatis uſibus thematis apud *Arabes* eſſe *attraxit validius* arcum. Item *graviore plaga percuſſit:* nam נתר نتر in Lexico *Goliano* eſt *Confoſſio violenta*, ejuſque *fæm.* نترة נתרה *Confoſſio penetrans.* In *part. præſ.* נותרת ناترة de *Arcu*, eſt *præ duritie chordam ſuam rumpens*; cum *tinnulo* & *tremulo vibramine*, ut facile percipis. Hinc anſa porrecta *Magnificæ figuræ*, qua יתר ידו poſitum pro *vibrantem & alte penetrantem admoveat plagam*, quæ *in cor* ipſum *deſcendat*, meque *uno graviore ictu exſcindat.* Hoc tertio verbo יבצעני completur, quod eſt *finiat me*, & *abſolvat ſemel exſcidium meum.* Non poſſum quin obiter quoque indicem, commodiſſime hic locatum verbum יאל, cujus *Hiph.* infert *inductionem in animum*, & *propoſitum in quo quis ſibi placet*, aut *gratulatur.* Dixeris, *Lubeat Deo*, *in eoque* velut *placeat ſibi*, *ut me graviſſimo exitio exſcindat*, *multo pejus adhuc*, *quam nunc pereo*, neutiquam tamen me *ſontem* eſſe, ac *talia meruiſſe* confitebor, ſed *conſolationem ſaltem præclaræ conſcientiæ*, *innocentiæque*, ſartam tectam, vel in ſæviſſimis doloribus, tuebor.

Vſ. 10. Denſiſſimæ, quibus hic verſus circumfuſus, tenebræ, ad hanc faculam clareſcent. Apparet e veſtigio, quo tendat illud ותהי עוד נחמתי *Et erit adhuc conſolatio mea.* Graviter *conſolationem ſuam* appellat, *conſcientiam* Dei ſinceriſſime culti, nulla hypocriſeos macula contactam. תהי magna emphaſi pollet, *Extabit* videlicet, atque *ut murus aheneus ſubſiſtet*, *nullo* vel hominum *præjudicio*, vel Dei ipſius *judicio*, *convellendus*, ac ſi *meritas luerem pœnas*, atque *improbitatis* ſive *apertæ*, ſive *occultæ*, me alligaſſem. Sequens membrum ואסלדה בחילה in diverſa trahitur, quod thema סלד ſit ſolitarium. Aliis ergo eſt *uror dolore*, vel *exæſtuo*, vel *conflagro*; quibus præiverunt *Nachmanides* & *R. Abrah. Periz.* ex uſu *Thalmudico*, in *aduſtione* & *contractione.* Ex eodem fonte *Coccejo* placuit, *etiamſi contrahar*, *corruger*, *indureſcam præ dolore*, quaſi *aduſtus* inferno quodam *æſtu* ac *igne.* Levicula mutatione *Schmidius* maluit, *ut obrigeſcam in dolore*, hoc eſt, *inter dolores expirem*; & *extinguar.* Aliis, item ex uſu *Rabbinico*, qui eſt, *indureſcere*, arriſit *durarem*, *corroborarem*, *refocillarem me in dolore*,

lore, quantumvis *acerbo*, ſi modo *finirer*, ac *perimerer*. Huc *Merc. Piſcat. Belgæ.* Iſta *duritas* apud *Arabes* quoque extat ſub صلد, atque ad *firmitatem & conſtantiam* ſe applicari paritur. Eundem fere ſenſum Alii jam exſculpſerant ex præcedenti notione *flagrandi*, ut ſit *calefaciam me in dolore*, pro *recreabo me*, quin, ut *Bolducius* vult, *totus amore ac zelo inflammabor*, & *ſubſiliam*. Aliis iterum *Rabbinis* eſt *ſupplex orare*, quibus acceſſit Clar. *de Dieu* vertens, *& ſupplicarem in cruciatu immiti*. Ligat לא יחמל cum חילה, ut ſit *dolor qui non parcit*, *crudelis*, quam *Enallagen generis* frequentiſſimam ait *Hebræis*. Hoc mihi nullo ſeſe pacto approbat; omniumque tenuiſſimum cenſetur. *Supplicationem* tamen reliquis præferendam judicat Cl. *Guſſet.* hunc pandens conſpectum loci, *velit Deus me conterere.* &c. *Adhuc tamen ſubſiſtet conſolatio mea*; *& eum rogabo in medio dolore ne parcat. In vehementiſſimis etiam doloribus conſcientia integra ſuffultus conſtans ero.* Vides Virum *Doctiſſ.* haud procul abeſſe a ſcopo, quem præfixi; ſed ſentis ſimul, illud *ſupplex orabo*, vel *rogabo*, non ſatis reſpondere *forti* & *Heroico affectui*, quem hic *Jobus*, ad *Innocentiam* ſuam *defenſandam* zelo quodam vehementiore impulſus, induit. Iſti *exaggeratiſſimæ magnitudini animi* unice videtur convenire, quod ex uſu *Arabum* ſub صلد olim produxi, *terram pede percuſſit* Equus. In *Camuſo* enotata hæc ſingularis poteſtas.

صلدت الدابة ضربت الارض بيدها في عدوها *Dicitur* צלד *de jumento quum anteriore pede terram quatit in curſu ſuo.* Ne offendat mutatio Elementi, adiſis *Clavim*, ubi reperies nil tritius eſſe in hiſce Linguis; atque pro נס in *Arabia* ſonari نص *ſignum erectum*, ac *vibrans*; pro ספק *plauſit*, *comploſit*, صفق; pro חום *connivuit*, حاص & خاص: pro עלץ *exultavit* apud *Hebræos* ipſos עלס; qualia complura facile congerentur, ſi tanti ſit, rem dubio exemptam agmine exemplorum adfirmare. Equinum hocce *χανέλιγμα* deſcriptum *Job.* 39: 21. *Arabes* appellant خبالة חילה, ipſumque *Equum*, vel potius *genus equorum* خيل חיל a *ſtrenua* quaſi *ſuperbia*, & *magnanimitate*, quam *Hebræi* ſub חיל frequentarunt. Inde jam אסלדה בחילה venuſte vertere licet, *Terram pede percutiam cum ſtrenuitate*, *ſi non pepercerit*, vel *quum non pepercerit*, ſed *omnem iram ſuam in me effuderit.* Miram profecto magnanimitatem; qua ſe vel contritum, contuſumque plagis *θιγλάτοις*, gaviſurum gloriatur *de teſtimonio conſcientiæ ſuæ*, deque *conſolatione* inde *redundante* ad eum, qui ſe immerito talia pati ipſum Deum teſtem invocare audet. Vides ſanctam quandam ipſius Dei provocationem, ut ſic dicam; in qua ut elucet *Virtus radicibus immotis ſubnixa*, & *animi ſibi nihil conſcii intaminata puritas*; ita negari nequit, animoſius, quam par erat, Adfectui magnanimo ab Heroë noſtro indultum fuiſſe. Imago equi *χαυριῶντος* non minus appoſita huic ſedi, quam ſplendida. Ea uſus in non abſimili occaſione *Gregor. Nazianz.* in *Carm. de vita ſua.*

Ἐγὼ πῶς μὲν, ὥσπερ ἵππος δέσμιος,
Καὶ περ κακοῖς τι καὶ νόσῳ πεπεδημένος,
Εἶδον κροαίνων οὐκ ἐπαυσάμην ποδάς.

Morbis maliſque confectus, *intus terram pedibus quatere non deſii inſtar equi vincti.* Ad hunc ſenſum quam proxime acceſſit *Perizolides*, qui monuit סלד hic exerere poſſe ענין רקוד *notionem ſaltandi*, itemque חילה a מחול *chorus*, vim *lætitiæ*, ut ſit *exilirem præ lætitia.* Rejectum id a *Mercero*, quod חילה a מחול ſit durius, & חיל alibi *dolorem* ſemper denotet. Nec ego illud מחול huc inſeruerim, ſed ajo non minus *ἀναλογῶς* חִילָה noſtrum derivari a חַיִל *ſtrenuitas*, *virtus animi*, *magnanimitas &c. &c.* quam a חִיל *dolor*. Si quis tamen poſterius malit, habebit *pede terram quatiam in* medio *dolore*, *ſi non pepercerit*; *atque in cruciatu mortis diriſſimæ*, *triumphum conſcientiæ nullo crimine contactæ obtinebo.*

Ibid

11 מה־כחי כי איחל ומה־קצי כי־אאריך נפשי׃

12 אם־כח אבנים כחי אם־בשרי נחוש׃

13 האם

11 Quid robur meum, ut lenta ſpe utar; & quis finis meus, ut patientem traham ſpiritum?

12 An robur lapidum robur meum? an caro mea ænea?

13 An

Ibid. Fundamentum hujus fiduciæ, & gloriationis, ſitum in *conſtantiſſimo* ac *ſinceriſſimo* Dei *cultu*, tum *privato*, tum *publico*. Id per *μείωσιν* expreſſum, *Non celavi*, vel *non abnegavi verba Sancti*; hoc eſt, & *corde* & *ore cœleſtes veritates*, *ac doctrinas*, *profeſſus ſum*; *atque Dei gloriæ in iiſdem propagandis ſincero affectu ſtudui.* Idem fere iiſdem verbis extat *Pſ.* 40:11. plenius tamen, *juſtitiam tuam non texi in medio cordis mei*; *veritatem & ſalutem tuam enunciavi: non celavi gratiam tuam cœtui magno.* Clar. *Cocc.* hunc ſenſum fuſius declaravit. Aliena ſunt quæ habet *de Pineda.* Languet quoque quod *Mercerus* dedit. Nec *Schmidius* vim dicti exhauſit, quum *celare verba Dei* exponit, *ea in corde ſuo obruere & ſupprimere.* Recte tamen tenet, *maculam hypocriſeos depulſum* his verbis *iviſſe* noſtrum.

Vſ. 11. Ardentiſſimi voti aliam adhuc annectit rationem, oſtendens ſe propterea quoque optare, ut *iræ Divinæ ultimo*, ac *decretorio*, *ictu atteratur*, quod *nec robur* ſibi *ſuppetat*, ad tanta mala diutius toleranda, nec *finis* ullus *appareat*, ad eadem patienter eduranda, atque evincenda. Thema יחל ex *Origine* ſua indicat *lentas* ac *tenaces moras*; *expectationem longius protractam.* Altera phraſis האריך נפש *produxit*, *protraxit animam*, ab ארך *longus fuit*, varie exponitur. Multis eſt *producere vitam*, ex uſu illo quo *anima* notat *vitam.* Mavult *Coccejus* nunc *cupiditatem*, ut ſit *extendere deſiderium ad* ulteriora *bona* hujus *vitæ.* Tentat quoque, *ſuſtinere & differre deſiderium moriendi.* In iſtum ſenſum commodius autumem, quod aliis viſum, *longanimitatem & patientiam* deſignari. Nempe קצר אפים *Brevis narium*, eleganter pro *iracundo*, *impatiente*, uſurpatur. Idem קצר רוח *brevis ſpiritu*, pro quo & קצר נפש *brevem animæ* efferre licet. Speciatim *brevitas animæ* eſt *tædium. Num.* 21:4. & alibi. Contra *Longanimis* ac *multo patientiſſimus* vocatur ארך אפים *Longus narium*; quem & ארך נפש dictum fuiſſe, quamvis exempla deficiant, dubitari vix poteſt. Ergo האריך נפשו *prolongare animam ſuam*, eſt *longam patientiam exercere.* Id fecerat *Jobus*, ut ad *Cap.* 1. & 2. vidimus; & fecerat magnifice, Heroice, ſupra quam ab homine expectari potuiſſet. Interim debilitatus, exhauſtus, fatiſcens, nullam reſpirationem tantorum malorum inveniens, atque inſuper ſiniſtris ſuſpicionibus Amicorum agitatus, *Aduſta verba ex pectore uſto*, ac *æſtuante*, *emiſerat.* Quum *æſtum* illum *lenire* debuiſſet *Eliphazus* verbis mollibus & teneris, eum aſperrima cenſura reddit vehementiorem, tum *Hypocriſeos*, tum *impatientiæ ſuperbiſſimæ* reum agens Amicum. Hoc crimen ergo depulſurus, rogat nunc, *Quid roboris mihi*, ut *lenta expectatione* tantis amplius malis *reluctor*? *Et quis finis meus*? quis tandem terminus, quæ meta miſeriarum ineluctabilium, magiſque ac magis ingraveſcentium? *ut producta anima patientem me præbeam*; ut *longa* ac *pertinaci patientia me obfirmem*, *ſimulque ſpe exitus læti confirmem*? Non eſt, quod illo me ſolatio paſcam; ſpes opeſque meæ funditus periere. Nil ſupereſt quam ut *innocens diram necem occumbam*, *expiremque* ſub Dei manu, ut tandem aliquando *reſpirem.* Qui hoc pacto *impatientiam*, vel potius *tædium vitæ*, ſtatui ſuo non male convenire diſputat, is oſtendit ſe hactenus ab *impatientia* non eſſe *victum*, quamvis ab ea plane *intactus* atque immunis dici nequeat.

Vſ. 12. Nihil eſt, quod hic quemquam detinere poſſit. Notæ ſimilitudines, vel potius formulæ proverbiales. Nimis ſubtile eſt, quod prius membrum de *mentis*, poſterius de *corporis viribus* capiendum velint nonnulli.

Fun-

13 An ſi non eſt auxilium meum in me, etiam ſolida ratio expulſa eſt ex me?

13 האם אין עזרתי בי ותושיה נדחה ממני׃

14 Qui

14 לםס

Fundaſſe videntur argutiam in ביכר ultimi coli; quod valde precarium, & coactum. Ceterum nil tritius omnibus in Linguis quam *Lapideos*, *ſaxeos*, *ferreos*, dici homines immania quæque tolerare aptos natos. Σιδήρεον ἦτορ paſſim *Homerus* aliique; quin & σὰρξ σιδηρείη, *Caro ferrea* apud *Theocr. Id.* 22: 47. cujus ibi luculentiſſima pictura vicem omnium ſupplebit. Deſcribit *Regem Bebrycum*, *vaſtique corporis giganteam molem.*

> Στήθεα δ' ἐσφαίρωτο πελώρια, καὶ πλατὺ νῶτον
> Σαρκὶ σιδηρείῃ, σφυρήλατος οἷα κολοσσός.
> Ἐν δὲ μύες στερεοῖσι βραχίοσιν ἄκρον ὑπ' ὦμον
> Ἕστασαν, ἠΰτε πέτροι ὀλοοίτροχοι, ὥστε κυλίνδων
> Χειμάῤῥους ποταμὸς, μεγάλαις περιέξεσε δίναις.

Pectora vaſta conglobatus, & latum dorſum, carne ferrea, inſtar coloſſi erat malleo excuſi: in validis autem brachiis muſculi exſtabant, ſub ſummo humero, ceu ſcopuli rotundi, quos volvens torrens fluvius magnis circumrotat gurgitibus. Quadrat huc illud *Cicer. Acad. Qu.* 4. 31. *Non enim eſt e ſaxo ſculptus, aut e robore dolatus homo; habet corpus, habet animum: movetur mente, movetur ſenſibus.* E *Græco* fonte hæc hauſta, οὐκ ἀπὸ δρυὸς, οὐκ ἀπὸ πέτρης, quæ in proverbium abierunt.

Vſ. 13. Obſcura cohærentia; & multa opinionum diſcrepantia. Primam claſſem conſtituo eorum, qui *negare* putant *Jobum*, *quicquam ſibi auxilii opiſve adeſſe: ut proinde non ſit quod ulterius ſperet, ſeque erigat.* In hanc mentem τὸ האם *Vulgatus* dedit, *Ecce*, quod plenius dari poſſet *Certe Ecce*; ut olim conabar. Cl. *Cler.* per *Ellipſin*, cum *interrogatione* verum eſt, *nullum in me eſſe auxilium*, *& a me facultates eſſe amotas*? Refert ad *facultates* & *divitias amiſſas*, tenui nimis ſenſu. R. *Salom.* & *Ab. Eſra* adjunxerunt *inopiam conſilii in eo, qui ab amicis ſuis erat deſertus*, quod & *Vulgatus* intendiſſe videtur. Non multum hinc abeſt Cl. *de Dieu*, continuari putans periodum per *l ſ.* ſeq. hoc pacto, *An ſi non eſt auxilium meum in me, & conſilium expulſum eſt ex me, Liqueſcenti amicus ejus convicium erit? &c.* Idem tamen mox tentat facie rerum converſa cum *geminata interrogatione* fortiter confutante, *An, an non eſt defenſio mea penes me? & ſapientia expulſa eſt a me? An liqueſcenti amicus ejus opprobrio erit?* Id ipſum voluerat *Mercerus*, האם אין vertendum contendens *Numquid non*, atque hunc præbens conſpectum, *Numquid non meum in me auxilium eſt?* Huc conceſſit quoque *Schmidius*; ut ſecunda ſic exiſtat claſſis, eorum, qui contrarium plane ſenſum inducunt; ac ſi aſſeveraret Noſter *ſuam ſibi innocentiam*, veramque *rationem* defenſionis, ac *ſapientiam*, *ſatis conſtare.* Iſta ſententia melius quadraſſet poſt *Vſ.* 10. Nunc ſeriei unice aptum autumarem quod dedit Cl. *Cocc. An, ſi non eſt auxilium meum in me, etiam veritas a me propulſa eſt?* Hoc eſt, *An quia ipſe me met juvare nequeo, nec per me ex malis hiſce eluctari, inde conſequitur, me veritatem non retinere?* Habes mediam viam inter duas ſuperiores, qua reditur ad Amicorum refutationem & juſtam reprehenſionem, quod ipſum tanquam *Hypocritam damnaſſent*, atque תושיה *ſolida virtute, veritate, Religione, ſapientia, carere judicaſſent, quia ad extremas miſerias redactus, nullum inde exitum reperiebat.* נדחה *expulſa eſt* habet decus & pondus in hac ſede. Pathetice dictum quoque, *ſi non eſt auxilium meum in me ipſo?* אין עזרתי בי *ſi vi & potentia ſuperiore teneor concluſus, & conſtrictus iis anguſtiis, unde emergere, meque ipſe evolvere, nequeam.* Dolenter ſimul innuit, *Divinam opem* fruſtra hactenus *imploratam*, ſibi *penitus ſubtrahi* ac *negari*; nec minus *auxilium*, *ſolatiumve humanum*, erga ſe *ceſſare.* Omnia tenerum, placidum, miſerationis plenum πάθος ſpirant ſimul & inſpirant.

Vſ. 14.

14 למס מרעהו חסד ויראת שדי
יעזוב :

14 Qui miſericordia erga amicum contabeſcit, is & timorem Omnipotentis deſerit.

15 אחי בגדו כמו נחל כאפיק נחלים
יעברו :

15 Fratres mei perfide egerunt ut torrens, ut alveus torrentium, diffluxerunt.

16 הקדרים

16 Qui

Vſ. 14. Tam ambiguum hunc verſum agnoſcit *Mercerus*, ut vix duo ex *Hebræis*, *Noſtriſve*, conſentiant. Horum conatus quam plures, apud eum reperiundos, non exſcribo; Ipſe filo & ſtructuræ congruentiſſimum autumat, *Liquefacto*, tabefacto, conſumpto, confecto malis, *a ſocio ſuo benignitas* præſtanda eſt; *ac nunc ſocius meus timorem omnipotentis deſerit.* Vel, *Alioqui timorem Domini deſeret.* Id a *Belgis* quoque expreſſum, pulchre cohæret cum ſequenti ſimilitudine, ſed eſt paulo coactius. Alii *interrogationem* putant continuari, *An liqueſcenti, a ſodali ſuo erit convicium? & quod timorem omnipotentis deſeruerit.* Nempe חסד uno alterove loco videtur inferre ὄνειδος *probrum.* Cl. de *Dieu* non abſimiliter tentavit, *An liqueſcenti Amicus ejus convicium erit?* ſine *interrogatione* maluit *Schmidius*, *Contabeſcenti a ſocio probrum fit &c.* quaſi alluderetur ad aliquod Dictum omnium ore celebratum, *Miſeris & ærumnoſis parata* vel ab amiciſſimis *probra*, *atque convicia.* Sequenti colo hunc ſubjicit ſenſum: is autem *ſocius timorem Dei deſerit*; atque ita *perfide agere* deprenditur. Libere nimis Cl. *Clericus* exhibet, *Liqueſcenti Amicus miſericordiam, & metum omnipotentis relinquit*; vel, *Ei qui contabeſcit, miſericordia & timor Dei ab amico relinquuntur*; neque tantum aliis forte, quantum ſuo Auctori, hæc arridebunt. Cl. *Coccejus* triplicem offert faciem. Prima eſt, *Qui tabeſcit ab amico ſuo probro, etiam timorem omnipotentis relinquet?* Altera, *Qui contabeſcit a ſocio ſuo quoad benignitatem, &c.* Hoc eſt *erga quem ſocii benignitas tabeſcit; an & is Dei timorem reliquiſſe cenſebitur?* Tertia, *Qui per ſocii charitatem* præpoſteram *contabeſcit, & talibus dictis magis adfligitur quam erigitur: an & is timorem Dei deſeret, abjicietque, iſtis ſuaſionibus hypocritice aſſentando?* Hoc celeb. Interpres putat efficere pulcrum & rei aptiſſimum ἐξύμωρον, primum, quem elegit, ſenſum, non interimens, ſed venuſte illuſtrans. Mihi *media ſententia* magis rideret, cum *Vſ.* præced. in eundem ſcopum exitura; ſed duriuſculum eſt, *Tabeſcere* a ſocio *ſuo quoad benignitatem*, pro *ea deſtitui*; ſimpliciuſque cenſerem, *Ea ſocium deſtituere.* Sic inverſo ordine רֵעֵהוּ *ſocius* erit ipſe *Jobus*; מם חסד *Tabeſcens quoad miſericordiam & officium charitatis* erit *Eliphazus* cum reliquis Amicis. Vox חסד ſecundum primigeniam indolem adfert *confluxum lactis ad ubera*, unde metaph. aſſumta ad *ubertatem bonitatis*, *caritatis*, *gratiæ*, *omniſve officii.* Sentis quanta *venuſtate* & *granditate* figurari potuerit מם חסד *Tabeſcens quod ad ubertatem a ſocio ſuo*, eique ſuum officium *exulcerata* & alienata *mente* ſubtrahens: nam *ubera tabida emarcuiſſe* rectiſſime dicuntur, eorumque *ubertas extabuiſſe.* Præpoſito ל emphatice *Nominativum* ſignare amat, quam vim hic agnovit Cl. *Cocc.* firmavitque ex *Eſaj.* 32: 1. in ולשרים *Et Principes.* Si reſolvas, *Et quod ad Principes*, eodem tamen redibitur. Trecenta talia extant; & nil protritius apud *Arabes*, ut ſæpiuſcule monitum, & monendum veniet. Arctiſſimus hinc exoritur nexus cum ſequentibus, reſumto nempe filo refutationis *Amicorum*, quod inclementer, quin & perfide, *Socio* ipſorum adflictiſſimo debitam ſubtraherent charitatem, eique *Timorem* Dei *detraherent*, pro *improbo* lacerantes, ac vexantes Eum, qui tenerrima compaſſione complectendus & recreandus fuerat. Jubet ergo Amicos in ſe deſcendere, ac perpendere *an non ipſi potius Timorem Dei deſeruiſſe* cenſendi ſint, *qui erga ſocium* ſuum *contabuiſſe* reperiebantur, eique officia communiſſima caritatis denegare. Habes ſenſum quem exhibuit *Hieronymus*, *Qui tollit ab amico ſuo miſericordiam, timorem Domini derelinquit.* Eum amplificatum dabit ejuſdem *Commentarius*; nec non

de Pineda, ad quem remitto; qui כם חסר exponit *diſſolutum* & *liquefactum*, *in miſericordia*, *ab amico ſuo*: id eſt, qui *deficit*, *langueſcit*, & *friget* in caritate, caritatiſque officiis amico miſero præſtandis.

V. 15. Illuſtris comparatio ſuſcipitur, qua hæc quaſi *tabes amicitiæ*, & *caritatis* ac *miſericordiæ defectus* dicam an *deliquium*, gravibus figuris expingitur per ſex continuos verſiculos. Omnia ad genium interiorem *Arabiæ* ſunt conformata; unde nil mirum ſi multi parum in his vidiſſe reperiantur, quibus ad illa ſacra vel non licet, vel non lubet accedere. Mirere interim etiam eos, qui *Arabica* tractarunt, ad aliena potuiſſe delabi; quale eſt ad hunc *Vſ*. quod dedit Cl. *Hinkelm*. in *Præf*. ad *Alcoran*. *Verbum* בגדו *hic non notat perfide egerunt*, *quippe quod flumini nemo tribuat*, *ſed uſus Arabicus* ♉ بجد *eſt attendendus*; *conſtitit*; *ſubſtitit in loco*: *ut vel ironice ſit dictum*; *vel contraria obtineat ſignificatio*, *pro minime ſubſiſtunt*. Severius *Arabizandum*; talia enim ſuſpectum reddunt ſtudium; non commendant; quum iſto ſenſu nihil ſit dilutius. *Perfidum torrentem* quidni dicamus? cujus *aquæ* ſunt *mendaces* אשר יכזבו מימין phraſi *Eſajæ*, *Cap*. 58: 11. Idem ex adverſo *Aquas fidas*, pro *perennibus* elegantiſſime poſuit *Cap*. 33: 16. Alia hujus naturæ tum in ſacris, tum in profanis, obvia, non congero, ut in rem præſentem veniamus. Scilicet *Aquam* omnem *reſtagnantem*, & *ſubito imbrium fluxu orientem*, ſignate *Arabes* appellitant غدير & غدر, a Radice غدر *perfide egit*, *ſtagnum* videlicet tale *ſubita exhalatione ſiccari* ſolitum, *ludit ſpes* ſitientium *aquis perfidis* quaſi. Veriverbium pulchrum tetigit, & illuſtravit *Gjauharius*

غدير قطعة من الماء لان يغدر
باهله اي ينقطع عند شدة
الحاجة قال الكميت

ومن غدره نبزوا الاولون
اذا لقبوا الغدير غديرا ☼

Gadyr vocatur pars aquæ reſtagnans, *quod perfide agat contra ſuos*, *hoc eſt intercipiatur quum maxime ea indigerent*. *Dixit Cummeithus*,

A perfidia infamarunt illud veteres.
Quum ſtagnum Gadyra cognominarunt.

Plenius, & clarius *Scholiaſtes* ad *Moallekat*

سمي الغدير غديرا لان
المسافرون يمرون به وهو ملان ماء
ثم يرجعون فلا يجدون فيه
شيا فكانه غدر بهم

Stagnum nominatum fuit Gadyr, *quoniam viatores illud trajiciunt aquis plenum*; *ſed deinde reverſi nihil in eo inveniunt*, *ut quaſi perfidum in eos fuiſſe cenſeatur*. Dabo adhuc propius aliquid, proverbii vim nactum, ſub تلعة *Alveus per quem aqua e monte defluit in vallem*, nec non *ipſe torrens*, unde formula percrebuit لا اثق بسيل تلعتك *Non fido tibi*, apud *Golium* noſtrum: proprie *non fido fluxui torrentis tui*. Sic in *Hamaſa*

يا تلع سيلك غامض

O Torrens fluxus tuus ſubſidit.

Perſtringitur *amicus perfidus*. Ad eum locum *Tebrizius* duplex laudat *Proverbium*

يقال في المثل فلان لا يوثق
بسيل تلعته اذا كان غير
صدوق في اخباره ويقال ايضا
لا اخاف الا من سيل تلعتي
اي من قرابتي وبني اعمامي

Dicitur proverbialiter, *non fiditur illi in fluxu torrentis ſui*, *pro*, *non habetur in rebus ſuis verax*. *Similiter dicitur*, *non metuo niſi a fluxu torrentis mei*, *hoc eſt a propinquis & patruelibus meis*. Illud *mei* deſignat *neceſſitudinem*, qua *jure opem* ab iis expectes, qui omnium *fallaciſſimi* in *neceſſitate* deprehenduntur. Utram-

16 הקדרים מני־קרח עלימו יתעלם־שלג׃

16 Qui turbidi ruunt a glacie: ſuper eos æſtuans deſævit nix.

17 בעת

17 At

tramque imaginem *Torrentis* & *Stagni* complexus eſt *Ibn Doreid.*

هم البحور زاخرا اذيها
والناس ضحضاح ثغاب واضا

Illi ſunt maria quorum unda abundans eſt:
Reliqui vero aquula in convallibus reſidua ac ſtagnis.

Eſt aliud *proverbium* اكذب من يلمع *Mendacior quam ſpecies apparens aquæ*, quæ alias سراب, unde multiplex anſa data *Arabibus* ad deſcribenda ea, quæ *multa* & *magna pollicitantes*, nihil *præſtant*, ſed *ſpem* aliorum *deludunt*. Unum exemplum modo adducam ex *Conſ.* 20. *Haririi* يا يلامع القاع ويرامع البقاع *O ſpecies aquoſæ campeſtrium; & lapides albicantes vallium.* Notantur homines parum *liberales*, & *pumicum* inſtar *aridi*. Ceterum בגד *perfide agere* eadem fere elegantia adhibitum *Prov.* 25: 19. ubi מבטח בוגד extra ſtatum conſtructionis grandius quid ſonat, nempe *confugium perfidum*, quod in *neceſſitate* deſtituit & deludit. יעברו a Cl. *Cocc.* nectitur cum *torrentibus*, qui dicantur *tranſire*. Idem *Mercero* placuerat, *torrentes qui tranſeunt* exponenti, *qui rapidiſſime feruntur*. Mallem dixiſſet, *qui evaneſcunt* vel *dilabuntur*; & dixit, ſed non tenuit, quum ita pergit. *Poſſet intelligi* יעברו *tranſeunt, de ſociis; ut ſit, ſocii mei evaneſcunt more torrentium: qui videbantur ſummo affectu veniſſe, ut me ſolarentur, jam vaniſſimi ſunt; ac pro ſolatio quod expectabam, contumeliis me afficiunt. Hic loci ſcopus eſt. Malim tamen tranſeunt de torrentibus exponere.* Mihi perinde eſt, quam quis ſtructuram ſequatur: ex utraque enim idem plane ſenſus redundat, e duplici poteſtate עבר emanans, quod hic eſt *dilabi* partim *in aqua evanida*, non *manente*; partim *in amicis evaneſcentibus* ad inſtar *talium aquarum*, quippe *perenni vena* carentibus *caritatis*, & חסד *ubertatis* in conſolando, quam *Adflicto* præſtare debuiſſent *in æſtu flagrantiſſimo miſeriarum.*

Vſ. 16. Dubium movetur haud leve, continueturne ſimilitudo inſtituta de *Torrentibus*, an ad aliud tranſeatur. *Schmidius* poſteriorem ſententiam ſequens, mirificum hinc exſculpſit proverbium, *Nigriores pruina, candidiores volunt eſſe nive*, ita *ut* etiam *Nix propter illos obſcuretur, offuſceturve; & de albedine iis cedere cogatur.* Dictum illud quadrare autumat in *atris moribus præditos*, quamvis *nivei* velint videri. Duriſſima vertendi ratio in poſteriore colo; & a natura verbi עלם plane aliena. Prius quoque quam coactum ſit, quilibet ſentit, quamvis ei colorem quæſiverit Cl. *Crom.* ex *Pſ.* 147: 19. ubi *Nix* comparatur *Lanæ*, & *pruina cineri*, *ſubnigro* ait Vir Doctus, ego dicerem *Albicanti*. Aliud adhuc tentatum *Schmidio*, quod æque friget, *Qui nigri fiunt a pruina, ſuper iis abſconditur Nix.* Hoc eſt. *Amicos meos qui exiguum quid propter me ſuſtinere timent, majus feriet damnum, & malum, ut plane intereant:* vel ſub interrogatione, *Qui denigrantur pruina, num hi ſuſtineant nivem? Qui tam levia non ſuſtinetis, quis vobis in gravioribus confidat?* Cl. *Cler.* reddens, *Qui atri ſunt præ pruina, eos occultat nix*, ad ipſum *Jobum* applicat hoc ſenſu, *ut qui ob exceptam pruinam colorem aduſtum habent, interdum & nive obruuntur: ita ego cum omni genere calamitatum conflictatus, veſtris præterea contumeliis obruor.* Bene ſubjecit, eſſe *meras conjecturas* quicquid a *Veteribus* & *Recentioribus* allatum, eaſque *non admodum probabiles*. Verſio *Græca* ſimile quid offert, in poſteriori ſaltem parte, *Qui me reverebantur, irruunt in me ut nix, aut gelu concretum.* A *Vulgato* paulo commodius datum, *Qui timent pruinam, ſuper eos irruet nix.* Id *Hieron.* de ipſo *Jobo* ſic expoſuit,

Me-

Metuebam peccata etiam minima perpetrare; ne Dei in me ultio deſæviret: & ecce nunc ita punior ac ſi immania ſcelera commiſerim. Recentiores ad *Amicos* retulerunt, eo fere modo, quo *Schmidium* feciſſe vidimus; *Qui exigua horrent, maximis malis percellentur.* Agmen longum claudat *Bolducii* interpretamentum mirificentiſſimum, *pullati a gelu, juxta eos occultabitur nix.* Hoc eſt, *Qui pullati & mœrentes venerant* Amici, *ut mihi* Amico *compaterentur, tamen in corde ſic algent, ut eorum frigus internum ſuperet rigorem nivis, quæ iis comparata, velut pudefacta ſe geſtiat abſcondere.*

Ibid. Omnes has interpretationes delet certiſſimus nexus, quem Alii felicius tenuerunt, ut *deſcriptio Perfidorum Torrentium Poëtice amplificetur, & aliquot VV. continuetur.* Sed & hic divergium exiſtit, aliis enim videtur *duplex perfidia Torrentium* pingi; *hyberna* altera, altera *æſtiva*: aliis *ſimplex* tantum, quæ *hyeme* multa promittens, *æſtate* nihil præſtet. Qui prius ſequuntur, volunt hoc verſu notari *hybernam* ut ſic loquar *perfidiam torrentium*, qui *conglaciati, ac nivibus contecti non ſuppeditent aquas ſitienti viatori.* Improbat opinionem hanc *Mercerus*, *quia a fluminibus*, inquit, *aut torrentibus glacie compactis nemo hyeme aquam expectat, aut refrigerium.* Id abſolute verum eſſe, haud conceſſerim, ne in noſtris quidem oris; nedum in *Arabia*, ubi modeſtiores hyemes; & *rarior* illa *conglaciatio*, qua *flumina* & *torrentes* ſic *gelu* ac *nivibus conſtringuntur*, ut *nullam* ſui *copiam præbere* poſſint. Ergo utcumque ſententia illa, quæ *geminam* torrentium *fallaciam* deſcribi autumat, tolerari poſſet. Planiſſime tamen aſſentio iis qui *ſimplicem* ſtatuunt *comparationem*, quæ repræſentet χειμάῤῥους *tempore hyberno multa nive auctos* & *aquarum perennem copiam oſtentantes*; ſed *ad primum calorem* ita *decreſcentes*, ut tandem *penitus exareſcant.* Confer potiſſimum in hanc ſententiam *Mercerum*, *Clarium*, *Vatablum*, *Grotium*, *Codurcum*, *Coccejum*, nonnihil tamen circa vim vocabulorum diffidentes; quum alii geminum verſiculi membrum referant ad *torrentium aquas conſiſtentes, & gelu ac nive denſa obſcuratas, atque coopertas*; alii, ad eorundem *aquas turbido impetu* e montibus *ruentes*, & *reſolutas* ac *liquefactas nives ſecum trahentes.* Prius placuit *Belgis*, nec non *Mercero*, ac *Coccejo*, vertenti, *Qui nigri ſunt a glacie; quibus ſe inſternit nix.* Pro eo obtuli in *de Defect. p.* 165. ex *Origine* verbi עלם *ſignavit*, hanc valde venuſtam imaginem, *Qui atrati, aut, fuſcati ſunt a gelu; ſuper eoſque obſignat ſeſe*, vel *obſignata jacet nix.* Habes & *nivem nive cumulatam*, quam in verbo יתעלם *tegit ſeſe* contineri putabat *Mercerus.* Alterum, quod *Grotius* & *Codurcus* ſiſit, & revera convenientius eſt ad indolem hujus ſimilis, non tamen ſat prono fluit alveo, ſi ſueta verbi התעלם poteſtas retineatur, unde *ibid. de Defect.* tentavi, *Qui turbidi incedunt, a gelu* reſoluto, ſuper eoſque *juvenatur nix*, id eſt *fervido impetu* ac *æſtu* in eos torrentes *colliquefacta decurrit*, ita ut ſubito *ingentem aquarum copiam vehant*, & *perennia mentiantur flumina.* A עלם *puer; adoleſcens, juvenis*, ſuſpicor novam ſignificationem accreviſſe Radici, quæ eſt νάζειν, vel potius ἀκμάζειν, aut ἡβᾶν, quibus verbis *Græci* exprimere amant omnem *impetum vehementiorem*, & *fervidius agentem.* Idem ſub התעלם obtinuiſſe patet ex *Camuſo*, ubi reperio اغتلم exponi هاج *cum impetu ruere, ſævire*; notione ſecundaria, quæ a *pubeſcenti*, hactenus tamen *ſignata*, *juvenitate* eſt deducta. Eam ad *Aquas* quoque transferri potuiſſe patet iterum ex *Camuſo*, ubi اغتلم الماء אעתלם אלמאי declaratur per سال *Aqua fluxit*; quo fundamento jam verti poſſe liquet, *Super eos fervente impetu defluit nix*; quæ vis ſignificandi uno verbo התעלם admirabiliter comprehenſa.

Ibid. In hunc poſteriorem loci noſtri conſpectum me inclinare haud diffiteri poſſum, quantumvis prior ille, cum *obſignatione denſioris nivis*, ferme aſſenſum eblandiatur. Nempe הקדרים *Atrati, offuſcati a gelu*, in *frigore concretis torrentibus* minus concinne enunciatum videri poſſet; quum contra apte quadret in *aquas turbidum fluentes*, quum, ut Poeta ait,

Ra-

17 בעת יזרבו נצמתו בחמו נדעכו ממקומם :

17 At ſole icti ſtatim abolentur, atque cum calore extinguuntur e loco ſuo.

18 ילפתו

18 De-

Rapidus montano flumine torrens

ſeſe infert; atque omnia ſecum aufert, ſecundum luculentiſſimam deſcriptionem *Iliad.* XI. 492.

> Ὡς δ' ὁπότε πλήθων ποταμὸς πεδίονδε κάτεισι
> Χειμάῤῥους κατ' ὄρεσφιν, ὀπαζόμενος Διὸς ὄμβρῳ
> Πολλὰς δὲ δρῦς ἀζαλέας, πολλὰς δέ τε πεύκας
> Ἐσφέρεται, πολλὸν δέ τ' ἀφυσγετὸν εἰς ἅλα
> βάλλει.

Alia loca ex *Homero* reperias apud *Scal. L.* 5. *Poet. p.* 555. Adde *Sil. Ital.* 4: 522. & 17: 123. ut & *Ovid. Faſt.* 2: 219.

> *Ecce velut torrens, undis pluvialibus auctus,*
> *Aut nive, quæ, Zephyro victa, repente fluit;*
> *Per ſata, perque vias, fertur: nec ut ante ſolebat*
> *Riparum clauſas margine ſinit aquas.*

Nempe, *Turbidus amnis proruit, & ripas ſpumanti gurgite laxat, vere novo gelidus canis cum montibus humor liquitur.* Omnia hæc cogunt הקדרים מני קרח referre ad *Torrentes gelu & nive in eos reſolutis exæſtuantes, atque profundam* ſimul *turbidamque aquam trahentes.* Hoc cum *Origine* verbi קדר pulcre conjunctum; nam *ſqualor lugubris*, qui *ſecundario* ſub hac Radice continetur, ductus eſt a *primaria* poteſtate *immundi*, *ſordidi*, *turbidi*, quam *Arabes* ſub قذر frequentant; quod *Thema* eorundem *Critici* ajunt contrarium exprimere ꝯ نظف, quo *mundities pura*, *nitida*, *limpida* indicatur.

Vſ. 17. Oleum & operam perdiderunt, qui hæc extra connexionem cum *Torrentibus* interpretari voluerunt. Mitto *Allegoriam* ſublimem *Hieronymi*, aliamque non minus quæſitam, quam exhibet *de Pineda*, de *Felicitate improborum nivis inſtar liqueſcente.* Ad *perfidiam* Amicorum detorſit *Schmidius*, qui *citius mutentur* & *liqueſcant*, quam *pruina* aut *nix*; ut *Jobus* dicat, *quum pruina & nix præ calore incipiunt diffluere*, *illos* Amicos *jam eſſe exciſos*, & *quando pruina & nix incaleſcunt a ſole*, *illos jam plane combuſtos eſſe*, & *extinctos e loco ſuo.* Forti ſtomacho opus, ad hæc concoquenda. Non multum hinc abludit *Cl. Cler.* ad *inconſtantiam* & *exitium* ſimul *Amicorum Jobi*, ſimiliumque hominum, hæc trahens, qui *nivis inſtar liqueſcant*, *incaleſcente die*, & *effluant.* Hi ipſi conatus evincunt nexum cum *Torrentibus* non fuiſſe deſerendum, quorum *ſubita arefactio* & *extinctio*, poſt *tumidam copioſæ aquæ oſtentationem*, graphicis coloribus conſignatur. Sentis hoc pacto locum quoque ſuum hic occupare *Jobi Amicos*, qui *Torrentibus tumidis* ſimiles, *opem ſuam oſtentarant*, quum nullus ea indigeret; ſed nunc ſubito quaſi *exaruerant*, atque Amicum in *medio æſtu* adflictionum turpiter deſtituebant.

Ibid. In verbis omnibus aliquid grande eminet. Prius יזרבו, nuſpiam alibi extans, quibuſdam eſt *frigeſieri* ex uſu *Thalmudico*, quod merito repudiatum. Aliis eſt *diffluere*, quod jam *Rabbinis* nonnullis placitum ex cognato מרזב *Canalis*, commendatius redditum a Cl. *Hott.* in *Smegm. Orient.* auctoritate *Arabum*, quibus idem *canalis* non ميزاب tantum, ſed & מזרב مرزاب, ut & زرب זרב. Exiſtimat agi de *Nive diffluente*, eique ſubſcriptum a Cl. *Crom.* Tertia eſt opinio plurimorum e *Rabbinis*, Noſtriſque, qui reſpiciunt adfine צרב, cujus *Niph.* נצרב vertitur *aduri*, *accendi.* Hoc jam judice *Codurco*, ad homines *æſtu uſtos* pertinet; ſed *Merc.* *Cocc.* & reliqui omnes fere, ad ipſos *Torrentes* referunt, qui *calorem ſolis ſentire* incipiant. Utramque poteſtatem ſimul complexi *Belgæ*, exhibentes, *Quo tempore æſtu diffluunt.* Conceperant nempe *concretas gelu ac denſa nive* aquas;

aquas;

18 Deflectuntur illuc catervæ in via ſua, adſcendunt in vaſtum deſertum, & diſpereunt.

19 Reſ-

18 ילפתו ארחות דרכם יעלו בתהו ויאבדו׃

19 הביטו

aquas; quam ſententiam minus forte veriſimilem effecere ſuperiora. Ergo nec *fluere per canalem* hic convenire poteſt; ſed omnino, niſi quid luculentius aliunde expromatur, acquieſcendum in cognatione cum צרב, quia *Zain* & *Tſade* creberrime inter ſe commutantur; ut זעק & צעק *clamavit.* עלץ & עלז *exultavit.* מצה & מזה *ſuxit*, *exſuxit.* Illud נצרב *Aduri*, in *Originibus* revocabitur ad ضرب *icit*, *percuſſit*, quaſi dicas *æſtu vehementiore percuſſus fuit.* Non ignota Eruditis loquendi forma ſub *Hebræo* הכה *percuſſit*, de *ſole adurente.* Eadem *Latinis Græciſque* pervagata. Reddamus itaque, *Quo tempore æſtu feriuntur.* Captatum hoc verbum, ut cum ſequenti נצמתו aliquid magnificum daret. *Exſcinduntur* videlicet non quadraſſet ſatis in *aquas*, niſi *metaphoram* iſtam *Dithyrambicam* præparaſſet aliud verbum *ictus* & *plagas* ferens, quibus jam *exſcidium* rite ſubnectitur. Monendum quoque נצמת ל״ה videri ſubeſſe *ſilens*, ut ſic loquar, *exſcidium*, quod *ictu altius penetrante*, nec *reſiliente*, *conficitur.* Grandis profecto imago, *Aqua ictu* ſolis *ſilente*, *ac penetrante*, *confecta*, ac *conſumta.* ſequens בחמו dubios habet interpretes, præſertim circa *affixum*, quod alii referunt ad עת, *quum incaleſcit* tempus; alii ad *ſolem*, facile ſubauditum; *Mercerus* ad *Torrentes* diſtributive: ad *pruinam* & *nivem*, *Schmidius. Plur.* מו aſſumſit *Codurc.* ſed hoc fuiſſet בְּחַמָּמָן. Exiſtimem *imperſonaliter* poſitum, & *cœlum* ſubaudiri, ut quum dicimus *Luceſcit. Nocteſcit. Caleſcit.* Obſerves interim חמם inferre *graviorem æſtum*, & præſertim *Solis*, qui per Excellentiam חַמָּה *calor* ſalutatur. Jucundiſſimus poſtremo luſus in poſtremo נדעכו *Extinguuntur e* *loco ſuo*, quum enim alias *Radii ſolis accendant*, jam *iidem* dicuntur *extinguere torrentes aquas*, hoc eſt ita *delere*, ut ne guttula quidem reperiri queat. Simili *Metaph.* uſus *Livius L. 5. Aquam e lacu emiſſam per agros derivabis, diſſipatamque rivis extingues.* Cl. *Coccejus* aliquid argutius offert. *Sudo cœlo*, inquit, *fluenta velut ardent, & coruſcant. Exhauſta non. Jam dum radiis ſolis repercuſſis veluti ardent; fervore ejuſdem conſumuntur; & ſic coruſcatio illa extinguitur.* Id in medio relinquam. Non de nihilo eſt tandem ממקומם *E loco ſuo.* Mens eſt, *torrentes illos* ita *extingui & deleri*, ut ne *Locum* quidem *ubi fluxerint* reperire queas; *veſtigiis Alvei* ſimul *cum fluento oblitteratis.*

Vſ. 18. Non opus eſt ulterius refutare eos, qui ad *Amicos Jobi* hæc applicant, quaſi diceretur *tortis moribus præditos*, & *tortis uſos viis*, *male eſſe perituros.* Sic *de Pineda*, *Schmidius*, *Clericus* cum aliqua varietate; cui inſiſtere non lubet. Reliqui fere de *Torrentibus* hæc acceperunt, *qui quum deficere inceperunt*, ut *Mercerus* ait, *hac illac diſtorquetur eorum curſus, nec certo ac conſueto fertur alveo, aliis aquis huc, aliis illuc dilabentibus, donec paulatim omnes conſumantur & evaneſcant.* Addit Vir Doctiſſ. *hunc ſenſum arguere quod ſequitur*, יעלו בתהו *adſcendunt in inanitatem*, hoc eſt, *in auras abeunt*, *rediguntur ad nihilum.* Cl. *Coccejo* ילפתו eſt *retrahantur magis magiſque in ſeſe* aquæ illæ, *nec amplius procurrunt.* תהו autem per *Aërem* exponit, qui *nihil* habeat *forma præditum.* Sane *Lucret.* quoque *vaſtum Inane* appellitat *Aërem*: neque id a genio Linguæ in totum abhorrere dixerim. Subeſt tamen aliquid incommodi, quod non effugietur, etiamſi cum *Codurco* aſſumas תהו pro ᾅδης, quaſi eſſet, οἴχεσθαι εἰς ᾅδου atque ita *perire.* Idem infelicius priora expreſſit, *perveſtigantur viæ tranſitus eorum*: h. e. *quæruntur veſtigia* aquarum, *nec inveniuntur*; id enim indoles verbi לפת haud patitur, quod

19 הִבִּיטוּ אָרְחוֹת תֵּמָא הֲלִיכֹת שְׁבָא קִוּוּ לָמוֹ׃

19 Reſpectant illos catervæ Themææ; & turmæ Sabææ ad eos ſpem intendunt.

20 בֹּשׁוּ

20 Con-

quod rarius in ſacris, & hallucinationi obnoxium, rectiſſime per *intorquere*, & *inflectere* verterunt plerique, notionem iſtam adfirmante perpetuo uſu *Arabum*, ſub لفت, ut ad *Haririum* indicare cœpi. Fateor ex hac ſignificatione iſtum ſenſum *aquarum huc illuc dilabentium*, quem volebat *Mercerus*, poſſe elici; nec tamen ei acquieſco; quia *aquas deletas*, & *extinctas* jam habuimus *Vſ.* præced. quam *extinctionem* hic reſumi, & *de novo illuſtrari* non eſt veriſimile. Ut his nodis exſolvamur, verba noſtra connecto cum ſeq. *Vſ.* ubi *Catervæ viatrices* dicuntur ſpem in his Torrentibus repoſitam habuiſſe; qui ſint nempe,

Dulce viatori laſſo in ſudore levamen;
Quum gravis exuſtos æſtus hiulcat agros.

Ut in ſimili materia venuſte *Catullus*, cujus integrum locum dedit Cl. *Cocc.* Tales jam *Catervæ viantium* in *vaſto* errantes *deſerto*, & *laſſitudine* ac *ſiti* exhauſtæ, hic induci videntur. Ac *primo* quidem ילפתו ארחות דרכם, vertere licet *Intorquentur catervæ quod ad viam ſuam*, ſive ſimpliciter pro *errant*, & nunc hac, nunc illac, *viam flectunt*; ſive quod malim, auctiore ſenſu, jam *laſſæ deflectunt a via*, *ad aquas illas iter avertentes.* Deinde יעלו בתהו *adſcendunt in vaſtum deſertum*, iidem *viatores*, utrocumque ſumſeris adſpectu. תהו pro *Deſerto*, ac præſertim *Arabiæ*, quod تيه ipſis *Arabibus*, & تيه بني اسرائيل *Deſertum filiorum Iſraëlis*, hic mire quadrat. Poſtremo יאבדו vel ſimplici meo ſenſu haud incommodum, quum אבד molliorem vim recipiat *vagandi.* Sed præſtiterit, ut צאן אובדות *Oves perditæ*, *Jer.* 50: 7. & *Eſech.* 34: 4. ubi habes *errorem* cum *laſſitudine*, *ſiti*, aliiſque malis conjunctum; quæ imago per ſane apta in *Catervas*, ad *aquas*, in *vaſto deſerto*, *veſtigandum*, *extra viam abſtractas*, atque ita multa cum fatigatione & anxietate *circumerrantes.*

Vſ. 19. Omnia ſub hoc nexu expeditiſſima. ארחות תמא *Catervæ Themææ*, & *Turmæ Sabææ*, hic nominatim introducuntur, quod mercaturæ exercendæ cauſa crebro deſerta *Arabiæ* trajicere ſolerent. Rogat *Schmidius*, *quis unquam legit vias pro viatoribus dictas?* Atqui אֹרְחָה eſt *Caterva viantium Gen.* 37: 25. & *Eſaj.* 21: 13. In *forma part. præſ.* ab ארח *viavit.* Inde & alia *forma* אֹרְחָה *viantia*, *commeatus*, *cœtus commeantium*; cujus *plur. abſ.* אֹרְחוֹת ſic ſumitur a multis *Jud.* 5: 6. Inde in *conſtr.* אָרְחוֹת, ut hic, quin & in *abſol. Vſ. præc.* Duplex videlicet talium eſt *pluralis*, prout a חָכְמָה *ſapientia* in *abſoluto* formatum חָכְמוֹת *Prov.* 9: 1. & alibi. Non eſt ergo quod ullus quemquam teneat ſcrupulus hac in parte. Ad verbum הביטו *Reſpiciunt*, ſolide *Coccejus*, *ut ſpem in illis torrentibus ponerent*, *nam* מבט eſt *præſidium quod reſpicitur Eſaj.* 20: 5, 6. *Zach.* 9: 5. Sequens קוו ſignat eandem *ſpem*, cum *fiducia*, quæ *recta tendit* ad aliquid, atque in illud *expectatione* quaſi *prominet.* לָמוֹ non male quidem *ſibi* exponitur a nonnullis, ſed fortius refertur ad *Torrentes*, ut *Mercerus* rite monuit; nam קוה amat poſt ſe ל, ad *rem expectatam* deſignandam. Vide jam an præ hiſce placere poſſit Doct. *Schmidii* commentum. *Quicumque*, *inter quos Ego nuper hactenus fui*, *reſpiciunt vias Regionis Themæ*, *& in ſemotis terræ Sabææ ſpem aliquam ponunt*, *expectantes inde aliquod ſolatium: &c. hi omnes mecum egregie decipiuntur.* Quid Cl. *Cler.*

20 Confunduntur interim, quod fiducia fuerit: Veniunt ad illos & pudore ſuffunduntur.

21 Nam nunc ſane facti eſtis Nihil: Vidiſtis terrorem, & extimuiſtis.

22 Numquid dixi? huc adferte mihi; & de veſtris facultatibus largimini pro me.

23 Et

20 בשו כי־בטח באו עדיה ויחפרו :

21 כי־עתה הייתם לא תראו חתת ותיראו :

22 הכי־אמרתי הבו לי ומכחכם שחדו בעדי :

23 ומלטוני

intenderit, haud facile dixerim, *ſperant ſe iniviſſe rectam viam ad Sabæos, nec tamen ad eos unquam perveniunt, ſed in ſolitudinibus pereunt.* Alia adhuc alieniora tanti non eſt recenſere.

Vſ. 20. Clauditur tandem comparatio, huc uſque protracta. Ad בֹּשׁוּ obſervo, plus eſſe, quam *pudefieri*, nempe *perplexum* aut *confuſum fieri*; cum *arefactione* quaſi & *conſternatione mentis*. בטח cum *Coccejo* putem *imperſonaliter* hic adhibitum. *Perplexi ſunt, quod confiſum eſt.* Nec tamen durum; *quod* quis *confiſus ſit.* Ambigitur porro in *Aff.* עָדֶיהָ, quod *Coccejo* eſt *Neutrale*, *illo*. Eodem redit *Merceri*, *uſque ad illud.* Alii ſupplent, מקום *Locum*, alii עזרה *auxilium* vel tale quid. Omnium infeliciſſime *Schmidius* ad *Themam* retulit. Ego ad נחלים referri poſſe moneo, nam *plurali maſc.* ſubnectere amant *Arabes* verbum in *ſing. fœm.* Eadem ratio cum *Affixis.* Quum *Arabes* dico, cave *Hebræos* excludas; quibus hunc *idiotiſmum* fuiſſe ſatis familiarem infra ad *Cap.* 14: 19. & 39: 14. reperies.

Vſ. 21. Applicatur ſimilitudo de *Torrentibus perfidis* multo nervoſiſſime, & jam vere *uno verbo* quod dicitur: *Quia nunc eſtis Nihil.* τὸ μηδὲν. Sic rectiſſime *Mercerus*, *Coccejus*, alii, adducto *Dan.* 4: 32. *Ezech.* 21: 31. Non erat ergo quod *exemplum tam miræ locutionis* adferri negaret Cl. *Cler.* Plura exhibui ſupra ad *Cap.* 6: 2. & 22. ubi τὸ μηδὲν ſimili modo uſurpatum reperies ab *Eurip.* in *Iphig. Aul.* 945. *de eo qui nullius* eſt *pretii*, *nulliuſve auxilii.* Ex Lectione altera לוֹ fruſtra ſenſum aliquem extundere conati ſunt Viri Docti. Agnoſces ſi *Schmidium* contuleris. Mire etiam contorta, quæ dedit Cl. *Clericus.* Ultimum membrum habet aliquid *proverbiale*, ut videtur, cum venuſta alliteratione. Suſpicor extitiſſe dictum ſolemne ראה וירא *vidit & extimuit*, in homine parum forti, atque ad conſpectum periculi trepidante, poſtquam præclara omnia eſſet minatus. Sic ferme *factis ignavi*, *verbis* ſunt *præſtrenui.* Id commodiſſime transfertur ad *Amicos largiter pollicentes*, *& nihil omnino præſtantes.* Sentis ſuavem inter utrumque colon nexum, eumque cum ſcopo *Jobi* intime conjunctum.

Vſ. 22. Urguet Noſter perfidos Amicos, eoſque onerat, rogando, num vel *munera*, vel alias *largitiones* ab ipſis poſtularit? Nempe ubi *Nummorum mentio movetur*, & *crumena recludenda eſſet*, ad Amicum juvandum, *Amicitia ardentiſſima frigere* incipit, & cum *crumenis* etiam *corda clauduntur.* Non placet *Mercerus*, hæc trahens ad *ſolatium* hac in calamitate neutiquam *expetitum*; ſed *ultro oblatum* ab iis, qui ſponte acceſſerant ad Amicum alloquiis ſuis erigendum. Subtile eſt acumen Cl. *Cocc.* quo *Vſ.* ſeq. cum hocce arctius connectens הבו refert ad *opes*, *impenſas in redemtionem* miſeri *e manu violentorum*; כח autem ad *vires corporis* adhibitas *ad eum e manu hoſtili eripiendum.* Nempe כח *vires*, pro *facultatibus* ac *divitiis*, ſuſpectum magno interpreti. Ea notio adſtruitur ex *Prov.* 5: 10. *Hoſ.* 7: 9. nec non *Gen.* 4: 12. eandemque ſuggerit hic verbum שחדו *Largimini*, *muneramini.* De ordine nil dico, quia talis tranſpoſitionis exempla proferri poſſent.

23 ומלטוני מיד־צר ומיד עריצים
תפדוני :

24 הורוני ואני אחריש ומה־שגיתי
הבינו לי :

25 מה־נמרצו אמרי־ישר ומה־יוכיח
הוכח מכם :

26 הלהוכח

23 Et liberate me a manu inimici: atque e manu violentorum redimite me.

24 Edocete me; ut ego obmuteſcam: & quid erraverim, demonſtrate mihi.

25 Quam ſtringentia ſunt dicta directionis? ſed quid arguit, increpatio a vobis profecta?

26 An

ſent. Stet tamen potius noſter verſiculus per ſe; atque, more ſolito, poſterius membrum priori illuſtrando ſubſerviat.

Vſ. 23. Ratio fugere videtur eos, qui *munerum finem effectumque* hic ſignari putant, *quibus* videlicet *e manu hoſtium*, *prædonumve*, *redimeretur.* Hos ſequens *Schmidius* obſervat *Prædones nulla gentium jura curantes plus etiam pretii requirere.* Minutum. Non probem quoque, quod *Mercerus* figurate hic *hoſtem & violentos* accipiat de *Calamitatibus gravibus & vehementibus*, *quibus Jobus premebatur.* Omnino cum *Piſcat. Belgiſque*, inſtituenda *disjunctio*, *Aut*, ut neget ſe ab *Amicis* exegiſſe *ardua officia*, *cum periculo vitæ conjuncta.* Non reſpicit *caſum* vel *præſentem*, vel omnino *ſuum*; ſed in genere proponit, quid *Amicus* ab *Amico*, vel expectet jure, vel exigat; ut nempe ad ejus *defenſionem*, vel *vindictam* nullus labor, nullum periculum recuſetur. Vides graviſſime taxari eorum *Amicorum perfidiam*, qui ne *leviſſimum* quidem *commiſerationis* ac *conſolationis officium* adflictiſſimo ſocio præſtabant, ſed contra dolores ejus ſiniſtris ſuis judiciis immenſum quantum aggravabant.

Vſ. 24. Languet nexus *Nachmanidis*, *Non peto dona*, *data*; *&c*: *ſed ut me edoceatis.* Arctius *ad accuſationem perfidiæ* adſtringit *Schmidius*, quaſi diceretur, *ſi notam hanc vobis imprimi non patimini*, *docete me*, *ubinam erraverim*, & *tacebo*, *neque vos amplius accuſabo.* Uberius videtur, quod poſt *Mercerum* plerique tenent, *paratum ſe profiteri* Noſtrum *bonis concedere rationibus*, ac *convictionibus*; *atque adeo culpam ingenue agniturum eſſe*, *ſi quid erraſſe arguatur.* Nempe caſtigare pergit *Jobus Amicos* ſuos quod verborum procella ipſum obruerint, atque *vehementem* ipſi immiſerint *Declamatorem*, qui ſine cauſæ cognitione inſontem condemnare auſus ſit, nullius ſibi criminis conſcium, nedum a Cenſoribus ſuis convictum. Habes ſic filum ſuperius commodiſſime reſumtum, quod eodem tenore ad finem uſque capitis decurret.

Vſ. 25. Hæretur in verbo obſcuriore נמרצו, cujus thema מרץ eſt ex rarioribus, ter tantum alibi obvium; & quidem in iis circumſtantiis, quæ parum lucis adferunt, ad *ſecundariam*, nedum *primariam* vim figendam. Conjecturis ergo agitur, atque plurimum variatur ſententiis. *Chaldæus* eumque ſecutus R. *Sal.* reſpexerunt cognatum מלץ, *Quam dulcia ſunt verba recta!* Reliqui fere *Rabbini* מרץ exponunt חזק ותקף *fortis*, *validus*, *robuſtus*, *vehemens fuit.* Id in *Lexica* noſtra receptum, niſi quod *Forſterus* ex ingenio dederit *velociter rumpi*, *diſrumpi*; anſam præbente adfinitate quadam literarum in רוץ *currere*, & פרץ *rumpere.* Eodem luſu *Avenarius* exhibuit, *violenter erupit*; unde hic eſſet, *Quam violenter prorupta ſunt verba recta?* Ex *Forſteri* mente, *Cur diſrumpuntur ſermones rectitudinis?* Hæc dura. Nec molle, quod tentat *Schmidius*, *Quid duritiei habent verba rectitudinis?* ſupponit Radici ineſſe *exceſſum* qui *duritiem* & *offenſionem in ſe contineat.* Revocat ad *Jobi verba*, *quæ* quicquam *offenſionis* aut *exceſſus* habuiſſe negentur. *Coccejus* ad *verba Amicorum* applicuit, *Quam acria ſunt dicta recta!* Hoc eſt ἰσχυρὰ, *penetrantia*, *fortia*, ſunt *verba recta*, quæ *ſalem habeant*, non *fatua*,

26 An ad cavillanda verba rationes inibitis? quum dicta deſperati ad reſpirium ſint. | 26 הלהוכח מלים תחשבו ולרוח אמרי נואש׃

27 Quin | 27 אף

tua, *inſipida*, & *hebetia*, qualia notabantur *Vſ.* 6. 7. Addit נמרין habere notionem *acrimoniæ* 1 *Reg.* 2: 8. & *Mich.* 2: 10. Itemque *Job.* 16: 3. המריין παροξύνει. Specioſa eſt conjectura, quam veram vellem. Ei aliquid forte accedere poſſet ex *Arabum* مضر מצר *Acidum evaſit*, & *acrimonia linguam punxit* aliquid. Tranſpoſitio talis haud caret exemplis. A Cl. *Cromaj.* tentatum, *Ecquid morbida* vobis videntur *verba recta*? quæ ſcil. ego ſum locutus. Fundus ei مرض *Ægrotavit*, ſed poteſtas illa parum apta ad *Cap.* 16. 3. & reliqua loca. Cl. *Caſtel.* auctoritate veterum urſit *vilia*, *moleſta*, *nauſeata verba*, cui eandem ob rationem non ſubſcripſerim. Ex tanta interim fluctuatione necdum ſtationem reperire potui; quin ne quidem quid eligam ex hiſce ſatis invenio. Si אמרי ישר ſint *ipſius Jobi verba*, non abhorrerem a ſenſu *Schmidii*, qui tamen alio quoque modo potuit expreſſus eſſe. Sin reprehendantur iniquæ cenſuræ, commodiſſimum cenſerem, quod vulgo exhibetur, *Quam fortia ſunt verba recta!* vel *directionis*; *ſed quid arguit veſtra redargutio*? Id ſimpliciſſimum; nec auctoritate deſtitutum; quum مرز & مرس præferant notionem *validius ſtringendi*. Item مرص nil aliud quam *ſtringi*; quin مرض *ægrotare* ex hoc ipſo fonte emanaſſe videtur, de quo alibi latius diſpiciendum. De המריין *Cap.* 16: 3. infra diſquiretur.

Ibid. Duplex ferme vertendi ratio obtinet in poſtrema parte. Pleriſque placuit, *ſed quid arguit arguere veſtrum*? מכם *a vobis profectum*. Id ſecuti cum *Mercero* & *Belgæ*. Maluit *Coccejus*, *Et quid arguet arguendo aliquis veſtrum*. Adſtipulatur *Schmidius*, ſtatuens *Jobum ſermonum ſuorum rectitudinem ita defendere, ut nihil in iis jure reprehendi queat.* Prius præferrem, cui acumen accedet & lepos, ſi primum יוכיח *arguit* ſumas pro *evincit*, *demonſtrat*: poſtremum הוכח *arguere* pro *increpare*, *conviciari*. In deliciis habet ſtylus Orientalis, ut diverſæ ſignificationes alicujus verbi unam in ſententiam conveniant. Vim *conviciandi* reperies ſub הוכיח 2 *Reg.* 19: 3. 4. הוכח מכם pulchre ſtructum, vel pro ſimplici *Genitivo*, quem per מן ex *Arabiſmo* formari in *Animadv.* editis ad *Prov.* 26: 7. oſtenſum, vel plenius *Conviciari a vobis*, nempe *ortum*, *profectum*, mihique *quaſi conſpiratione* quadam *inimica immiſſum*.

Vſ. 26. Maxime ambiguo verſiculo varios accommodari ſenſus diſcas ex *Mercero*. Ei placuit *Num verba* nuda *putatis arguere*? *putatiſne verba ſatis eſſe ad arguendum*? *Et* num *in ventum verba deſperati*, qualis ego? i. e. *vana*, *irrita*, *inutilia habebuntur*. Idem *Coccejus* intendit, *verba* exponens *Logos*, *nugas*, *verba ſine ſenſu*, *ſine efficacia*. Paulo aliter *Belgæ* noſtri: *An ad arguendum excogitabitis verba*? Sic מלים *verba* ad Amicos pertinerent. Alii *Jobi verba* intelligenda cenſent. Satis rotunde *Jun.* & *Trem.* *An reprehendere verba cogitatis*, & *ventilare ſermones*? In *Notis* ולרוח tamen non pro *verbo* habetur, ſed per *Ellipſin* capitur, *Et vento* dare. Potuiſſent tenere vim *ventilandi*, *vento agitandi*, quam *Arabes* habent ſub רוח راح cujus *paſſivum* رِيحَ pro *ventilari*, *vento perflari*, enotatur a *Lexicographis*. Cl. *de Dieu*, per *Pleonaſmum præp. Vaw*, mallet, *An reprehendere verba cogitatis? in ventum ſunt ſermones deſperati.* Explanationem non inconcinnam adjecit, cui nihil decedet, ſi vim *præpoſ.* ſic expreſſeris, *ſane in ventum ſunt dicta deſperati*; vel, quod argutius, *imo in ventum ſint: abeant in auras.* Patitur quoque genius Linguæ ut reddatur, *ſane ventus ſunt*, vel, *imo*

ven-

27 אַף עַל־יָתוֹם תַּפִּילוּ וְתִכְרוּ עַל־רֵיעֲכֶם׃

28 וְעַתָּה

27 Quin imo ſuper pupillum ruinam molimini; & foditis contra ſocium veſtrum.

28 Nunc

ventus ſint dicta deſperati; nam ל magna cum gratia & emphaſi *Nominativis* præfigi poteſt. Minus commodum, quod Cl. *Cler.* exhibet, *An excogitatis orationes ad* me *increpandum*; *utque in auras* abeant *verba deſperati*? Si *Amici* verba *Jobi in auras abire* ſiviſſent, ea non carpſiſſent, non ut impia damnaſſent. Monuit idem *Vir Doctus* verti poſſe. *Et ad ventum*, vel *ſpiritum verborum deſperati.* Id unice placitum fuerat *Schmidio*, reddenti, *Num arguere verba cogitatis*, *& ſpiritum verborum deſperati*? id eſt *ſonum in aëre formatum*, *quem ad deſperationem uſque adflictus emittit.* Poſſes eodem adſpectu tenere, *Et ventum verborum deſperati*? niſi quod fortius adhuc exprimeres *impetum* quo *verba* ex *pectore oppreſſo eruperant*, ad *laxamentum inveniendum.* Sane non decet virum ſapientem, ut *arguat*, *cavilletur*, *criminetur*, *ſpiritum*, vel *ventum verborum deſperati*, *aliquam* modo *reſpirationem captantis* medio in æſtu anxietatum. Id valde opportunum in hac Apologia. Quadrabat in *Noſtrum*, quum primum *prorumperet*, quod de ſe *Elihu Cap.* 32: 18, 19. *Plenus ſum* מִלִּים *verborum & arctat me* רוּחַ בִּטְנִי *ſpiritus*, vel, *ventus ventris mei. Ecce venter meus ut vinum non apertum*, *ut utres novi*, *diſrumpitur.* Hic ergo ſit רוּחַ אִמְרֵי נוֹאָשׁ *ventus verborum deſperati*, *æſtuante* dolorum *vi expreſſus*, atque *ad laxamentum* aliquod *emiſſus.* Huc reſpexiſſe dixerim *Bildadum*, *Cap.* 8: 2. *Quouſque* תְּמַלֶּל, *talia* מִלִּים *verba promes*? וְרוּחַ כַּבִּיר אִמְרֵי פִיךָ *& ventus vehemens dicta oris tui*? In eundem hunc ſenſum ſeſe accommodari patitur, quod ſupra propoſui, *imo ventus ſint dicta deſperati.* Non rigide examinentur; non ex ſuperbia, atque adverſus Deum contumacia aut rebellione cenſeantur eſſe profecta; ſed habeantur, ut ſunt, *ventus*, atque *ventris coarctati reſpiramentum.* Tandem rotundiſſime ſic dederis; *An ad arguendum verba rationes inhibitis*? *quum ad ſpiramentum ſint dicta deſperati.* Significationem illam in forma *ſegolata* רֶוַח contineri notum, unde *fæm.* רַוְחָתִי *Thren.* 3: 56. *Spiramentum meum*, eſt *vociferatio oppreſſi laxamentum quærentis.* Sub רוּחַ eandem obtinuiſſe poteſtatem vix dubium, quum hoc ex illo ſit contractum. רוּחַ הַיּוֹם concinnius *ſpiramentum*, *reſpiramentum Diei* vertas, quam *ventum Diei*, *Gen.* 3: 8. Signatur *veſpera*, quæ *Arabibus* hac ipſa anſa رواح dicta, ut verbum راح *veſpertino tempore rediit*, *fecitve aliquid.* Nempe *ad veſperam dies quaſi reſpirat*, ac *reſpirari* ſinit, ab æſtu.

Vſ. 27. Intricata omnia; quæ vereor ut ſatis extricem. *Mercerus* dedit, *Quin etiam ſuper pupillum projicitis vos ipſos*; *& epulamini ſuper ſocium veſtrum.* Poſterius *figurate* poſitum putat pro *Lætamini de ejus calamitate*, *velut devorantes eum*, *& convivia de illo agitantes.* Hoc non concoquentes Alii, maluerunt, *& foditis contra ſocium veſtrum*; idque exponunt, *captionibus eum conamini circumvenire.* In priore membro, ad imaginem *foveæ* complendam, ſub תַּפִּילוּ ſubaudiverunt multi *Laqueos*, vel *parietem*, ut ſit *cadere facitis murum*, vel *laqueos ſuper pupillum.* Hunc ſenſum commendarunt *de Pineda*, *Bolducius*, & *Schmidius*, *Metaph.* ducta *a venatoribus.* Aliter ſupplet Cl. *Cler. An de pupillo* ſortem *jacietis*; *& fodietis* ædes *contra amicum veſtrum*? Mitto *Codurcum*, aliosque, alia tentantes; ut veniam ad *Coccejum*, qui dat, *iram in pupillum effunderetis*? *& foderetis* foveam *contra ſocium veſtrum*? Nempe אַף ſubſtantive *naſum* ſignans & *iram*, a *Chaldæo* quoque huc illatum fuerat, ſed ſine interrogatione, quem *Vatablus*, & *Druſius* ſecuti; ut ſit, *iram cadere facitis in pupillum.* Id ſatis commodam præbet conſtructionem, dabitque ſenſum adhuc venuſtiorem ſi reddamus, *Naſum*

 in-

28 Nunc autem animum inducite, & reſpicite in me: & coram facie veſtra neutiquam mendax fuero. 29 Re-

28 ועתה הואילו פנו־בי ועל־פניכם אם־אכזב׃

29 שובו

incidere facitis in pupillum, hoc eſt *ſuperbum & faſtidioſum contemtum*, quem ſub אַף *Naſo* ſæpe contineri indicatum in *de Def.* Sane *ſuperbiam*, & *naſum faſtiditorem* præferebat oratio *Eliphazi*, ab Amicis comprobata, & *nutu*, ut videtur, *geſtuque* reliquo confirmata. In eandem mentem ſe dat ſequens ותכרו על ריעכם *& foditis adverſus amicum veſtrum*, id eſt *ferocius ei inſultatis*. Suſpicor *metaph.* eſſe deſumtam ab *Equo* terram *quatiente*, & *effodiente*, quum γαυριᾷ, & ſuperbius ſe infert. Id abſolute חפר *fodere Job.* 39:21. qua anſa חופר حافر *fodiens* apud *Arabes* ſignat *ungulam*, *pedemve equi*. Eundem uſum tenuiſſe ſub כרה, colligere eſt ex *Arabum* كرا *fodit* terram, nec non, *pede terram quaſſit* Equus; idem quod خبط, in quo *ferocis exultationis* vel *inſultationis* ſignificatio percrebuit. Luculentior adhuc Figura erit, ſi ריע revocemus ad *Radicem quieſc. med.* quæ *Clangorem* denotat, non tantum forma תרועה, ſed etiam רֵעַ *Exod.* 32: 17. *Mich.* 4: 9. Media ſi exprimatur, habebis רֵיַע vel רֵיַע, unde תִּכְרוּ עַל רֵיעֲכֶם convertere licebit, *Quatitis terram pede ſuper clangore veſtro.* Nempe *Eliphazus tubam* videbatur *inflaſſe* adverſus *Jobum*, ſub cujus *clangore* reliqui conſimilem impetum dare parabant, ſeque in pugnam mutuo accendebant.

Ibid. Ridebit, credo, multis hæc loci facies, perquam ſane venuſta; quum ריע pro *ſocio* languidulum hic videri poſſit; notioni iſti refragante inſuper *Analogia*; quæ a רעה admittit quidem רֵעַ ex רֵעֶה, ſed non רֵיַע. Quod ſi tamen antiquæ rationi adhæreſcendum judicetur, ut אַף ſit *particula*, & יהום לֵב ריע reſpondear, exiſtimem duplici lumine ornandam eſſe ſententiam, altero a *ruina*; altero a *fovea*; hunc in modum, *Quin ruinam molimini in pupillum: & foveam paratis adverſus ſocium veſtrum.* הפיל abſolute pro *Ruinam moliri*, nihil habet duri; intelligerem autem *demolitionem* quaſi & *deſtructionem pietatis Jobi*, cujus *fundamenta* in dubium vocaverat *Eliphazus*, quin *labefactata* & *concuſſa everterat*, quantum quidem in ipſo erat. Alterum כרא *foveam parare*, retulerim ad *accuſationem improbitatis* quam ipſi intentabant; atque in quam, tanquam in *foveam*, Amicum ſuum implicare, atque demergere connitebantur.

Vſ. 28. Invitantur, *qui acerbe* nimis *invecti* fuerant in inſontem, ad *placidiorem cauſæ cognitionem*, ac *diſquiſitionem*; in qua ſe neutiquam *ſuccubiturum* magna cum fiducia inſinuat Noſter. Aliquid grave ineſt priori parti, quo monentur qui abalienatum oſtenderant animum, hoc *a ſe impetrare ut cum aliquo commiſerationis ſenſu, adfectuque, veterem reſpiciant Amicum*. Ita פנה אל *Reſpexit ad* infert *affectionem*, & *benevolentiam*, *Pſ.* 25: 16. & 69: 17. ac ſæpe alibi. Non repugnem, ſi quis פנו בי adhuc fortius ſonare velit, *vultum in me figite*, vel ut *judices*, modo *æqui*, qui *poſitis præjudiciis vacuos animos aureſque præbeant*; neque *innocentem faſtidioſe contemnant ac condemnent*. Sic ferme *Cocc.* itemque *Pin.* ac *Bold.* qui hanc mentem preſſius deduxit. Poſſet adhuc animoſius quid intelligi, *vultum convertite in me, meque junctis* viribus *impetite*, atque *oppugnate*. Id intendiſſe videtur *Schmidius*. Favet huic *animoſæ provocationi* ſequens membrum, quod languidius, quam par, ſi dederis, *Et coram vobis* erit, *ſi mentiar*. Nec ſatisfacit, *An in conſpectu veſtro mentiar?* Fortius *Mercerus*, *Et in faciem veſtram ſi mentiar:* ſub formula ju-

29 שובו נא אל־תהי עולה ושבי עוד צדקי־בה׃

30 היש בלשוני עולה אם־חכי לא־יבין הוות׃

29. Revertimini nunc, nulla erit iniquitas: & ego illuc redibo, ut veris vincam ea in re.

30 An in Lingua mea eſſet iniquitas? an palatum meum non diſcerneret vanas cupiditates?

C A-

jurisjurandi, qua *emoriar*, *Diſpeream*, ſubauditur. Conf. *Sup.* 1:11. Sane magna contentione hic agit *Jobus*, ad quod tenendum על פניכם *contra vultus veſtros* exprimere malim, & אם אכזב *ſi mentiar*, pro *neutiquam ſuccumbam*. ſic omnia magnanimum quid ſpirant. *Agite nunc, ut cœpiſtis, vultus in me veſtros convertite, meque impugnate: confido* tamen *me* ita *vultibus* illis veſtris eſſe *reſtiturum*, ut *neutiquam mendax* fuiſſe, aut *cauſa cecidiſſe* reperiar; ſed contra magnifice vincam, atque de *mendacio* ac *calumnia* triumphem. Iſtam vim judicialem exerit verbum כזב *Inf.* 34: 6. Eandem ſequens צדקי adfirmabit.

Vſ. 29. Continuatur *provocatio*, cujus filum, amputata multiplici varietate opinionum, ſic evolvo. שובו *Revertimini*, h. e. *denuo inſtate, meque impetite.* אל תהי עולה *Nulla erit iniquitas*, *mea* videlicet; *neutiquam impius deprehendar.* Alii, *ne ſit iniquitas* ulla veſtra. *Cocc.* ad utramque partem ſubtilius videtur retuliſſe. Tertium ושבי ſecundum *Maſorethas* eſt ושבו *Revertimini inquam*, non invenuſta repetitione, qua *iterum iterumque urguere* jubentur, & *inſtare quantum velint.* Commodam quoque interpretationem admittit vetuſta Lectio ושבי *Et reverti meum.* Nempe שוב *Redire* ſæpe Eleganter *rei exitum* deſignat. Sic luderetur haud invenuſte in diſcrimine inter שוב *Redire* ſive *denuo aggredi impugnantium* Amicorum, & inter שוב *Redire Jobi*, cauſam ſuam defenſuri, ſuamque *Juſtitiam* demonſtraturi. Huc ducit עוד צדקי בה. Id *Coccejo* eſt, *Adhuc juſtitia mea eſt in ſe:* aliis *in ea actione*, vel *diſputatione*, quam vobiſcum ſuſcipiam. Quicquid ſequare, tenendus uſus judicialis verbi צדק *Pſ.* 51. 6. *ut Juſtificeris in diſceptando.* Ita & hic צדקי pro אצדק *Juſtus deprehendar. Cauſam meam juſtiſſimam eſſe evincam.* Confer אמרי *Dicere meum*, pro *dixero*, *inf.* 9: 26. ubi plura.

Vſ. 30. Appoſitiſſima clauſula, qua omnem *falſitatis* ac *fraudis* ſuſpicionem a ſe amolitur *Jobus*, in defenſione juſtiſſimæ ſuæ cauſæ. Acutiſſime *Coccejus* accepit pro *Formula ſe ipſum compellantis, & animum ſuum ſcrutantis.* Non intellexit hoc *Schmidius*; quum tamen ſat clare mentem ſuam expreſſerit ὁ πάνυ, addens, *Loquentis eſt cenſura & examen verborum ſuorum, quæ ut Lingua, ita palato exprimit. Inſiſtendum* proin cuique *& attendendum dicendis; lingua ſub freno habenda, & ſermo primoribus in labris caſtigandus.* Optime. Interrogatio gemina fortiſſime negat, atque procul a ſe averruncat. *Abſit ut in Lingua mea* aliquid *iniqui hæreat: abſit ut palatum meum non diſcernat vanitates.* Et *Lingua*, & *palato utar* nulla ex parte corruptis, aut pravitate aliqua ſuffuſis, ſed per omnia ſanis, ſinceris, veritati unice ſervituris. Eleganter *palatum* ponitur pro *judicio.* Figura commodius alibi illuſtrabitur. הוות aliis *calamitates* hic ſonat, aliis *perverſitates.* Poſterius ſequutus eſt *Merc.* prius mavult *Schmidius*, ratione nimis lepida inductus, *Quis enim*, inquit, *facile glorietur, quod perverſitates norit, & non potius, quod recta & bona intelligat? At de calamitatibus ſuis maxime locutus erat Jobus.* At ſurdo ſane palato foret, qui non *dignoſceret perverſitates*, hoc eſt *falſa & injuſta* a *veris & juſtis diſcernere* valeret, ut *Mercerus* ſolide expoſuit. Durum præterea, ut *palatum* dicatur *intelligere calamitates*, quum de

de iis loquitur, & conqueritur, lingua. Nec ſatis molle, quod *Jun. & Trem.* dederunt, *An palatum meum non intelligendas dabit ærumnas*? Magis ad rem & ſcopum illud *Cocceji*, *Num palatum meum non internoſcit noxia*? intelligit *Cogitationes*, *conſilia*, *dicta quæ perniciem & noxam ferant* loquenti, ejuſque proximo *offendiculum & lapſationem*. Iſtam ideam habes *Pſ.* 5: 10 קרבם הוות *Medium eorum vaſta & profunda inania mendaciorum*, *cupiditatum*, *omniſque mali*. Tam late patet nonnunquam vox, ex fonte ad *Vſ.* 2. indicato: ac proinde ad ſeriem nil commodius eſſe videtur, quam ut *Jobus* omne *mendacium & corrupti affectus impetum* a ſermocinatione ſua *longe abfuturum* eſſe declaret.

CAPUT SEPTIMUM.

Verſ. 1. NOnne militia eſt homini ſuper terra? & ſicut dies mercenarii dies ejus?
2 Ut

Verſ. 1. הלא־צבא לאנוש עלי־ארץ וכימי שכיר ימיו׃
2 כעבד

Vſ. 1. Cauſam ſuam, atque vota ardentiſſima mortis, quæ *Cap.* 3. fuſa erant, defenſurus, ſeque graviter nimis a Deo adfligi evicturus vir pius, altius rem repetit, atque miſerrimam conditionem vitæ humanæ, in ſe ſpectatæ, ſecundum communem & ordinarium ejus curſum, enarrare aggreditur. Scopus, in quem cuncta deſtinantur, eſt, nihil homine eſſe ærumnoſius in terris, nihil fugacius, & magis evanidum: quem triſtiſſima mortalitatis ſors ita ſponte gravet, ac premat, ut par non ſit, eum novis miſeriarum acceſſionibus, & plagis extra ordinem inflictis prægravari. In hoc argumentum cuncta, a principio hujus capitis ad finem, pulcherrime collineant; ut ad quemlibet verſiculum patefiet.

Ibid. Nihil in hoc *Vſ.* difficile, niſi quod צבא diverſimode exponatur; aliis enim *militiam* ſonat; aliis *miniſterium*, & *ſervilem conditionem*; aliis *tempus determinatum*, aut *terminum præfixum*. Poſterius calculo *Cocceji* comprobatum, ut ſenſus ſit, *Homini datum eſſe certum tempus quo vivat & laboret, quoque finito decedat de ſtatione, aliis ſucceſſuris*. Addit, eſſe veluti *Majorem* argumenti propoſitionem, *Qui habet certum vitæ terminum cum conditione ſerviendi, is non peccat deſiderando terminum ſervitutis*. Non immerito contrarium potius colligeres. Alia quæ *de Pineda* adduxit, ſcopum quoque minus feriunt. Ad eum proxime acceſſit *Mercerus*, ſtatuens *Jobum dolorem ſuum amplificare, ejuſque remiſſionem poſtulare a Deo, ex generali hominum conditione, & vitæ humanæ brevitate. Quaſi dicat. Quid ni de mali mei gravitate conquerar, quum homini* certum temporis ſpatium *ſit præfixum, idque breviſſimum? quo ſaltem frui eum ſinere deberet Deus; neque eum ita exagitare.* Eodem collineat *Schmidii* commentatio; niſi quod pro *tempore determinato* commodius dederit *Conditionem ſervilem: moleſtam ac laborioſam ſtationem*, ut *Inf.* 14: 14. Non erat tamen quod *Viro Docto* diſpliceret commodiſſima poteſtas *Militiæ*; quæ præbet *Tropum inſignem* & ſenſu longe uberrimum, ob diverſas convenientias, quas copioſe deductas reperies apud *Doct. de Pineda*; quæque nemini non facile ſuccurrent; quum *imago* hæc ab optimis quibuſque ingeniis frequentetur, ad *mortalitatis laborioſiſſimam conditionem* deſignandam. Exemplis te ditabit Ill. *Grot.* Objicitur a *Schmidio*, vocem צבא ſemper *turmas*, & *exercitum* denotare, non *ipſum militiæ ſtatum* & *laborem*: ſed ſic ne *ſervilem* quidem *ſtatum* & *conditionem* ſignificare poſſet; quum iſta vis a *ſtatione militari* uti

2 כעבד ישאף־צל וכשכיר יקוה
פעלו ׃

2 Ut ſervus, anhelat umbram; & ut mercenarius, expectat opus ſuum.

3 כן

3 Sic

utique tranſlata cenſeri deberet, ſi unquam obtinuiſſe ſtatuatur. Id vero valde incertum; quamvis enim de *Miniſterio* & *Excubiis Tabernaculi* uſurpetur verbum צבא *militare*, *militiam ſacram* quaſi *obire*, inde neutiquam conſequitur derivatum noſtrum abſolute *ſervilem* illam *conditionem* ſignaſſe, quam Vir *Doctiſſ.* hic urgebat. Noſtra *ſtatio militaris* cum *labore*, *lucta*, & *acie quotidiana*, ſeſe tuetur ex *Eſaj.* 42: 2. & *Dan.* 10: 1. Nec obſtat שכיר *Mercenarius* mox adjectus; nam & is heic loci *Miles mercenarius* intelligendus eſſe videtur; ut diſtinguatur ab שכיר *Mercenario Vſ.* ſeq. quem ibi eſſe *ſervum*, עבד arguit, ut hic *militem* ſuggerit צבא.

Vſ. 2. Cum *gravi* & *periculoſa militia* conjungitur *ſervitus moleſtiſſima*, ut novo hoc colore *Mortalis vitæ conditio* ad vivum depingatur. Doct. *Schmidius* hic *exegeſin* concipit *Vſ.* præc. ut una tantum ſit, & ſimplex, comparatio a *ſervo mercenario*. Hoc parum habet venuſtatis. Gratior varietas, quam præſtat duplex ſimilitudo. Utrumque autem membrum quadam laborat ambiguitate; dubium quippe, an צל ſimpliciter ſonet *umbram*, & *refrigerium*; an ſignantius *umbram ſolis occaſi*. Item פעל aliis eſt *opus*, aliis *finis* vel *merces operis*. Geminum loci adſpectum pandam, atque ſcopo, quem fixi, accommodum oſtendam; optionem cuique relicturus.

Ibid. Plurimis arriſit poſterior ſenſus; *ſicut ſervus, anhelat umbram* nocturnam; & *ut mercenarius, expectat mercedem operis ſui.* Eleganter צל *umbra* ad *veſperam* aut *noctem* transferri poteſt, ſecundum illud Poetæ *Æn.* 4: 7.

> *Humentemque aurora polo dimoverat umbram.*

Ubi *Servius*. *Nihil intereſt utrum umbram an noctem dicat: nox enim umbra terræ eſt.* Vide etiam *Æneid.* 2: 768. & 9. 314. Σκιὰν ἐυφρόνης ſimiliter dixit *Eurip. Iphig.* Diſertim quoque monet *Gjauharius* frequentari ظل الليل *umbram noctis*, pro *tenebris veſpertinis*; ut quum ajunt اتانا في ظل الليل *venit ad nos in umbra noctis.* Sic *Eſaj.* 16: 3. *Jer.* 6: 4. &c. Si dubites de uſu abſoluto, ſcrupulum tibi eximet *Hamaſa*, ubi extat,

فلما صار نصف الظل

Quumque dimidiata jam eſſet umbra.

Pro *media extitiſſet nox.* Cum *umbra* iſta *nocturna* copulatur פעל *merces operis exhauſti*; quod a genio Linguæ abhorrere, quamvis exempla deficiant, non dixerim: quum utique פעלה & *opus*, & *mercedem* conſignet. Duriuſcule quidem *finem operis* alii: interim tamen *merces finem ejus* adeſſe ſupponit. Hæc vertendi ratio ſi adoptetur, mens *Jobi* huc redibit, *ſervitutem graviſſimam ſerviri ab omnibus hominibus*, qualis eſt vel *capti*, *emtive mancipii*; vel *mercenarii ære conducti*; quorum uterque omnibus votis optet *Diem* quantocyus *finiri*; atque cum *veſpera* ac *nocte* aliquid remiſſionis a ſudore & labore moleſto venire. Iſta tunc *veſpera* ac *nox* ſimul ſuggereret in ἄλλῳ *mortem*, ejuſque *requietem*, ad quam anhelent mortales, hanc *vitam* ſibi *parum vitalem* experientes. Cave abſolute accipias; multo minus ad *Jobi* præſentem adflictionem reſtringas: in qua non poſſit non *mortem anhelare.* Deſcribitur generatim, ut præmiſſum, *Mortalium ærumnoſa* per ſe, ac *tædii omnis plena conditio*, in qua nil aliud experiri poſſis, quam *vanitatem* ac *Roſionem ſpiritus*; ut adeo, ſi quid in te ineſt ſapientiæ, maximas habeas cauſas, ob quas *ab æſtu diei vitæ*, *in umbram noctis*, & *placidæ mortis te recipere*, ac *recondere*, geſtias. Intra hos fines vim comparationis concludendam cenſerem; neque vel in צל *umbra*, vel in פעל *Mercede operis* quicquam ulterius, ſublimiuſve, capta-

ta-

3 Sic hæreditaria ſorte cernere factus ſum mihi menſes vanitatis; noctesque ærumnæ aſſignarunt mihi.

4 Si

3 כן הנחלתי לי ירחי־שוא ולילות עמל מנו־לי :

4 אם־

tarem. *Servitus* quoque non ultra ſcopum tendenda.

Ibid. Alterum loci conſpectum præbet צל *umbra* ſtrictius dicta, & פעל pro ipſo *opere* ſumtum. *Mortalis* nempe ob *moleſtiſſimam vitæ conditionem*, tunc comparabitur cum *ſervo fatigato*, *exhauſto*, *anhelante*, & *umbram* aliquam hic illic *captante*, qua vel ad momentum *ab æſtu diei*, quo conficitur, *reficiatur*, ac recreetur. Hanc *imaginem* ſuggerit Elegans phraſis ישאף צל *Anhelare umbram*, vel *ad umbram*, quod eſt, *aperto*, & *hiante ore* ſe *viribus defectum*, *delaſſatumque*, oſtendere, atque *aliquantulum* ſaltem *refrigerii* ac *refocillationis* unde unde *captare*. Doct. *Schmid.* hoc ipſum intendens, ut videtur, figuram delevit, non illuſtravit, quum *captare umbram* exponit *fruſtra* eſſe, *nec quicquam conſequi*, ut *Jer.* 14: 6. ישאף רוח *haurire ventum.* Felicius accepit ſequens יקוה פעלו, *Expectat opus ſuum*, pro *Laborare cogitur per totam vitam*; *atque uno opere abſoluto*, *aliud tamen mox expectat*; *quo victum ſibi comparet.* Sane talis eſt conditio mortalitatis noſtræ; per quam cuique *alius ex alio ſuſcipiendus* & exantlandus *labor*, aut *dolor*; qui dies noctesque quemque circumſtat, tum publice, tum privatim: accedente ad has curas agmine malorum, quibuſcum per omnem vitam quiſque colluctandum habet.

Vſ. 3. Magni interpretes hunc *Vſ.* tam arcte cum ſuperiori connectunt, ut ἀπόδοσιν eſſe ſtatuant προτάσεως, *ſicut ſervus anhelat umbram &c. Sic pro hæreditate accepi mihi menſes vanitatis &c.* Id prima fronte videri poſſet rotundius; revera tamen aliquid *minus rotundum*, addo *minus plenum* inde exit. Per ſe ſtat *Vſ.* 2. *ut ſervus*, ſic mortalis, *anhelat umbram*; *& ut mercenarius*, ita *expectat* uſque & uſque *opus ſuum.* Subnectitur jam כן *ſic*, quod valere poteſt *ſic conſtitutus*; poteſt etiam, *ſimiliter*, *ad hoc exemplum.* Si prius ſequare, habebis *calamitatem & plagas*, quæ *Jobo* ultra *communem* illam *ſortem* miſeriarum humanarum impoſitæ: ſi poſterius, generalis manebit ſenſus, quo ſignificat, ſe quantumvis inter felices ac beatos reputaretur, antequam fortunis omnibus uno die exueretur, tamen revera nihil aliud in omni vitæ curſu eſſe expertum, quam *triſtem* quandam *ſervitutem*, quæ a *curis* & *ſollicitudinibus* vix ſiverit *reſpirare.* Utrumque cum ſcopo ſupra conſtituto pulcre conſiſtit.

Ibid. Tam firmiter ſibi multi perſuadent *Jobum* hic loqui de *Extraordinariis plagis* ſibi *immiſſis*, ut hinc probari autument, *Calamitatem* iſtam aliquot *menſes duraſſe.* Huic opinioni *Vſ.* 4. & 5. præcipue anſam præbuerunt; neque eam plane expungere auſim; ſi connexio reformetur, quæ nimis languida vulgo. Sentias id ex Cl. *Cler.* annotatione, *vult Jobus ſe ab aliquo tempore tam miſeram vitam egiſſe quam eſt ſervi aut mercenarii vita &c.* Omnino כן in hanc mentem vertendum, *ſic conſtitutus: ſub illa communi omnium ſervitute agens*, inſuper tanquam *hæreditate* quadam *extraordinaria accepi* nuper hos *menſes vanos*, atque has *noctes laborioſas*, in quibus ſine ulla interſpiratione jactor, exagitor, & ulceribus ac tabe diffluo. Hoc pacto non diſcederetur a *ſcopo*, ſed anticiparentur querelæ, poſtea reſumendæ, *æquum non eſſe ut mortalitatis militia*, *& ſervitus gravis*, *extraordinariis oneribus*, *qualia Jobo impoſita*, *prægravaretur.*

Ibid. Habes priorem conſpectum, quem *Belgæ* noſtri ſecuti ſunt. Poſteriorem prætulit Doct. *Mercer.* hæc, & ſequentia referens ad *univerſæ vitæ ærumnoſiſſimam conditionem.* Cl. *Cocc.* in hoc *Vſ. totam* quoque *vitam Jobi* amplectitur, in qua non tantum *dies* continui, ſed *ipſum tempus quietis* fuerit *laborioſum*, ac *moleſtum*, plus quam *ſervitus* alicui *moleſta* eſſe poſſit. Cl. *Schmid.* eundem hunc ſenſum unice urguet, 1. ex *diuturnitate temporis*

poris; quum *menſes vanitatis* memorentur. 2. ex verbo הנחלתי *hæreditario accepi*, quo *derivatio a majoribus* indicetur. Judicioſe ſatis, & ſpecioſe, utrumque. Addo 3. epitheton ירחי שוא: *Menſes vanitatis* magis quadrare in univerſam *Jobi* vitam, & communem miſeriam, quam in extraordinariam illam, qua conflictatus fuit, calamitatem; quin 4. לילות עמל *Noctes laboris* & *ærumnæ*, ferunt potius *Characterem generalem vitæ moleſtioris*, quæ his in terris degenda miſeris mortalibus eſt, quam *ſpecialem*, qui ſoli *Jobo* extra ordinem adflicto accommodetur.

Ibid. Circa phraſes lectiſſimas obſervo primo, grandiſone dictum eſſe הנחלתי *Hæreditario jure poſſidere factus ſum*, *menſes vanitatis*, adjecto gratiæ & emphaſeos cauſa לי *Mihi*. Doct. *Merc.* exiſtimat ſubaudiendam *Præpoſ.* מן, quaſi מירחי *de menſibus hæreditare factus ſum*. Id *Schmidius* vocat *enervare textum*, quod *Jobus* non dicat *ſe de menſibus vanis aliquid accepiſſe*, *ſed omnes ſuos menſes vanos fuiſſe*. Non alia mens *Merceri*; qui haud dubie *Menſes vanitatis* conſideravit ut *Hæreditatem* omnibus hominibus *communem*; unde & *ſuam ſibi portionem* acceperit *Jobus*. Non opus tamen ſupplemento iſto; & plena non minus quam venuſta eſt ſtructura הנחלתי ירחי *Hæres cernere factus ſum menſes*. Formula eſt *Arabibus* perfamiliaris, qua ſignanter exprimunt non *bona* tantum, ſed & *mala*, in *propriam* quandam ac *perpetuam poſſeſſionem* alicui *venientia*. Defungar uno exemplo ex *Diw. Hud.*

اورثني الهوي منهم سقما
واشكى من الجوي لاعجا رصبا ۞

Amor eorum me Hæreditare fecit morbum,
Conquerorque præ æſtu deſiderii uſtionem perpetuam.

Invertunt quoque phraſin, & dicunt, *Hæreditario jure me occupant mala. Diw. Hud.*

توارثني حوادث خطب اشبن
المفارق ۞

Hæreditario jure occuparunt me caſus adverſi, qui canos efficiunt vertices.

Iterum *Ibid.*

ولقد توارثني الحوادث واحدا
ضرعا صغيرا ثم ما تعاوني ۞

Sane hæreditarunt me infortunia ſolum,
Infirmum, parvulum; nec tamen me vicerunt.

Hoc eſt, *alia ſuper alia in me ingruerunt*, ut *Scholiaſtes* declarat. Ad hanc faciem expreſſerat *Pagninus* heic loci, *ſic ceu jure hæreditario traditus ſum mihi menſibus vanis*; quod tamen magis amplecterer, ſi הנחלתי לירחי ſtructum fuiſſet. Secundo *Menſium* hac in ſede mentio ad genium *Arabiæ*, qui in *triſtibus* deſcribendis *Menſes* amat *numerare*. Inſtar omnium ſit illud ex *Hamaſa*.

تمتع بذا اليوم القصير فانه
رهين بايام الشهور الاطاول ۞

Fruitor hocce die brevi, quando quidem
Oppigneratus eſt diebus menſium longorum.

Hoc eſt *carpe*, *cape*, *rape*, *præſentis diei breve gaudium*, *quum longæ calamitates tibi immineant exantlandæ*. Adjectum שוא *vanitatem* non tantum deſignat, ſed etiam *miſeriam*. Ejus genuinam vim hic eruere haud vacat: nedum exequi, quanta ſit amplitudo *Menſium miſeræ vanitatis*. Cum iis tertio connexæ *Noctes Laboris ærumnoſi*, ſingularem efficaciam habent; ut inſinuetur ne *Noctes* quidem *ipſas*, quæ *lenire mortalium curas diurnas* dicuntur, *ſollicitudine* ac *moleſtia ſua* vacare. Adde *Noctes* ſuo ſono aliquid *triſte* & *horridum* adferre; atque ad *calamitates* deſignandas transferri. Finio in מנו לי quod aliis *præpararunt mihi*; aliis *an-*

4 Si decumbam, dicamque, quandonam ſurgam? tum extendit veſperam, & ſatior jactationibus uſque ad crepuſculum.

5 In-

4 אם־שכבתי ואמרתי מתי אקום
ומדד־ערב ושבעתי נדדים עדי־
נשף׃

5 לבש

numerarunt, rectius *conſtituerunt* cum *Mercero*, vel cum *Coccejo* dabis *aſſignarunt*; & quidem in *portionem hæreditariam*: quum ſub منى מנה contineatur *certa menſura*, *modo*, *numero*, aliquid *præfinire*, & *aſſignare*; ſpeciatim ad *decreta* Dei, & *fata* cuique *aſſignata* uſu *Arabum* ſe extendente.

Vſ. 4. Amplificatur ultimum membrum *Vſ.* præc. & deſcribuntur *Noctes longiſſimæ* & *laborioſiſſimæ*, quibuſcum *fuerit conflictatus*. *Extraordinarias Jobi plagas*, & *nocturnas jactationes* plurimi hic vident, non ſine magna ſpecie. *Mercerus* tamen ad *ordinariam* hominum *conditionem*, & *inquietudinem*, *qua inſomnes* ſæpe *noctes traducunt*, hæc applicare non dubitavit; aſſentiente *Schmidio*. Ad utrumque ſenſum acclinis *Cocceji* commentatio. Si prius ſequare, anticipatio iterum admittenda, quum *Vſ.* 13. 14. idem hocce clarius exponatur. Poſterius ideo minus placuiſſe putem, quod figuræ nimis vehementes viderentur. Sed notandum, *adflictos*, æſtuante vi dolorum, *proclives* eſſe *ad exaggerationem*: *Jobumque* ſua *verba* vero charactere inſignivisſe, *Æſtuantia* ea vocans, *Cap.* 6: 3. Addas *ſtylum* libri, & *genium* nationis, grandia ſonare ſolitum. Eſt & aliud hic neutiquam negligendum; quod nempe *Longi dies*, *menſes*, *anni* apud *Arabes* frequententur in *vita miſeriore*: præſertim autem *Longæ Noctes*: ut contra *Noctes breves* tribuuntur *vitæ beatiori*. Reperies *viduarum annum longum*, in notis ad *Harir p.* 135. *Menſes longos*, ad *Vſ.* præc. En *dies noctesque*, in *Diw. Hud.*

وجهد بلاء اذا ما اتي
تطاول ايامه والليالي ۞

Gravem enimvero miſeriam; qua ingruente Longos dies, longas tranſigo noctes.

Habes *anxietatem* quæ depingitur *Deut.* 28: 67. Tales *noctes* vel *nullam*, vel *remotam* habere *auroram* dicunt: ut in illo *Diw. Hud.*

يا طول ليل غير منصرم ۞

O Longitudinem noctis nunquam finiendæ!

Nec non *Ibid.*

تكابد ليلا بعيد الصباح ۞

Suſtines Noctem cujus remota aurora eſt.

Contrarium venuſte expreſſit *Harir. conſ.* 38.

ثم فرض له من سيوب نيله
ما آذن بطول ذيله وقصر ليله

Tum decrevit ei largiſſima dona, quæ indicabant longas viro *veſtes, at breves eſſe noctes.* Hoc eſt, *quæ arguerent virum divitem atque beatum.* Hinc expeditior loci noſtri ſenſus, cujus *Longas noctes* opportune locatas cernis in deſcriptione *generalis* illius *miſeriæ*, qua cum colluctantur mortales: quamvis haud abnuam, eandem imaginem in extraordinarias quoque calamitates, ſi ſeries eas poſtulare vincatur, quadrare.

Ibid. Aliquid circa verba diſpiciendum reſtat. Adhæretur maxime ad מדד; & variatur in interſtinctione. Nimis durus eſt *Merceri*, *Receſſus veſperæ*, a נדד, pro, *Quando tandem nox receſſerit?* Argute alii, *Quando ſurgam? tum dimetitur* cor meum *veſperam*, *quantum noctis* ad auroram adhuc *ſuperſit.* Commodius *Coccejus*, *ubi decubui*, *dixi*; *quando ſurgam emenſuſque fuerit veſper?* Alii, cum *Belgis* noſtris, *Emenſuſque erit veſperam*, noctem, Deus? Novo conatu *Schmidius*. *Si cubui, & dixi, quando ſurgam? tum admenſus eſt mihi veſperam, & ſatiatus ſum jactationibus uſque ad crepuſculum.* Nunquam intelliges

hæc,

5 לבש בשרי רמה וגוש עפר עורי רגע וימאס ;

5 Induit caro mea putredinem verminantem; & æſtuationem pulveris: cutis mea perfluctuat & diſtabeſcit.

6 ימי

6 Dies

hæc, niſi ſuum ipſius interpretem agat Vir Doctus. *Si factum, ut cubarem noctu, ac præ moleſtia diem appropinquare optarem; tum vero Deus ſequentem illum diem uſque ad veſperam longe aliter mihi admenſus fuit, quam ſperaram; adeo quidem, ut jactationibus ſaturatus ſim per totum diem, uſque ad crepuſculum veſpertinum.* Hoc appellaris *ad quæſtionem ſedere*, & *torturam* dare *verbis* ſuis, quin *ſibi* ipſi. Probo tamen interpunctionem: probo quoque verſionem *admenſus eſt*, alio ſenſu, pro *extendit* ſcilicet, atque *Longam* effecit *veſperam* ac *noctem*: quod jam a Cl. *de Dieu* auctoritate Linguæ *Arabicæ* commendatum. Notio *Metiendi* ſecundaria eſt, a primaria *Extendendi*, & *in longum protrahendi*, quam ſervat *Arabum* مد, In 2. مدّ. Clarum *Originis* veſtigium offert 1 *Reg.* 17: 21. Fateor tamen Ellipſin paulo duriorem, *Tum extendit veſperam* Deus; quam ſic evitare licebit, *Tum extendit ſe veſpera*; nam *Pihel* & *Hiphyl* etiam reciprocam vim induere poſſunt. Poſſis quin imo *Tum extenditur*, quia مد מדד in 1. *conj.* apud *Arabes* eſt *extendere*, & *extendi*: inde in 2. exiſtit gemina poteſtas *valde extendere*, & *valde extendi*, qualia multa in *Hebræis* æque ac *Arabicis* formis congeri poſſent.

Ibid. Necdum omne illud expromtum, quod ſinus Linguæ recondit. Dubitavi tamen an promerem, quia ſubtilius videri poterit, quam ſolidius. Nempe contextus hicce recipit ſubliniorem adſpectum, quo *Longæ & tædioſæ noctes* figurant *Calamitates*, quibus ſecundum communem ſortem mortalium *ſeſe jactatum*, atque pro *virili portione*, ut ſic dicam, *exercitum fuiſſe* inſinuaſſet tunc Noſter; ut proinde *Extraordinariis* hiſce *plagis* non debuiſſet *onerari*. שכב *decumbere*, figurate eſt *jacere in miſeria*. קום *ſurgere* eſt *ex miſeria emergere*. ערב *veſper*, *occaſus*, pro *caſu adverſo* nemini ignotus. Denique *crepuſculum matutinum* pro *lætioris fortunæ auſpicio* cuique notiſſimum. Illuſtrabit imaginem hanc *Amrolkyſus* in *Moallekat*.

وليل كموج البحر ارخي سدوله
علي بانواع الهموم ليبتلي ۞
فقلت له لما تمطي بصلبه
واردف اعجازا وناء بكلكل ۞
الا ايها الليل الطويل الا انجلي
بصبح وما الاصباح منك بامثل ۞

Sæpe Nox ut unda decumana demiſit lacinias
Super me, diverſis cum curis, ut probaret.
Et dixi ei, quum extendiſſet lumbum ſuum,
Et poſticas partes; & pectore procubuiſſet.
Ne, O tu Nox Longa, ne diſcutiaris
Per auroram: nam aurora te non eſſet melior.

Prædicat Poeta *conſtantiam* ſuam *in adverſis*, atque depingit ليل لايل *Noctem Noctoſam* ac multo *formidoloſiſſimam*, quæ ipſum *oppreſſerit*; & *tota ſua mole* (quam *lumbo*, *clunibus*, & *pectore*, donat) *obrutum tenuerit*: *abſque ut animum deſponderit*, quin imo *abſque ut optaverit calamitatem illam fortunæ lætioris exortu depelli.* Uberrimus hinc loco noſtro ſenſus accederet, ſcopum recta feriens: ſed, ut dixi, dubitabundus rem propono; eamque in medio relictam velim.

Vſ. 5. Ut ſuperiores, ita & hic *Vſ.* ancipiti me cogitatione diſtringit, referamne graves has locutiones ad *Jobi præſentem miſeriam* &

& *adflictionem*; an ad *generalem mortalitatis miſerrimæ conditionem*. Prius ipſi nunc *Mercero* quoque viſum, itemque *Coccejo*; nedum aliis, qui jam inde a *l'ſ.* 3. *Calamitatem privam* noſtri recenſeri autumabant. Ex mente Cel. *Cocc.* ſignificat hic *Jobus* ſe eſſe σκωληκόβρωτον, & *pro indumento* ſibi eſſe *vermes* ex *putridis ulceribus* enatos; cum *cruſtis ſaniei arefactæ* ac *concretæ*, quæ comparentur *glebis*, aut *ramento pulveris*. Similia ferme reperias apud *Merc.* & alios. Alii tamen ad *vermes* & *glebam ſepulcri* hæc traxerunt, *in quod ſe* brevi *deſcenſurum* innuat Noſter: quin imo in quo *ſe* jam *jacere* oſtendat, *Cadaveris* videlicet *quam ſimillimum*. Imminens *mors*, cum *vermibus* & *gleba pulveris* placuere Cl. *Clerico*. Edm. *Caſtellus*, Vir ſummus, in *Lex. Polygl.* גויש עפר *profundum pulveris*, ex *Dial. Syr.* verti poſſe monens, arbitratur *Jobum* ſe ſub *diro* & *incurabili morbo* jam *mortuum* ac *ſepultum* conſiderare. Longe aliter ad calculos ſedit Cl. *Schmid.* cuncta applicans ad *communem* mortalium *ſortem*: *extremamque* illam *miſeriam*, quæ in *ipſa morte* contingit: quum 1. *caro induit vermem*, quatenus *a vermibus conſumenda eſt*: itemque 2. *ramentum pulveris*, quia per *corroſionem vermium* in *pulverem minutiſſimum* eſt *abitura*. 3. *cutis diffinditur*, quando *in morte contabeſcit*, *rumpiturque*, atque ſic *reproba fit*, hoc eſt *inepta ad functiones vitæ*, *nulliuſque* amplius *uſus*. Duæ *mediæ* ſententiæ non adeo arrident. Inter *priorem* & *Poſteriorem* ſic animi pendeo, ut propenſior tamen ſim in hanc, quam in illam; quia *generalis* ille *conſpectus* ad ſeriem, accommodatior eſſe videtur: ſi videlicet non ad id quod *in morte* fit reſtringatur; ut voluiſſe videtur Vir Doctus, ſed ad *totum vitæ mortalis tempus* extendatur.

Ibid. *Priorem* ſi quis velit *ſenſum*, remittam ad *L.* 1. *Orig. Hebr. p.* 311. & ſeq. ubi Radici רגע vindicata poteſtate *vibrandi* & *fluctuandi*, hoc in loco vere *Tragicam picturam* indicavi, qua *Jobus*, *tabo diffluens*, & *putridis ſordibus ſcatens* 1. *Carnem* ſuam repræſentaret *putredine verminante veſtitam*. 2. *æſtu pulvereo*, quod explicabam *æſtuante purulentia*. 3. *cutem tabe fluctuantem*. 4. *multo ulcere hiantem*. Hæc *vivi & ſpirantis cadaveris imaginem abſolutiſſimam* ſiſtunt, quæ pleriſque forte hanc interpretandi rationem receptiſſimam, adhuc magis inſinuabit, atque de *præſenti* ſua *Calamitate* agere Noſtrum, penitus perſuadebit.

Ibid. Vide tamen an non *generalis miſeræ mortalitatis deſcriptio* congruentior ſit futura. Hanc in rem reſumas velim, & conferas, *vividam* illam *mortalium picturam* quam *Cap.* 4. & ſeq. habuimus. Illud exemplum imitatur *Jobus*, ad ſuumque ſcopum revocat, אנוש *Mortalem* pingens ad inſtar *vermis* alicujus *putredine* ac *tabe* ſua *fluentem*; & quidem dum *vivit*, dum *ſpirat*; dum *aliquid eſſe* videtur; quem *vermem per ſe* ſatis *miſerum* par non ſit tam *extraordinariis miſeriis infeſtari*. Sic 1. *Caro putredine verminante veſtita* exhibet nobis עש *Tineam*, *Cap.* 4: 19. itemque *Cap.* 25. 6. רמה *vermiculum*, & תולעה *Lumbricum*. 2. *Æſtuatione pulveris induta* eadem dicitur *caro*; quod omnis *homo pulvis exiſtens*, *ad pulverem* quoque *ſit rediturus*. Vim phraſeos mox preſſius declarabo. 3. *cutis fluctuans* & *hians ulceratione*, ante oculos ponit *purulentam* ut ſic dicam *tabem*, ſub qua *terræ vermiculi vivam degimus mortem*, omni momento obnoxii gravibus & infeſtis morbis, malis, incommodis, vel extus invaſuris, vel intus erupturis.

Ibid. Evoluto nobili ſenſu, enucleemus & voces ad grandem huncce cothurnum ſuſtinendum exquiſitiſſime admotas. רמה & *vermem* notat, & *putredinem verminantem*. Radix רמם رمّ apud *Arabes* frequens pro *computruit*, *teredine exeſum* fuit os; ut in *Alcor.* من يحيي العظام وهي رميم *Quis vivificat oſſa, quum vermibus exeſa ſunt?* ipſum hoc derivatum رِمَّة רִמָּה ſignat 1. *putredinem verminantem*. 2. Ipſum *vermiculum*, & ſpeciatim *teredinem*, أرضة dictam alias. 3. collective العظام البالية *oſſa carioſa*, ſive *vermibus eroſa*. Hæc exemplis alibi inſtruam. Nunc compendia ſectans optionem defero Lectori, malitne *induit caro mea putredinem verminantem*, an *vermem roſorem*, ſive *Teredinem*. Utrumque τραγικὸν & ſublime; ſed poſterius τραγικώτερον, geminata

nata ſeſe figura commendans, per quam *vermem induiſſe* dicitur, qui a capite ad calcem *verminantem* in ſe fovet *putredinem*, cujus reſpectu *vermis* quoque & *Lumbricus* appelletur.

Ibid. Sequens גוש עפר *Glebam pulveris* plerique vertunt, ex uſu *Thalmudico*; unde alii adferunt *ſtrigmentum*, *ramentum*, quas notiones in *Lex. Thalm.* exhibet Cl. *Buxt.* una cum *pulvere* ipſo. Hanc vim elegit *Ab. Eſra*, qui monens nonnullis גויש eſſe *contrectationem* a גשש *palpavit*; aliis מין חיות *ſpeciem animantium*; קרוב *propius vero* autumat, eſſe מין עפר *ſpeciem pulveris*, per conjunctionem duorum *Synonymorum*, ut אדמת עפר *Dan* 12. *Terra pulveris.* Iſti *Glebæ* minus firmum præſidium quæſivit Cl. *Crom.* ex *Arab.* غيث *Pluvia*, per quam *Glebæ* concreſcunt. A גשש *contrectavit*, *Codurc.* ſatis audacter elicuit *pilulam ſordidam*, *quæ contrectando & fricando deraditur.* Mitto alias conjecturas: neque immorabor *profundo pulveris*, quod ex *Syriaca Dial.* tentabat *Ed. Caſtel.* qui ex *Arabum* جوش גוש, aliquid commodius dare potuiſſet, nec non ex eorundem جاش med. *Je* גיש, quam ſcripturam exhibet קרי ל׳ , כתיב ו׳ ſubſtituente גוש. Utraque Radix valet *æſtuare*, *fervere*, *efferveſcere*: indeque جوش *Cor* dictum, & جيش *exercitus*, ob *fervidum & æſtuantem motum.* Utraque forma dat proprie *actionem fervendi*, ſive *æſtuationem*: ac proinde ſive גוש עפר legas, ſive גיש עפר, habebis *æſtuationem pulveris*; quæ huic ſedi inſignite accommoda; quemcumque tandem ſenſum ſequare. Ex noſtra ſententia habes *corpus e pulvere conflatum*, eoque velut *æſtuabundum*, ob *fragilem* ac *pulveream* illam *conditionem*, qua ad ſingula momenta *morbis*, *doloribus*, *mortibus*, ſubjacemus. Qui apud *Ab. Eſram. ſpeciem animantium* intelligebant, *æſtuationem pulveris* forte ſumſerunt pro *multitudine reptilium*; quam non ſpernent, qui ad *Plagas Jobi*, & *Morbum Pedicularem* hæc referenda putant.

Ibid. Ad ultimum membrum obſervo עור *cutim*, creſcente vi orationis, dici רגע *perfluctuare*; nempe ob *interiorem illum æſtum corruptionis verminantis*; *qua* eadem *cutis* quoque dicitur ימאס *ſubulcerata* eſſe. Vides Schema decenter abſolutum. מאס paſſim eſt *ſprevit*, *reprobavit.* Id incommode hic retentum a *Tigurinis*, qui dant *cutis mea diſplicet mihi.* Noſtri malebant *Aſpernabilis eſt*, & *fœtida*, *ulceribus* nempe. *Schmidius* dabat *Reproba eſt*, *inepta ad officium*; quod paucis ſeſe approbabit. *Mercerus*, *Coccejus*, plerique, reſpexerunt cognatum thema מסס, ut ſit *colliqueſacta eſt*, vel *diſtabuit cutis mea.* Sic *Pſ.* 58: 8. ימאסו כמו מים verti ſolet: *colliqueſcant ut aquæ*, quaſi pro ימססו, ex *Syriaſmo*, ut volunt. Eadem ratione מאסתי mox *Vſ.* 17. hujus *cap.* judice Cl. *Cocc.* poſitum pro מַסוֹתִי *Tabui.* Hæc exempla Cl. *Clericus* opinatur vel *a manu Librarii*, errante ſcilicet, vel *a Matribus Lectionis*, eſſe profecta, inſerto *Aleph.* Iſti licentiæ tanta porta data non eſſet, ſi ante oculos habuiſſent Critici viri *hodiernos Ling. Hebr. defectus*, per quos *Origines* plerarumque radicum hactenus ſubductæ fuerunt; nunquam niſi ad facem *Dialectorum* in lucem educendæ. Sane dubitari nequit quin notiones *aſpernandi*, *reprobandi*, *faſtidiendi*, ſint *ſecundariæ.* Quarum *primaria* ea merito habebitur, ex qua, cum commoda iſtarum ſignificationum *Originatione*, trium locorum ſententia explebitur citra ullam *Anomaliam*; cum eo tamen, ut iſta *poteſtas formalis*, non ex ingenio fabricetur, ſed in auctoritate *Dialecti* fundetur. His conditionibus videtur מאס ماس *Arabum* poſſe ſatisfacere, cujus *Radicis* primigeniam vim reduxerim ad *ulcerationem*, ſive *diductionem ſubulceratam.* Ex hoc fonte *Gloſſas Golianas* facile derivabis; 1. *Succenſuit illi* i. e. *ſubulceratus fuit.* 2. *Turbavit* aut *corrupit amicitiam* i. e. *exulceravit.* 3. *perfricuit cutim* i. e. *ulceravit.* 4. *dilatatum fuit vulnus.* i. e. *ulceratum fuit.* Nil plenius aut rotundius, quam quod hinc ſponte ſubnaſcitur; *cutis mea perfluctuat & ſuamet ulceratione corrumpitur.* Similiter *Pſ.* 58. De *Vſ.* 17. hujus *cap.* mox diſpicietur. Æquis lancibus jam pen-

6 Dies mei leviſſime mihi de tela fugiunt; & conſumuntur exſpirante trama expectationis.

7 Re-

6 ימי קלו מני־ארג ויכלו באפס תקוה :

6 זכר

penſita, num probare poſſis judicium Cl. *Guſſetii* ſub ממס „ *Hinc quidam exponunt* „ *Job.* 7: 5. וימאס *quaſi pro* ימס, *quod ſane* „ *rei congrueret. Sed nec abludit propria ver-* „ *bi* נמאם *ſignificatio, quod interdum reſpicit* „ *defectus phyſicos; ut intelligatur cutis fiſſuris* „ *ulceroſis faſtidium & nauſeam excitans. Imo* „ *poteſt dici cutis reſpui, quæ fiſſuris ſanioſis* „ *irrigata, excidit: quaſi natura eam reſpuat,* „ *atque abjiciat. Sic non opus Arabiſmi ſubſi-* „ *dio, quo radix hæc notat late patens vul-* „ *nus.* „ Reſpicit Vir *Doctiſſ.* ad Cl. *Hinkelm.* in *Præf. Alcor.* qui noſtrum מאם ex notione *late patentis vulneris* exponi poſſe indicans, diſplicuit iis, quibus omne quod ex *Arabia* profertur diſplicet, quantumvis pro coacto, & obſcuro, facilem lucidumque præſtet ſenſum. *Ulcerata* noſtra *corruptio* quam ſortem ſit habitura neſcio: id ſcio, eam accommodatiſſimam eſſe huic ſeriei, ſive communem ſequare opinionem, ſive Noſtram, qua contextum hunc ad *Mortalitatis tabem exulceratam*, *omnis corruptionis purulentæ intus plenam*, applicandum eſſe cenſeo. Cogita quid *Medicorum Filios*, quid *Chirurgos*, diſtringat cotidie; nec ullum amplius commentarium in hunc locum deſiderabis.

Vſ. 6. Connectitur cum *natura* per ſe *diffluente*, ac *diſtabeſcente*, præſentis vitæ *brevitas momentanea*, non ut *mortis deſiderium culpa vacare* evincatur, quo Cl. *Cocc.* tendebat, ſed ut arguatur, ἐφημέροις illis *vermiculis terræ* tam *immanes plagas* non debere *imprimi.* Illuſtratur *fugiens* illa *brevitas* pulchra comparatione, in qua diſſidetur circa vocem ארג, quam alii *texturam*, alii *radium textorum* ſonare putant. Pleriſque poſterius commodiſſimum viſum; quod ſatis eleganter enucleatum a Doct. *de Pineda*, ita commentante. *Velociores mei dies fuerunt radio-textoris: & quidem velut ludicra quædam navicula illud quicquid fuit leviſſimæ arundinis, & fili, aut tramæ circumvolutæ, id eſt leviſſima hujus vitæ bona arundineæ fragilique valetudini circumdata, ſecum detulit dierum & noctium viciſſitudine quadam; cui quoque itio & reditio radii quam ſimillima eſt.* Hæc *acuminis* plus habent, quam *luminis*, *ſolidique*. Ad *Radium textoris* conſignandum forma כארג aptior fuiſſet, unde Alii maluere, *dies mei leviores ſunt textura.* Id a Cl. *Cocc.* ſic declaratur. *Ut tela facili negotio, ſtamine reſecto, tollitur; ita vita mea in ipſo mortis diſcrimine eſt, ut leviſſimo momento abrumpatur.* Paulo aliter *Schmidius*, cum *textura radium* complectens, ut *dies* dicantur *fugere* & *deproperari*, *præ quam tela detexitur & deproperatur.* Bonus eſt ſenſus, quem reddes uberiorem, ſi imaginem *texturæ* directe applices ad *vitam* cuique *divinitus aſſignatam*, cujus tum *dies*, tum *eventus*, ut *fila*, hanc *telam contexunt*, *abſolvuntque.* Nemini ignotum, quid *Græcorum* uſus ſub verbis κλώθεσθαι, ἐπικλώθειν, τολυπεύειν, ἐκτολυπεύειν, ὑφαίνειν, ſubminiſtret, ad hanc *figuram* illuſtrandam. *Lucian. Catapl. p.* 424. Εἶθ' ὁ μάταιος ἀποδιδράσκει, ὡς ἐπιδιῶναι δυνάμενος, ἐκλελοιπότος ἤδη τοῦ ἐπικεκλωσμένου αὐτῷ νήματος. Plenius *Contempl. p.* 353. κατόψει καὶ μοίρας ἄνω ἐπικλωθούσας ἑκάστῳ τὸν ἄτρακτον, ἀφ' οὗ ἠρτῆσθαι ξυμβέβηκεν ἅπαντας ἐκ λεπτῶν νημάτων &c. &c. Et *p.* 355. οὐδὲ οἶδεν ἀφ' οἵας αὐτῷ κρόκης ἐκρέματο *Neſcit a qua trama ipſi pendeat filius.* *Proverbii* vim hinc adepta phraſis, *Tenui filo pendere*, quod *Plut.* in *Demoſth.* eſt ἀπὸ σαπροῦ καὶ παλαιοῦ τὸ μόριον ἠρτῆσθαι. Simile quid inter *Hebræos* obtinuiſſe diſcas ex *Eſaj.* 38: 12. *Ritu textoris vitam meam convolvor: a tenui trama*, מדלה *reſecat me &c.* Hunc locum cum noſtro non male contulerunt *Aben Eſra* & *Jarchius*, ad ejuſque lucem aliquid forte commodius adhuc detego; *Dies mei leviſſime decurrunt de textura, & conſummantur exſpirante trama.* Sic perpetua erit *Allegoria:* קלו מני *Leves mihi ſunt de tela*, pro *citiſſime* vel *deſecantur*, vel quod malim *decurrunt mihi*, neminem offendet, qui *ſenſus*, quos vocant, *prægnantes* haud ignoret. תקוה *Expectatio*, etiam *filum* notat, vel *tramam*, unde *Tigur. Verſ.* perquam concin-

7 זכר כי־רוח חיי לא־תשוב עיני לראות טוב :

8 לא־

7 Recordare ventum eſſe vitam meam: non repetet oculus meus videre bonum.

8 Non

einne *Trama deficiente finiuntur.* Placitum & *Grotio*, *Codurco*, aliis, ſed non *Schmidio* neganti *ſe meminiſſe uſpiam in ſcriptura comparationem cum tela, aut textura, inſtitui ratione terminationis ex defectu*; *ſed velocem finem potius indicari per abruptionem fili facilem & ſubitaneam*: ut *Jeſ.* 38: 12. Miram profecto criſin! quaſi *filum* & *tela vitæ* non æque dici poſſet *finiri*, *expirare*, *deficere*, quam *abrumpi*, ſi ſeries illuc feratur. *Hiskias*, apud *Prophetam*, *tramam* ſuam *abrumpi*, pro ſuo ſcopo *ſpeciatim* conqueritur: at Noſter *generatim* reſpicit nunc *præproperam vitæ fugientis celeritatem*, cujus *trama* quam ocyſſime *deficit*, & *expirat*, abſque ulla *ſpe*, aut *expectatione* ejuſdem *prorogandæ*, *vel &*, hiſce in terris, præſentique ſeculo, *renovandæ*. Fateor *expirante expectatione* eundem ſenſum fundere, quin vix excludi poſſe ab hoc contextu. Idem tamen contendo ne *tramæ* quidem vim, *Allegoria* illuc vocante, poſſe ſeponi. Conjungamus ergo quæ hic pulcherrime in eandem mentem conſpirant, & vertamus, *Expirante trama* atque *expectatione*. Eſt *Figura ex Ambiguo*, pulcherrime hic lucens, cui ſimillimus luſus *Ibn Doreidi*.

ما كنت ادري والزمان مولع
بشت ملموم وتنكيث القوي

Enimvero ignarus eram Fortunam eſſe cupidam
Diſſipandi collectum; & diſſolvendi plexa fila.

Ibi *Schol.* القوى طاقات الحبل المفتولات ويستعار لغيرها

Vox קוי *notat plexus funium intortos; transferturque ad alia.* Nempe ad *Robur*, *potentiam*, *opes*, quæ omnia, a Poëta ſimul intenduntur. אפס *Exſpirationem* proprie ſignat, *a Rad.* אפס, quæ & فش פסס, *cum flatu expiravit.* Cl. *Clericus* ex hoc loco colligens *Reſurrectionem mortuorum Jobo nec notam fuiſſe*, *nec creditam*, inducit genus commentandi quod in aliis ipſe taxat, atque haud ferendum pronunciat.

Vſ. 7. *Momentaneam* hanc *vitæ brevitatem*, *celeremque fugam*, duplex conſignat figura. Prima eſt *venti*, cito *pertranſeuntis* videlicet, ut plenius *Pſ.* 78: 39. expreſſum. *Schmidius* præeunte *Coccejo*, maluit *halitum oris*, *nariumve*, quo *ſuſpenſa* ſit hæc *vita* animalis; ut proinde merito cum *momentanea* ejuſdem *duratione* comparetur. Uterque adſpectus habet ſuam vim ac dignitatem: eſtque optio ſatis difficilis. Alterum membrum non agit *de ſpe adempta priſtinæ felicitatis*; multo minus *reſurrectio negatur*, ut importune *Rabbini*. Longius petitum etiam quod *Schmidius* dedit. *Non revertetur poſt mortem oculus meus in hunc mundum*, *vitamque*; *in qua prius fui*: *& quidem ejuſmodi reditu*, *in quo videam bonum*, *quo priorum malorum infelicitas queat compenſari.* Hinc non procul abludit *Mercerus*, niſi quod ſimplicius quid voluiſſe videatur. Melius & preſſius *Coccejus*; *Mox moriar*, *nec percipiam amplius bonum in vita.* Neſcio an id voluerit, quod *Jobum* voluiſſe crediderim; *uno oculi ictu*, ac *momento*, *vitam* hanc *mortalem finiri.* Crebra eſt *Hyperbole* in ſacris, in profanis. *Job.* 20: 5. *Lætitia Hypocritæ* עדי רגע *ad momentum*, proprie *ad nictum oculi*. Signatiſſime *Prov.* 12: 19. *Labium firmitatis* i. e. *veritatis*, *firmabitur in æternum*; ועד ארגיעה *at donec oculo nictem erit lingua fucata.* Eandem exaggerationem recipit ſtylus ſententioſus ac ſublimis *in exigua duratione noſtræ vitæ*, quæ eſt עד ארגיעה *donec oculo nictem*, iſta *bulla* vix *momentum edurante* reſpectu Æternitatis. Hoc magniloquo *Jobi* ore nunc ita enunciatum exiſtimem, *non redibit oculus meus ad videndum bonum.* Sum *momentaneus* homuncio, cujus vita, quam longa, *uno* qua-

8 Non luſtraturus eſt me oculus videntis me: oculi tui in me, & diſpareo.

9 Con-

8 לא־תשורני עין ראי עיניך בי ואינני׃

9 כלה

ſi *nictu oculi*, *lumen* almum *rapientis*, *abſolvitur*. ראות טוב *videre bonum* nihil aliud heic loci, quam *dias luminis auras percipere*. לא ישוב *Non redibit oculus meus*, pro *non iteravit*, *non denuo faciet*, ſingularem habet venuſtatem; eſtque *Hebraiſmus* quem aliis in locis paſſim indicarunt Viri Docti.

Vſ. 8. In eandem ſententiam efficacius adhuc ſubnecti puto, *Non contemplabitur me oculus videntis me*; quod interpretor, *Qui me ſemel vidit, non altera vice videbit*, quia *ad momentum exiſtens evaneſco*. Vel, ſi mavis, ſic. *Uno* quaſi *momento orior*, *morior*: *nec* datur *ſpatium citiſſime fugientem contemplandi*, atque *luſtrandi*; ocyor enim *vento*, ocyor *fulmine*, *pertranſit vita* mortalis, atque *diſparet*. Sublanguida videntur, quæ *Mercerus* aliique paſſim hic habent de *reditu ad ſtatum viſibilem mortuis denegato*. Cl. *Cocceji* ſenſus etiam non ſatis uber, *Poſthac non alius me*, *neque ego alium*, *qui nunc una ſumus*, & *nos mutuo intuemur*, *poterimus juvare*. Proxime verum tetigere *Polychron.* & *Olympiod.* ad *ſubitos mortis caſus* hæc referentes, quaſi diceret *Jobus*, explanatore *de Pineda*, *Accidet ut dum in me forte quiſpiam figat obtutum*, *ſubito abeam*, *atque velociſſime diſparens fallam oculum contemplantis*. Quod illi *ſpeciatim*, tu *generatim* capias velim, de *vita* omnis hominis, quem Σκιᾶς ὄναρ *Umbræ ſomnium* appellat Poëta *Dithyrambicus*: quemque cum *ſomnio avolante* etiam comparari videbimus infra *Cap.* 20: 9.

Ibid. Eodem & poſterius colon collineat, *Oculi tui in me*, & *nullus ego*. Extra oleas abeunt, qui *oculos iræ divinæ* intelligunt. Ne *oculos* quidem *adſectus* & *miſericordiæ* ſcopum ſervare autumem. Haud aſſenſerim quoque *Schmidio*, *oculos generalis providentiæ* inducenti, *juxta quam Deus ſingulos homines adſpicit*, *ut illis det finem vitæ*: quaſi ſenſus eſſet, *Quando tu oculos tuos in me direxeris*, *ut mihi des finem vitæ juxta naturæ curſum*, *tum ſane non amplius ego ero in hac vita*. In eo quid miri? quid quod *momentaneam durationem* pingat? Ad hoc πάθος omnino tenendum, quod modo poſui, *Ad momentum vivo*, o Deus, *ad momentum me vides* his in terris, quin *ſub primo* oculi *conjectu*, quo me *ortum* adſpicis, *morior*, *diſpareo*, *nullus ſum*; ne *momenti* quidem *ſpatium* in comparatione ad Æternitatem tuam *implens*. Sentis gradationem decentiſſimam, qua *momentanea duratione* adhuc *brevius quid* figuratur; quod genus locutionum *hyperbolicarum* ex adfectu concitato oriundum, nemo prudens ultra ſcopum tetenderit. Cogitet, verbi gratia, aliquis, non fuiſſe ergo, quod tam acerbas querelas mitteret *Jobus* ob adflictiones *ultra momentum* haud prorogandas. Hæc, & alia ejuſdem naturæ, otioſe & frigide dicerentur; quum non ratio ſedata, & examuſſim perlibrata, orationem hanc direxerit, ſed perturbatio mentis de gradu ferme dejectæ eam ſuggeſſerit, in qua contenditur hoc *breviſſimum*, & per ſe *vanitatis pleniſſimum*, vitæ *momentum*, non *extraordinariis adflictionibus* fuiſſe cumulandum, & intolerabile reddendum, a Sapienti & Bono rerum humanarum Moderatore.

Ibid. Acquieſco equidem explicationi propoſitæ. Id tamen honoris varianti lectioni habendum, ut quem ſenſum fundere queat, aperiam. Nempe in bonis *Codicibus* רָאִי exhibetur, *Milhel*, unde עין ראי hic a multis vertitur *oculus viſionis*. Is ſimpliciter *Mercero* eſt *oculus videns*; aliis *oculus perſpicaciæ*, *perſpicaciſſimus*, Utrumque tenuem nimis præbet ſenſum; quem habebis amplum & celſum, ſi עין ראי *oculum viſionis* accipias *ſomnium*, ſive *adſpectum ſomnii*. Hinc per interrogationem poſſes, *Nonne vides me* ὄμμα ὀνείρου? vel cum adfirmatione, τὸ μηδὲν *vides me*, ὄμμα ὀνείρου. לא ſubſtantive hoc ſenſu habuimus *Cap.* 4: 21. *Cernis me eſſe nihil*, τὸ μηδέν; Σκιᾶς ὄναρ. *Speciem fugitivam*, *umbram evanidam*, *ſomnium merum*. Sic ראי commodiſſime ſumi poſſet infra *cap.* 33: 21. *Conſumta eſt caro ejus* מראי *præ viſione nocturna*; qua-

9 כלה ענן וילך כן יורד שאול לא יעלה׃

9 Conſumitur nubes tranſverſa, & abit: ſic deſcendens ad inferos non adſcendet.

10 לא־ישוב עוד לביתו ולא יכירנו עוד מקומו׃

10 Non revertetur denuo ad domum ſuam; neque agnoſcet eum amplius locus ipſius.

11 גם־אני

11 Etiam

qualis inducitur *Eurip. Phœniſſ.* 1713. ὥς τ' ὄνειρον ἰσχὺν ἔχων *ſicut ſomnium vires habens*; qualeſque cum *Æſch.* in *Agam.* 1227. appelles ὀνείρων προσφερεῖς μορφώμασιν *Somniorum formis ſimillimos.* Ad hoc exemplum עין ראי μόρφωμα ὀνείρου rite expreſſeris; quamvis mallem ὄμμα ὀνείρου pro *ipſiſſimo ſomnio*; ut enim *Græcis* ὄμμα ſic עין عين *Rem ipſam* ſæpe ſignat. Habes eandem ſimilitudinem in ſimili materia *cap.* 20: 8. *Videntes eum dicent ubi eſt? ut ſomnium avolabit, &c. utque viſio nocturna aſpeletur.* Ibidem tamen *Vſ.* 9. reperies, quod præcedentem noſtram interpretationem unice confirmet; *Oculus contemplatus eſt eum, nec addet.* Non *bis* videbitur, cujus *momentanea* tantum eſt *duratio.* ולא עוד תשורנו מקומו *neque denuo eum cernet locus ejus.* Phraſis תשור עין extat quoque *Cap.* 24: 16. ac proinde, ut dixi, priori verſioni adhæreſco.

Vſ. 9. Illuſtrantur & cumulantur ea, quæ de *evanida* mortalium *conditione* dicta erant, *imagine Nubis* citiſſime *dilabentis*, quam nemo vel *retinere* queat, vel *revocare*: ad quam rationem *irrevocabilis* rapiatur *vita*, atque *dilapſa evaneſcat.* Verbum כלה *conſumi*, de *fumo evaneſcente* habes *Pſ.* 37: 20. ענן eſt *nubilatio*, *nebula fumoſa*, quæ ſubito *apparet*, ac *diſparet.* ילך *ire* hic valet *perire*; ut *infra* 27: 22. *Tollet eum turbo* וילך *& ibit.* Inſpice locum, & ſenties *interitionem irrevocabilem* ſimul, ſimul *rapidiſſimam.* Cum tali *Nube*, *Nebula*, *Fumo* comparatur יורד שאול *deſcendens in ſtatum mortis*, atque *Diſſolutionem animæ a corpore*; in quam, ut fatis agentibus propellimur; ita nemini inde *redire*, atque *emergere* datur, ſecundum Naturæ leges ordinarias. Crudum, quod *Rabbini* hinc inferant *ſpem Reſurrectionis* a Jobo vel *abnegatam*, vel *ignoratam.* Et Patres nonnulli hinc *melioris vitæ fidem* detraxerunt Noſtro; quorum ſub clypeo ſic ratiocinatur Cl. *Clericus. Sane hæc non poſſunt intelligi de ſolo reditu ad hanc vitam mortalem negato; ſed de quovis genere reſurrectionis ad vitam meliorem; ſi enim ſciviſſet Jobus, fore ut aliquando ad immortalem vitam reſurgeret, ea ſpe ſe debuiſſet ſolari; non ita loqui, quaſi nihil amplius eſſet ſperandum.* Otioſe talia dicuntur in *umbra*, procul ab *æſtu* cruciatuum, qui *æſtuantia* quoque *verba* Noſtro extorquebant. Hæc ſi quis *ultra ſcopum* rapiat, trahatque, injurius erit in virum Sanctum; & *Philoſophiam* ac *Theologiam* veterem conturbabit. *Series* quoque ipſa aliud ſuggerere potuiſſet; quæ tota decurrit in deſcriptione *durationis momentaneæ hiſce in terris*; quæ nec *prorogari*, nec *revocari* ſe patiatur.

Vſ. 10. Ad *terrenam* ſane *vitam*, & *communem* mortalium *conditionem* in *præſenti ſeculo*, aperte ducit clauſula hæc; qua *Reditus in domum* negatur iis, qui *ad plures abierunt.* Cur *quietam domum* cum *Schmidio* innui ſtatuamus, nil cauſæ video. Sufficit *ſedes*, & *familia* cujuſque. מקום *Locus* hic ſignat *patriam*, quæ *non agnoſcere* amplius dicitur *functos*, non tantum, quod *nunquam redituri* ſint, ſed magis adhuc, quod ita *abierint*, ac ſi *nunquam fuiſſent.* Qui מקום *Locum* pro *Civibus* & *Amicis* accipiunt, granditatem non capiunt hujus figuræ, quæ *ſenſum* tribuit ipſi *ſolo patrio* tam *crebras*, tam *ſubitas* videnti *vices* aliorum aliis ſuccedentium, ut *cum ipſis memoria* quoque *eorum aboleatur*, ac ſi nunquam ſedes illas tenuiſſent. Geminum germanum eſt *Cap.* 8: 18. & 20: 10.

Vſ. 11. In

11 Etiam ego non compeſcam
os meum: loquar in anguſto ſpiri-
tus mei; diſſeram in amaro ani-
mæ meæ.
12 An mare ego, an monſtrum
marinum? quod ponas contra me
cuſtodiam.
13 Si

11 גם־אני לא אחשך־פי אדברה
בצר רוחי אשיחה במר נפשי׃
12 הים־אני אם־תנין כי־תשים עלי
משמר׃
13 כי־אמרתי

Vſ. 11. Incipit hic altera pars cap. noſtri; atque per formulam גם אני *etiam ego &c.* inſinuatur, quum hæc ita ſeſe habeant, Deuſque tam rigide tractet *Jobum*, *manu* extraordinariis plagis in ipſum *ſoluta*, etiam *Jobo* fas eſſe ut *os* in extraordinarias querelas *reſolvat*; atque ſic *arcto ſpiritui laxamentum*, *amaræ animæ lenimentum* quærat. Depellit a ſe notam *improbi murmuratoris.* Magna vis & gratia in illo גם אני *etiam ego*; deſignat enim *jus*, quod ſibi competere cenſebat *Jobus*, ad tam acerbas de ſorte ſua querimonias fundendas. Deſignat quoque quandam quaſi *retaliationem*, ex illo *jure* redditam, quum nempe *Deo immiſericorditer adfligenti* rependuntur *miſerabiles comploratione*s, quin *expoſtulationes juſtiſſimæ.* Vides quo *Adſectus irritatus* abripuerit Noſtrum; & *quantos* ei *animos fecerit* illibata conſcientiæ integritas, quam adverſus Amicorum injuſtiſſimas criminationes tutatur. Fontem tam commoti adſectus ipſe indicat, *Anguſtationem ſpiritus*, & *amaritudinem animæ.* Nempe צר & מר *Anguſtum amarumque* hic *ſubſtantive* veniunt; eſtque graviter iſtoc ſenſu enunciatum, *Loquar in anguſto ſpiritus mei*; *diſſeram in amaro animæ meæ*; nempe *concretis* pro *abſtractis* poſitis. Perpende tamen an non pondus ſit acceſſurum, ſi *concreta* retineas, & ב ex ſolenni *Arabiſmo* des *caſui recto*; ſecundum illud الله بقدير *Deus* eſt *in potente*, i. e. *potentiſſimus.* انا بمومن *Ego in credente.* Iſta ſtructura, multo tritior in *Bibliis*, quam hactenus obſervatum, ſignat *interiorem rei* aut *perſonæ conditionem*, *naturamve.* Hinc jam vertas licet, *Loquar anguſtatus ſpiritum meum*; *& diſſeram amarulentus animam meam. Talis* a Deo, ab hominibus, magis magiſque *effectus*, atque ultra ac dici poſſit *oppreſſus* ſimul, ſimul *irritatus.* Dedi geminam, quam Lingua admittit, conſtructionis faciem: quænam præferenda ſit, vix dijudico.

Vſ. 12. Mira comparatione *atrocitatem malorum* ſuorum, & *plagas quibus premebatur*, inculcat, rogans, num *Mare* eſſet? num *bellua marina*? ut neceſſe fuerit *furentem vim* & *ſævitiam*, *obicibus* & *repagulis circumdatis*, *frangi*, atque *coërceri.* Opponit iſtam imaginem veræ ſuæ conditioni, qua ſe modo aſſimilaverat *vermiculo tabido*, ac *ſponte diffluenti*; in quo nullæ *vires*, nullum *robur.* Meditatio *Merceri* ſic habet. *An eo ſum robore ad hæc tam atrocia perpetienda*, *quo mare*, *aut cetus*, *ut in his tantis doloribus opus ſit te velut repagula & clauſtra adhibere*, *ne hinc migrem*, *& quod unice in votis habeo*, *moriar ſolutus hiſce malis.* Sic משמר *cuſtodia* eſſet *obſtaculum moriendi.* Malim cum Aliis *Cuſtodiam*, *carcerem*, *clauſtra*, *repagula*, referre ad *Pœnas graviſſimas*, alibi etiam hoc Emblemate conſignatas. Duplex ſic oritur adſpectus *monſtri marini*, *Mariſque*, & ratione *Roboris*, & ratione *furoris indomiti.* Utrumque cum ſtylo *Arabiæ* conjunctiſſimum, qui *homines robuſtos*, *ſævos*, *importunos*, *immanes* non tantum cum *Draconibus* & *monſtris marinis* comparat, ſed etiam cum ipſo *Mari.* Sic *Arabſjad. p.* 52. *Tamerlanem* vocat البحر الخضم *Mare vaſtum* cujus *gurgitibus* cuncta *ſorbeantur.* Negat ergo Noſter ſe tantis *terroribus*, *doloribus*, *judiciis*, *pœnis* eſſe comprimendum, contundendum, includendum; quippe qui nec tam *ſæva* ac *importuna*, nec tam *valida* ac *robuſta* ſit *natura*, ut *immanes* illos *ictus* vel *meruerit*, vel diutius *ſuſtinere queat.*

Vſ. 13. Quan-

13 כי־אמרתי תנחמני ערשי ישא
בשיחי משכבי :
14 וחתתני בחלומות ומחזינות
תבעתני :
15 ותבחר מחנק נפשי מות
מעצמותי :
16 מאסתי

13 Si dico, conſolabitur me le-
ctus meus; levabit nonnihil querelæ
meæ cubile meum.
14 Tum conſternas me ſomniis;
& viſionibus me perterrefacis.
15 Ut eligat præfocationem a-
nima mea: mortem, præ oſſibus
meis.
16 Ul-

Vſ. 13. Quantis *terroribus* dies noctesque *opprimeretur*, & *elideretur*, tanquam *bellua* quædam *ſæva*, tribus declarat verſibus; qui non diu nos morabuntur. Pulcherrime in priori colo ערש *Lectus*, *Thalamus* dicitur *conſolari* adflictum; taciteque innuiſſe videtur *Jobus*, ſe, hominum officio ceſſante, *Lectum* ſaltem *conſolatorem* fore, ſperaſſe. Sequens phraſis paulo intricatior. Plerique, *Auferet lamentationem meam cubile meum.* Alii preſſius τὸ ב inſiſtentes, *Feret de queſtu meo*, eodem ſenſu; *nonnihil de queſtu meo auferet.* Malebat *Schmidius*, repetito *adfixo*, *Feret*, *ſuſtentabit me in querela mea cubile meum.* Longius abit *Kimchius*, eumque ſecutus *Pagninus*, *Ardet in querela cubile meum.* Nempe משאה *incendium* ſonat, quaſi *ſublationem* dicas *in altum*; ex quo uſu נשא *tollere* eſſet *comburere*, & *intranſitive*, *tolli* valeret *ardere.* Eſt egregia figura; quam tamen hic non admiſerim, tum quod duo hemiſtichia ſibi invicem fere reſpondere ſoleant; tum quod נשא iſtam vim non aſſumat, niſi ſerie illuc neceſſario ducente, quæ hic adeo non favet, ut obſtet potius. Placet Cl. *Coccejus* in *Lex.* dans *Feret* partem *in cura mea cubile meum*; niſi quod exponat *auferet: minuet ſolicitudinem meam.* Concinnius putem τὸ *feret* ſumi pro *portabit*, *ſuſtentabit*; ut *cubile* concipiatur *partem portare oneris*, quod *incumbit* in eum, qui ad aliquantulum quietis capiendum in illud *recumbit.* Mecum ſtat *Ramb.* Similiſque plane conſtructio *Neh.* 4: 11. הנשאים בסבל *Portantes in onere*, pro *partem oneris.*

Vſ. 14. Non merentur audiri, qui ad *ſomnia* & *viſiones* amicorum *Jobi* hæc detorquent, qualis erat *viſio* illa *Eliphazi cap.* 4. Non exputo etiam quid ſibi velit *Doct. Schmid.* מן *præ* valere heic loci tendens, ut ſit, *præ viſionibus perterrefacis me*; quod declarat *præ magnitudine terribili viſionum.* Ignoro illud מן *magnitudinis* & *excellentiæ* extra *comparationem*, cui hic locus non eſt; quum *ex viſionibus*, & *inſomniis terrificis* continuo ſe *exagitatum* dicat Noſter. Ferri tamen poteſt verſio, *præ viſionibus conſternatum me reddis*, ſi *præ* ſumas ut *propter*, quale eſt, *præ mœrore*, *præ lacrymis*, loqui non poſſe. De horum *viſorum*, *ſomniorumque horrendorum* natura, & origine late Interpretes.

Vſ. 15. Nimis crudum, quod hic multi obtruſerunt, *ſuſpendium*; vel *Laqueus.* Emollitur a Doct. *Merc.* *Non quod de laqueo cogitarit, ſed quod in tanta mali acerbitate, ſi alterutrius daretur optio, longe mallet laqueum, quam talem vitam.* At vel ſic *nodus* ille *infelix* merito diſplicuit; & liquido aſſeverare eſt, ἀγχόνην & ἀπάγξασθαι nihil aliud hic ſignare poſſe, quam πνίγεσθαι *præfocari*, ut recte monitum a Cl. *Cocc. Schmid.* aliiſque. Productus quoque a Cl. *Hinkelm.* uſus *Arabum*, quibus خنق omnem *ſuffocationem* exprimit, & خناق *Anginam.* Pro *ſuffocari* dolore, ut πνίγεσθαι & ἀπάγχεσθαι, ἀποπνίγεσθαι, in *Hamaſa* extat.

تبرح من الغيظ خانقة

Anxietas ex indignatione præfocans eum.

Hac occaſione idem Thema per *Ha* خنق *ſecundariam* obtinuit *notionem*, *indignatus* &

 ira

16 Ulceratus tabeſco; non in ſeculum vivam: remitte a me, nam halitus ſunt dies mei.

16 מאסתי לא־לעלם אחיה חדל
ממני כי־הבל ימי׃

17 Quid

17 מה־אנוש

ira percitus fuit. Succenſuit. Male voluit; ἀποπνίγεσθαι. Dextre hinc & graviter *Arabsjad. Hiſt. Tam.* 257. واكل يديه حسرة وندامة وزار وزقا والتهب حنقا وكاد ان يموت خنقا *Comeditque manus ſuas præ dolore & pœnitentia, rugiitque, ac vociferatus fuit: & ardens indignatione, parum abfuit quin ſuffocaretur.* Apparet מחנק complecti *præfocationem* quamcumque, & *gutturis præcluſionem*, qua *anima intercipiatur*, atque *excludatur* non ſine gravi lucta. Hoc adſpectu נפש heic loci *Animam oris* deſignabit potiſſimum, quæ *ſpirare* ultra recuſet, quia *reſpirare* haud liceat, ac propterea malit *exſpirare*, atque *extingui*. Id tantum intendi liquet ex altero colo, *Mortem præ oſſibus meis.* Recte obſervatum *oſſa* poni pro *corpore* & quidem *emaciato*; addo *excruciato* & *enecto*, quo de alibi commodius.

Verſ. 16. Magnopere præpeditos hic cernas Doctiſſimos Virorum; præſertim in priori membro, admodum abrupte enunciato. Cl. *Cocc.* omnia in compendium miſit. *Intereſt ut hic verſus recte intelligatur.* מאסתי *duobus modis poteſt capi.* 1. *ſprevi.* 2. *tabui? pro* מסותי. *Si illud eligas, nihil aliud dicit quam ſe vitam ipſam ſuſque deque facere; ac facile ea poſſe carere. Si hoc, contra mortem ſe ſolatur moriendi neceſſitate.* Utraque explicatio laborat, *prior*, quam plurimi tenent, quod מאסתי *ſperno*, abſolute poſitum velint, pro *ſperno vitam* meam, vel *ſperno oſſa* mea; quæ ſupplementa duriuſcula eſſe nemo non ſentit, plenum enim, & diverſum *Cap.* 9: 21. *Poſterior*, in qua מאסתי tanquam a מסס, per interrogationem ſuſpenditur, *Tabui?* minus adhuc ex limpido fluit. Accedit quod neutra *ſcopum* feriat; nam nec conſolatur ſeſe *Jobus* contra mortem; nec *vitam* ſuam ſe *ſpernere* aut *ſuſque deque habere* teſtatur; ſed ex *fragiliſſima* & *momentanea* ſua *conditione* denuo inſtat, contenditque non tam *ruditer tractandum*, neque tam *graviter adfligendum* eſſe miſerum *vermem*, qui omni momento ſponte ſit *exſpiraturus*, atque *in tabe* ſua *diſperiturus*. Nonnullis מאכתי tantundem valet ac נאשתי *deſpero*, quorum ratio omni ex parte conturbatiſſima. Non receperim quoque, quod Cl. *Schmid.* tentavit; quamvis ad ſcopum propius accedat; *ſi contemſi, non tamen in æternum victurus ſum:* ideoque *ceſſa a me &c.* Primo durum מאכתי, pro מאסתיך *contemſi te.* Durius, quod ſuppleatur אם *ſi:* nec *Vſ.* 20. conditionem ſimilem poſtulat; ut *Vir Doctus* opinatur. Duriſſimum, quod in hac ſerie, in qua *cauſæ ſuæ bonitatem acerrime* defendit Noſter, eum ſic argumentantem inducat; *ſi utique graviter peccaſſem*, teque ſpreviſſem, *non debuiſſes tamen tam ex improviſo & vehementer me punire, ſed potius ſortis humanæ miſeræ, & brevis, meminiſſe & pœnitenti omnia remittere.* Itane vero? *ſpretor* & *contemtor* Numinis, cum eo contenderet de modo pœnarum? Hoc jam parum abeſſet & ab *impatientia*, & ab *impœnitentia*, Noſtro objecta per *Eliphazum*. Obſerves velim מאס ſemper inferre *contemtum graviorem*, & *ſtudium animi penitus averſi*; quod verbum ne per *ſuppoſitionem* quidem unquam in ſe transferre voluiſſet *Jobus*. Vide jam *Origines* quid valeant. Notio iſta *averſi* & *faſtidientis animi*, videtur orta ab *ulceratione*, *exulceratione*. Id alias data opera. Hanc *ideam primigeniam* haud ſpernent heic loci æqui judices, hinc ſenſum habituri liquidum, ac rotundiſſimum. *Ulceror; non in æternum vivam: relaxa a me; nam halitus ſunt dies mei.* Eſt *Inſtantia* e ſuperioribus ſubſumta; & quidem vel *eodem adſpectu*, quo *Vſ.* 5. vidimus ימאס; vel *graviore.* Si *eodem*, ſenſus erit, par non eſſe ut Deus tantis ictibus urgueat *vermiculum* ſua ſponte *tabida* quaſi *ulceratione colliqueſcentem*, & *jam jam* מבלי משים *nemine premente*, ut *Cap.* 4: 20. habuimus, *periturum.* Malim tamen

17 מה־אנוש כי תגדלנו וכי־תשית אליו לבך׃

17 Quid eſt mortalis, quod colluctando te implices cum eo? & quod cor tuum adverſus eum intendas?

18 ותפקדנו

18 Et

men *graviore* nunc *ſenſu*, *ulceribus hio & ſluo* totus, quantus quantus ſum; atque a Capite ad calcem iis jam ſum *confectus plagis*, unde emergere nequeam: & ſub quibus non poſſim non, brevi, miſeram animam exhalare. Quid ergo, ac ſi haberem *perennem* quandam *vitæ vim* ac *vigorem*, novis identidem ictibus me lanias, conficis, contundis? *Relaxa* manum; *remitte* impetum; *abſiſte*; *halitus* enim, & *tenuis aura*, cujus ſimilitudinem gerit univerſa mea vita, mox *ſponte dilabetur* atque *evaneſcet*. הבל ימי. Verbum חדל *flacceſcendi* vim primævam habuiſſe, infra reperies.

Ibid. Singularem gratiam & pondus habet membrum illud medium לא לעולם אחיה *Non in æternum Vivam. Non habeo vim vitæ perennis, & indiſſolubilis.* Eſt *Ironia*, qua innuitur *breviſſima* & *momentanea* tantum *duratio*, mox *diſſolvendi*, & *perituri* לנצח *in purum putum*; vel ratione *fragilitatis* quam cum reliquis mortalibus communem habebat; vel ratione *præſentis* etiam *calamitatis*, ſub cujus pondere jamjam erat exſpiraturus. Attende magnitudinem adfectus. Quid ita me *verberas* manu *ſemper extenſa*, & *ne minimum* quidem *levata*? *Non vivam* utique *in æternum*; ſed *breviſſimum* illud *vitæ momentum*, quod mihi vivendum reſtat, quantocyus me rapiet, extinguetque. Ergo *me* vel tantillum *interſpirare ſinas*, & parce, precor, parce.

Verſ. 17. Via ſic emunita per ſalebras, ad quas obhæreſcitur in hoc *vſ.* & ſeq. in quibus Cl. *Cocc.* ineſſe putat *deſcriptionem humanæ indignitatis cum ad beneficia, tum ad tentationes.* Nec iiſdem, nec valde diverſis tamen veſtigiis inſiſtens Cl. *Schmid.* hunc ſenſum offert, *Cur eum quem magni facis, præſertim in ſpiritualibus, quem in filium adoptas, & gratia proſequeris; quem nonnunquam etiam in temporalibus divitem reddis & honoratum: quem diligenter obſervas cor ad ipſum advertens: nihilominus ſingulis diebus viſitas tuis caſtigationibus; & ſingulis prope momentis probas malis & tentationibus graviſſimis.* Tale quid jam dederat Doct. *de Pineda*, tanquam germaniſſimam explicationem; quam nimis vereor eſſe alieniſſimam. Utique mentio *beneficiorum* Dei, quibus *Magni* ſe *facere* hominem oſtendat, hic plane abhorret a ſcopo, & ſerie. Incongrua quoque illa digeſtio, qua *vſ.* 17. in *bonum*, at 18. in *malum* applicatur; quum uno filo ac tenore omnia decurrant; ex quibus ille ſenſus eliciendus, qui ſuſceptæ querelarum & expoſtulationum acrimoniæ reſpondeat. Huc collineans *Doct. Merc.* exhibuit, *indignum eſſe Dei majeſtate hominem tam vilem vel adfligere ac percutere.* Sic *Magni facere* hominem, valeret *cum eo contendere*, & *pugnare*, ipſum *adfligendo.* Hoc prima fronte duriſſimum, emollietur quodam modo per *Diodati* explanationem, hanc mentem *Jobo* tribuentis, *ſe quum tam arcta cuſtodia a Deo includatur, tam graviterque impugnetur, a Deo conſiderari tanquam* Magnum *& formidabilem* Adverſarium; *quem tantis plagis contundere neceſſe ſit; quum revera nihil aliud ſit quam Vermiculus.* Similis imago obverſabatur *Mercero*, minus tamen dextre eam applicanti. *Ut imperatorem*, inquit, *ac Clarum ducem haud deceat gregarium militem, aut ruſticum viliſſimum curare: ſic indignum Majeſtate Dei, rem tam vilem, quam eſt homo, curare; atque ita præſertim curare, ut ſingulis momentis de eo inquirat; ab eo ne per momentum quidem providentiæ ſuæ oculos avertens.* Hinc coactus fuit pro remedio ſubdere. *Neque ſane ego hinc cum Hebræis collegerim Jobum Dei providentiam inficiari* &c. &c. *Sed mens ejus eſt, ſe etiam plagis Dei indignum, nec tanti eſſe, quem Deus adfligere dignetur.* Non negem *figuram* hanc *Dithyrambicam*, inprimis ut eam propoſuit *Deodatus*, eſſe *ſpecioſam*; cui ſubſcribendum cenſerem, ſi גדל hic omnino per *Magni facere* ſit vertendum. Ei favet adjecta phraſis השית לב *apponere cor*, ſaltem ſecundum rationem vulgarem, qua creditur inferre *Curam*

18 Et viſites eum ſingulis matutinis? ſingulis momentis tentes eum?

18 ותפקדנו לבקרים לרגעים תבחננו :

19 Quan-

19 כמה

ram intenſiorem. Cum ea quoque ſat pulcre conſiſtunt verba *Viſitandi*, & *probandi*; & quidem ad *ſingula matutina*, quin *momenta*. Hæc omnia tunc arguerent *non convenire immenſæ Majeſtati*, ut tam *operoſis*, ut ſic dicam, *ictibus conterat* eum, quem ſolo *flatu* queat *diſperdere*, nullius momenti aut roboris adverſarium; adverſus quem *tanta mole inſurgi* nec neceſſe ſit, nec ſane ſatis Deo ſit dignum.

Ibid. Animoſiſſimam habes ſententiam; nonnihil tamen a ſcopo declinantem. Eum propius & preſſius ferire mihi videtur hic ſenſus, *Quid eſt mortalis quod Tu cum eo colluctaris?* &c. Hanc ſpecialem vim ſub جدل גדל in 3. *conj.* frequentant *Arabes*; ut in *Lib. de def. pag.* 195. & *ſeq.* produxi. Nempe جدل proprie eſt احكام الفتل *firmiter torquere* vel *torqueri*; & *implicari ex multis funiculis in denſiorem funem.* Hinc ſecundario גדל جدل eſt *adolevit*, *increvit*, *viribus & robore invaluit.* Item alia *Metaph.* جدل in *Camuſo* eſt اللدد في الخصومة *contentioſa in pugnando vehementia*; ab *implicando* & *intorquendo*, ut נפתל *intortus fuit*, tranſlatum ad *contentionem* & *colluctationem acerrimam.* Jam vero quum *Hebræis* גדל *creſcere*, *adoleſcere*, ſecundum *Originem* ſonuerit *intorqueri*, etiam atque etiam perpendas velim an non idem illud *intorqueri*, & in *Pih. ſemet implicare* & *intorquere*, apud Eoſdem obtinuiſſe poteſtatem *Vehementis colluctationis* mecum colligas; ſatiſque fundamenti ſubeſſe exiſtimes, ad hanc vertendi viam ſine ſcrupulo inſiſtendam. *Arabibus* ſaltem hoc uſu nil tritius; una cum altero illo *creſcentis* & *adulti roboris*, *vigoris*, *magnitudinis*; ac proinde in *Librum Jobi* ſuo quodam jure pedem reponit, vi ſententiæ exulantem notionem poſtliminio repoſcente. Conſtructio תגדלנו reſolvenda in תגדל עמי *Colluctando te intorques & implicas cum ipſo*, nemini nodum nectere poteſt, quum intra *Cap.* 31: 18. omnes agnoſcant גדלני pro גדל עמי *Adolevit mecum.* Si vim *accuſativam* quis malit, *prægnantium locutionum* numero & hanc inſerat, *Colluctando ſternis eum*, nam جدل pro صرع *ſternere*, *proſternere* adverſarium *inter luctandum* uſurpari, in *conj. dageſſata*, monui in *de Def. p.* 197, 198. Quodcumque ſequare, habes imaginem luculentiſſimam *Paris colluctantium*, *haud bene comparati*; per quam premit, & urguet noſter, id quod vincendum ſuſceperat, *haud æquum eſſe*, *ut Deus miſerum terræ vermiculum tanto*, *tamque extraordinario*, *pondere plagarum ſuarum obruat*; *atque graviſſimis ſuo nexibus ſuis ineluctabiliter adfligat*, *haud ſecus ac ſi placeret ſibi in eo lentis ictibus contundendo*, *quem ſemel conterere poſſet.*

Ibid. Non obſtat huic interpretationi ſequens formula, *& quod ponis ad eum cor tuum.* In *bonum* habes *Prov.* 27: 24. שית לבך לעררים *Attende* ad greges, *curamque in eos intende.* &c. Alibi ſimplicius valet *animum advertere*, *obſervare*; ut 1 *Sam.* 4: 20. *Prov.* 24: 32. *Pſ.* 48: 14. &c. Dubium quid valeat *Pſ.* 62: 11. *Opulentia quum floruerit*, אל תשיתו לב *ne ponatis cor.* Plerique explicant per *Ellipſin*, de *Fiducia* in opes *repoſita.* Ego malim *ponere cor*, pro *erigere* cum *confidentia* & *audacia.* Quum autem שות ſæpe bellicam vim induat, ut ἐπιτίθεσθαι, nihil impedit quo minus heic loci שת לב *intendere cor* accipiamus *hoſtiliter*, prout *Cap.* 1: 8. שם לב expoſitum, & illuſtratum fuit. Adjectio

19 כמה לא־תשעה ממני לא תרפני עד־בלעי רקי׃

19 Quantum eſt, quod non avertis oculum a me? non relaxas me, donec glutiam ſalivam meam.

20 חטאתי

20. Pec-

jectio illa *Cordis*, ad *gravitatem* pertinet *iræ*, & *impetus*, quo adverſus aliquem inſurgitur. Phraſis eſt *Eſechieli* perfamiliaris הני אליך *Ecce me ad te*; pro *Ecce te aggreſſurus ſum*, *inquit Dominus*. Potuiſſet quoque dici הנה לבי אליך *Ecce cor meum ad te*. *Totis viribus*, *tota iræ meæ mole te ſum invaſurus*.

Verſ. 18. Parum plauſibilis meditatio *Schmidii*; qui *Verba viſitare* & *probare*, *in optimam quoque partem ſe accipere* ait, *ut ſignificent paternam caſtigationem & probationem*, *in optimum finem*; *ut homo vel abſtineatur a peccato*; *vel exerceatur in patientia*. Minus commoda etiam *conſervatio*, & *generalis providentia*, quam Cl. *Cocc.* hic vidit, *metaph.* a *paſtoribus ſingulis matutinis oves ſuas recenſentibus*. In eodem adſpectu hæſit Cl. *Cler.* cujus hæc ſunt. *Ut paterfamilias*, *qui res ſuas*, *quotidie mane*, *inſpicit*, *& explorat*, *ſatiſne ſalvæ & rectæ ſint*: *& præſtat capere de frequenti cura*, *qua Deus hominum virtutem explorat & confirmat ſimul*, *ſi vera ſit*, *quam de ſubita exploratione*. Quid ergo paratragœdiatur *Jobus*? Quid amariſſimis querelis Cœlum fatigat? Mirum *Viros Doctos* ita filum ſuum ſub manibus perdere poſſe, dum nimis premunt vulgares verborum Ideas. Omnino *Viſitare* hic eſt *Punientis*, & *Explorare*, *Adfligentis*. Verbum פקד in *gravioribus pœnis* & *ultionibus* pertritum, ut *Exod.* 20: 5. *Hoſ.* 1: 4. *Jer.* 46: 25. & 9: 24, 25. &c. Notabilis valde uſus *Eſaj.* 27: 3. ubi eſt *hoſtiliter invadere*. Alterum בחן in *Origine* valuit *Terere*. Hinc ſpeciatim aſſumta vis *Terendi ad coticulam*, *explorandi gratia*. Inde porro *Tentare* malis, *vexare*, *adfligere*. Hæc *Arabes* ſub محن conſervarunt, ut indicavi in *Clavi Dial.* p. 194, 195. Iiſdem محنة eſt *Omnis res qua homo tentatur*, præſertim *adflictio* & *calamitas*. Quid לבקרים *Ad matutina* hic deſignet, diſcas ex *Pſ.* 101: 8. ubi infert *quotidianam inſtantiam*, *accurationem*, *diligentiamque judicis* cuncta *inſpicientis* & *advertentis*. Adde *Pſ.* 73: 14. ubi כל היום *Toto die* & לבקרים *ad matutina* adeſſe dicitur *plaga*, & *caſtigatio*. Alterum לרגעים *Ad momenta* denotat *gravitatem mali ne minimum quidem remittentis*; *ſed uſque & uſque crudeſcentis*. Sic *Eſech.* 26: 16. & 32: 10. חרדו לרגעים *Trepidabunt ad momenta* ſingula; *dolore* identidem *ſemet irritante* & *incendente*. Cl. *Crom.* *Momenti* ſignificationem derivat a *Chald.* רגע *ſubito ſe movit*, & *Arab.* رجرج *iteravit*. Hæc non pugnant cum iis, quæ in *Origin.* L. 1. p. 287. dedi; ubi ex رعج elicui vim *Coruſci motus*, & *vibraminis*, ad quam diverſos hujus Thematis uſus revocavi. Eandem nempe vim ſervat quoque رجرج, cujus omnes ſignificationes a *motu vibrante* deſcenderunt. Infra occaſio naſcetur, pluribus hoc ipſum confirmandi.

Verſ. 19. Imago *Luctæ* quam *vſ.* 17. induxi, egregie completur. *Quouſque non avertis oculos a me? non laxas me*, *donec ſalivam meam deglutiam*. Vides *Fauces prehenſas*, & *manu*, *nexuve*, *validiſſimi Luctatoris præcluſas*; *abſque ulla interſpiratione*. Recte Cl. *Cocc.* *Semper mihi inſtas*: *nullum momentum ab exagitatione mei vacuum*. *Minimum ſpiramentum* deglutienda ſaliva *definit*. Hæc certiſſima. Incertius quod addit. *Credo ex occaſione morbi*; *quod arentibus ſaucibus*, *inflammatis tonſillis*, *humore transmittendo opus haberet*. Vetus traditio eſt, *inter cetera mala & Synanchen habuiſſe* Noſtrum. Ex *Hieron.* meminit, ſed ſepoſuit, Doct. *Mercerus*; contentus *breviſſimo* temporis *ſpatio ad reſpirandum*. Miratur *Schmidius* ab omnibus *adeo conſpirari in hunc ſenſum*, *cum nulla videatur eſſe interpretationis ratio*; *& nuſpiam talis definitio momenti reperiatur*. Sumit autem, quod tu viciſſim mirabere, *deglutitionem Salivæ*, pro *Vehementia adflictionis*, ut ſit, *Quare non dimittis me prius*, *quam ad extremum uſque me adfligas*. Adjungit mirificam rationem. *Per deglutitionem ſputi*, inquit, *ſummas adflictiones denotari puto*,

Dd

20 Peccavi, quid faciam Tibi, obſervator hominis? quare poſuiſti me occurſaculum Tibi; & mihimet factus ſum oneri?

20 חטאתי מה אפעל לך נצר האדם למה שמתני למפגע לך ואהיה עלי למשא׃

21 Et

21 ומת

to, quia ægrotantes, & omnibus viribus jam deſtituti, ſputum amplius ejicere & ex ore excernere nequeunt; ſed illud deglutire coguntur. Simile quid reperias quoque apud *Pined.* Non tentaſſet Vir Doctus, ſi in promtu habuiſſet formulam proverbialem *Arabum* ابلعني ريقي אבליעני ריקי *Deglutire me fac ſalivam meam*, pro امهلني مقدار ما ابلعه *concede mihi tantum moræ ac ſpatii, quo eam glutire poſſim.* Ita in *Camuſo*, ex eoque Cl. *Golius.* Utitur *Haririus conſ.* 15.

ثم اخذ بشكو الاين واخذت في كيف واين فقال ابلعني ريقي وقد اتعبني طريقي

Tum ille laſſitudinem conqueri cœpit; ego vero rogare qui valeret, *& quo* tenderet. *At ille, deglutire ſinas me, inquit, ſalivam meam; nam ſane confecit me iter meum.* Item ad *Conſ.* 10. *Teblebius* adducit ſpecimen acris & promtæ reſponſionis, in aliquo, qui quum ſocium de multis interrogaſſet, ab eoque tandem rogaretur ابلعني ريقي *ſalivam me ſinas inglutire*, repoſuerit, قد ابلعتك دجلة والفرات *Vel Tigrim & Euphratem glutias licet.* Vides formulam hanc non exigere *Synanchen*; ſed *Jobum* ſe conſiderare ut *præfocatum* ab acerrimo colluctatore, qui eum a continuis ictibus ne reſpirare quidem ſinebat. Recurret imago *Cap.* 9: 17, 18. Monendum inſuper *omnem calamitatem graviorem*, ab *Arabibus* vocari غصّة *præfocationem*, atque inde invaluiſſe phraſin اسغ لي غصتي *Laxa mihi quod gulam premit.*

Verſ. 20. Impeditior nexus. In verbis quoque difficultas. Abſolute capi poteſt τὸ חטאתי, *peccavi*; poteſt & per conceſſionem *peccaverim*, vel *ſi peccavi.* Prius ſequitur *Cocc. ſi ideo me infeſtas, quia peccavi, & debitor pœnæ tibi ſum, fateor me reum tibi eſſe & ὑπόδικος. Quid vis faciam, ut mihi placatus fias, O cuſtos hominum! ſupervacuum eſt te ſatisfactionem exigere per pœnam, quum lytron dare non poſſim.* Simile quid & *Mercerus* dedit, qui tamen magis inclinat in *conceſſionem. Eſto, peccarim, ſicut ſocii mei dicunt hæc mihi accidere ob ſcelera mea; quid tibi vis faciam, ut te placem & culpam meam expiem? Viſne millia arietum & oblationum? Qua tandem re ac ratione ſcelus piabo? Sane nulla re id potero, niſi tu per te remittere velis. Remitte ergo* &c. Hanc viam ita tenet *Schmid.* ut in illo, *Quid faciam tibi?* inveniat potius *deſiderium ſatisfaciendi Deo per ſacrificia, & alia ſigna pœnitentiæ.* Id cur commodius exiſtimemus, non exputo. Eſt etiam incommodius paulo נצר אדם *cuſtos* hominis, vel *ſervator*, in bonum hic ſumtus; ſive explicetur de *Deo ſuſtentatore omnium*, in natura; ſive de eodem *Salvatore ſuorum* in gratia. Concitatus *Jobi* adfectus exigit potius *Obſervatorem* hominis, qui *oculum Vigilem & Vindicem* intendat in omnes ejus actiones. *Cocc.* in *Lex.* proponit, *ſervans homines & obſervans.* Hanc vim habes *Prov.* 24: 12. ubi נצר נפשך eſt *obſervator & inſpector animæ tuæ.* Sic frequentant *Arabes* ſuum ناظر pro *obſervatore*; & ناطر pro *ſpeculatore.* Confer *Jer.* 31: 6. & 4: 16. Eſt & hoc obſervandum, quod vis *cuſtodiendi & ſervandi* videatur *ſecundaria*, ducta ab *inſpiciendo*, plane ut apud *Latinos Tueri* primario valet *inſpicere*, unde porro *defendere & conſervare.* Cognatum Thema נטר item *inſpicere, ſervare*, pro *obſervare*, & *occaſionem ulciſcendi captare* uſurpatur *Lev.* 19: 18. *Jer.* 3: 5, 12. *Pſ.* 103: 9. Cl. *Cocc.* exponit *ſervare rancorem.* Similem quandam vim hic attendendam patet ex *Cap.* 10: 14. אם חטאתי ושמרתני *Si peccavi, tum obſervaſti me; atque*

que ab iniquitate mea non expiaſti me. Melius adhuc, tum *ſervaſti mihi iram & rancorem*; ut *Jer.* 3: 5. הינטר לעולם הישמר לנצח *An obſervabit in æternum*; *an* alta mente repoſtum *ſervabit in perpetuum*? Adde *Amoſ.* 1: 11. Hinc tandem efficerem hunc ſenſum. *Peccavi* equidem, ſed *quid faciam tibi*, *O obſervator hominis*! vel, *O qui ſervas iram homini.* Utrumque ad *vſ. ſeq.* egregie quadrat; *Quare non remittis prævaricationem meam* &c.? Liquet inde, non per *conceſſionem* & *ſuppoſitionem* loqui *Jobum* de *peccatis* ſuis, ex mente Amicorum, quaſi *improbitatis*, & *majorum ſcelerum* ſe alligaſſet: iſtam enim ſuſpicionem ne ad momentum quidem ſibi adhæreſcere paſſus fuit; multo minus inde *infirmam* ſane *argumentationem* inſtituiſſe cenſendus eſt. Contrarium potius evincere, & *Hypocriſeos* maculam a ſe depellere voluit, per *ingenuam confeſſionem multiplicis* ſui *peccati*; quæ tamen *expiata*, ſibique *condonata*, hactenus autumaverat, quia non per *hypocriſin* ea commiſerat, neque, ut *improbus*, & *rebellis* in Deum, uti *cap.* 10: 6, 7. reſumetur; ſed ut *pius ſincerusque* Dei *Cultor*, reliquias gerens inhærentis corruptionis, quas magis magiſque ſubigere conatus fuerat, ſecundum viam a Deo præſcriptam. *Solidiſſimam* ſentis *ratiocinationem*, ex teſtimonio *bonæ conſcientiæ* profectam; qua *miratur* ſimul, ſimul *conqueritur* Noſter, Deum *peccata*, quæ dudum *deleta* & *remiſſa* exiſtimarat, ita *notaſſe* & *obſervaſſe*, ut ea in recenti *ſervet* memoria; eorumque pœnas ſeveriſſime tandem repoſcat. Eædem querelæ funduntur aliquoties infra; ut dubitari nequeat, quin hoc ipſum nunc agatur, præſertim quum nihil cum ſcopo conjunctius poſſit exputari.

Ibid. Hinc jam & reliqua fient illuſtriora; ut viciſſim explicationem modo datam ſuffulciunt. Bimembris eſt propoſitio. Prima, *Quare poſuiſti me* למפגע לך, quod multis eſt, *in ſcopum tibi*; *in quem infeſta* tua *tela congerantur.* Aliis placet *offendiculum*; *offenſaculum. incurſaculum.* Nervoſe *Cocc.* εἰς πρόσκομμα, *ut me habeas pro eo, in quem incurras, quemque omnibus viribus tanquam* ἐμπόδισμα *de medio tollas.* Iſta imago proxime accedit ad *vim* Radicis פגע, quæ eſt *offendere* in aliquid, & *incurſare*, ſive *lædas*, ſive *lædaris.* Simplicius videri poſſet *incurſaculum*; quod Deus *incurſat*, & *infeſtat*: ſed magna me ſuſpicio tenet, concitatiſſimum *Jobi* πάθος voluiſſe *offenſaculum*, *ad quod ipſe* Deus *quaſi offendat*, *impingat*, atque, fas ſit verbo, *allidatur.* Huc & *Coccejum* ex parte collineaſſe, vocabulis πρόσκομμα & ἐμπόδισμα declaratur: nec non hiſce ad finem appoſitis. *Quod dicit* ponere offendiculum, *id ita capiendum*, *ut Deus iram ſuam effundat in ipſum*, *tanquam reum læſæ majeſtatis*, *& qui ſanctitatem ejus violaret non punitus.* Si prius ſequare, & ſimplicius illud; nihil habes quod magnopere granditate ſua advertat, aut feriat; *Cur me ponis aliquid*, *quod incurſes*, *infeſteſque*? pervulgata eſt idea hæc. Grandius eſt, & ſonantius, *Cur me ponis aliquid*, *ad quod*, tanquam *ad importunum* aliquod *obſtaculum*, ἐμπόδισμα, *incommoderis* & *offendaris*; *quod tibi quotidianum* faceſſens *negotium*, *quotidianis* etiam *plagis* viciſſim a Te *incommodetur*, *adfligatur*, *elidatur.* Profundum, & exquiſitum, ſenſum, clariore in luce collocabo. Deus apud *Eſaj.* 1: 13. teſtatur *ſe ferre non poſſe vanum* populi *cultum*, & *flagrantiſſima ſtudia* placendi *eſſe ſuper ipſum* לטרח *in onus*, *& ſarcinam incommodam*, *ſub qua defeſſus portando fatiſcat.* Hanc imaginem ad *Jobi* mentem ſic accommodare licet, ut acerbiſſime conqueratur ſe *cum omni* ſuo *cultu ſincero*, & *ſtudio placendi*, nihil aliud effeciſſe, quam ut eſſet מפגע *offenſaculum ſummi Numinis*, ſimulque *Onus importunum*, quum pro *benevolentia*, *gratia*, *favore*, nil niſi *iram* atque *indignationem* nunc tandem experiatur.

Ibid. Hanc *importunam ſarcinam* cum *offendiculo* conjungit altera propoſitio. *Et ſum Oneri ſuper me.* Vis ſententiæ requirebat, *& ſum Oneri tibi*, vel *ſuper te.* Ad eam faciem LXX. Εἰμὶ δὲ ἐπὶ σοὶ φορτίον. Pariliter *Hieron.* Quin תקון סופרים *Correctio ſcribarum*, quæ dicitur, hic pro עלי offert עליך *ſuper te.* Eam *Lectionem* olim in textu exſtitiſſe fruſtra contenditur. *Correctio* iſta *ſcribarum*, quæ *octodecim* locis applicatur, nihil aliud eſt quam *Criſis ſubtiliſſima* Veterum, qua indicant, quomodo ſecundum ſcopum & ſeriem orationis ſcribi potuiſſet, atque adeo debuiſſet, niſi gravis interveniſſet cauſa ſtilum vertendi, vel paulisper inflectendi. Exempli gratia, *Eſech.* 8: 17. *Emittunt crepitum canorum*, πορδὴν, אל אפם *ad naſum ſuum.* Se-

21 Et quid non aufers defectionem meam; atque tranſmittis pravitatem meam? nam nunc in pulverem decumbam; & requires me, ſed nullus ero.

כא ומה לא־תשא פשעי ותעביר
את־עוני כי־עתה לעפר אשכב
ושחרתני ואינני :

ries poſcebat אל אפי *ad Naſum meum*, ſed Numinis *profanationem* tantam abhorrens ſacer ſtylus, *fœditatem* iſtam retorſit in auctores. Eadem ratione & hic ואהיה עליך למשא *Atque factus ſum Tibi in Onus*. Id parum reverens decenſque. Decentius ergo ipſa Sacri Scriptoris manus poſuiſſe creditur עלי *ſuper memet*; quamvis prius illud directe intenderetur. Habes judicium Veteris *Synagogæ*, ipſiuſque *Eſræ*, (ſi verat traditio) de hoc, aliiſque textibus. Materia eſt ut minus intellecta multis, ita digna tractatione curatiſſima; quæ novis exemplis poterit illuſtrari tum ex ſacris, tum ex profanis fontibus. Eam *Criſin* ingenioſiſſime hic adhibitam cenſeo. היה למשא *Eſſe Oneri*, ſequente על vel אל, valet *incommodare*. 2 *Sam*. 15: 33. & 19: 36. Confer *Deut*. 1: 12. nec non *Eſaj*. 1: 14. היו עלי לטרח *Sunt ſuper me in onus*. Eodem adſpectu Noſter calamitatem ſuam exaggerans, *ſe Deo oneri eſſe factum* lamentatur. Ad hoc filum quum ſuper te עליך exarare debuiſſet, ipſemet affectu rapiente maluit עלי, *ſuper me*; quod id ipſum in ſuum utique caput revolvi experiretur; quique Deo *incommodus* & *gravis* vivebat, *ſibi ipſi* vel maxime *incommodus* & *intolerabilis* ſuperviveret. Apparet eſſe ſpeciem ἐπανορθώσεως, qua id quod *corrigitur*, brevitatis cauſa ſupprimitur. Sic plena oratio popoſciſſet *Eſech*. 8: 17. *Ad naſum meum*; quin potius *naſum eorum*. Hoc *conciſius* deinde, nec non *gravius* adhuc *decentiuſque* enunciatum. Par ratio obtinet fere in reliquis *Correctionibus Scribarum*, ut *Jer*. 2: 11. *populus meus mutavit* כבודו *gloriam ſuam*. Plenius fuiſſet כבודי *gloriam meam*, quin potius *gloriam ſuam*. Eodem modo *Hoſ* 4: 7. &c. &c. Non erat proinde, cur hinc *Critici* audaciores corrupti textus ſuſpicionem injicerent, ex תקון סופרים: illinc Defenſores integritatis Scripturarum *correctiones* iſtas ſuſpectarent, & rejicerent; quum, ut dixi, ſint meræ *Epanorthoſes*, quas tacite ſupplendas eſſe innuerunt *Maſorethæ*. Non tamen omnes ejuſdem vel *evidentiæ* ſunt, vel *neceſſitatis*. Sine hoc ſubſidio textum noſtrum explicari poſſe concedo. Sed cum eo ſenſum reddi nobiliorem & uberiorem ambigi nequit.

Verſ. 21. Verba dilucida. Senſus nexuſque haud adeo clarus. Duriuſcule *Mercerus*. *Si verum eſt quod ajunt ſocii, me ob ſcelus meum ita adfligi. cur non condonas ſcelus ob quod adfligor, ut ne ulterius adfligar? Nunc enim in pulvere jacerem; & requireres me ad mihi benefaciendum pro integritate & innocentia mea: ſed non eſſem; atque hinc migraſſem*. Hæc mihi parum cohærere, quin ſecum pugnare videntur; qui enim vel *per conceſſionem* ſe ponit *ſontem*, non debet relabi ad *innocentiam* ſuam; ſed ex *conceſſione* illa argumentum adſtringere. Hoc autem ſic ſuſceptum multimodis claudicaret; quin *Hypocriſeos* convinceret Noſtrum: *Hypocritarum* enim eſt talis *conceſſio*, cum *audaci illatione*, & *poſtulatione veniæ*, *gratiæque*. Mirum, plurimorum calculos hanc explicationem auferre potuiſſe. Mollius paulo *Schmidius*, *ſi utique peccavi, cur non potius remittis prævaricationem meam? quum mox in pulvere nihilominus per communem naturæ ſortem ſim cubaturus*. Sed nec *conditionem* iſtam *vſ. præc.* admittimus: nec ſi *graviora* ibi *peccata* intenderit *Jobus*, ut *Vir Doctus* autumabat, concluſio ſatis legitima foret. Propius ad mentem *Jobi* accedit *Coccejus*. *Si mihi remitteres peccatum*, cujus me reum profiteor, *neque ad iſtum modum infeſtares me, idem conſequeretur*, nimirum, *ut de medio abirem; & tum non eſſem tibi offendiculo*. Subnectit & hæc haud abs re. *Non apparere cauſam cur non condonet Deus, quum condonare poſſit; &, ſi abſque illa infeſtatione moriatur, ſanctitas Dei ſatis abſolvatur*. Utraque meditatio *ſcopum* ſervat, quem ſupra aliquoties præſtituimus. Hæc autem clauſula habet ſi-

nium

mul *acrimoniam*, ſimul *complorationem* graviſſimam. Ponit *Jobus*, non autem *ex conceſſione ſupponit*, ſe *in vita* ſæpius *peccaſſe*, atque in פשע ac עון *commiſſa* non unius nominis incidiſſe. Ea ſibi *condonata* hactenus non dubitarat, quia *recubuerat in fœdus gratiæ*; & *gratuitas* Dei *promiſſiones vero* ac *ſincero corde* fuerat amplexus. *Potuiſſet* ergo Deus ea *condonare*, & *præterire*, utpote non ab *Hypocriſi*, aut *improbitate* profecta: quin imo *debuiſſet*, vi *fœderis gratiæ*, & *ſanctiſſimarum promiſſionum*. Contraria omnia jam ſibi evenire, ut *adfectu bulliente imaginabatur* Noſter, ita hoc ipſum Deo objicit, *cauſæque ſuæ juſtitiam* & *bonitatem*, vel iſto nomine, tuetur; quod ſi utique *Odioſus* & *Vixerit*, & *Vivat* Deo, tanquam ἐμπόδισμα & φορτίον, nil opus ſit *iniquitatum* ejus *priſtinarum* meminiſſe; earundemque *pœnas* tam acerbe exigere; contra datam, ut ſic dicam, fidem, atque tot ſolemnes gratiæ promiſſiones. Melius eſſe, & promtius, ad *odioſiſſimum* illum *Jobum* e medio tollendum, ut omnem *culpam*, veterem, recentiorem, ſimul & ſemel ei remittat Deus, atque tum *hominem e Vita abire*, & *exſpirare* ſinat; jam *tantis ictibus contuſum* & *contritum*, ut *ſupervivere* nequeat, niſi *extraordinaria* Dei *manu*, & potentia, *ſpirare*, atque *ſuomet cadaveri ſupereſſe* cogatur, ad *novas* identidem *pœnas ſuſtinendas*, & *exantlandas*. Sentis πάθος, ultra omnem ferme vim imaginationis exaggeratum; quo nihil nec *acrius*, nec *miſerabilius* concipi poteſt: confugitur quippe *ad ipſam* Dei *Iram*, quam vere adverſus ſe exarſiſſe, ſuus *Jobo* ſuggerebat adfectus; ut quam remiſſionem antecedentium peccatorum *gratia* & *bonitas Jobo* negarant, eam *indignatio* ipſa, & *averſatio* Numinis a *Jobo*, pro *Jobo* tandem impetrarent; ne in *peccatis* illis *puniendis* longiores *moras nectere* cogeretur; ſed quantocyus *liberaretur a moleſto conſpectu* illius *hominis*, quem *ſibi* & *offendiculo* eſſe, & *oneri*, per tot plagas eidem impoſitas aperte demonſtrarat.

Ibid. Ad ſublimiorem hunc, & τραγικώτατον, ſenſum, ſic quadranda verſio eſt. *Et quid non remittis prævaricationem, prætermittiſque iniquitatem meam? nam tum in pulverem decumbam; & ſi diligentiſſime veſtigabis me, non ero.* Id nervoſius, quam vulgare. *Quia mox in pulvere decumbam*; quaſi ex *communi ſorte* omnium *mortalium* ductum eſſet argumentum. Creſcens vis Orationis graviorem clauſulam deſiderat, ſecundum quam quoque poſſes, *Quia mox in pulverem decumberem.* Innuit ſe *in vita detineri invitiſſimum* non tantum, ſed etiam *ſupra ordinarium naturæ curſum*, quæ tantis cruciatibus jam dudum *ſuccumbere* debuiſſet, niſi *vi* quadam *majore Numinis punientis*, & *in Jobo cruciando ſibi placentis*, ſuſtineretur. Ergo viri mens hæc eſt, ſe *remiſſa culpa*, *miſſa* quoque *pœna*, & *amota* illa *ultrice manu*, *ſine* ulla *mora* eſſe *exhalaturum*, *in pulveremque collapſurum*: atque ſic Deo non amplius *oneri*, *moleſtiæque*, futurum. Admirabiliter dictum לעפר אשכב, quod idem eſſe ac בעפר *in pulvere* non perſuadet *Mercerus*. Notatur per ל *Motus ad locum*, ut ſit vel *in pulverem decumbam*; vel *ad pulverem ſuccumbam*. Eſt prægnans locutio, ut *Pſ.* 74: 7. לארץ חללו *Ad terram profanarunt tabernaculum Nominis tui.* שכב hic *gravem* ſignat *mortem*, ut *occumbere*, vel *procumbere* apud *Latinos*. Vide modo *Jud.* 5: 27. Sequens שחרתני *mane quæres me*; *diligenter veſtigabis*; plurimis *bonum* ſonat; ad *bene faciendum*, nempe, & *repenſandum adflictiones* exhauſtas. Illuc & *Merc.* inclinat. Aliis *malum* fert; *quæres me ad novas vexationes ſubeundas*, ſed *elapſus tibi ero* per *mortem*; nec *me* amplius *invenies.* Neutrum conveniens, ait *Schmidius*, *nam neminem mortuum ſive ad bene, ſive ad male faciendum quæret Deus.* Imprudentiam dicti facile excuſo; nam haud dubie intellexit, ut eum *tanquam ſi in corpore adhuc viveret*, bonis, maliſve, adficiat. Sed hoc ipſum intellexerunt quoque, quos *Schmidius* rejicit, ut patet ex *Merceri* illo, *Jam in hac vita non comparebo.* Cavillatione abſtinuiſſe melius. Ipſe שחר accipiens de *viſitatione per mortem*, tum ab indole verbi abit, tum orationem plane ſubnervat. Elumbe ſane eſt, *Et mox viſitabis me, per mortem naturalem, ut non ſim.* Tene audacter, *Et veſtigabis me quam diligentiſſime, ſed nullus ero.* Ubi *in pulverem ero collapſus*, לנצח *in purum putum, in perpetuum, periero, vitamque* hanc *animalem* & *ſecularem* penitus *amiſero*, nunquam *in eandem* revocandus: ac proinde qui nunc tibi ſum ἐμπόδισμα & *obſtaculum*, *e medio ita tollar* & removebor, ut *in medium redire*, tibique

que *offendiculo* eſſe nequeam. Cave *tortorem* agas ſententiæ, quæ *explanatoris* indiget: nam, ut ſæpius inculcatum, ex talibus vel *ignoratam*, vel *abnegatam animarum immortalitatem*, & *reſurrectionem beatam*, elicere velle, eſt *torturam Jobo verbiſque* ejus *dare*. שחרתני in *bonum* ſumi, haud patitur ſeries. Sed nec *malum* ea exigit; & fruſtra eſt Cl. *Crom.* quum *Arabum* سخر *Angariavit* huc advocat. *Veſtigandi* certiſſima notio unice hic quadrat, & quidem *medio uſu*, quo nec *bonum* per ſe infert, nec *malum*. Scilicet *in pulverem* ubi *occubuiſſet* Noſter, ita *ſublatus* eſſet, *ut vel ipſe Deus Eum fruſtra quæritaret*. Quorſum hoc tendat, juxta ſcopum, & adfectum æſtuantem loquentis, obſcurum eſſe amplius nequit. Manum proinde de Tabula.

CAPUT OCTAVUM.

Verſ. 1 ET reſpondit Bildadus Suchites, dixitque.

2 Quouſque proloqueris iſta? & Spiritus vehemens verba oris tui erunt?

3 An

Verſ. 1 ויען בלדד השוחי ויאמר׃

2 עד־אן תמלל־אלה ורוח כביר אמרי־פיך׃

3 האל

Verſ. 1. Tres Amicos *Jobi* unam eandemque adverſus Eum *Hypotheſin* ſuſtinuiſſe, atque ſuper illa incude Miſeri caput, repetitis vicibus, ictibuſque, contudiſſe, quamvis ex *Hebræis* aliqui diſſenſerint, ut magno Interpretum conſenſu tenetur; ita ne umbram quidem patitur dubitationis. Id a *Schmidio* aliiſque ſolide evictum. Ne itaque actum agamus, pro *Generali ſcopo* hujus capitis habeatur, ex mente ſecundi quoque Diſputatoris, *Eliphazo* ſuccinentis, *Jobum*, ejuſque *Liberos*, convictos teneri *Hypocriſeos* & *Improbitatis*, per graviſſima Dei judicia ipſis inflicta; quippe cujus providentia ad hoc ipſum excubet, ut malis male ſit, bonis bene: utque improbi in medio curſu proſperitatis eradicentur: probi vero ad maxima felicitatis incrementa, a tenuiſſimis etiam principiis, perveniant. Apparet, quod & de *Eliphazo* ſubmonitum, non in *re*, ſed in ejus *explicatione* partim, partim *applicatione*, fuiſſe erratum.

Verſ. 2. Animoſiſſima *Jobi* verba haud ferens *Bildadus*, ex abrupto in eum invehitur, atque maximam prodit indignationem, vel *interruptos*, ut Cl. *Cocc.* putat, Amici *ſermones*, vel eoſdem ad finem perductos, intolerandæ vehementiæ accuſans. *Acre* eſt *primo*, *Quouſque proloqueris iſta*? Verbum מלל pro *fabulari*, *nugari* hic poſitum ſuſpicatur *Cocc.* prout מלים *cap.* 6: 26. ſumſerat pro *Logis*, *Nugis*. Habet Sal; quo tamen non caret vulgatior uſus *proloquendi*. Juvaret hic *Origo*, quam quia non niſi tenuiſſima conjectura aſſequor, expromere necdum poſſum. עד אן *Quouſque*, pleriſque valet *Quamdiu*. Valde tamen arridet *Coccejus*, ad *vehementiam* referens, ut ſit, *quouſque* tandem *eveheris*? *proceдeſne etiam ulterius*, *ut gravibus dictis graviora ſuperaddas*? *tu qui videris animo tumido eſſe in Deum*, *inſtar irati maris ſpumas & lutum egerente*. Concinit *alterum* membrum, *acrius* adhuc, *& Spiritus vehemens verba Oris tui*? Poſſes quoque, *& Spiritus vehemens verborum Oris tui*? עד אן *quouſque* procedet? Sine interrogatione *Cocc.* *Etenim Ventus vehemens ſunt dicta Oris tui*. Concinne. *Quouſque* tandem *concitato illo impetu proveheris*? nam,

3 האל יעות משפט ואם־שדי יעות־
צדק׃

4 אם־בניך חטאו־לו וישלחם ביד־
פשעם׃

3 An Deus pervertet judicium? & an Omnipotens curvabit rectum juſtitiæ rigorem:

4 Si filii tui peccaverunt Ei, & permiſit illos in manum prævaricationis eorum:

4 אם־ 4 Si

nam, ut video, *verba oris tui turbinis* inſtar *erumpunt*, atque *vela* tibi *inflant*. Mallet *Schmidius*, & *Spiritus* viri *vehementis erunt verba oris tui*? comparationem *verborum* cum *vento vehementi* judicans minus aptam, & inſolentem. Mirum, *flare*, *proflare glorias*, & *flatus tumidos verborum*, ei non ſuccurriſſe. Sic πνεῖν μένος *flare vehementiam* apud *Soph.* in *Elec.* 611. & alios paſſim. Granditer *Ariſtoph.* in *Ran.* 872.

Τυφὼς ἐκβαίνειν παρασκευάζεται

Turbo verborum erumpere molitur.

Sil. Ital. L. XI. 581.

—— —— *Qui tanta ſuperbo*
Facta ſonas ore, & ſpumanti turbine perflas
Ignorantum aures —— ——

Pro *tanto* nunc *turbine* non debuiſſet Vir Doctus *halitum oris* ſubjicere. Diſplicet etiam, quod olim tentabam, ſecundum eandem *conſtructionem*, *Spiritus ſuperbi ſunt verba oris tui*; quod intelligebam non de *halitu*, ſed de *ſpiritu* ſtrictius dicto, ut *Verba oris* dicantur *prodere Spiritum* viri *ſuperbi*. Nunc *Spiritum Vehementem* unice tenendum cenſeo, & quidem duplici adſpectu, ut primo *Ventus vehemens* intelligatur ex ore *turbinis inſtar prorumpens*: ſecundo *animus ſuperbus*, tantum *turbinem* adverſus Deum *proflare* auſus. Utrumque firmatur ex *Arabum* تكبّر. Si alterutrum eligendum eſſet, prius retinerem: ſed ſentis facile, poſterius vix ac ne vix quidem poſſe dimitti. Ceterum alludi ad *Cap.* 6: 26. ibi inſinuatum; idemque a *Cocc.* hic ſubmonitum.

Verſ. 3. Tam gravi figura in *Jobum* invehitur *Bildadus*, quod Deum *injuſtitiæ taxaſſe* videbatur, qui tam *fortia* jecerat *verba*, tam vehementeſque miſcuerat querelas. Cl. *Cocc.* exiſtimat reſpici potiſſimum ad id quod *Jobus* ultimo loco poſtulaverat, ut *Deus ſibi parceret*, & *ſi peccaſſet*, *condonaret ſibi peccatum*; quaſi id *incommodi objectione* nunc *premeretur* ex eo, *quod Deus tunc eſſet* προσωπολήπτης. Mox tamen agnoſcit, *latius ſententiam hanc patere*; & *quidem ſub* juſtitia *intelligi præmii dationem*, *quod pœnitentibus eſt propoſitum*, & *ſub* judicio *eorundem ab impœnitentibus diſtinctionem*; *in qua ratione gemina nunquam quicquam iniqui a Deo committatur.* Prius illud, *poſtulato cap.* 7: 21. *opponi hanc ſententiam*, nec cum re, nec cum explicatione τοῦ πάνυ, ibi exhibita, conſiſtit. Poſterius nimis ſubtile forte: ut & illud, quod iſti diſtinctioni ſubſternitur, & ſubſervit, *Judicium* verſari *inter tres*, *judicem* & *duas partes*: *juſtitiam* autem ſubſiſtere poſſe *inter duas*. Nonnulli *Hebræorum*, *pervertere judicium* pertinere volunt ad *malum juſtis retributum*; & *pervertere juſtitiam* ad *bonum ipſis non repenſum*. Aliis *prius* valet *non punire improbos*; at *poſterius*, *probos non remunerare*. Hæc parum fundamenti habent in Lingua, cujus proprietas magis adferret, ut משפט eſſet *actio judicandi*, ſive *judicium* ipſum; צדק vero *Recto rigida regula juris* & *juſtitiæ*, ſecundum quam *judicia* exerceri debent. Origo *Rectiſſimi* & *rigidiſſimi tenoris* ſub צדק adſtructa in *Lib.* de *Def.* שפט *judicavit*, ab *æquando* fluxiſſe alibi veriſimiliter adſtruam. *Pervertitur* ergo *Judicium* a Deo, quum *bonis* mala & *malis* bona tribuuntur; quo ipſo *æterna* illa *regula juris* & *juſtitiæ*, cujus *tenor rigorque inflexibilis* eſſe debet, *curvatur*, atque *diſtorquetur*. Utrumque cum Natura perfectiſſima τοῦ אל, & שדי e Diametro pugnat. Quid vero emphaſeos, iſta Nomina Divina hic exerant, facile erit ad dijudicandum, quum *Origo* utriuſque vocabuli *dijudicata* & *deciſa* erit. Vide interim, quæ a *Mercero*, *Coccejo*, *Schmidio* &c. tentata.

Verſ.

5 Si tu modo diligenter requiras Deum, & omnipotenti ſupplicaveris:

6 Si

5 אם־אתה תשחר אל־אל ואל־שדי תתחנן:

6 אם־

Vſ. 4. Cohærentia non omnino liquida. Plurimi connectunt cum *vſ.* 5, 6. ut ſit oppoſitio *Liberorum merito punitorum*, & *patris gratiam inventuri* ſi reſipiſcat. Hi orationem ſic continuant. *Si filii tui peccarunt Ei*, *eoſque tradidit* &c. *Si tu contra quæſieris Deum* &c. *Si purus rectuſque fueris*, *nunc ſane ſuſcitabit tibi* bonum &c. *Mercerus* hunc *vſ.* in ſe concludit, ita ut *Bildadus* ab *Exemplo in Filios* invitet *Patrem* ad reſipiſcentiam. *Si Filii tui peccaverunt Ei*, *dimiſit eos in manum prævaricationis eorum.* Omittit *Vaw* in וישלחם, ut abundans. Idem Cl. *Cocc.* viſum, niſi quod *dubitanter* enunciatum putet a *Bildado*, quod *aſſeveranter* capiebat *Mercerus.* Novum cum *vſ.* 3. nexum propoſuit *Schmid.* multa de ſuo inſerens. *Num dices Deum pervertere Judicium*, *ſi Filii tui ob peccatum, quod in convivio commiſerunt*, *cujuſque tu particeps factus es per indulgentiam tuam*, *in manus prævaricationis ſuæ*, *tuæque traditi ſunt*, *& reliqua tua mala poſt ſe traxerunt*? Exiſtimat *Patrem* hic *includi*, & *ſtudio ſic locutum Bildadum*, *quod proprium peccatum non habere ſibi videretur* &c. &c. Hæc parum arrident. Ne connexio quidem ſat juſta, aut commoda. Præcedens ſententia in ſe terminetur neceſſe eſt, quippe quæ inferat *manifeſtam abſurditatem*, quin *repugnantiam*, a nulla conditione ſuſpendendam. Hæc nervum ſuum amitteret, ſi *vſ.* 4. unam cum ea efficiat periodum, & *Syllogiſmum* qualem formavit *Schmidius.* Mihi *media via Merc.* & *Cocc.* non diſpliceret, in hunc ſenſum, cum aſſeveratione conjunctum; *Si Filii tui peccaverunt Ei*, *ſane permiſit illos in manum prævaricationis eorum.* Magis tamen inclino in *priorem*; nam vis argumentationis requirit *oppoſitionem ſontium* & *inſontium*; quos *una clade involvi* negat *Bildadus*; quando Deus ſanxerit, *Animam quæ peccat morituram*; atque *non Filios Patrum*, *non Patres Filiorum culpam* eſſe *luituros.* Viri mentem ergo huc redire exiſtimarem, *Non eſt quod Tu*, *quod quiſquam alius*, *Deum injuſtitiæ accuſet*, *ob ſubitam domus florentis ruinam*, *cum exterminio Liberorum*; *quorum judicio*, *ſontes ſi forte fuerint*, *inſons utique Pater implicari non debuiſſet. Equidem & Tibi*, *& patribus reliquis*, *confirmare poſſum*, *ſolos improbos & impœnitentes male perituros: eos autem qui Dei gratiam ſincero corde implorant*, *in meliorem fortunam fore reſtituendos*; *etiamſi funditus eradicati eſſe videantur.* Cur cum *Jobo reliquos* hic aſſumam *patres*, mox clarius perſpicies. Apparet a *Bildado* ut dubio vacuum inferri, *habere Liberos Jobi quod meruerant.* Idem de *patre*, ſed occultius, inſinuat. Eidem tamen *ſpem* quandam *reſtitutionis relinquit*, ſi non pergat adverſus Deum *declamare*, ſed Ei, ut juſto ſcelerum vindici, *ſupplicare* incipiat. De eo plura ad *vſ.* 5.

Ibid. Gravis & venuſta Locutio ישלחם ביד פשעם. Eam feliciter explicuit *Merc.* *ſceleri ſuo eos dimiſit puniendos*, *& perdendos*; *tanquam in manum & poteſtatem ſceleris traditos*, *ut eos in ruinam traheret.* Cl. *Coccejus* vertit *dimittere in manu peccati*, quod ei eſt, *nullo ſufflamine*, *nulla cunctatione interpoſita peccatum caſtigare.* Ego dedi, *permittere in manum prævaricationis*; ad mentem *Merceri*; ſive *ejectos* & *expulſos* a Deo, *tradere ſuomet crimini* in *plenam poteſtatem*, ut pro *arbitrio* eos *rapiat in perniciem.* Poſſes adhuc ſonantius *projecit eos in manum prævaricationis.* Quicquid ſit, *grave judicium* hoc verbo conſignari patet ex *Cap.* 14: 16. ut plane non intelligam, quid viderit Cl. *Crom.* ad h. l. quum ait, verſionem, *Tradidit eos in manus prævaricationis eorum*, nec *ſenſum habere*, nec *verbo convenire.* Id in ipſius verſionem ne recidat vereor: *retribuit illis juxta prævaricationem eorum.* שלח pro *retribuere* mihi quidem plane inauditum.

Verſ. 5. Optime obſervatum a Cl. *Coccejo*, ſubeſſe *occultam Jobi taxationem.* Nempe ita Deum propicium promittit, ſi *ſtudioſe quæratur*, ſi *ſupplici prece* gratia Ejus *imploretur*; ſi adverſus *manum* ejus *caſtigantem cor non obduretur*: ſi *non accuſetur injuſtitiæ*, ſed *juſtiſſima* eſſe *judicia* ejus, agnoſcatur. Horum nihil, ex mente *Bildadi*, apud *Jobum*; quippe qui

6 אם־זך וישר אתה כי־עתה יעיר עליך ושלם נות צדקך :

7 והיה

6 Si purus & rectus tu; enim vero mox æmulabitur ſuper te: & pacatam reddet manſionem amœnam juſtitiæ tuæ.

7 Sit-

qui cum Deo expoſtulare, atque vehementi impetu verborum in eum invehi auſus fuerit. Ergo & antea illum *animum* Dei *minus reverentem*, atque *contumaciorem* geſſiſſe Noſtrum; ac vel propterea *juſtiſſimas Numini pœnas perſolvere* colligebat. Non tamen ad ſolum *Jobum* hæc reſtringerem, ſed ad omnes *Patres* extenderem, quorum ſimilis forte tum fortuna, tum querela exſtaret unquam. Confer ſimilem uſum *ſecundæ perſonæ cap.* 5: 17, 19. & quæ ibi commonui. Ratio mea hæc eſt, quod *Bildadus* non tam *Jobum* conſolari voluiſſe videatur, & ſpe melioris fortunæ erigere; quam quidem ex certiſſimæ veritatis, & doctrinæ generalis illatione Eum *neglecti officii*, quin *Religionis violatæ*, *convincere:* ſimulque *elatos* ejus *ſpiritus* compeſcere.

Verſ. 6. Nova conditione inſtatur, *Jobuſque* iterum *hypocriſeos* taxatur, quum additur, *ſi purus rectuſque Tu*; *ſane nunc æmulabitur ſuper te* &c. Atqui non faciebat hoc Deus, juſtus judex univerſi: ergo *Jobi cor*, hactenus quidem, nec *purum*, nec *rectum* coram Deo. Sentis ſub iſto אתה *Tu*, generalem iterum veritatem, quam tum demum *Jobus* ſibi applicare poſſet, ubi *cor* ſuum *a fermento* veteri *repurgaſſet*. זך proprie *Limpidus*, ſive *pellucidus*, διαφανής, notante Cl. *Coccejo*. Infert ergo 1. *puritatem a ſordibus vitiorum*. 2. *Virtutis ſtudium haud fucatum*. Hæc duo præſtant ישר *Rectum*, ſincerumque Numinis cultorem. Sequens כי עתה optime omnes, *ſane nunc*, *certe nunc ſtatim*. Diſſentit unus *Schmidius*, rectius eſſe tendens *Quia tum*; quod ut accommodet, τὸ אם *vſ.* 5, 6. *optandi* poteſtate capere cogitur, pro *O ſi quæreres Deum* &c. *O ſi rectus eſſes*! Auſcultandum fuerat *Coccejo* monenti כי ὅτι ſæpe *aſſeverare*. Id certum. Incertius, an per Ellipſin fiat, quaſi λέγω σοι ὅτι &c.

Ibid. Fructus ciet verbum יעיר, quod *Mercero*, *Coccejo*, aliis, eſt, *evigilabit ſuper te*, ſicet nunc ſopitus tibi videatur. Eodem ſpectant, qui *excitabit ſe* dederunt. Durius ſuppletur a nonnullis *ſuſcitabit ſuper te* bonum. *Denuo te bonis adficiet*. Cl. *Cler.* coacte, *Excitabit bonitatem ſuam ſuper te*. Habes & alia tortiora apud *Schmidium*, qui ipſe ex *vſ.* 3. משפט repeti poſſe putans, ut ſit *Excitaret judicium ſuper te*, aliis palmam hallucinandi præripere voluiſſe videtur; eſt enim omnium alieniſſimum. Non omnino alienum quod R. *Levi* tentavit, *Exultabit ſuper te* ut in *Hitp.* infra 31: 29. Magis ad rem prius *Vigilabit ſuper te*. Dices יעור potius ſcribendum fuiſſe. Scrupulo levando ſerviet עיר media *Jod*, cujus clarum veſtigium *Hoſ.* 4:7. in מעיר *a vigilando*; nec non in forma *part.* ער *vigilans*. &c. Ergo & יעיר recte in *fut. kal.* exponi poteſt, *Vigilabit. Excitabitur*; ſpeciatim cum *æmulatione*, & *adfectu ardentiore*, quem offerre ſaltem audeo, ſi eum inferre necdum liceat. Hujus poteſtatis apud *Arabes* pertritæ ſub غار med. *Je*, mentionem jam feci in *Obſerv.* ad *Deut.* 32: 11. ubi יעיר קנו venuſte reddi poſſet, *Æmulatur*, *ardenti ſtudio proſequitur nidum ſuum*. Infra *Cap.* 17: 8. התערר quoque *Zelotypiam* deſignare videtur. Sic יעיר עליך idem valebit atque יקנא עליך *Zelabit ſuper te*, ad te quantocyus ex malis hiſce vindicandum. Quam appoſitum ſit heic loci Verbum illud, nemo non ſponte perſentiſcit.

Ibid. Nimis argutum, quod נות צדקך *habitaculum juſtitiæ tuæ* de *Anima* expoſuerint *Ab-Eſra* & R. *Levi*. Subtilius quoque *Schmidius*, *Habitaculum juſtitiæ tuæ* declarat, *quod ad te juſtum pertinet*. Rectiſſime *Merc.* *in quo te juſte jam geres*. Poſſis tamen preſſius adhuc, *pacabitque*, & *abſolutiſſima felicitate cumulabit*, *manſionem amœnam juſtitiæ tuæ*: in quam videlicet a Deo jam *juſtus* declaratus reſtitueris,

7 Sitque principium tuum, exiguum quid; at noviſſimum tuum increſcet valde.

8 Nam conſule, age, ætatem antiquam; & attende ad ſcrutinium patrum ipſorum.

9 Nam

7 והיה ראשיתך מצער ואחריתך ישגה מאד׃

8 כי־שאל נא לדור ראשון וכונן לחקר אבותם׃ כי

9 כי־

ris, ut in ea *juſtitia* & vera *Virtus* læte efflorefcant. Hoc & *Coccejo* obverſatum crediderim. Tacite innuitur *Jobi* ſtatum antegreſſum habendum eſſe pro *Tentorio improbitatis*, (ut *Pſaltes* loquitur) in quo omnis tum *injuſtitia*, tum *maledictio* hactenus *ſtabulata* fuerit, atque porro *ſtabulatura* eſſet, niſi ſe *puriorem*, *rectiorem*, *juſtioremque*, quam antea, probaret.

Verſ. 7. Sat expedita hic omnia; niſi quod planum per ſe ſenſum intricaverit ſubtilitas, quæ *principium exiguum* de *Jobi fortunis prioribus*, unde exciderat, intelligit; quaſi præſagiiſſet *Bildadus*, id quod eventu comprobatum, *Jobo felicitatem priſtinam* fore *conduplicandam*. Nec præſenſit id Diſputator, nec ſane futurum credidit. Proponit tantum generalem doctrinam, *juſtorum res magis magiſque proſperari, atque ſuper Votis fluere.* Recte *Merc.* aliique, *initio videbitur quidem exigua ſors tua, ſed magis magiſque accreſcet; atque tandem ad ſummum proſperitatis gradum perveniet.* Circa phraſes paucula. מצער nec *Adjectivum* eſt, nec *Adverbium*; ſed ſolidum *ſubſtantivum*, *Exiguitatem* deſignans. *Arabum* צער صغر per omnia reſpondet; *parvus*, *exiguus*, *vilis*, *contemtus*, *abjectus fuit.* Latet *Origo*; quam ex collatione cognati זער زعر deprehendi ſitam eſſe in *raritate pili*, aut *plumæ*; ut ψιλὸς *exiguus*, *tenuis*, proprie adfert *raro pilo præditum.* Fugiebat etiam me hactenus *proprietas* verbi ישגה, cujus ſecundaria vis eſt *Multiplicari*, *creſcere*, *amplum reddi*, *abundare*, &c. Oppoſitio hujus textus ſuggerit ſponte *denſitatem comæ luxurioſam* & *in ſe implicitam.* Hoc tamen pro explorato non habendum, donec auctoritate *Dialecti* comprobetur. Ejus ſignificationis veſtigia ſub شجن & شجا continentur; tam obſcure tamen, ut ex Lexicis vix erui queant. Hic verbulo tantum indicabo, notionem *anxietatis* & *triſtitiæ* utrique Radici eſſe *ſecundariam*, ab *implicatione*, & *perplexitate* ductam, ut *Tebrizius* ad *Hamaſa* auctor eſt. Sed hæc liberiora ſpatia requirunt.

Verſ. 8. Dubium, pertineatne ad præcedentia, ut doctrina ibi expoſita Veterum auctoritate confirmetur; an ad ſubſequentia, quæ *Hypocritarum* conditionem graphice nobis expingunt, in *Jobo* quoque, ut ſubinnuebat *Bildadus*, comprobatam. *Mercerus* utrumque ſimul locum habere poſſe autumat. *Coccejus* ſtatuit *theſin vſ.* 3. propoſitam hic Veterum teſtimonio ſtabiliri; cum quo conſentire videtur *Schmidius*; quamvis deinceps ad eos iterum magis accedat, qui cum ſequentibus hæc connexuerunt. Ego nec ad *theſin* illam verſus tertii, nec ad reliquam doctrinam, a *Bildado* deductam, ulla Antiquorum vel memoria, vel auctoritate opus fuiſſe video: ſed hoc clypeo indiguit diſputator, ad graviorem illam, quam moliebatur, impreſſionem protegendam. In prægreſſis tacite inſinuarat *Amico*, non *purum* ei *cor* eſſe, ſed fermento *hypocriſeos* infectum, inflatumque. Idem hoc apertius porro demonſtraturus ex *judicio* Dei in ipſum *incumbente*, ſubitaque fortunatæ domus ruina, iſti aggreſſioni præſtruere voluit *Majorum* conſtantem *fidem* ſimul, ſimul *experientiam*, *Tabernacula improborum exſcindi*, & *Hypocritarum florentiſſimas* etiam *fortunas in medio Vigore ac Virore exareſcere.* Particula כי hic non *cauſalis* eſt, ſed eleganter *novam inſtantiam* indicat; ut & נא *age*; ut ſit; *Enimvero conſule, age, generationem priorem.* Minus quadrat, *interroga de priſcō ſeculo*; quaſi ל pro על foret poſitum. Verbum שאל poteſt cum ל conſtrui, ad eum qui *rogatur* deſignandum,

ut

9 כי־תמול אנחנו ולא נדע כי צל ימינו עלי־ארץ׃

9 Nam heſterni equidem nos; & nihil eſt quod ſcimus: Nam umbra dies noſtri ſuper terra.

10 הלא־ 10 Non-

ut patet ex 2 *Reg.* 8: 6. ſpeciatim vero hic valet *conſulere* tanquam *Oraculum*; ut *Num.* 24: 21. ושאל לו *Et conſulet ipſum per Judicium Urym.* An ל in hac ſtructura directe formet *Accuſativum*, ut *Schmid.* ex *Chaldaiſmo* hic urguet, ulterius diſpiciendum. *Arabibus* eandem familiariſſimam eſſe, mox liquebit, ad לחקר; attamen in שאל לו *Rogavit ipſi*, pro *ex ipſo*, perquam venuſtus etiam *Dativus*. De cetero ſentis quam graviter dictum ſit, *Conſulta ætatem primam*, ad ejuſque *reſponſa*, atque *Oracula*, ſi nos minus audias, accedere ne dedigneris; ut per Majorum auctoritatem, quam refugere nequis, diſcas, quid de Te, tuiſque fortunis, ſit judicandum.

Ibid. Variatur in ultimo membro. *Merc.* dat, *Apta*, compara, compone דעתך mentem tuam, vel te ipſum, *ad inquiſitionem Patrum eorum*: quaſi diceret, *compara animum tuum ad ſcrutanda ea, quæ majorum tempore facta ſunt.* Eodem ſenſu *Schmidius* cum ל *Accuſativi*, *Inſtitue ſcrutinium Patrum eorum*; *excutiendo & inveſtigando hiſtorias antiquas.* Alii malunt, *Attende ad id quod Patres eorum perquiſiverunt, & exploratiſſimum habuerunt.* Cl. *Cocc.* exhibet, *Dirige te ad ultimum Patrum eorum.* Eleganter חקר capit pro *tota mole*, *toto numero*, *quantum ejus veſtigari poteſt.* Sic eſſet, *Repete ab atavis temporum omnium memoriam ultimam.* Hunc ſenſum illuſtriorem fecit Cl. *Venema in annot.* ad *Comm.* Cl. *Vitr.* in *Canticum Moſis*, p. 69. *Et animo reconditum habe ad ultimum Patrum eorum.* Eam notionem præſtat Radix كَنّ כנן *texit*, *protexit*; item *animo condidit*; ex quo fonte & alia loca ibidem nova luce feliciter aucta reperies. Ad *Bildadi* ſcopum tamen חקר pro *Scrutinio*, atque adeo *ſumma confecta a Patribus* videtur congruentius; ut ſit; *Et animo reconde ſcrutinium Patrum.* Id quod ipſi conſtanter *obſervarunt*, & diligenter *perſcrutati* ita *compererunt.* Sic ל erit *Emphaticum*, *Accuſativo* præfixum; ut ſupra *Cap.* 5: 2. *Arabibus* id multo frequentiſſimum, qui præſertim *Nominativo*, & *Accuſativo*, præponere amant hanc *particulam*, ad gratiam ſimul & emphaſin. Nec tamen genius Linguæ *Dativum* abhorreret, quum triplici modo ſtrui poſſit كن الشي , & كن بالشي , & كن للشي , pro *Accuſativo* etiam *Ablativo* & *Dativo* admiſſis cum *Præp.* ב & ל. In *Alcor.* extat ربك يعلم ما تكن به صدورهم وما يعلنون *Dominus tuus notat quod recondunt pectora eorum, & quod evulgant.* Habes ibi כה, pro quo ſubſtituas & לה, loco *Accuſativi.* An & ſic ſtructum *Eſaj.* 51: 14. *Quemadmodum animo condiderat diſperdere*? Haud putem: nam concinnius exit, *Quemadmodum animo condiderat, ad diſperdendum*; ut pulcre Cl. *Venema*; cui ſuccinit uſus abſolutus *Arabum* in مستكنة quod eſt *part.* 10. pro *odio alta mente repoſto.* Ex *Zohairo*, in ſeptem *Moallek.* citavit *Gjauharius*

وكان طوي كشحا علي مستكنة ۞

Celaveratque odium alta mente conditum.

Ad iſtam faciem poſſes & hic. *Atque alta mente conde Scrutinium Patrum.* Id quod patribus *exploratiſſimum*, ab ipſiſque *ad poſteritatem tranſmiſſum* fuit, *alto pectore demittas*, tanquam *Oraculum.* Id ſignantius quam *Attende ad ſcrutinium*, a כון, vel *para te* iſti *Scrutinio*, quod tamen cum *præc.* שאל *conſule*,

10 Nonne illi te docebunt; dicent tibi; & ex corde ipſorum exproment ſermones?

11 Ec-

י הלא־הם יורוך יאמרו לך ומלבם יוציאו מלים׃

יא היגאה־

le, recte conſiſtere poſſe haud negem. Confer Cl. *de Dieu.*

Verſ. 9. Sunt, qui *generatim* de omnibus hominibus hæc accipi volunt, quorum *vita* tanquam *umbra* avolet, ita *ut nemini ſua experientia* & *cognitio ſufficiant*, ſed omnino ſeculorum præcedentium memoria & replicanda, & conſulenda veniat. Plurimi reſtringenda putant verba, ut *Bildadus* oppoſitionem inſtituat inter ſe, ſuæque ætatis homines, & inter Longævíſſimos illos, qui nongentos & amplius annos numerabant: penes quos proinde ſolida experientia, & cognitio harum veritatum. Tertia eſt opinio, in hiſce *Jobum* pungi, quod *Amicorum* ſuorum *Scientiam* contemſiſſet; quaſi diceret *Bildadus*, *Equidem nos tibi videmur homines heri nati*, *qui nihil ſciant.* &c. Huc inclinans *Schmid.* aliter ſeriem verborum digeſſit. *Quia ab heſterno nos*; *& neſcimus quod umbra ſunt dies noſtri ſuper terra.* Hoc eſt, *quum ego & ſocii Videamur tibi homines adeo ignari*, *ut tanquam heri modo nati*, *ignoremus vitam humanam eſſe umbram*, *& vanitatem ipſam*, *malo te ad vetuſtatem & Patres ablegare.* Exiſtimat, taxari prolixum *Jobi* ſermonem *de vitæ humanæ brevitate Cap.* 7. Poſtrema hæc mihi quidem parum ſident; atque *Sarcaſmum* hic nullum agnoſco: ſed concedo in mediam illam ſententiam, quæ ipſum quoque *Jobum* ſub אנחנו comprehendit, ut eum *Bildadus* merito ſecum redire jubeat ad *longiſſima* veterum *ſecula*, atque *auctoritatem* illorum *Macrobiorum*, qui *diutiſſime vivendo*, & cuncta *accurate ſcrutando*, id *exploratiſſimum habere* potuerunt, poſteriſque item ſuis *inculcatum* voluerunt, quod mox eorum nomine, forte & verbis, in medium proferetur *vſ.* 11, 12, 13. Pondus ineſt cuique vocabulo. תמול *Heri* ſumo pro *Heſternum quid.* לא נדע *Non ſcimus* quicquam, omiſſo מה, juxta *Merc.* Alii *ignorantes ſumus.* Ego mallem *Nihil* eſt quod *ſcimus.* לא τὸ μηδὲν *ſubſtantive*, ut ſupra ſæpiuſcule. Plenius fuiſſet ולא אשר נדע, ſed altior cothurnus extulit ולא נדע *& ſcimus* τὸ μηδὲν. *Omnis noſtra ſcientia merum Nihil.* Eſt audax *Hyperbole* huic libro propria, & perpetua. צל *Umbra* hic non *miſeriam* adfert, ſed *vanam* & *evanidam brevitatem*, in qua *nihil ſolidi.* Notiſſima in Sacris imago. Similiter *Æſchyl. Agam*: *vſ.* 848. εἴδωλον σκιᾶς *ſimulacrum umbræ* appellat *homines*, In quibus *nihil ſolidæ opus* ac *virtutis.* Σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωποι *umbræ ſomnium homines*, ſupra ex *Pindaro* adductum. Duo potiſſimum hic tenenda, *vana & fallax ſpecies*, cum *fugaci brevitate*; quæ ipſa in priori membro conſignata fuerant. Utrumque expreſſum 1 *Chron.* 29: 15. כצל ימינו על הארץ ואין מקוה *Ut umbra dies noſtri ſuper terra*; *& non eſt ſolidum quid.*

Verſ. 10. Non multum tribuendum cenſet *Schmidius* annotationi *Merceri* ad τὸ מלבם, *e corde ſuo exproment eloquia. Non temere*, *ut tu*, *loquentur*, *quicquid in buccam*; *ſed diligenter præmeditata animo*, *& mente cognita diligentius*, *ac perveſtigata*, *depromient.* Exiſtimat *prudentiam potius eorum intendi*; ut ſit, *ex prudenti animo.* An ergo aliud quid ſerunt, ſpirantque illa *Merceri*, quam *prudentiam?* ſed *prudens*, inquit, *etiam ſine longa præmeditatione e theſauro cordis ſui profert ſermones.* Mira ratiocinatio, quæ *præmeditationem* cum *prudentia* conjungi non vult. Hæc non meditatiſſime ſcripta. Cl. *Cler.* מלבם exponit *Ex animi ſententia.* Addit. *Vivi enim vivis ſæpe blandiuntur. Verum jam fato juncti ſine adulatione loquuntur. Præſtat hoc Hiſtoria.* Vero. Attamen præfero quod *de Pineda* dedit, *indicari magnam ſapientiæ copiam in corde ſenum repoſitam*; *unde tanquam ex theſauro abſcondito hæc verba non ſine attenta meditatione exprimantur.* Solide. Nam הוציא eleganter valet *Exprimere e penu*, *e theſauro. Eſræ* 1: 7. & alibi. Suſpicor & alium uſum verbi in *Oraculis expromtis* ac *prolatis*; quem habes *Eſaj.* 42: 1.

11 היגאה־גמא בלא בצה ישגה־אחו בלי־מים :

12 עודנו

11 Ecce effert ſe juncus ſineuligine: excreſcit ulva ſine aquis.

12 Ad-

42: 1. cum ſuperiore eſſe conjungendum; ſecundum id quod *vſ.* 8. præſtructum.

Verſ. 11. Similitudinem pulcherrimam *Bildado* ipſi tribuit communis ferme calculus. Melior tamen ſententia *Piſcatoris*, quem *Schmidius* ſequitur, *hæc eſſe ipſa verba Veterum:* niſi quod cum Cl. *Clerico* etiam non male ſtatui queat, *Comparationem* eſſe *Proverbialem*, *quam ab Antiqvis deſumſerit Bildadus*; *ut oſtendat quis ſit finis ſimulatorum Virtutis.* Formam ergo *Proverbii*, auctoritate Veterum *cuſi* & *ſignati*, ſuis verbis nonnihil amplificarit *Bildadus*, atque exornarit.

Ibid. Aliquis circa ſenſum diſſenſus. Nonnulli per *conditionem*, plurimi per *interrogationem* extulerunt, *Numquid creſcet juncus abſque limo? increſcet ulva ſine aquis?* Hoc *Mercero* valet. *Minime creſcet ſine aquis & uligine, quum autem humore enutrientur, feliciter & facile ſeſe efferent, ac quaſi ſuperbient.* Ejus applicatio ad *Hypocritam* ſic habet vſ. 13. *Talis eſt impiorum conditio, qui etſi florere videantur, ridente fortuna, & aliquamdiu* favore *Domini*, *velut* limo *juncus*, *aut* aquis *herba prati*, *quibus alebantur*, *ſubnixi* & *erecti ſuperbiant*, *repente tamen exareſcent & interibunt.* Ibidem monet R. *Salomonem*, *Limum*, quo *juncus* alebatur, in impiis referre ad *fortunam arridentem*, vel *tempus favens*: ſe vero malle ad *favorem Domini qui impios aliquamdiu fovet*, *& in felicitate retinet.* Hæc tamen eodem redeunt; niſi quod incommodius videri queat poſtremum. Commodius in hanc mentem Cl. *Coccejus*. *Papyrus & ulva nunquam ſunt ſine humore & aqua: nec hypocritæ niſi ex abundantia aut cupiditate opum hujus ſeculi naſcuntur. Papyrus & ulva ſtatim areſcunt apud ſuam aquam, ſine læſione, ſua ſponte, dum adoleſcunt: ita Hypocritæ.* Huc collineant & hæcce Cl. *Clerici*. *Quemadmodum juncus, licet in multa aqua crevit, citius areſcit, quam ulla alia herba: quod eum virentem in varios uſus ſecent: ſic virtutis ſimulatores, quamvis facultatibus multis onuſti, & amicorum præſidiis cincti, in ipſo ætatis flore peribunt.* Idem intendit, paulo aliter, Doct. *de Pineda*. *Sicut juncus, carex, gramen, nullum ferunt fructum, ſed dum illis ſuppetit humoris copia, virent: in virente autem ſtatu diu conſiſtere nequeunt, quoniam illa herbeſcens viriditas abit in nihilum, & ſubito ſine fructu exareſcit: ſic ſane vita impiorum poſt brevem felicitatem miſero exitu concluditur.* Diverſo adſpectu *Hieronymus*. *Sicut ſcirpus vel carectum ſine aqua vivere non poteſt. Ita tu, ſine fomento atque humore juſtitiæ, nequaquam permanere in priſtina felicitate potuiſti.* Hoc aliis tum Veterum, tum Recentiorum, opportunius viſum ad Emblema *Aquarum*; ſeditque hæc mens *Belgis* quoque: ut & iis, qui per *conditionem* ita vertebant, *ſi ſeſe juncus ſine limo, carex ſine aquis efferat*; *dum viret, etiam non decerptus, areſcit ante omnem aliam herbam.* Rotunde: ſed uſus hicce *præp.* ה, qui ex *cap.* 4: 1. adſtruitur, *aſſeverat* potius; indeque exiſteret, *Ecce attollit ſe juncus ſine uligine; luxuriat ulva ſine aquis.* &c. Proverbii ipſius formam vetuſtam ſic concipio, גמא בלא בצה *juncus ſine uligine.* Id aptatum *Hypocritæ*, ut *ſubito excreſcenti*, ita *ſubitiſſime marceſcenti*, atque *dum pulcherrime viret*, *exareſcenti.* In eandem mentem quoque ab Antiquis illis prolatum putem, אחו בלי מים *ulva ſine aquis*, quamvis amplificandi ergo a *Bildado* ſubſumtum fuiſſe, haud abhorreat. Hæc vis *demonſtrativa* ꝧ ה ſi teneatur, nihil anceps; nihil non teres, & rotundum; quum in ſenſu *Hieron.* & *Belgarum* aliquid ſit, quod unguem offendere videatur. *An creſcet juncus ſine limo? an excreſcet ulva ſine aquis?* Applica; & offenſiunculam ſenties: *An creſcet Hypocrita pietate & humore vitali virtutis deſtitutus?* Atqui *creſcit*, & *lætius ſeſe effert*, *felicitate* ſatis *ſpecioſa ſuperbiens*, ut mox aliis emblematibus quoque depingetur. Non evitatur hoc incommodum, etiamſi cum Doct. *Schmidio* ſic ſtruas: *An juncus qui eſt ſine cœno efferet ſeſe? nam ulva ſine aquis exiſtens excreſcet?* Augetur potius difficultas: quum revera *Hypocrita*, ut *juncus qui eſt ſine uligine*, *ſeſe efferre* poſſit *ad tempus*, etiamſi *fundamento veræ felicitatis careat.* Unum pro hoc ſenſu ad-

12 Adhuc exiſtit in micante virore ſuo ; non carpitur : & ante omne gramen viride areſcit.

12 עודנו באבו לא יקטף ולפני כל־חציר ייבש :

13 Sic

13 כן

adferri poſſe video; verba גאה *efferre ſe*, & שגא *luxuriare copioſius* hic ſignare *incrementum durabile*, & *ad maturitatem perveniens*: in qua ſolutione ſi quis acquieſcat, fero: ſed non ægre feretur, ſi *He adfirmandi* & *digito monſtrandi* opportunius hic eſſe judicaro. *En ſuperbit juncus ſine uligine: luxuriat ſcirpus ſine aquis.* Emblemata *junci* & *Sirpi* accommodatiſſima ad *levem* & *fungoſum ſimulatorem pietatis*. Verba *ſuperbire* & *luxuriare* pulchre pingunt *lætiſſima Fortunæ incrementa*. Hæc omnia tamen *ſine uligine*, *ſine aquis*: ſine *vivo* ac *perenni principio* amoris Dei, quo aliquis חסיר *pius* vocari meretur, qui habeat ſuccum *uberem*, *vegetumque virtutis*; quum ſit potius נבל *Emarcidus*, & *vitali humore caſſus*. Quod ſi omnino *interrogandi* vim non dimittendam cenſeas, *An ſuperbit juncus ſine uligine*? cum *adfirmatione* capias licet, pro, *Eſtne ut hoc fiat? tum etiam id fiet, ut quum cum maxime vireat, ne carptus quidem, ſponte exareſcat.* Tale eſt *Num.* 31: 14. *An ſervaſtis in vita omnem fœminam? Itane vero ſervaſtis?* 1 *Sam.* 10: 11. *An etiam Saulus inter Prophetas? Itane vero Saulus* &c. ? 1 *Reg.* 20: 13. *An vidiſti omnem hanc multitudinem?* Hoc planiſſime ibi *confirmat*, & reſolvi poteſt, *Ecce vidiſti.* Confer quæ Doct. *Noldius* congeſſit in *Concord. partic.* p. 233. ubi *He interrogandi* non tantum *Negativum*, ſed etiam *Affirmativum* eſſe oſtendit. Exempla tamen omnia non peræque reſpondent.

Ibid. Vocibus nonnihil lucis debetur. גמא *juncus*, a *ſorbendo humore*. Signate *Papyrus*. Ea naſcitur in *paluſtribus*, & *ſtagnantibus*, ubi *tenuis* & *quieſcens aqua*. Hanc, בצה deſignat, a *rad.* deperdita בצץ, quæ *Arabibus* بض *paulatim emanavit* aqua. Inde بضبض בציץ *aqua tenuis*: & بضوض بضيض באר בציץ *parum humoris continens puteus.*

Antea controverſum fuit, *cænumne* an *paludem* ſonaret. גאה optime enucleatum a Cl. *Cocc.* in *Lex.* per *erectionem ſui ſupra communem modum*. Conſonat *Arabum* غاي *erexit in altum*, unde غاية *ſignum erectum*: *meta: eminentia* omnis. Vides aptiſſimum materiæ verbum, quod ſimul *elationem ſuperbam* talis *junci* ſubito ſurgentis exprimat. Rarius eſt alterum אחו, ſemel tantum recurrens, *Gen.* 41:2. Vertitur *Ulva*, *Carectum*. Docti *Arabizantes* illuſtratum ivere ex اواخي, apud *Golium* اسباب ترعي *Res paſcuales*. Vide *Hott.* in *Smegm.* & *Boch.* in *Hieroz.* p. 1. L. 2. *cap.* 41. Sed aliud longe ſonare *Gloſſam* iſtam, oſtendi ſupra ad *Cap.* 1: 4. Sunt qui vocabulum *Ægyptiacum* eſſe velint: de quo *Boch. pag.* 403. & *Cler.* in *Gen.* 41. *Hebraicam originem* recludere conatus eſt Cl. *Guſſ.* ab אח *focus*, quod *Herba hujus generis folia gerat in formam flammæ acutæ, atque in linguas multas diviſæ, emicantia.* Friges, credo, ad *focum* hunc, cujus *Thema* אחח *æſtuavit*. Noſtrum אחו requirit *Radicem* אחה ultima *Vau* vel *Jod*; unde & אח pro אחי *Frater*, a *nexu* & *conjunctione uterina* ſic dictus, ut ad *Cap.* 1:4. aperui. Nempe اخي eſt *nexuit*, *innexuit*, *religavit*. Inde *form. part. fœm.* آخية *Nectens* pro *nexu*, *laqueo*, *vinculo*, *ligamine* omni. *Maſc. form.* eſt آخي אָחֻו, unde ſponte אָחוּ natum, ut יִשְׁתַּחוּ, ex יִשְׁתַּחֲו pro יִשְׁתַּחֲוֶה & בֹּהוּ *Gen.* 1. pro בֹּהֻו : itemque תֹּהוּ pro תֹּהֻו, quod ſagaciter erutum a Cl. *Tzepregio* in *Diſp.*

13 כן ארחות כל שכחי אל ותקות חנף תאבד׃

13 Sic ſunt itinera omnium obliviſcentium Dei: & expectatio Loripedis, Hypocritæ, peribit.

14 אשר

14 Quem

Diſp. de *Select. Chetyb.* Ut ergo *juncus* a *jungendo*, *vinciendoque*: ut *Sirpus*, qui & *Scirpus*, a *Sirpando*, id eſt *ligando*: ut χοῖνος ἐκ τοῦ χῶ, τὸ κρατῶ, in *Etym. Mag.* ſic אחו a *religando* nomen invenit pro *Herba paluſtri*, *ulva*, *carice*, *junco*, ſimilibuſve.

Verſ. 12. Nodum in ſcirpo hic dederunt *Schmid.* & *Cler.* quum per interrogationem efferunt, *dum adhuc in virore ſuo eſt nonne excidetur? & ante omne gramen areſiet?* Diverſi tamen abeunt in eo, quod ille *extirpari* & *evelli* velit talem *juncum* ut *inutilem*: hic vero ut *utilem*, ad *naſſas marinas*, ad *vitilium elegantiam* &c. &c. Rectius *Merc. Tantiſper dum viret, etiam non decerptus, ex ſeſe areſcit citiſſime.* נקטף *manu carpi expono.* Conſonat uſus *Arabum* ſub قطف *carpſit* uvas. *Vindemiavit*, *carpſit* greſſum. &c. Indicatur ſuperbam hanc & luxurioſius excreſcentem plantam *in medio vigore*, ac *virore*, nulla *falce*, nulla *manu* eam *metente*, ſua ſponte *emarceſcere*, atque ſuper *radice ſua exareſcere*. אֵב a *Rad.* אבב *Viror* vulgo, *Coccejo* eſt *fructus matureſcens*, vel *adoleſcentia germinis ad maturitatem adſpirans.* Maluit *Schmidius*, *vigorem quo in culmum ſurgens herba, ſummitatem excrere incipit.* Apud *Arabes* أبّ eſt *gramen*, & *pabulum* quodcumque *virens*: *nec non quicquid viroris terra producit.* Thema أب varias agnoſcit notiones, quæ revocari poſſunt ad *micationem*, *emicationem*. Hæc alias. In poſtremis languidiuſculum eſt, *prius quam omne gramen areſcit.* Exiſtimem *Et ante omne gramen areſcit*, hic valere, *reliquo gramine inſpectante. In conſpectu omnis graminis.* Scilicet idea poëtica concipitur *gramen* veluti *deridere* iſtum *juncum ſuperbientem*, quod *in medio impetu creſcendi*, atque adeo *in ipſo flore* ac *vigore*, *intermoriatur*, & nullo carpente commarceſcat. *Hieron.* ad *Allegoriam* deflexit, ut *Jobus ante reliquos peccatores*, (qui & alibi comparantur cum *gramine*) *dicatur criminum ſuorum pondere obrutus.* Si quis locus *Allegoricæ ſubtilitati*, כל חציר *omne gramen* ex mea mente figuraret *reliquos homines*, ſub quorum oculis & conſpectu *Hypocritæ* pereunt, non ſine *riſu* & *contemtu publico*. Confer *Eſaj.* 40: 5, 6. Non nimis tamen acumini huic confido.

Verſ. 13. Ἀπόδοσις, & applicatio ad *Hypocritam* anticipata eſt ad *vſ.* 11. ארחות πορείας eodem adſpectu poſitæ *Jacob.* 1: 11. חנף proprie *Loripes*, vel *Loripedans*, ut demonſtratum in *Clavi Dial.* p. 231. ex primæva poteſtate *Radicum* حنف & خنف *Intorto pede claudicavit.* Ea transfertur ad *Hypocriſin*, quæ eſt *Loripedatio*, & *Claudicatio*, ex notiſſimo illo adagione 1 *Reg.* 18: 21. *Claudicantes ſuper duobus adfectibus.* Non peritiſſime Cl. *Cler. Si ex Arabica*, inquit, *Lingua interpretaremur*, hominem vere religioſum *ſignificaret*; *quod plane contrarium eſt uſui ſacrorum Librorum. Inde intelligere licet, ad illuſtrationem Ling. Hebr. non eſſe temere ad vicinas Linguas confugiendum; ſed tum demum, cum nihil ex ea erui poteſt, quod ſententiam Sacrorum Scriptorum illuſtret.* Laudo monitum. Non laudo quod ex ſolo *Lexico* hic ſapuerit *Vir Doctus*; quin imo ne ſapuerit quidem; quippe in quo cum حنيف *Veram religionem colens*, *Muslemius*, offeratur etiam *Loripes fuit*, *digitis introrſum vergentibus*, qualis احنف אחנף vocitatur, ipſumque vitium حنف חֵנֶף. In *Hamaſa* a *Tebrizio* laudantur hi verſiculi, in quendam cui *Achnapho* cognomen inditum.

والله لو لا حنف في رجله
ما كان في فتيانكم من مثله

Per Deum! niſi loripedatio ineſſet pedi;
Nullus ei veſtrorum juvenum eſſet ſimilis.

Hæc

14 Quem ſua ipſius fiducia cum tædio rejectabit: & domus aranei erit ſecuritas ejus.

15 Re-

14 אשר יקוט כסלו ובית עכביש מבטחו׃

15 ישען

Hæc eſt facies genuina antiquæ Linguæ. Altera iſta notio *Moslemii*, & *hominis veram religionem ſectantis*, nata eſt ex *ridiculo acumine Muhammedis Sur.* 3. ut in *Clavi* reperies p. 232. Niſi ex ipſis Fontibus bibant, qui Orientales tractant literas, periculum eſt ne pro aqua limum trahant: & limpida quoque conturbent.

Verſ. 14. Hactenus Proverbium a *Veteribus* profectum, noviſque, ut videtur, luminibus orationis a *Bildado* ornatum. E ſuo porro penu depromſiſſe eum putem, quæ ſubſeruntur in eandem mentem, gravi non minus, quam grata, emblematum varietate, uſque ad *vſ.* 20. pertexta. In hoc *vſ.* aliquid negotii dat prius membrum אשר יקוט כסלו. Multi, *Cujus ſuccidetur ſpes.* Alii, *Quem ſua faſtidiet ſpes*; figura ſane haud pœnitenda. Ea *Belgis* noſtris merito riſit. Minus commodum, quod tentavit *Coccejus*, *Quod quis faſtidiat*, eſt *confidentia ejus.* Non omnino incommode *Schmidius*, *Quippe faſtidiet ſpem ſuam*: ut ſenſus ſit, *Hypocritam ſuam* ipſius *ſpem eſſe averſaturum*, *abominaturum*, *execraturum*; *ob infelicem* ejus *exitum.* Mitto alios conatus, quibus parum ineſt momenti; qualis eſt *Vulgati*, *Non enim placebit ei vecordia ſua.* Nollem contra *Hebraizantes* defenſam iſtam verſionem a judicioſo *Jeſuita*; nam quamvis כסל *vecordiam* quoque notet, tamen dubium eſſe nequit, quin ſi convertas *abominationi erit ei vecordia ſua*, minus multo dicas, quam, *abominationi ei erit ſpes ſua.* Sed ecce Cl. *Guſſetium*, in *Add.* ad *Comm.* L. H. p. 941. qui *Spei* rejecta ſignificatione, *Vulgato* ſuppetias fert, reddens *Objectum circa quod inſanit*, *res eſt cujus eum poſtea tædebit.* Ei radix כסל proprie ſonat *eſtre enteſté, ou être fol de quelque choſe*, non in *malam* ſolum, ſed & in *bonam* partem; quorſum detorquet כֶּסֶל *Pſ.* 78: 7. & *Prov.* 3: 26. *ſpem*, *fiduciamque* in Deum deſignans; quaſi *tenacitas adhærendi Deo*, ibi vocaretur, *enteſtement*, *cerebroſa* quædam *ſtultitia.* Quid non Eruditum cerebrum excludit, quando ſemel aliquid parturire cœpit? Mox tamen idem Vir Doctus ab *Hypochondriaca adjectione*, *ſtultitiæ* notionem arceſſit, quia כסל eſt *Lumbus.* Rectius dediſſet כסיל *ſtultum*, *ignavum*, *inertem*, ab *Elumbi*, cui *lumbus fractus*, ut כָּסַל proprie ſit, *Adfectus fuit in lumbo. Elumbis* & *ignavus factus fuit*; quod *Arabibus* eſt כָּסַל كَسِلَ. Ab eodem *Lumbo*, alio flexu, habes *fiduciam*, *robur*, *firmamentum*, *Pſ.* 78: 7. & *Prov.* 3: 26. prout صلب & متن *lumbus*, ut & ظهر *dorſum*, pro *firmamento*, & *præſidio* feruntur. Vide jam, an hinc placere poſſit, *Cujus cum fragore diſſiliet lumbus.* Habes imaginem verſui ſequenti unice aptam. Eſſet item figura ex Ancipiti perpulchra, nam *diſrumpi lumbus* dicitur phraſi *Arabica*, quum quis *adflictus jacet miſeriis*: itemque quum *præſidium* & *firmamentum*, in quod recumbebat, cum ipſo *infractum corruit.* Verbum קוט *faſtidivit*, vel potius *tædio adfectus fuit*, iſtam *ſecundariam* notionem debet *primariæ*, *diſſiliendi cum fragore*, quam *Arabes* habent ſub قاض, nec non نقض, נקט, quod infra *Cap.* 10: 1. vindicabitur. *Diſrumpi* tædio, aut *diſſilire*, etiam *Latio* haud ignotum. Poſſes quoque ab *ſecundaria* poteſtate heic loci, *Quem ſua ipſius fiducia cum tædio rejectabit*, *faſtidiet*, *aſpernabitur.* Ita fere *Merc. Belgæ*, plures. Id, quoad ſenſum, idem valet ac *Schmidii* illud, *Faſtidiet ſpem ſuam*, ut & *Cocceji* in *Lex. cujus eum tædebit*, *fiducia ejus eſt.* Grandius & ſonantius hoc ipſum ſic *figuratur*, ut *non homo ſpem*, ſed *ſpes hominem* dicatur *abominari*, & cum *tædio* ac *faſtidio* veluti *evomere* & *rejectare.* Genium cernis genuinum *Arabice*, utroque ſub adſpectu phraſeos. Uter hic præ-

15 ישען על־ביתו ולא יעמד יחזיק בו ולא יקום׃

15 Reclinabitur in domum ſuam, & non ſtabit: apprehendet illam, & non ſubſiſtet.

16 רטוב

16 Fue-

præpolleat, dijudicetur. Mihi Linguæ fontes recluſiſſe ſuffecerit.

Ibid. Fortius ſonat in ſeq. colo, *Domus aranei præſidium ejus*, quam *ſicut domus* &c. Notiſſimam ℥ כ omiſſionem non eſt quod exemplis illuſtrem. Similitudinem in *Arabia* protritam, nec non ipſam loquendi formam, percipias ex *Alcor. Sur.* 29: 40. مثل الذين اتخذوا من دون الله اولياء كمثل العنكبوت اتخذت بيتا وان اوهن البيوت لبيت العنكبوت *Similes ſunt illi, qui præter Deum ſibi Patronos aſſumunt, Araneo, domum ſtruenti: infirmiſſima enim domuum domus eſt aranei.* Qui *Arabica* callent, admirabuntur pulcherrime contextam pericopam. Ad comparationis vim & elegantiam enucleandam multa adferri poſſent ratione *ſubtiliſſimæ*, & *artificioſiſſimæ texturæ*, ad *venaturam muſcarum exercendam*, *impendio viſcerum* &c. &c. &c., *quum* tamen vel *flatu iſta domuncula*, cujus in medio *ſuperbus reſidet Araneus*, *diſſipetur.* Sed hoc genus arctiores noſtri cancelli haud admittunt. *Originem* vocabuli עכביש, *Chald.* עכבות, *Arab.* عنكبوت tentavi in *Clav. Dial.* p. 323. ex *rad.* عكب *agilis fuit*, & عكش *texuit telam*, unde *agilem textorem* proprie reſonaret.

Verſ. 15. Geminam faciem loci pandit Doct. *Merc. Sunt qui* ישען *innitetur de Araneo intelligant. Si telæ ſuæ quam conſtruxit, innitatur aliquantum araneus, vel quiſpiam alius, non conſiſtet, ſed ſtatim frangetur. Verum præſtat ad ipſummet impium & hypocritam referre, ut ſit explicatio præcedentis ſimilitudinis de domo aranei, cui illius fiduciam compararat.* Directe etiam hæc ad *hypocritam* transferunt *Belgæ*. *Coccejus* inſuper *conditionate* extulit, *ſi innitatur domui ſuæ* &c. *Si apprehendat.* At *nervum* ſic *incidi* recte monuit *Schmidius*; cujus judicium & in eo laudandum, quod *utrumque ſenſum ſuo modo verum eſſe* dixerit. Sic autem utrumque evolvit. *Nam quemadmodum araneus quidem confidit domui, quod muſcas ipſi ſit retentura & captura; illa vero quando majuſcula muſca involaverit, facile perrumpitur, & ſi maxime reparet., tamen non ſubſiſtet: ita impius innitetur domui quidem ſuæ, illa vero non ſubſiſtet: & ſi utique conabitur omnibus viribus eam ſuffulcire, tamen non reſiſtet calamitatibus ipſi immiſſis.* Utrumque etiam complexus fuit Doct. *de Pineda*, dubitanter licet. *Forte*, inquit, *perſtat in ſimilitudine araneæ, Nam animalculum illud valde imbecillum & malitioſum, atque meditabundum potius, quam prudens, ſibique ſapiens, ædificat domum, in qua ſe tutum exiſtimat*, ſed non ſtabit, *nam nullis firmis parietibus conſtat: & quantumvis ſe eviſceret homo ut fulciat ſuam domum, nihil proficiet.* His paucula tantum addere liceat; omiſſum quippe præcipuum decus hujus luculentiſſimæ picturæ, qua ob oculos ponitur *Araneus in media ſua tela, tanquam in domo firma, ac tuta, reſidens*, atque *ſuperbe ſuper eadem recumbens: quin manibus quaſi ſuis eandem retinens ſimul, ſimul ſuſtinens & ſuffulciens: quum interim ſubitus, vel ictus, vel flatus, cuncta uno momento diſſipet; pendulamque beſtiolam ſuiſmet retibus implicatam elidat.* Hæc ad Hypocritam traducere in proclivi erit.

Ad ישען obſerves velim *reclinationem quieſcentis Gen.* 18: 4. *Superbius incedentis ac ſeſe ſuſtinentis* 2 *Reg.* 5: 18. denique *cum fiducia recumbentis* 2 *Chron.* 16: 7. quæ hic ſuaviter conſpirare ſentis. החזיק ſequente ב ſimpliciter eſt *apprehendere*, paulo fortius *retinere*: fortiſſime *ſuſtinere*: quæ notiones & hic conjungi ſeſe patiuntur. Adjutat hanc amplitudinem illud *Alcorani* ad *vſ. præc.* اتخذت بيتا *capit, apprehendit, tenet* tanquam manibus *domum.*

Verſ.

16 Fuerit ſuccoſus ille ante faciem ſolis: & ſuper hortum ipſius ſugens propago ejus exierit.

17 Su-

16 רטוב הוא לפני־שמש ועל־ גנתו יונקתו תצא׃

17 על־

Verſ. 16. Sunt magni nominis interpretes, qui novum hic filum exordiuntur atque ab *improbi* deſcriptione divergunt ad delineationem *probi*, qui comparetur cum *Arbore Virente* & *obſtacula quævis evincente.* Hoc eſt, *tentationes* & *adflictiones graviſſimas exſuperante*; *ut vel effoſſa*, *& revulſa*, *lætius revireſcat.* Iſtam viam interpretationis a *Rabbinis* quibuſdam præmonſtratam, & quam *Hebraizantium* vocat *de Pined.* ingreſſus quoque eſt Cel. *Cocc.* ad exemplum eorum, quorum meditationes *Mercerus* ad *vſ.* 19. fuſiuſcule exhibuit; aliud ipſe ſecutus. Sex argumentis confirmatum ivit ὁ πάνυ ſuam hanc ſententiam, quæ tamen non ſtringunt, niſi contra eos, qui *comparationem* cum *papyro* & *junco* adhuc continuari volunt. At ea jam finem habuit ad *vſ.* 13. ubi *Bildadus* ad anſam, ex *Veterum Proverbiali dicto* ipſi porrectam, novis figuris proſequitur, & illuſtrat, id quod demonſtrandum ſuſceperat, *Jobum* eſſe *Hypocritam*, quia *Divinitus proſtratus* & *ſubverſus jacebat.* Non debuiſſet proinde ad ἀπόδοσιν referri *vſ.* 13, 14. eſſet enim μετάβασις εἰς ἄλλο γένος haud facile excuſanda. Rationibus Cl. *Cocc.* ſatisfiet ad quemque *vſ.* unde robur ſibi accedere putabat, quum contraria omnia obtineant. Id *generatim* hic tenendum, ſic *Bildadum* ſibi haud conſtiturum, ſed cauſam potius ſuam proditurum; quum hac *Allegoria* declararetur *probos gravi adflictione everſos & extirpatos*, *in meliores mox fortunas reſurgere*, *& caput felicius extollere.* Hoc cum Viri *Hypotheſi* & *ſcopo* δὶς διὰ πασῶν pugnare nimis palam eſt.

Ibid. Citra ullam itaque dubitationem ſubſcribo receptiſſimæ ſententiæ, pro qua ſtant *Chald. Ab. Eſra. Jarchi. Ramban. Piſcat. Belgæ. Genevens*: *Luth. Mercer. Jun. Schmid. Cler.* & quidem ſic, ut occaſione prioris, a *junco* deſumptæ, *nova comparatio* inſtituatur *Hypocritæ* cum *Arbore lætius* & *ſuperbius ſeſe efferente*, ac *quaquaverſum diffuſa*, *mox tamen nec opinato caſu ſtrata*, *& radicitus ita convulſa*, *ut ne veſtigium quidem ſui relinquat.* In hunc generalem adſpectum omnes conſentiunt; ſed in ſpeciali phraſium evolutione diſſenſus haud levis exiſtit. הוא proxime connectendum cum חנף *Hypocrita. vſ.* 13. רטוב aliis *viridis*, aliis *ſuccoſus*, ex *Dialectis* illuſtrandum, monuere Viri Doctiſſimi. Præſertim ex ditiſſima illa *Arabum* patet, utramque vim eſſe jungendam; nam رطب exprimit *Humectam* & *recentem viriditatem* in *arbore*, aut *herba.* Tripliciter exponitur לפני השמש *ante ſolem.* 1. *ante exortum & ardorem ſolis.* 2. *in ardore*, & *æſtu ejuſdem*, *quem non timet.* 3. *in conſpectu* & *calore ſolis*, *ſub ejuſdemque benigno fotu ac influxu.* Poſterius ſecutus eſt *Mercerus.* Prius prælatum a *Schmidio*; quod *rore nocturno recreata arbuſta*, *ante ortum ſolis ſuccoſa ſint & læta.* Addit, *nimis eſſe argutos*, *qui ſolem hic aliquid repræſentare volunt.* Reſpicit eos, qui in *prima* & *ſecunda* interpretatione *ardorem ſolis* ad *æſtum iræ Divinæ* applicabant. Id tamen, ſi non omnino nihil dicere volebat Vir Doctus, ei retinendum fuiſſet, ex *Matt.* 13: 6. nam quod ipſe *ante exortum ſolis*, per *aliquamdiu* & *ad breve tempus* exponat, ne minima quidem ſpecie ſe commendat. Mihi *tertia* explicatio dubio vacua videtur, in qua *ſol* cum *benigno ſuo fotu* repræſentat *blandiorem* & *ridentem fortunam*, qua *Hypocritæ res* mirum in modum *provehuntur*, & *eniteſcunt.* Huc ſpectat ſequens colon de *propaginibus*, ſeu *novellis tenellisque ramulis*, *ſuper hortum emicantibus.*

יונק proprie *ſugens*; *pullus lactens maſc.* & *femin.* יונקת, transfertur eleganter ad *ramos propullulantes*, qui & *Græcis* μόσχοι, qua voce *Viviradices* κατ' ἐξοχὴν ſignantur. Eadem vis reſidet in יונקת, quæ & *form. part. paſſ.* יניקה *Ezech.* 17: 4. Agnoſcas ibi uſum ſpecialem in *propaginibus* ac *Viviradicibus Vitium*: eſtque plus quam ſimile veri, & hic *Vitem lætam* ac *luxurioſius increſcentem* pingi. גנה גַּנָּה *Hor-*

17 על־גל שרשיו יסבכו בית אבנים יחזה׃

17 Super acervum radices ejus implicabuntur, domum lapidum experietur.

18 אם־

18 Ma-

Hortus, per excellentiam eſt *Vinea*, prout in *Pentateucho Erpen.* pro כרמים *vinetis* poni ſolet جِنَان & أَجِنَّة, quæ ſunt *plur. fract.* a جَنَّة גנה *Hortus*, quem & abſolute pro *Paradiſo* frequentari notum. Bona ergo obſervatio Cl. *Cler.* גן & גנה eſſe *viridarium muro cinctum*, quales Perſici παράδεισοι, a גנן *texit*, *protexit*, quod & جن *Arabibus*. Argutius, quod addit, *non poſſe hic intelligi ipſum Viridarium, ſed murum, aut ſepem, cujus altitudinem ſuperent rami: ut Gen.* 49: 22. Nimis premit τὸ על *ſupra*; quod hic *per* ſonat, ita tamen *ut ſuper hortum emicare* dicantur *Rami*, qui eundem longe lateque expliciti atque diffuſi opacant. Per *Hortum impii* intelligere jubet *Mercerus* ejuſdem *Opes in quibus, velut in horto arbor, alatur & evehatur.* Mallet *Schmidius*, *Regionem in qua habitat impius.* Neuter mentem ſuam plane expreſſit; haud dubie enim *Opulentas poſſeſſiones*, & *ſedes ſpatioſas* non minus, quam *divites* & *amœnas* indicare voluerunt. Talem גנה *Hortum paradiſiacum* occupabat *Jobus*, cum florentiſſima & numeroſiſſima familia, quum *Deus ſepem ipſi & domui ejus circumdediſſet*, *Cap.* 1: 10. eſt enim proprie *Hortus circumſeptus.*

Ibid. Qui ad *Pium* hanc imaginem applicant, laborant in connexione. *Deodatus* ex *vſ.* 20. anticipat *Hominem integrum.* Cl. *Cocc.* הוא retulit ad חציר *Herbam Hortenſem vſ.* 12. cum qua *juſtus* comparetur, in *horto* ſuo, id eſt *areola*, vigens, *eamque germinibus implens*; *ſolem* quoque ibi & *æſtum* edurans: quum *Hypocritæ* quidem *primo æſtu areſcant*; *pii* vero *calamitatibus non ſuccumbant.* Quid in hac interpretatione & *langueat*, & *hæreat*, præ ſuperiore, ex collatione earum, inter ſeque contentione, nemo non animadvertet.

Verſ. 17. In *bonum* hæc ſumi ab iis, qui *Virum bonum* deſcribi putant, *nil mirum*: ſed *mirere*, cur qui ad *hominem malum* cuncta referunt, verba *in malum* ſponte vergentia, *in bonum* tamen *ſenſum* reducere ſategerint. Ad *pium* quidem applicatio ſic habet, ut *inter acervos* quoque *lapidum*, & *impedimenta* quævis, dicatur *firmiſſimas* agere *radices*, & *conſtanter virere* atque *ſuccreſcere.* Hoc aſpectu nonnulli membrum illud בית אבנים יחזה dederunt *in loco lapidoſo implicatur*, radices ſcil. ſuas per medios lapides implectendo & diffundendo; ex *Dan.* 8: 5. ubi קרן חזות quibuſdam eſt *cornu perplexitatis.* Alii, *proſpectat locum lapidoſum*, h. e. *illuc proſpectum* ſuum & *radices protendit.* Paulo aliter adhuc *Cocc. Domum lapidum videt*, i. e. *non timet*; *imperterrito vultu excipit.* Ἀντοφθαλμεῖ. Non *retorreſcit*, ſi forte in *locum lapidoſum*, *ſcabrum*, & *ſterilem*, *radicum aliquæ porrigantur.* Hæc, prædura, ſubeunda omnino erant iis, qui de *Piis* agi ſupponebant: ſed ad *impios* allegoriam hanc transferentibus non eadem utique neceſſitas incumbebat. Fateor tamen *vſ.* 16. prima fronte exigere, ut & hic *vſ. florentem* & *vegetum* ſtatum delineet; ad quem clarius exprimendum voculæ גל data fuit ſignificatio *fontis*, vel *rivi*, quum alias *Acervum lapidum* deſignet. Inde pleraſque verſiones inſedit, *juxta fontem radices ejus implicantur: domum lapidum cernit.* Poſterius *Mercero* valet, *etiam inter lapides, in loco lapidoſo, feliciter provenit, & ad lapides uſque circumquaque poſitos, radices ſuas promittit.* Similia Laudatiſſimi *Belgæ.* At *Grotius*; *etiamſi eouſque excreverit, ut altiſſimas domos deſpiciat* (*ita enim eſt in Hebræo*) *tamen brevi diſparebit.* Id & *Codurco* viſum. *Radices ejus in acervo lapidum firmiter hærent: marmoreas ædes celſitudine æquans.* Idem a Cl. *Guſſ.* recentatum in *App.* Cl. *Cler.* præfatus *verba haud facilia intellectu eſſe*, pergit, videri *Bildadum* velle, *hominem hunc fore inſtar arboris plantatæ in loco, qui ardorem ſolis non uſque adeo ſentit propter cumulum aliquem lapidum.* In hanc mentem ultima ſic convertit, *domum lapideam reſpi-*

ſpicit, atque inde *umbram recipit*. Suſpicionem tamen movet mendæ, poſt Cl. *Capel.*, qui ex LXX. elicit olim lectum fuiſſe בין אבנים יחיה ἐν δὲ μέσῳ χαλίκων ζήσεται. Hoc genus merito ſuſpectum; & procul a ſacris noſtris habendum, quicquid coloris allinatur. An quicquid nobis minus intellectum, continuo male lectum? Et tamen potuiſſet vel hic doctius aliquid lectiuſque produci, ad genuinæ lectionis intellectum, in eam mentem, in quam Cl *Cler.* collimabat. Tale quid mecum communicavit ſummus Philologus, ac Theologus, *Conr. Ikenius*, *Arbores & ſtirpes*, *præcipue in calidioribus regionibus nulla re magis indigere*, *quam perpetuo humore*; *ac felicius nuſpiam provenire*, *quam ubi teſtæ*, *aut lapides abſconditi jacent*, *qui naturali frigore*, *& humore*, *quem continent*, *radices eo pertingentes recreare queant.* Hoc ex *Geor.* 2: 346. & Commentatoribus ibidem erudite adſtruebat Vir Humaniſſ. in Literis nuper ad me datis, atque ita nihil difficultatis remanere exiſtimabat in verbis ad hunc modum converſis, *ſuper acervo*, vel, *Apud acervum radices ejus implicantur*, *& domum lapidum videt*; ut membrum poſterius ſit ἐξηγητικὸν prioris, & *domus lapidum* non deſignet *locum petroſum*, ſed potius *locum ubi plures lapides coacervati jacent.* Equidem Doctiſſimæ obſervationi omnia defero; ac præſertim præ ea ſperno, quod ipſe olim tentavi, *Ad ſcaturiginem radices ejus implectuntur*, *locum petroſum deſpicit* rejicitve. Sequebar notiones *Arabicas* غل *Aqua fluens inter arbores*; & خزيب *contempſit.* Nunc *ſpongiæ* illa mea *incumbere* jubeo; & ſi *in bonum* interpretandus hic contextus, Cl. *Ikenio* potius ſubſcriberem; quum valde venuſta facies exiſtat verborum בית אבנים יחזה *domum lapidum videt*, h. e. *Sentit*, & *experitur locum ubi copia congeſta lapidum*, *ad radices ejus fovendas.* In eandem & ipſe conjecturam ab aliquo jam tempore incideram, ex loco *Colum.* 3: 11. *Vineis amicus etiam ſilex cui ſuperpoſitum eſt modicum terrenum*, *quia frigidus & tenax humoris*, *per ortum Caniculæ*, *ſitire non patitur radices.* Haud diffitebor tamen, me multis ſcrupulis diſcedere coactum ab hac ſententia, facillime alias accommodanda ad naturam *Vineæ*, quam hic depingi præmiſſum. 1. Quod verbum יסבכו *intricantur*, magis quadret in *radices impeditas*, & *lapidibus obſeſas*, ita ut *altius comprendere* nequeant, quam in eaſdem *firmius adactas.* Agnovit id *Cocc.* vertens, *Radices perplexantur in acervo.* i. e. *in ſeſe implicantur acervo lapidum earum procurſum inhibente.* Agnoverunt & alii, qui *impedimenta creſcendi* hic intelligebant. 2. Quod גל *Acervus lapidum* non videatur quadrare in illos *lapides*, quos ars agriculturæ *radicibus ſubjicere docet*, ad *humorem* cum frigore ſufficiendum in æſtate: qui utique non *crebri* congerendi, ſed *rari* digerendi. 3. בית אבנים *Domus lapidum* ut vocetur talis *ager*, vel *locus*, ubi ex arte diſpoſiti pauci lapides, nonnihil abhorret: quum pro *agro lapidoſo*, aut *loco petroſo* rectiſſime ponatur. Ita בית גרודין *domus inciſionum* eſt *locus ſalebroſus*; in *Paraph. Chald. Eſaj.* 40: 4. Nota quoque formula בית סאה *Domus Sati*, pro *agri tanto ſpatio.* 1 *Reg.* 18: 32. &c. In *Syriaca Dialecto* nil frequentius. Ut ܒܝܬ ܟܘܒܐ *Domus ſpinarum* pro *terra ſpinis obſita*, &c. &c. 4. Grande momentum facit, quod totus hic verſiculus *triſtem* potius, quam *lætum* offerat *aſſpectum*, *Acervum* & *multitudinem lapidum* ante oculos proponens. 5. Ad *felicitatem* arboris depingendam ſimiles colores adhibitos nuſpiam repperi, nec in Sacris, nec in profanis: unde etiam *Fontem* plerique uno ſaltem in membro aſſumendum judicarunt. Apud *Eſaj. cap.* 5. *Vinea elapidatur ante*, *quam vite generoſa conſeratur.* Aliud eſt *acceſſio lapidis bibuli*, *per induſtriam circumpoſiti radicibus*; aliud *experiri ſedem lapidoſam* & *radices intricare ſuper acervo.* 6. Denique quum proclivis ſit *in malum* ſenſus, quid tandem cautæ, cur *in bonum* adeo tendatur? quum & *ſcopus*, & *nexus* ac *ſeries* magis in contrariam partem inclinent. *Scopus*, quia non id agit *Bildadus*, quod *Pſ.* 37. & 73. *Pſaltes*, offenſus *longa improborum felicitate.* Hanc querelam *Jobus* quoque ſuam faciet. Sed cenſor ejus contendit, *Fortunas improborum vel florentiſſimas infirma niti radice*; ac propterea *in medio flore* ac *vigore* nec opinato *exareſcere.* Hoc in *vſ.* noſtro jam inſinuatur; & *vſ. ſeq.* demonſtratur, ac confirmatur per *ſubitiſſimum* hujus arboris *caſum*, atque *interitum.*

18 אם־יבלענו ממקומו וכחש בו לא ראיתיך׃

18 Maternum ſolum abſorbebit ipſum e loco ſuo: & abnegabit eum, dicens, haud vidi te.

19 הן־

19 Ec-

tum. Ergo & *nexus* cum *vſ.* 18. proxime inſtituendus in alia omnia diſcedere nos cogit. Non fraudabo laude ſua Doct. *Schmid.* qui omnia *in malum* quoque accepit; & *parabolam de ſemine ſuper petram jacto* rite contulit, ex *Matt.* 13. in hunc ſenſum. *Eſt quidem ille ſuccoſus & viridis aliquamdiu, & ramos ſuos ſuper hortum, in quo ſtat, extendit; ſed interim radices ejus implicantur acervo lapidum, & experitur locum lapidoſum, nec ſuccum habet niſi in ſuperficie; unde durare non poteſt, ſed mox aliquis infortunii æſtus eum arefacit* &c. &c. Verbulo ſubnectam, *Bildadum* videri ſatis artificioſe & callide *Vetuſtum* illud *Proverbium* גמא בלא בצה *Juncus ſine humore* ante oculos retinuiſſe, atque ad illud exemplare præpinxiſſe *Arborem*, *Vitem*, *ſine idoneo terreno*; *non in* קרן בן שמן *colle filio olei*, ſed in גל *acervo*, & בית אבנים *ſolo petroſo luxuriantem* quidem illam, ſed tamen *ventis*, *ſiccitatibus*, *reliquaque intemperie cœli* mox *abſorbendam*, *& cum ramis ſimul ac radicibus extirpandam.*

Verſ. 18. Impeditiſſimæ hic fiunt rationes iis, qui *Bonis piiſque* hæc aptare debent. Duriſſimum utique, quod dedit *Deodatus*, *Num abſorbebit eum quiſpiam e loco ſuo* &c? quaſi negaretur *Rectum eradicari.* Id improbatur a Cl. *Coccejo* bonis rationibus: nec tamen probari poſſe putem, quod ipſe ad *transplantationem* ex *loco anguſto*, in *ſpatioſum*, ut *felicius* & *uberius creſcat*, graviſſimas haſce figuras inflexerit, quæ *deſtructionem internecivam* adferunt, non *erutionem* & *effoſſionem transferendi cauſa.*

Ibid. Ne illis quidem, qui *in malum* omnia acceperunt, ſenſus ſatis expeditus. Hæretur in *agente* verbi יבלענו *abſorbebit eum*, qui aliis *Deus*, aliis *abſorbens* quivis. *Nachmanides* aſſumſit *ſolem.* Commodius a *Schmidio* illatum בית *ſpatium* terræ *vſ. præc.* expreſſum. Hæretur etiam in *partic.* אם, quæ pleriſque per *conditionem* effertur, *ſi abſorpſerit eum.* Languet. Alii fortius, *Quum abſorpſerit eum e loco ſuo, tum abnegabit eum* &c. Sed ne hoc quidem ſatis preſſum, plenum, rotundum. Exponam conjecturam, quæ mentem traxit, nec tamen ad ſe in ſolidum pertraxit. Suſpicor nempe ſub אם propter *Maccaph*, ex אֵם *Mater*, latere *Maternum Solum.* Sic *Mich.* 6: 10. אִשׁ pro אֵשׁ *Ignis* melius implet ſententiam loci; ut Viri Docti rite obſervarunt. בן pro בֵּן *Filius*, paſſim occurrit. Talia ὥσει κόνις extarent, ſi libris abundaremus. Hinc tento: *Mater ipſa abſorbebit eum e loco ſuo; & abnegabit ipſum:* dicens, *haud vidi te.* Apud *Græcos* & *Latinos* ad *Maternum ſolum* transferri amat *Mater.* Sic Poëta *Iliad.* 8: 47. Μητέρα θηρῶν vocat *Idam* θηροτρόφον, ut *Schol.* habet: & 10: 475. *Phtiam* μητέρα μήλων. Item *Soph. Philoc.* 325. *Scyrum* Ἀνδρῶν ἀλκίμων μητέρα. Mitto *Novercam* traductam ad *agrum male nutrientem.* Mitto & *Nutriculam* pro *lætiore & fertiliore ſolo*; ad quem colorem *Colum.* L. 3: 13. graphice; *Neque parum refert ſuſpenſiſſimum eſſe paſtinatum, ut mota æqualiter humus novelli ſeminis radicibus, quamcumque in partem prorepſerint, molliter cedat; ne incrementa duritia ſua reverberet, ſed tenero velut nutricio ſinu recipiat, & cœleſtes admittat imbres; eoſque alendis ſeminibus diſpenſet, ac ſuis omnibus partibus ad educandam prolem conſpiret.* Credo equidem omnem Linguam, ubi quid ſublimius molitur, *Matrem*, *Nutricemve* hac figura conveſtire poſſe. *Arabicam* vero præ aliis huc inclinare, patet ex infinitis formulis loquendi per *Matrem hujus* vel *illius rei*, pro ejus *fundo* & *præcipua cauſa*, unde *orta* eſt, atque unde *dependet.* Reſpondent ابن *Filius*, & بنت *Filia*, cum quibus innumeræ quoque *Metonymiæ* formantur. Specimen huc quadrans ſit ابن الارض *Filius terræ*, pro *Planta cito creſcente.* Quid? quod *Arabes* ام *Matrem* uſurpent pro *manſione* & be-

19 Ecce hoc eſt gaudium ferocu-
lum viæ ejus: & ex pulvere alii
progerminabunt.

19 הן־הוא משוש דרכו ומעפר
אחר יצמחו ׃

20 Ec-

20 הן

habitaculo omni; ut in *Camuſo* per مسكن משכן *Sedes* ſive *Habitatio* exponitur. Sic *Alcor. Sur.* 101: 6. وامـا مـن خـفـت موازينـه فـامـه هـاويـة *Cujus vero leves bilances*, *ejus Mater* i. e. manſio, *erit barathrum.* Scrupulum tamen relinquit *differentia generis*, quum verba huic vocabulo addita *maſculine* proferantur. Eum forte ſic levare eſſet, quod אֵם per ſe anceps ſit *forma*, quæ *Matrem* ſignans *fœmineum ſexum* ſequatur, ſed pro *materno ſolo* poſita *maſculine* e nuncietur, vel ad diſcrimen, vel quod ſubeat locum & vicem alterius *maſculini*, משכן مـسـكـن, cum quo أم alternari vidimus. Hæc non ultra conjecturam Valere velim. Nec tamen vel in *ſi*, vel in *quum* acquieverim; ſed cum *aſſeveratione* potius ſumſerim אם ה׳, ſi vere particula ſit, in hanc mentem, *Profecto abſorbebit eum e loco ſuo*, *& abnegabit eum*, dicens *non vidi te*. Hunc uſum voculæ אם infra ad *Cap.* 14: 1. plenius adſtruam. Habes periodum ſat teretem, præſertim ſi connexionem *Schmidii* amplectamur, ut בית אבנים *Solum lapidoſum* dicatur *abſorbere improbum* illum *alumnum*, cui *humorem & nutrimentum ſufficere* negat, quin imo *cujus radices reſpuit* quaſi ac *repellit*, *malam ſtirpem male* tandem *perdens*, ac *funditus evertens.* Hoc commodiſſime expreſſum Verbo בלע بـلـع *abſorbſit*, *deglutivit.* Non eſt ſimpliciter *tranſtulit*, *abſtulit*, *evulſit*, ut *Merc.* non etiam *excidit*, *ſuccidit*; quod volebam olim. Inducitur *ſolum ipſum hauriens*, *ſorbens*, *deglutiens* improbum, cujus *familiam* & *fortunas* omnes *uno* velut *momento peſſumdat.* Conf. *Cap.* 2: 3. Reſpexiſſe dixerim *Bildadum*, ad ſimilem imaginem *Eliphazi Cap.* 5: 3, 5. unde haud parum confirmor in ſententia, deſcribi hic *improborum irreparabilem ruinam*, & *occaſum.* Dixerim quoque ut ibi primum, ita & hic alterum Cenſorem, graviter pupugiſſe *Jobum*, quem *Arbori* huic per omnia æquabant. Phraſis וכחש בו *Et abnegabit eum Locus ſuus*; ſive *ſolum maternum*, aliquid vehemens ſpirat. Inſinuatur præter *internecionem* a *Merc.* aliiſque notatam, ſumma *indignitas*; ut *Matrem* veluti pudeat ſui *fœtus* & *alumni*: atque *memoriam* ejus *abominetur*, *extinctamque cupiat.* Utrumque etiam in *Non vidi te* comprehenſum. Adi *Cap.* 7:10. & 20: 9. quamvis mitior ibi ſit ſenſus. Adde *Pſ.* 37: 35.

Verſ. 19. Qui *in bonum* Parabolam capiunt, hunc verſum inprimis urgent. *Non video*, inquit *Clar. Coccejus*, *hoc ultimum ut applicent*, *qui maledictionem impii continuari putant.* Ex illius ergo hypotheſi, *Ecce hæc eſt alacritas viæ ejus*, tantundem eſt ac, *transplantatione hac & effoſſione non ſucciditur ſpes ejus & vita*, *neque ubertas fertilitaſque minuitur*, *ſed eo felicius*, *uberius*, *latius creſcit*, *ac propagatur. Quin mitigatur & miris modis transplantatione perficitur.* In hanc mentem ſequentia ſic transfundit. *Et ex alio pulvere regerminant* radices ejus; vocabulo שרשיו ex *vſ.* 17. reſumto. Intelligit *ex terra meliore & commodiore*, prout Poëta *Georg.* 2: 50. docet *inſerendo*, aut *transferendo ſylveſtrem animum exuere* arbores. Sed an non hoc ipſum retrahere debuiſſet *Clariſſ. interpr.* ab iſta *hypotheſi*? An qui jam ut *pii vſ.* 16. *vigent*, & cum *Ramis radices læte propagant*, adhuc *inſitione* alia & *transplantatione mitigantur*, *ſylveſtreſque animos exuere* docentur? Senſit, credo, nodum, ſed non reſolvit, quum annectit, *Nos illud de* transplantatione *accommodemus ad tralationem ex terrena civitate in cœleſtem*, *& atria Domini*, *Pſ.* 92: 14. Vultne ex *Oeconomia ſequiore* in *meliorem*? an *e terra* in *cœlum*? Neutrum huic ſedi accommodum. Ergo ex hoc *vſ.* pervincitur *in malum* parabolam accipiendam.

Ibid. Prius *colon* ſat clarum; in quo ineſt *Sarcaſmus*, *En quo redeat gaudium hominis tam ſuperbe ſemet efferentis.* Ita rectiſſime *Merc.* *Belgæ*, reliqui. Ab his ſeceſſionem facere non

20 הן אל לא ימאס־תם ולא
יחזיק ביד־מרעים ;

20 Ecce Deus non reprobat integrum; neque etiam confirmat manum maleficorum.

21 עד־

21 Uſ-

non debuiſſet *Schmidius*, negans *Ironiam* ſubeſſe. הן הוא frigidam expoſitionem *Schmidii* reſpuit; atque משוש *ſuperbum* improbi *gaudium*, & *luxurioſam felicitatem*, eidem cedere *in cumulum maledictionis*, ac *calamitatis materiam acerbiorem* oſtendit. *Superbum gaudium* ſub משוש exhibet certiſſima *thematis* שוש Origo, in *obliquo* & *limo ocello*, quam conſervat *Arabum* شوس. Indicatum in *Clavi*, pag. 298. alias fuſius demonſtrandum. Eſt ergo *gaudium exultabundum*, quo alios *obliquato ocello* præ nobis *deſpicimus* quaſi. Hinc in *malum* proclivis uſus, *Eſaj.* 8: 6. & 32: 13. *Jer.* 49: 25. & alibi. In *bonum* quoque ad *ſummum gradum exultationis* deſignandum creberrime transfertur. Vide ſupra *Cap.* 3: 21.

Ibid. Alterum aliquid habet obſcuri. *Primo* dubium, pertineatne אחר ad עפר, an ad יצמחו. *Secundo*, num *qui ſuccreſcent*, & *ſucceſſuri* ſunt, *probi* ſint, an *improbi*. Diſtinctionem *Hebræorum* ſic habere monet *Mercer.* *Et ex terra, alius germinant*, (enallage numeri) i. e. *alii pullulant, qui ei ſuccedant, vel juſti, vel injuſti.* Ipſe *Merc.* mavult, *Et ex terra alia germinabunt alii.* Supplet duriuſcule אחרים; & *terram aliam* etiam non valde commode explicat, qua *innueretur impium cum tota poſteritate ita deletum eſſe, ut nihil ex ipſo ſit reliquum.* Omnino præferenda prior conſtructio, & quidem ſic ut אחר *Alius* deſignet, non *alienos*, *ſanguine haud junctos*, ut *Schmid.* putabat, ſed *genus juſtum*, oppoſitum חנף *Hypocritæ* vſ. 13. Utrumque *collective* ſumendum quilibet ſentit. *Juſto generi* videlicet *terra* promiſſa, cum *exterminio ſeminis injuſti.* Id ubertim declaratum ad *Cap.* 5: 6. unde explanatio hujus *vſ.* dependet. Nimis argutus *Schmidius*, quum vocem עפר *pulvis* ſe non accipere ait, cum aliis, de *loco unde exoriatur ſucceſſor impii*, ſed de *bonis*, & *opibus* ejuſdem, *in quas alii ſuccedant.* עפר hic nihil aliud eſſe quam ארץ *terram*, *orbem terrarum*, ex *Cap.* 5: 6. palam eſt. Si אחר *alius* minus forte commodum alicui videatur, pro *genere juſto*, expreſſiorem ejus characterem invenire poſſet in *Radice* חרר *incandeſcere*, ſub qua viget poteſtas *nobilioris* & *ingenuæ indolis*: indeque *nobiles* חרים, & בני חרים dicti. Apud *Arabes* illud حرّ item *ferbuit*, *canduit*: ut &, *nobili ſtirpe natus fuit.* Ejus *compar.* & *ſuperl. form.* أحرّ eſt *Calidior*, nec non *nobilior*, *nobiliſſimus.* Hic *Hebræis*, vivente Lingua, fuit אַחְרָר, & אַחֲרַר, unde *defective* exiſtit אַחֵר, *Chet* compenſationem reſpuente. Sic foret, *Nobilius genus efflorescent.* Mihi tamen אחר *Aliud genus* ſatis opportunum.

Verſ. 20. Hic demum finitam eſſe orationem Veteribus Patribus, ex *Proſopopœia*, datam, autumat Clar, *Schmid.* ex qua nunc *Bildadus* ſuis tandem verbis hocce nectat confectarium. Deum *probos fovere*, *improbos* autem *peſſime perdere.* Nil abſoni habet *hypotheſis*; aliud tamen mihi ſedet, ut ad *vſ.* 14. & 16. indicavi. Cl. *Cocc.* hinc non invalidum ſumit argumentum, in præcedentibus, ut de *impiorum*, ita & de *piorum* conditione actum fuiſſe: atque ſummam hanc nunc colligit, *Juſtitiam Dei non infamari felicitate quadam impiorum, qui ut papyrus & ulva, areſcant ſubito, & confundantur: non etiam adflictione piorum, quæ in ipſorum bonum cedere ſoleat, ut quum herba bona effoditur, atque alibi denuo plantatur, cum magna acceſſione bonitatis fertilitatiſque.* Addit. *Habes ſententiam Bildadi, qui adflictiones non tam caſtigationem, quam translationem in melius facit.* Atqui cum *Eliphazus*, tum *Bildadus*, ex gravi adflictione in *Jobum* immiſſa concludebant Eum eſſe *Hypocritam*, *juſtaſque* Deo *pœnas pendere improbitatis*,

21 Uſque dum impleat riſu os tuum: & labia tua jubilatione.

22 Oſores tui induantur pudore: tentoriumque improborum nuſquam exiſtat.

21 עד־ימלה שחוק פיך ושפתיך תרועה׃

22 שנאיך ילבשו־בשת ואהל רשעים איננו׃

tis. Cur ergo *integri*, inquis, ſubſumta nunc mentio? ut ſubindicaretur *Jobum a Deo* manifeſto *repudiatum*, illud nomen non mereri, neque accenſeri, hactenus quidem, poſſe *juſto generi*, quod *firma radice nixum e terra effloreſceret*. Ejus *Syllogiſmus* ſic conceptus. *Deus non repudiat*, non *ulcerato* & *alienato affectu ſpernit integrum*. Atqui *Jobum repudiatum eſſe a Deo* apparet, tum ex calamitate inaudita, tum ex contumacia, qua in Deum invehitur. Ergo &c. Huic ſenſui ſuccinit alterum illud, *neque confirmat manum maleficorum*. Plurimi non invenuſte, *Neque prehendit*, vel *retinet manum* &c. *Sinit eos labi*, & *præcipites abire in exitium*. Malim tamen cum *Jun.* & *Schmid.* prius, quod item mihi λιτότης, ut ſit *manum maleficorum frangit*. Sic non opus debili ſupplemento *Schmidii*, עליו *contra eum* integrum: cui debiliorem ſuperſtruit cogitationem, quaſi *Jobus*, ex mente ſaltem *Bildadi*, putaſſet *Deum integritatem ipſius neglexiſſe*, *inimicos autem*, *qui ipſum ſpoliaverant*, *foviſſe*: *cui nunc opinioni ſe opponat Bildadus*, *negans Deum firmare unquam manum impiorum*, *adeoque nec foviſſe prius contra Jobum*, *nec poſthac firmaturum*. Imprudens eo delabitur Vir Doctus, quo ſane nec voluit, nec debuit; ut *Jobum integrum* eſſe concedat *Bildadus*: quem revera ob *manum fractam*, & *contuſam* extraordinariis plagis, *Maleficis* haud obſcure annumerat. Profecto in *Jobi* caput obliqua hæc verbera torqueri, vehemens Viri exordium dubitare non patitur. Ea tamen nonnihil emollias licet, ſi nimis tibi dura videantur, pro *præſenti* inducto *futuro*, ad hanc faciem; *Ecce Deus non repudiabit integrum*; *neque confirmabit manum maleficorum*. Equidem *repudiatus* es, ut *Hypocrita*; *recipieris* tamen, *ſi te* poſt ſinceram pœnitentiam *præſtiteris integrum*. Sed ſi *maleficorum* numero, ut nunc, *maneas aggregandus*, *fracta* tibi *manus* nunquam iterum *confirmabitur*. Sentis adſpectum *generalem*, non ſine aculeo *ſpeciatim* applicitum, qui ut ex *tertia* in *ſecundam* prono fluit alveo; ita ex *ſecunda* ad *tertiam* mox refluere, & redundare, deprehendetur. Sentis & *ſpeciem*, importunam, *conſolationis*; in qua plus *fellis* inſit, quam *mellis*. Redeas velim ad ea quæ *cap*. 5:17. præmonita.

Verſ. 21. Requiſiviſſet filum *vſ. præced. tertiam* potius *perſonam*; *donec impleat riſu os ejus* . integri &c. Sed majore adfectu fit converſio in *ſecundam*; *Donec impleat Os tuum*, O integer! *Tuum* quoque *O Jobe!* ſi te *integrum* approbaris Deo. Simillima habes iis, quæ *vſ*. 5. & 6. hujus *cap*. inſinuata. Mecum facit *Merc*. ſub finem notans, *ſpecialiter hæc de Jobo poſſe intelligi*, & *in univerſum de quovis integro*. Exigua in verbis difficultas. עד *Donec* quibusdam incommodius viſum, ſubſtituentibus, *Adhuc implebit* &c., quaſi עוד. *Coccejus* dedit, *Adeo ut impleturus ſit* &c. Cum *Schmidio* malim referre *donec* ad *incrementum divinæ benedictionis*, *uſque & uſque progreſſurum*. Idem *objectum riſus* & *jubilationis* facit *ſolum ſenſum gratiæ* & *benedictionis*, non autem *interitum impiorum*. Atqui utrumque ex *vſ. præc*. tenendum: ut ſane in utroque eſt *materia gaudii ſpiritualis*: quod videlicet *probitas floreat*, *improbitas extirpata areſcat*. Beata illa tempora ſancti ſperant, ſpirant, anhelant. Non amo nimias ſubtilitates; alias diſtingui poſſe dicerem ſic, ut prius membrum ſeſe referat *ad benedictionem integri*, *ſuavi riſu os ejus uſque & uſque impleturam*: poſterius *ad internecionem maleficorum*, unde *triumphi* & *jubilationis* materia naſcetur, *improbitate* videlicet *profligata* e *terris*, atque *extincta*.

Verſ. 22. In hac *improborum*, & *improbitatis* interneciva clade, hujus cenſoris oratio expirat, non ſine gravi iterum aculeo in *Jobum* exerto. *Oſores tui*, non directe nunc ad *Jobum* referendi, ſed ad *integrum*, qualis needum *Jobus* in oculis *Bildadi*. Pro *Oſore* potius *integritatis* & *integrorum* eum latenter hic perſtrictum, vix ambiges, ſi acerbiſſimam Viri declamationem *cap*. 18. contuleris. Hactenus tamen aliquam modeſtiam ſervans, ſic temperat dicta, ut paululum loci amico relinquere videatur, ad ſaniorem mentem ſeſe revocari paſſo forte. Nollem hic immiſceri *reſti-*

tu-

tutionem fortunarum Jobi, *ob quam oſores* ejus *confuſione ſint obruendi*. Quam parum ſpei de ea foverit, præſumſeritque, *Bildadus Cap.* 18. declarat. Eam procellam hoc occultius, ut ita loquar, murmur præſignificavit, *Et tentorium improborum nuſpiam erit*. Notavit *Merc.* intelligi, *Domum cum omnibus ipſorum rebus*. Aliquid fortius captans *Schmidius*, in levius incidit, *totalem ruinam ſignificari*, putans, *ut ne quidem tabernaculum aliquod retineant impii : ſive ubi ne quidem tabernaculum, quod ruinæ complementum eſt, excipiatur*. Vertere propterea jubet, *Etiamque tabernaculum impiorum intereat*. Rectius ſubdit de איננו, id h. l. idem eſſe ac *plane interire*, & *non reſurgere*. Hoc ipſum vero figurate ſumendum eſſe *tentorium*, pro *familia*, & *re univerſa*, admonere potuiſſet, ex more ſolenni *Arabum*, in *tentoriis* habitantium; quibus occaſio inde nata, ad omnem *ſocietatem*, *communitatem*, *ſectam*, hoc nomine ſignandam. *Camus*, اهل الرجل عشيرته وذوو قرباه والمذهب من يدين به *Viri* אהל *vocatur ejus ſocietas*, *& cognatio*; *item in ſecta ac religione*, *ejus ſectatores*. Vides *tentorium* hic eſſe *gentem*, *nationem*, *ſocietatem*, *ſectam improborum*, qui & *privatim* in *ſua* quique *familia*, & publice in *univerſa* ipſorum *communitate*, e terris *exſcinderentur*. Transfer huc, quæ ad *Cap.* 5: 6. in medium contuli, & nullus ambiges, quin *Exſcidium Tentorii ſui*, ut improbi, *Jobo* hic objectetur. Animadvertendum, Collocutores noſtros ex certis & ſolidis principiis, adfectu hinc & hinc rapiente; minus ſolide diſputare. Immota eſt veritas אהל רשעים איננו, *Tentorium improborum nullum erit*. Sed claudicat *Bildadi* tum *explicatio*, quod in præſenti ſeculo, & ubique, id implendum contendat; tum *applicatio* ad miſerum & inſontem Amicum; quaſi eo ipſo *improbitatis* ſit *manifeſtiſſimus*. Vides quid certamina hæc magis magiſque implicuerit, & confuderit. *Adſpectum generalem* loci, quem pando, *Coccejo* obverſatum fuiſſe agnoſcas facile ex hiſce. *Inter Jobum & alios cauſa odii immeriti erat*, *orti ex differentia ſectæ & propoſiti*; *quod ſcilicet rectum odiſſent improbi*. *In his autem ſpectatur Judicium Dei*, *quo improbis odientibus juſtum*, *& deſtruentibus eum*, *reddet* πανωλεθρίαν. *Hæc fieri non negandum eſt*; *ut*, *perpetuo in hac vita fieri*, *aſſerendum non eſt*. *Interim juſti in corpore ſuo*, *Eccleſia*, *etiam in hoc ſeculo*, *ſecundum promiſſionem Dei*, *ab hoſtibus ſuis vindicabuntur*. Si ſine reſtrictione poſitum ſit illud, *inter Jobum & alios cauſa odii erat* &c. ſecum componi non poterit *Bildadus*, quippe qui ſic *Jobum* pronunciaret *rectum*, *integrum*, *generi juſto accenſendum*. Subſtituas potius, *inter Rectos & alios* &c. *Duplex* ſiſtitur *genus*, *juſtum* & *injuſtum*. *Injuſti juſtorum Oſores confuſione perpetua obruendi* dicuntur; & *Natio improborum penitus eradicanda*; ut *ſoli probi hæreditatem terræ ipſis promiſſam occupent*, *obtineantque*. Ecquid ſentis latentes aculeos; & pro oleo acetum vulneribus adflicti adfuſum?

CAPUT NONUM.

:ויען איוב ויאמר *Verſ.* 1

2 אמנם

Verſ. 1 ET reſpondit Jobus, ac dixit.

2 Pro-

Verſ. 1. Argumentum hujus capitis conſtituere, & finire, haud in facili eſt. Ejus ſummam hancce ſtrinxit *de Pineda*, *ut ſe ab objectis purget Jobus*, *reſpondet*, *cum divina juſtitia*, *ſapientia*, *potentia bene conſentire*, *quod innocentem ærumnis exerceat : a ſe vero minime Deum Judicem laceſſitum*, *coram quo nemo poſſit de ſua juſtitia gloriari*. Hæc adverſa fron-

 te

2 Profecto novi rem ita eſſe : & quid juſtus eſſet homo cum Deo?
3 Si

2 אמנם ידעתי כי־כן ומה־יצדק אנוש עם־אל :
3 אם־

te pugnant cum mente *Jobi*, cum qua ex parte ſaltem conciliabitur, ſi legas *non bene conſentire*, ut ſcripſiſſe Eruditiſſ. virum arbitrer. Doct. *Merceri* ſumma huc redit, *Jobum abſolute conſiderare juſtitiam Dei, de eaque magnificentius & auguſtius diſſerere, quam ſocios, adſtruendo, quod etiam dum homines innocentes adfligit, juſtus ſit, nec prorſus habeant homines, quod cum Eo expoſtulare queant, ſi cum Eo diſputationem inire velint. Dei opera, quicquid agat, omni ex parte juſta eſſe: nec coram Eo quemquam jus ſuum aut juſtitiam tueri poſſe, ſecundum illud, non juſtificabitur in conſpectu tuo ullus vivens.* An ergo qui hactenus tam vehementem Deo intenderat litem, atque acerbiſſime cum Deo expoſtularat, nunc uno momento tantos illos fluctus componit, omnemque adfectum ſerenat? An vero acrius acriuſque exardeſcens certamen, contrarium potius poſtulat, novoque æſtu contentioſiſſimæ ſui defenſionis Noſtrum involvit, in qua, ulterius adhuc, quam antea, abripitur, atque *querelis ſuis effuſas immittit habenas*? Id ipſe *Cap.* 10: 1. tanquam ſequelam hujus diſputationis aſſumet, & præſtruet vehementiori adhuc poſtulationi, in qua confirmat, partim amplificans, exaggeranſque; partim recapitulans, adſtringenſque; quicquid in præcedentibus pro cauſa ſua defenſanda diſceptarat. Propius ergo ad ſcopum acceſſit *Deodatus*, cui ſubſcriptum a *Coccejo*; *homini nullum jus eſſe diſceptandi cum Deo, ſi agere velit ut Creator, ex abſoluta poteſtate in creaturas ſuas: vel ut Judex in Rigore Legis.* Id male reprehenſum a *Schmidio*, arguenti aliud eſſe *abſolutam potentiam*, aliud *juſtitiam*: atque *abſolutam* iſtam *potentiam Deum non facere* poſſe *juſtum*, ſed tantum *liberum* & ἀνυπεύθυνον. Recte vero: & in eo ipſo jam conſiſtit *illud nimium*, τὸ ἄγαν, ad quod acerrimus ſuæ cauſæ defenſor ſe abripi paſſus fuit: id manibus pedibuſque obnixe tendens, ut ex contentione cum Deo, circa calamitates ſuas, quaſi Victor diſcederet, ſeque innocentem adflictari demonſtraret. Hoc qui ex oculis amittit, non valde feliciter in ſermonibus *Jobi* enodandis verſabitur. Indicio eſſe poterit *Analyſis Schmidiana* huic cap. præmiſſa; in qua plE-raque a ſcopo, & vero nexu, deflectunt; ut ad ſingulos ferme verſus pateſcet. Concludamus igitur, toto hoc capite nil aliud agere *Jobum*, quam ut evincat, *ſe quia Deo impar ſit, etiam in optima cauſa debere ſuccumbere; in qua triumphum obtineret innocentiæ, ſi Deus de culmine eminentiæ & majeſtatis deſcendere, ſeque parem ipſi quodammodo conſtituere haud dedignaretur.* Adſtupes, credo, audaciæ Viri, eamque nullos ſic fines ſervare pronuncias. An ergo fines antea conſervarat? Dices *blaſphemum*. Quid tum poſtea? Illius utique criminis reus a pleriſque cenſetur vel ob diras *Cap.* 3. in natalem ejectas. Lubenter tamen iſtam a *Jobo* maculam depulſarem. Non continuo *Blaſphemum* appellandum, quod ſpeciem quandam ejus præfert. Videndum, quo animo, quem in finem, ſub quibus circumſtantiis, dicatur. Fontes totidem agnoſcis, ex quibus vir Sanctiſſimus excuſari poſſit, quin imo debeat; eo ſaltem uſque, ne *Blaſphemiæ* nota Ei inuratur. Hæc perſequi longum foret. Unum tantum addo, in graviſſima lucta Carnis & Spiritus, quam eluctandam habuit Noſter, Spiritum eatenus ſemper præpolluiſſe, ut ab infinita erga Deum reverentia ſermones ejus nuſpiam deſciſcant, ſed altiſſime radicatum Numinis & *timorem*, & *amorem*, admirabili unctione ſpirent; quantumvis etiam, ab altera parte, carnis imbecillitatem, atque impatientiam, *Amicorum* irritationibus provocatam, redoleant.

Verſ. 2. Quam difficile ſit rectum tenere curſum, in hoc colliſionum acerrimarum mari, ex eo intelligere eſt, quod plerique velint *Jobum* hic *profiteri conſenſum* ſuum cum Amicis, *circa* Dei *juſtitiam*, quem *malos perdere, integros tueri*, ſemper *juſtiſſimum* eſſe in *viis*, & *judiciis* ſuis, ipſemet agnoſcat, neque in dubium unquam revocarit. Fruſtra ergo contra ipſum, tanquam aliter ſentientem diſputari. Rectius *Coccejus* ſtatuit ſermonem *Bildadi* enervari; nec tamen *Analyſin* ejus ſatis rite digeſtam exiſtimarim. Certe non videtur fundatum eſſe, quod hic ſupponit magnus interpres, *Bildadum Cap.* 8: 3. ſignificaſſe *Deum non pervertere juſtitiam, quando pios adfligit.* Non is erat ſtatus controverſiæ, ſi

3 אם־יחפץ לריב עמו לא יעננו אחת מני־אלף׃

4 חכם לבב ואמיץ כח מי־הקשה אליו וישלם׃

5 המעתיק

3 Si lubeat ipſi contendere cum eo, non reſpondebit ipſi vel unum ex mihi mille.

4 Sapiens cordis, & prævalidus virium eſt: quis durum ſe præbuit illi, & ſalvus evaſit?

5 Qui

ſi quid video: ſed in eo vertebatur cardo, an ex *adſlictionibus* alicui *immiſſis* conſequeretur, ipſum eſſe *improbum* aut *Hypocritam.* Hoc *Eliphazus* magna vi contendebat. Eandem incudem tundebat *Bildadus.* Utrumque nunc una reſponſione refutat Noſter; *Oraculum*, *cap.* 4: 17. ipſi objectum, ad hanc cauſam, ac quæſtionem, haudquaquam pertinere indicans. Id veriſſimum eſſe ſenties, ſi cogitationes noſtras ad illum locum relegeris; ac præſertim duas poſteriores notas. Inde mentem hanc haud gravate mecum admittas. *Novi profecto nullam in Deum cadere poſſe injuſtitiam. Et quid juſtus eſſet* Enoſch, *miſer mortalis*, *cum* El, *Deo ſupremo*? Sive *Eminentiam* ſpectemus *Numinis immenſi*: ſive *Rigorem Judicis*, *ad normam Legis* perfectiſſimæ cuncta examinantis. *Utroque reſpectu cauſa cadat homuncio neceſſe eſt*: nam *nec* ut *creatura* coram *ſupremo Domino*, *nec* ut *creatura peccato infecta*, coram *Legislatore* Sanctiſſimo, ulla ratione poterit conſiſtere. *Utroque* etiam *reſpectu jus* Deo *comparatum*, *hominem*, ſi velit, *adfligendi*, & *gravibus ærumnis viſitandi.* Sed an inde jam conficitur, me eſſe *improbum*, aut *Hypocritam*? *Durum* enimvero *conſectarium!* quod ſi valeat, *nemo mortalis Hypocriſeos*, aut *improbitatis crimine abſolvetur.* Sentis, ni me omnia fallunt, ſanam, fortem, religioſam Viri religioſiſſimi argumentationem, qua acies in ipſum deſtricta retunditur, & penitus infracta hebeſcit.

Verſ. 3. Utrumque hunc reſpectum porro urguet Noſter. Ambiguitas conſtructionis nonnihil diſtrahit interpretes. *Hebræi* Actorem faciunt *Hominem*, in hunc ſenſum. *Si velit* homo *cum ipſo litigare*, *non reſpondere* dignabitur ei Deus, *vel unum e mille.* Referri id poſſet ad *Eminentiam Majeſtatis Divinæ*, quæ *reſpondere*, id eſt *rationem reddere* non tenetur ſuæ creaturæ. Præfero, & longe quidem, quod pleriſque etiam placuit, *ſi velit* Deus, El, *cum ipſo*, Enoſch, *contendere*, ſive ex *jure Dominii*, ſive ex *rigore Legis*, *ne unum quidem e mille reſpondebit Ei* homo. Præ eo languere putem, quod tum aliis, tum *Schmidio* fortius viſum, *ſemel e mille vicibus*, *quibus* Deus eum *de peccatis accuſabit.* Imo vero, *ne vel unum e mille cauſis*, & *criminibus*, quæ *ſimul* ei a Deo objicientur; atque ex quibus pervictum dabit, ſibi id juris, ſive in *Creaturam* ſuam, ſive in *creaturam peccatricem* competere. Forte non eſt *Ellipſis partic.* אל, ut volunt, pro *ad unum*, ſed *directa conſtructio* cum *Accuſ.* quod eleganter regitur a ענה. Sic *Prov.* 26: 4, 5. אל תען כסיל *Ne reſpondeas ſtultum &c.* Imo *Reſpondeas ſtultum &c.* pro *ſtulto* utrobique. Poſterius monitum auget vim verbi ענה, quod ibi valet *refutare*, & *refellere.* Eadem poteſtas & hic quadrat: eamque *Belgæ* noſtri rectiſſime expreſſerunt. Figura ſic exiſtit egregia, qua *Cauſæ* homini a Deo *objectæ* quaſi *loquuntur*, quibus nequeat *reſponderi* & *ſatisfieri.* In מני *ex mihi* haud ſpernas *Pleonaſmum*, qui multum adfert gratiæ. Non omittenda emphaſis ſub יחפץ *ſi lubeat*, ut iterum judicioſe Noſtri. Id *Schmidio* diſplicuit, quamvis & *Luthero* placuerat, quia verebatur *abſolutum* Dei *jus* inde illatum iri. Atqui velit, nolit, Vir Doctus, hoc ipſum cum *rigore ſanctitatis* & *juſtitiæ* intendiſſe *Jobum*, & tacite ad ſuum caſum reſpexiſſe, totius orationis filum demonſtrabit.

Verſ. 4. Secundum *Analyſin* Cl. *Cocc.* hic ſpeciatim inciperetur agi de *Humiliatione apud Deum neceſſaria*, quam *Bildadus* inſinuarat Noſtro, *cap.* 8: 5. Adjungit tamen *reſpectum* ad *juſtitiam* Dei, qui *judicium* nunquam *pervertat*; quippe qui *Sapientiſſimus* ſit,

idem-

5 Qui revellit montes, & quidem nec opinato: quos vel naſo ſuo ſubvertit.

6 Qui

5 המעתיק הרים ולא ידעו אשר הפכם באפו:

6 המרגיז

idemque *potentiſſimus*. Paulo aliter *Merc.* *Quum duo ſint quibus quis cum aliquo contendere poſſis, ſapientia, & robur, utrumque in Deo eſt admirabile, quo hominem facile vincere poſſit. Incomparabili eſt & ſapientia & robore præditus.* Arctius adſtringendum eſt vinculum cum *vſ. præc.* non tam ratione *vindictæ Divinæ*, cui *nemo ſe eripere* valeat: ut vult *Schmid.* ſed ratione ipſius *juſtificationis*, quam nullus homo, qui *cum Deo in contentionem*, & *litem* deſcendat, *adverſus Eum obtinere* poſſit: utpote *immenſa* cum *ſapientia*, tum *potentia*, ſupra omnes creaturas ſubvectum. *Sapientiam* pulchre huc quadrare, quilibet agnoſcit: *potentia* qui conveniat? quæris forte; quum utique Deus hic non inducatur ut *tyrannus*, ſed ut *Juſtus Dominus*. Optime vero. Ideo ſupra inculcabam *Jus Dominii*, non arbitrarium, non tyrannicum; ſed fundatum in ſumma ratione; quum ipſe *omnia verbo potentiæ ſuæ*, & *produxerit*, & *gerat*, atque *ſuſtentet*. Circa phraſes notetur, חכם לב eſſe ex *Origine* πυκινὸν τῆς καρδίας: τὰς φρένας, cui ſemper adeſt τὸ πύκα φρονεῖν, ut adſtructum in *de Def.* p. 204, 205. Habes ergo hic Dei πραπίδας πυκινῶς ἀραρυίας. In אמיץ כח proprietas adferre videtur *prævalido nervo* aut *tendine prædıtum*, *cui nihil reſiſtat*; quique omnia *portare* ac *ſuſtinere* valeat. In הקשה major diſſenſio. Plerique ſupplent לב, ut ſit, *quis obduravit cor ſuum*. Malebat *Cocc.* עצמו *ſemet ipſum*; ut התקשה. *Paguin.* dabat, *Quis dura loquetur ei?* Convenit cum mente quorundam *Rabbinorum*, quibus הקשה eſt, *objicere* קשיות *difficultates*. Id *contentioni* & *liti* ſatis accommodum. Longius abit *Schmidius*, inſerens לעשות, *Quis difficilia facere ſuſcipiet adverſus illum?* Prius ſimpliciſſimum, ex formula ſolenni *Prov.* 28: 14. *Pſ.* 95: 8. הקשה לבו. Non minus ſolenne eſt הקשה ערף *obduravit cervicem Prov.* 29: 1. *Deut.* 10: 16. *Jer.* 7: 26. & 17: 23. &c. Eſt *metaph.* a *jumento refractario*, & *obſtrigillante*, מוֹרֶה. Sic reditur ad *litigioſam contentionem* & *obſtrigillationem*, quæ vocatur מרי. Apud *Arabes* formulæ *cordis duri*, *duræ obſtinatæque cervicis*, tritiſſimæ etiam ſub قسا, cujus *deriv.* قساوة *induratio* ſpeciatim notat *impœnitentiam*, & *obſtinationem in peccato*. Ultimum וישלם non male *Et pacem habuit. In pace fuit.* Malim tamen cum aliis, *ſalvus evaſit.* Eſt uſus ſingularis *Arabum*, ſub ſuo سلم, in iis qui *elabuntur e prælio*. Sic nihil non accuratiſſime reſpondet *Scenæ Litigantium*, *vſ.* 3. inſtructæ; & per totum caput continuandæ. *Notabilis* autem *Character* hic elucet religioſiſſimi ſenſus, quo erga Deum imbutus manſit *Jobus*, *in medio* & *dolorum* & *diſputationum* ſuarum *ardore*. Equidem *contendere*, & *congredi* cum Deo auſus fuit, poſtquam magnitudine immenſa malorum, ac præſertim Amicorum inclementibus cenſuris, nonnihil de gradu motus fuiſſet: nec tamen *Dura*, *contumaci*, & *rebelli cervice cum Deo congreſſus fuiſſe* reperietur; ſed contra *corde contrito*, atque *teneri* erga Deum *amoris pleno*, *cauſam innocentiæ immerito adflictæ ſuſtinuit*; atque *eo ipſo* amore *ultra juſtos fines provectus fuit*.

Verſ. 5. Amplificatur per digreſſionem *Utraque* Dei *virtus*: ſimulque demonſtratur quod *verſ.* 4. erat propoſitum. Ad *potentiam* proxime referenda eſſe verba noſtra, ut & *vſ.* 6. judice *Coccejo*: nec non 7. ut *Merc.* vult, haud abnuam; ſi modo *ſapientia* non excludatur; ut in iis, quæ ad *ſapientiam* directius deinde ſpectant, *potentiam* quoque incluſam velim. In ſenſu aliquid nodi nectit ולא ידעו *& non ſciunt.* Id *Mercero* valet, *ita ut montes non ſen-*

6 המרגיז ארץ ממקומה ועמודיה יתפלצון׃

7 האמר לחרס ולא יזרח ובעד כוכבים יחתום׃

8 נטה

6 Qui tremefacit terram e loco ſuo: ut columnæ ejus concutiantur.

7 Qui imperat Soli, ut non exoriatur: & ſtellas obſignat.

8 Qui

ſenſerint : præter eorum expectationem. R. Levi cum aliis *Hebræis* frigide, *Nec ſciunt plebeji homines cauſam tantorum motuum.* Id a Cl. *Cler.* adoptatum, *Nec homines quomodo hoc fiat, intelligunt.* Aliis placebat, *Nec opinantibus iis qui ſuper montibus illis habitabant.* Hunc ſenſum rotundavit *Vulgat. Et neſcierunt hi quos ſubvertit in furore ſuo.* A *Schmidio* eſt, *ut neſciant homines veſtigia eorundem.* Extra oleas *Bolducius*, *Et Nullus eſt inter mortales qui principium, fundamentum, aut incrementum horum montium cognoverit.* Dignum patella operculum; nam præcedens מעתיק dederat *faciens inveteraſcere*, i. e. diu durare, *montes.* Prius palmam ferre videtur, niſi quod ſignantius exprimendum ſit, *nec opinato, de improviſo, abſque ulla talis ſubverſionis ſuſpicione, metuve.* Ita in *Alcorano* ſæpe, *evertit eos Deus* ولا يشعرون *& neſciebant* i. e. *abſque ut quicquam tale ſuſpicarentur. De improviſo.* Simile habes *Pſ.* 35: 8. תבאהו שואה לא ידע *invadat eum ruina nec opinantem.*

Ibid. Non minuo ſententiam. Sed granditati hujus Libri debeo, ut aliquid cothurnatius proponam. לא ſæpe *ſubſtantiva poteſtate* auctum jam habuimus. Inde exſculpi poſſet, *Revellens montes, & experiuntur*, ſentiunt, ſubeunt, τὸ μηδὲν *Nihilum*, hoc eſt *pleniſſimam abolitionem.* Conferenda omnino phraſis τὸ μηδὲν γίνεσθαι, ad *Cap.* 4. 21. ſupra. ידע *ſcire*, pro *experiri, ſubire*, perelegans eſt; ut *Eſaj.* 47: 10. *Non ſedebo vidua, neque* ארע *ſciam*, experiar, *orbitatem.*

Ibid. In poſtremo colo אשר *Mercero* eſt, *Quod ſubverterit* &c. Vel &, *Quum ſubverterit*; quaſi eſſet כאשר. Plurimi ad *Deum* referunt; alii ad *homines*: ego ad *montes* ipſos, *quos* dicatur *Deus ſubvertere Naſo ſuo.* Id hic tantundem ſonare videtur, ac *flatu naſi ſui*, ut *naſus* concipiatur vel *leviter commotus*, atque *exardeſcens*, *Pſ.* 2: 12. Habes imaginem hanc *Pſ.* 104: 32. *Qui adnictat terræ; & intremit: qui attingit montes; & fumant.* Intelligeſis, *Adnictat oculo, fulminans; attingit naſo, tonans.* Tale quid obverſatum *Schmidio*, confuſius tamen, ob ignoratam *Naſi* figuram. Putat videlicet אף *iram* hic notare *vehementem commotionem*, & *ſonum horribilem*, qui *in ſubverſione monitum* editur. Quanto concinnius *Naſum* Dei *flantem*, vel *fumantem* induxiſſet? infra ad *vſ.* 13. dabo etiam aliquid, huc accommodandum.

Verſ. 6. Magnifice dictum, *Columnas terræ attonari*, ſive *attonitas conſternari*, & *contremiſcere.* Infra *Cap.* 26: 11. offerent ſe *Columnæ cœlorum concuſſæ.* Contra *Pſ.* 75: 4. *Firmare columnas terræ.* Ex *Oriente* in *Græciam* commigravit figura. *Æſch. Prom. Vinc.* vſ. 349. *Atlantem* ait, *in locis Heſperiis ſtare*, κίονα οὐρανοῦ τε καὶ χθονὸς ὤμοις ἐρείδοντα, *Columnam cœli & terræ humeris fulcientem.* Præiverat *Hom. Odyſſ.* 1: 49. ubi item *Atlas* inducitur

—— —— ὅστε θαλάσσης
Πάσης βένθεα οἶδεν, ἔχει δὲ τε κίονας αὐτὸς
Μακρὰς, αἳ γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν ἀμφὶς ἔχουσι.

Confer *Herod.* L. 4. *cap.* 184. qui *Atlantem Columnam Cœli cognominatum* fuiſſe tradit. Hinc quidem colligas *Columnas cœli* poſſe applicari ad *montes*; ſed *eoſdem* per *columnas terræ* hic intelligi, minus congruum: niſi ſpectes jam *Radices montium*, *altius in terram adactas*; quo adſpectu *Arabes* أوتاد الارض *Paxillos terræ* appellitant *montes.* An & huc reſpexit Pater Poëtarum? Malim in genere *ima fulcra & firmamenta terræ*, cum Noſtris: nam عمود & عماد *Columna* extenditur ad *Baſin* & *fulcimentum* omne. *Montibus* in *vſ. præc.* ſatis erat factum; eorumque mentio iterata nunc langueret.

 Verſ.

8 Qui expandit cœlos ſolus: & calcat celſos vertices maris.

9 Qui

8 נטה־שמים לבדו ודרך על־
במתי־ים׃

9 עשה

Verſ. 7. Prius colon minus commode ad *Eclipſes ſolis* relatum a R. *Levi.* Commodior eſt *obnubilatio diei* quam *Cocc.* ſuggerit. Illuc Cl. *Cler.* nonnihil inclinat. Non adeo ad rem facit *occultatio ſolis nocturna*; ut in poſteriore membro *diurna ſtellarum.* Latiore ſenſu *Cocc.* accipit de *Limitibus lucis & tenebrarum*, *qui ſtatis anni temporibus variant. Sic Hieme vetatur oriri ſol, ubi & quando Æſtate ortus erat. Rurſus Æſtate obſignantur ſtellæ, iis horis, quibus Hieme viſæ erant, luce ſolis eas obſcurante.* Maximum ſane divinæ *potentiæ*, & *ſapientiæ* argumentum, in hac *anniverſaria lucis & tenebrarum viciſſitudine.* Poſtremo ſunt, qui ad *opera præter naturam* hæc applicanda cenſent. *Mercerus* generaliter intelligit, *quoquo modo id fiat, naturali, præternaturali.* Curſum ordinarium naturæ penitus excludit *Schmidius*: nec tamen ad *miracula* recurrit, ſubſiſtens intra *potentialem ſenſum*, qui *non quid fiat a Deo*, ſed *quid fieri poſſit*, exhiberet. Eodem modo *vſ.* præcedentes expoſuerat. Sed ſic nervus quodammodo inciditur harum ſententiarum. An ergo aſſentiendum iis, qui ad *triduanas Ægyptiorum tenebras* alluſum volunt? Id *precarium* non tantum, & *frigidum*, ſed etiam *temporibus contrarium.* Doct. *de Pineda* cogitat de *tenebris quas efficit ſæva aliqua tempeſtas & atror nubium quæ interdiu ſolem, noctu ſtellas obſcurent & includant Act.* 27: 20. Cur non potius cogitatum de *tempeſtate diluvii*? In eam certe quadrat quicquid & hic, & in prægreſſis, magniloquo ore edidit Noſter. Tum utique *montes* e ſedibus *revulſi*, & *ſubverſi.* Tum *terra ad columnas* uſque *attonata* & *concuſſa.* Tum *ſoli imperatum, ne radios ſpargeret*: (id valet proprie זרח) *atque ſtellæ obſignatæ*; *longisque tenebris damnatæ, ſub ſignaculo omnipotentis* a nemine *tangendo*, nedum *refringendo.* Hæc in oculis deſignunt, & *quid fecerit Deus*, & *quid facere poſſit*, ſi *Orbem judicare velit in juſtitia*; ac proinde mirifice apta ſunt ad *materiam*, quam ſuſcepit *Jobus vſ.* 3, 4, 5. clariſſimo in die collocandum.

Verſ. 8 Ad *primam creationem* referri *cœlum extenſum* facile patior. Nec improbo *maris celſa calcata* applicari ad *primævam collectionem aquarum in mare.* Sed cur Doct. *Schmid.* hunc adſpectum unice urgeat, nihil cauſæ video. Quid, quod ipſe ad ſenſum, quem rejicit, ſponte recurrat? *eandem* enim *aquarum coercitionem* adhuc *continuari* addit, *quum Deus tumultum marium comprimit & coërcet.* An non idem diſertis verbis dixerat *Coccejus*? ſub *extenſione cœli* complectens *elevationem aquarum ſuperiorum*: ſub *mari calcato* autem *fundationem aridæ ad habitandum, fluctuumque compreſſionem, & coërcitionem, ne ſe habitabili ſuperfundant.* Repræſentatur ergo in hiſce Deus, ut *Creator* non tantum, ſed & *ſuſtentator*, ac *Gubernator* univerſi, qui *ſummus* rerum ſit *Dominus*, idemque *verendus* ac *juſtus judex.* Sub verbo נטה, quod aliis *extendere* valet, aliis *inclinare*, ſcias geminam concurrere ideam *tendendi cum inclinatione.* Speciatim adhibetur in *tenſo cum expanſione & inclinatione tabernaculo*, ut *Gen.* 12: 8. Inde pulcherrime transfertur ad *Cœli expanſionem inſtar tentorii*, ut diſertim *Jeſ.* 40: 22. & *Pſ.* 104: 2. ubi quum præcedat *Amictus lucis*, indicari videtur *lucida* & *cœrulea* cœli *cortina*, quæ *Jeſaiæ* eſt דק *Carbaſus prætenuis.* Alia eſt ſeries *Pſ.* 18: 10. ויט שמים *Et tetendit cœlos; deſcenditque; ac denſa caligo ſub pedibus ipſius.* Pingitur ibi *Textorium* cœli *obſcurum*, & *atris nimboſiſque nubibus diſpanſum, ad terribilia* in terras *judicia exercenda.* Non extra lineas proinde ingenioſiſſimus *de Pineda*; continuans *deſcriptionem tempeſtatis, Deumque contemplans* ut *potentiſſimum bellatorem*, qui *textorium militare* ſibi *figat*, & *explicet*, videlicet *denſas atraſque nubes, unde cum hoſtibus confligat, tela jaculans fulminum, & tormenta explodens tonitruorum.* Hæc tamen omnia *Jobo* obverſata in hac phraſi, aſſeverare non auſim: quamvis egregie cum *Hypotheſi* ad *vſ. præc*, exhibita concinant.

Ibid. Magnificum reſonat, *Calcans celſos vertices maris.* Proverbialis formula eſt רכב על במתי ארץ *ſuper celſa Terræ vehi*; pro *victor & triumphator celſiſſimas arces conſcendere.*

9 עשה עש כסיל וכימה וחדרי תמן׃

9 Qui fecit nocturnum circitorem; ſidus torpidum; ſiduſque calidum; & penetralia auſtri.

10 עשה

10 Qui

re. Deut. 32:13. *Jeſaj.* 58:15. Similiter *Gradi, calcare, ſtare ſuper excelſis verticibus*, eſt, *omnia ſub pedibus ſubjecta & edomita habere. Deut.* 33:29. *Pſ.* 18:34. *Amoſ.* 4:13. *Mich.* 1:3. Mira grandiloquentia elatum *Jeſ.* 14:14. *Scandam ſupra Celſos vertices nubis*, במתי עב. Ut *Deus* videlicet *reſidebo*, atque *Nubes altiſſimas pedibus ſubjectas cernam.* Non minore cothurno dictum, *Calcare celſos vertices maris*; pro *elatiſſimos & tumidiſſimos fluctus domare* poſſe, non minus quam *tollere & excitare.* Hoc illius eſt qui ישב למבול *Diluvio præſedit. Pſ.* 29:10. *Montes aquarum* apud *Virg.* nemini non lecti, nec non *præruptus aquæ mons.* Ex *Homero*, qui κύματα πελώρια, ἶσα ὄρεσσιν dedit, citante & *Coccejo.* In *Alcor. Sur.* 24:43. جبال في السماء *Montes in Cœlo*, de *nubibus alte congeſtis*, reperias. An הרי נשף *montes nocturnæ caliginis* ſic figurati *Jer.* 13:15.? pro *mole ingruente tenebrarum, quæ longo occaſu omnia involverent.* اطواد الامواج *Montes undarum*, extant apud *Arabsj.* MS. Eadem ratione *colles, cumuli, vertices, culmina, Gibbi*, transferuntur ad *aquas* plus minusve *tumentes.* Exempla haud cumulo. Unum tantum promam ſic ſatis venuſtum, ex illo grandiſono *Iſpahanenſi*, cujus ſpecimen edidi poſt *Vit. Salad.* البحر قد آن ان يمنع راكبه ويسنم بالامواج غواربه *Mare jam occipiebat vectorem excludere, & undarum attollere vertices.*

Verſ. 9. Qui ad hunc catalogum inſignium Mundi ſiderum commentati ſunt, fatentur, ſe nihil certi circa antiquiſſima & obſcuriſſima vocabula habere; ſed tantum ſequi, quod maxime probabile videtur. Non mirum proinde, in diverſiſſima hic abiri, & *erraticas* fieri ſtellas, quæ *fixæ* eſſe debebant. Prius עש, pro עיש *cap.* 38:32. a pleriſque in *ſeptentrione* locatur; ut vel ipſum *Polum* deſignet, quo inclinat *Cocc.* vel *ſeptem* quæ vocitantur *Triones*, quibus varia adhærent nomina, *Urſæ Majoris*, & *Minoris*, *Plauſtri*; &c. &c. quod *Arabibus* نعش *Feretrum*, voce affiniſſima. Hanc ſententiam *Bochartus Hier. part.* 2. *p.* 114. docte adſtruxit contra *Paraph. Chald.* qui תרנגלתא *Gallinam*; & *Thalmudicos*, qui alia adhuc ſidera ingerebant. Et LXX. utrobique *Pleiadas* hic expreſſerant tamen, a עוש *in unum coire*, tanquam *ſidus glomerabile. Bolducius* ex eadem ſignificatione exſculpſit *circularem congregationem omnium ſtellarum, per duodecim ſigna diſpoſitarum*: i. e. *Univerſum Zodiacum*, qui hic ei *Eccleſiam militantem* depingit. Ingenium illi viro nulla falce caſtigatum; in omnemque conjectandi luxuriem ſe effundens. Cl. *de Dieu* ex *Æthiop. Dial.* adfert עיש *Piſcem*, cujus *ſignum* innui ſuſpicatur. Aliquid enucleatius dare voluit ex Orientali ſuo penu Cl. *Hydius* in *Comm.* ad *Tab. Stell. Fix. Ulugh Beighi p.* 22, 23. ubi contendit *Lucidam ſtellam Aurigæ*, quam *Syri* vocant עיות *Ayuth* vel *Iyutho*, *Arabes* عيوق *Ayuk*, *Thaw* in *Kof* mutato, eſſe ipſiſſimum noſtrum עייש *Aiſch*, ש in ת mutato, quod *Arabes* in ق trajecerint: ut proinde עיש על בניה *Inf.* 38:32. ſit *Capella cum ſuis Hoedis.* Fabellam *Amaltheæ* cum *geminis hædis inter ſidera collocatæ*, legas apud *Hygin. L.* 2. *c.* 13. Ad hæc omnia, quæ incertiorem tandem fecere Lectorem, quam erat dudum, obſervo, minus congruum videri, *nomina conſtellationum ex Fabulis orta*, & *recentioris* haud dubie *inventionis*, antiquiſſimo huic Monumento inſertari. Scrupulum removere voluit Cl. *Cocc.* provocans ad S. *Lucam*, qui etiam *fabuloſa* admiſerit nomina *Jovis, Dioſcurorum*, &c. Similiter vulgarem uſum cogere diſputat *Hieron.* ad *Amos* 5. ut *ridicula & portentoſa vocabula Arcturi, Orionis* &c. adhibeamus, quia alias non intelligeremur. Hæc quidem *ſuperſtitioni*, ſi quem forte ea

ſe-

teneret, *eximendæ* valent; ſed *difficultatem* non tollunt, quæ hic *gemina* exoritur; altera quod non adeo decora videatur anticipatio, ut Antiquiſſimi *Orientalium* frequentent nomina, quæ ex Hiſtoria Fabulari Aſtris impoſuit *Græcia*; qualia ſunt *Arcturi*, *Orionis*, *Plejadum*: altera, quod haud liqueat, Sacros Scriptores hos ipſos *Aſteriſmos* intendiſſe. Sane quantumvis ſpecioſa ſit Cel. *Boch.* ſententia, conferentis cum עיש *Arabum* נעיש نعش *Feretrum*, *Plauſtrum*, quod diſpeſcitur in النعش الصغري *Feretrum minus*, cum بنات *Filiabus*, pro دب اصغر *Urſa minore*: & النعش الكبري *Feretrum Majus*, cum ſuis ſibi بنات *Filiabus*, pro دب اكبر *Urſa Majore*; neutiquam tamen veri ſimile, עיש ex נעיש eſſe truncatum, atque proprie *Feretrum* denotare, aut *Plauſtrum*: licet *Forſterus* ipſam quoque Radicem ſemel lectam עושׁ *Joël.* 4: 3. mactare auſus ſit ſignificatione *Plauſtratim conveniendi*. Aliis ſimplicius valet *convenire*, *congregari*, unde *Pleiadas* eliciebant. *Coccejo* eſt *coire in unum*, ut a *coactione in conum* denominationem invenerit *ſignum Boreale*, ſive *ſidus polare*, *cui reliquæ ſtellæ illius Hemiſphærii*, *ut Filii*, aut, *ut Oves Paſtori*, *adjungantur*, ſecundum illud *Æneid.* 1: 608. *Polus dum ſidera paſcet.* Apparet multum momenti facere *Originem Radicis*, quæ utique ex uno illo contextu *Joëlis* rite conſtitui nequit, quamvis de ſenſu ſatis conſtet. Opportunum maxime, quod reponunt *Arabes*, quibus عاس *med. Vaw*, eſt طاف بالليل *circuivit*, *gyravit noctu*. Eadem vis in عسّ; cujus *part. præſ.* عاسّ ſpeciatim notat *Vigilem nocturnum*, *Circitorem*. Utraque radix etiam teritur in *Lupis prædam circueundo captantibus*. Hac imagine nil plenius apud *Joëlem*. *Nocturnus circitor* mirifice quadrat in *Jobo*; vel &, *Nocturna circatio poli*. Utrumque propono, quia עיש poteſt eſſe *part. præſ.* περιπολῶν, qui alias περίπολος *excubitor*: poteſt quoque eſſe *ſubſt.* πόλος, *Polus*, *circatio nocturna poli*, *cum ſideribus ſuis*, quæ & עיש dicta. Ulterius progredi haud tutum; neque finire ſuſtineo *Duaſne Arctos* complectatur hæc vox,

Arctos Oceani metuentes æquore tingui.

An ſpeciatim Ἅμαξαν, *Plauſtrum*, *Urſam Majorem*, quæ & *Helice* ἀπὸ τοῦ ἑλίσσειν, quod pleriſque placitum; an potius *Cynoſuram*, *Phœnicibus* notiorem, quæ eſt *Urſa Minor*, quo *Cocc.* inclinat: an denique omnia *Sidera* ἀειφανῆ, ὅσα ὁ ἀρκτικὸς ἀποτέμνεται κύκλος, quæ recenſentur a *Schol. Homer. Iliad.* 18: 489. Quid ſi univerſum *Polum Sidereum*, ſive *Hemiſphærium boreale*, oppoſitum *Penetralibus Auſtri* חדרי תימן, hoc vocabulo comprehenſum ſtatuamus? De eo adhuc aliquid ad *Cap.* 38. σὺν θεῷ prometur. In noſtro contextu quid huic conjecturæ ſubſerviat, excuſſis nominibus *Cheſyl*, & *Chyma*, diluceſcet.

Ibid. Duo hæc ſidera כסיל & כימה denſioribus adhuc tenebris involuta. Prius *Cheſyl* per *Oriona* hic expreſſit *Chald.* cum *Vulgato*, quamvis uterque *Cap.* 38: 32. reddat *Arcturum*; quod poſtremum utrobique a *Tigurinis* retentum. Toto hinc cœlo diſſidet *R. Jona* apud *Kimchium* tradens *eſſe ſtellam magnam quæ Arabibus* סהיל سهيل *ſoheil dicitur.* Eſt *Canopus in ſummo Argus gubernaculo præfulgens*; qui *Auſtrali cœlo contentus vagari*, *timet Borean*, ut *Lucan. L.* 8. habet. *Sidus ingens & clarum*, de quo *Proverbium* apud *Arabes* كيف يتلاقي سهيل والسها *Quomodo occurrerent ſibi invicem Soheil & Soha?* i. e. *Canopus in Auſtro lucidiſſimus*, & *ſtella obſcurior Borealis in Urſa Majore.* Extat apud *Haririum*, *Conſ.* 23. In hanc opinionem diſceſſit Clar. *Hydius Comm.* ad *Tab. Ulugh Beighii p.* 58, 59. qui in سهيل *Soheil* dimin. *ineptulus*, aliquid convenientiæ quoque ineſſe putat cum כסיל *Cheſyl*, *Inſipiens*, partim ſono, partim ſignificatu. Ei convenientiæ tantum tribuere non ſuſtinerem: neque hactenus plus fundamenti video ſubeſſe *Canopo*, quam *Orioni*, aut *Arcturo*, aut quod *Ab. Eſra* volebat, *Cordi Scorpionis* cui fidenter aſſenſum a *Codurco* ad

Job.

Job. 38. *Antarem* ingerente. Probare etiam nequeo, quod Doct. *Hydius Ibid.* addat, *Cheſyl* & *Soheil* videri eſſe *generale nomen magnarum ſtellarum*: unde *Eſaj.* 13: 10. poſt כוכבים *ſtellas*, inferrentur כסיליהם *maximæ ſtellæ ex eis.* Simile quid in mentem venit Cl. *Vitr.* in *Comm.* ad *Eſaj.* qui geminam conjecturam exponit: alteram כסילים ibi deſignare *Planetas*; a כסיל quatenus *ſtultum*, *levem*, *temerarium* notat: alteram *ſidera* quæque *luci-diſſima* intendi. Doct. *Mercer.* cum diſſenſione magna, in id ſaltem conſentiri monet, *Cheſyl* & *Chyma* eſſe duo *contraria ſidera*, unum *fructibus amicum*, alterum *inimicum*, unum *ſeptentrionale* & *frigidum*, alterum *auſtrale* & *calidum*. Sequi autem ſe dicit ſententiam eorum, quibus *Chyma* eſt *ſidus Pleiadum*, *Vergiliæ*, *veris nunciæ*, *quæ tempus reſolvunt* & *amœnum reddunt*, *reſoluta terra &c.* itemque *Cheſyl*, *Orion ortu ſuo nimbos & tempeſtates excitans*, *nimboſus*, *aquoſus*, *triſtis*, *ſævus*, propterea dictus apud Poëtas. Huic a pleriſque deinceps ſubſcriptum. Mihi in his omnibus id iterum incommodius, quod ad *unum* fere *Aſteriſmum* adſtringantur vocabula, quæ ſecundum *Originem* ſuam latius patuiſſe videntur: neque ex hac fluctuatione fida obtinebitur ſtatio ante, quam appellationes כסיל & כימה, a radicibus כסל, & כום vel כים, clariore in luce collocentur. *Bolducius* illa *Etyma* ſic tentat, ut omnia turbet: nam ſupponens *Cheſyl* eſſe *Orionem*, eum derivat vel a כסל *inconſtantia*, quod *tempeſtates moveat*: vel ab eadem voce, quatenus *conſtantiam*, *fiduciam*, *robur* importat, quod *nihil* illo *fortius*, unde & *Gigas* ſit dictus: vel a *Gigantea Orionis proceritate*, ex כי & סלל *Quaſi ſublimiſſimus.* Hæc caſſa nuce non emerim, quemadmodum nec alterum כימה, idem quod קימא *Chaldæis*, i. e. *res elevata ſtabiliter*, ſive ipſum *aſtrum polare*, *Cynoſura*, quam *Chyma* vocitatam, hinc limpida aqua limpidius, ſcilicet, deducit; niſi quod etiam ex כמה *deſideravit*, offerat, idem ſidus *gubernatoribus Sidoniis deſideratiſſimum.*

Ibid. Prudentius alii intactam reliquerunt *originem*, quum Radix כום vel כים requireretur, nuſpiam reperiunda. Τοῖς LXX. *Chyma* eſt Ἀρκτοῦρος heic loci; ſed *Cap.* 38. πλειάς. Ad id exemplum plerique *Pleiadas* amplexi. *Vulgatus* dedit *Hyadas*, vicinas illas quidem in *ſigno Tauri*, ſed non eaſdem. Poſteriores *Arabibus* dictæ الدبران, *Aldebarano*; priores الثريا *Althuraiya.* In *Lex. Iſa Bar Ali* reperio כימא ועיותא declarari الثريا والعيوق *Pleiadas* & *Capellam.* Confer quæ Doctiſſ. *Hydius* ad *Tab. Ulug. Beigianas* dedit p. 32. & ipſe huc concedens. Potuiſſet addere *Etymologiam* haud longe petitam a كوم כום & كومة כומה *Arabice*, *cumulatio*, *cumulus*, *agmen denſius*, unde اكوام *Neh.* 4: 2. ſunt *cumuli.* Eam obtulit Ill. *Grot.* ad *Job.* 38. Ut ergo πλειάδες vel πλειάς a *multitudine* nomen habere creduntur, quod ſecuti *Arabes* ثريا *Thuraiya* quaſi *pluſculam* vocitarunt; ita *Chyma* poſſet ſonare *Cumulationem*, ſive *agmen denſiuſculum.* Sed certum quendam *Aſteriſmum* hoc nomine ſignatum fuiſſe haud conſtat: ne vêroſimile quidem: quod enim ex uſu *Syrorum* produxi, nihil aliud quam *Gloſſa* in *Jobum*, ad *verſionem Syriacam* per manus tradita. Cl. *Caſtell.* in *Lex. Polygl.* judicioſe ſatis *ſidus calidum* exponens *Chyma*, recurrit ad חום & חמם *caleſcere*: cui opponatur כסיל *Cheſyl*, *ſidus frigidum*, ab *Arabico* כסל *frigus.* Non tamen proprie كسل *frigus* deſignat, ſed improprie, i.e. *ſegnitiem*, *torporemve*, ut Radix in *Golio*, *Torpuit.* item, *rem habuit cum muliere*, *non emittens ſemen.* Ei oppoſitum τὸ كام כום, *conſcendit* femellam, & *ſubegit.* Ita *Alcamus.* كام المرأة نكحها والفرس انثاه نزا عليها *Radix* כום *eſt ſubegit fœminam: ſpeciatim uſurpatur in equo femellam ſaliente.* Magnam mihi ſuſpicionem movit hæc utriuſque Radicis collatio, & mutua veluti relatio, כימה eſſe *ſidus calidum genitale*, cujus *influxu terra* ve-

10 Qui facit magna, uſque eo ut veſtigare non ſit: & mirabilia uſque eo ut non ſit numerus.

11 Ec-

10 עשה גדלות עד־אין חקר ונפלאות עד־אין מספר׃

11 הן

vegetata fœcundetur: ut כסיל contra videtur eſſe *ſidus torpidum*, cuncta *inerti* & *infœcundo frigore adſtringens.* Habes Characteres diſtinctos utriuſque ſideris *Cap.* 38: 32. conſignatos; qui iſtic loci preſſius ſub examen mittentur. Ill. *Grot.* quem opportune nunc inſpicio, *Orionem* ſub כסיל retinet, quod ſit *ſidus hibernum labores impediens*, a كسل *otium* apud *Arabes.* Alii aliam forte *conſtellationem*, ex fonte, quem indicavi, exſculpent: quemadmodum & כימה vel ad *Pleiades*, vel ad *Canopum*, ob *genitalem virtutem* utriuſque applicari poſſet. Faceret huc illud in *Camuſo* de קיץ قيظ eſſe صميم الصيف من طلوع الثريا الي طلوع سهيل *vehementiorem partem æſtatis ab ortu Pleiadum, uſque ad ortum Canopi.* Scilicet عند طلوع سهيل تنضج الفواكه وتنقضي القيظ *ad ortum Canopi matureſcunt fructus, & finitur* קיץ *æſtas.* Mihi tutiſſimum videtur, in *generali adſpectu*, & *uſu* harum vocum ſubſiſtere: ut כסיל complectatur *ſidera frigida*, & *brumalia:* כימה *ſidera caloris*, & *æſtatis prænuncia*, quatenus ea per *polum noſtrum* a *ſeptentrionibus* ad *auſtrales* uſque *partes innotuerunt*, ſuis quæque temporibus conſpicua. Ita jam tandem dilucere incipit ratio conſtructionis in noſtro verſiculo, quæ antea mihi obſcurior & impeditior viſa: ubi עש כסיל וכימה uno tenore efferuntur, & opponuntur *Penetralibus auſtri*, id eſt *Hæmiſphærio mundi nobis clauſo*; cujus *ſidera* in conſpectum noſtrum nunquam emergunt, ſed tanquam in *Conclavibus*, & *abditis penetralibus*, *deliteſcunt.* Ergo עיש *Nocturnus circitor*, commodiſſime exponas de *Polo* noſtro *Arctico*, *ſidera* ſua *volvente:* atque ut ſub כסיל *Cheſyl* proxime habes *conſtellationes frigidiores Boreæ*, ita כימה ſiſtet *Calidiores ad Auſtrum divergentes.*

Ibid. Pulcherrime figurata *penetralia Auſtri*, תימן تيمن *Dextræ*, vel *ad Dextram inclinantis mundi*, ut שמאל شمال *ſiniſtra*, eſt *ſeptentrionale latus.* Minus concinne a nonnullis hic ingeſtæ *Procellæ ab auſtro erumpentes.* Sunt haud dubie *Sidera in meridianam* mundi *partem penitius abdita.* Nempe Radix חדר خدر eſt *latuit poſt velamentum:* a חֶדֶר خدر *Latibulum* terræ *depreſſius*, & *obumbratum.* Inde tranſlatio facta ad *penetralia ædium*, quæ *clauſa*, & *obvelata* fere. Dicitur quoque יום חדר يوم خدر *Dies poſt velum latens*, quum *ſol*; & ليلة خدرة *Nox poſt velum latens*, quum *ſidera* haud *comparent.* Eſt & مخدرة *poſt velamen latens*, *epitheton*, quin & *nomen* ipſum, *puellæ non prodeuntis in publicum.* Cernitur quanta venuſtate חדרי תימן *penetralia velata Auſtri* inducantur, ad *Polum Antarcticum cum ſideribus ei circumfuſis* deſignandum.

Ibid. Quorſum jam tandem hoc cœli *luminoſiſſimum theatrum*? *Ad tempeſtatis amplificationem*, *influxu ſiderum excitatæ*, nimis jejune traxit *de Pineda.* Ad *temporum varietatem*, ſapientiſſime a Deo *digeſtam*, rectius Alii. At *Coccejus*, *Magis ad ſitum*, inquit, *locorum habitationemque gentium in hoc vſ. reſpici puto*, *quam ad varietates temporum.* Mihi *generalis contemplatio* tum *creationis*, tum *conſervationis*, ac *gubernationis*, commodiſſima videtur: aptiſſime cohærens cum præcedentibus, in quibus ut *Dominus* ſimul & *Judex orbis univerſi* proponebatur, ad ſacrum Tanti Numinis hor-

11 הן יעבר עלי ולא אראה ויחלף ולא־אבין לו׃

12 הן יחתף ומי ישיבנו מי־יאמר אליו מה־תעשה׃

13 אלוה

11 Ecce invadet in me, nec videbo illum: & incurſabit, nec percipiam ipſum.

12 Ecce raptabit, & quis repellet eum? quis dicet Ei, quid facis?

13 Nu-

horrorem incutiendum. Quid reſpiciam ex *Gen.* 9: *vſ.* 1, 2. &c. cum *Gen.* 1. facile percipere eſt.

Verſ. 10. Nihil hic quemquam morari poteſt. Tenendum tantum, quod *Merc.* rite monuit, verba *Eliphazi* hic ex cap. 5: 9. reponi cum levicula variatione. Transferantur huc, quæ ibi inſinuata de *Judiciorum Divinorum Profundis:* ut enim *Jobus* hoc argumento premebatur a cenſoribus: ita id ipſum nunc in eos videtur obvertiſſe, more miſerorum, qui omnem anſam arripiunt, ad *querelas* ſuas *renovandas.* Quis hic, inquis, *querelæ* locus? ubi *celebratur Majeſtas immenſa*, cujus *imperveſtigabilis ſit potentia*, & *ſapientia.* Inſpice *adfectum* Diſputantis; & *gravem* ſubeſſe *querelam* animadvertes. Nempe incipit nunc Noſter, ad *triſtiſſimum* illud *judicium*, ſibi inflictum, reducere ea, quæ *generatim* diſſeruerat: atque ita hanc *clauſulam* ſuperioribus annectit, ut inde tranſitum ſumat, novumque velut impetum, ad *Calamitatem* ſuam *amariſſime complorandam*; quippe qui *infinita* illa *Majeſtate ſe prægravari* jam innuat, quod *nec rationem* ullam *diſcernat viarum* Dei ſecum, nec ullam *viam inveniat*, ex *manibus* Dei ſemet eripiendi.

Vſ. 11. Hunc ſenſum manifeſto prodit, ad ſe ipſum ſubito oratione converſa. Exiſtimatur a pleriſque, deſcribi *hominum ignorantiam*, & *ſtuporem*, vel *non ſatis attendentium ad opera* Dei; vel & *eadem non comprehendentium*; propter eorundem *infinitatem.* Huc fere *Merc.* & *Cocc.* collineant. *Schmid.* commodiorem cenſet *inviſibilitatem Dei*; per quam hic doceatur, *neminem cum Deo impune litigare poſſe*, quia tanti Numinis, quod *videri* ac *ſentiri* nequit, *vindicta ſit indeclinabilis.* Placet, quod ad ſcopum propius acceſſerit; quamvis fortius adhuc feriri poſſe videatur, ſi verba עבר *tranſire*, & חלף *per vices tranſire*, non ſumamus ſimpliciter, ſed graviore illo uſu, quo *invaſionem*, & *infeſtationem* important. Sic apud *Eſaj.* 8: 8. utrumque *vehemens* & *hoſtile.* Vide ergo an hic diſpliceat adſpectus, *Deum* tam *formidabilem* eſſe, ratione *potentiæ*, *ſapientiæ*, & *Majeſtatis inacceſſæ*, ut aliquem *invadat*, & *repetitis ictibus conficiat*, abſque ut is, qui manu Dei ſe cum maxime *convulnerari* atque *confodi* ſentit, eum *videre* aut *percipere* queat; nedum *cum ipſo contendere*, *Eumve ad rationes* actionum ſuarum *reddendas vocare.* Intelligis cur in *prima perſona* extulerit id, quod ſeries in *tertia* proferri poſtulabat: ad quam tamen mox recurrit, fluctu fluctum velut impellente.

Vſ. 12. *Graviorem* hunc *ſenſum*, atque *impetum hoſtilem*, quo Deus pro *independentia*, & *jure Dominii*, quos vult, invadere poteſt, & juſtiſſime poteſt, vehementius jam, caleſcente adfectu, expreſſit noſter. הן יחתף *Ecce rapiet*, vel *rapit.* Non inelegans eſt, quod *Luth.* retulerit ad *tranſitum*, & *præteritionem citiſſime raptam* quaſi. Eam vim *Arabes* in חטף خطف, quod cum חתף idem valet, frequentant: nam خطفي eſt *rapidus inceſſus:* & خيطف *Dromas velociter incedens.* Id cum עבר & חלף *vſ. præc.* rite conjungeretur; ſive jam ſimplicem teneas notionem *pertranſeundi*; ſive fortiorem noſtram ſequi lubeat; ut ſit *raptim invadit*, *inſtar fulminis*; quod خاطف *Rapientis* Epitheto inſigniri ſolet, vel *quod viſum rapiat*, ut *Gjauh.* innuit; vel quod *rapidiſſime feratur.* Malim tamen *raptandi*, & *violenter tractandi* notionem, quam *Arabes* ſub خطف uſurpant abſolute: unde ſupervacuum eſſe

ap-

13 Numen non remittat naſum ſuum: ſub ipſo ſubſidunt Adjutores ferociſſimi.

13 אלוה לא־ישיב אפו תחתו שחחו עזרי רהב׃

14 Quanto minus ego reſpondeam ipſi: emedullem verba mea cum ipſo.

14 אף כי־אנכי אעננו אבחרה דברי עמו׃

15 Qui,

15 אשר

apparet, cum *Schmidio* diſcutere, *hominem ne raptare* dicatur Deus, *an vitam & bona ejus*? Addit, *putamus de bonis externis tantum ſermonem eſſe, non de vita hominis, aut ipſo homine.* Unde frigida illa reſtrictio? *quia Jobus ad ſe ipſum reſpicit*, ait Vir Doct. An ergo *bona* tantum *externa Jobi raptarat* Deus? nonne & *vitam*, & *hominem* ipſum, nunc cum maxime *raptabat*, hoc eſt *duriſſime tractabat*, atque *Leonis more lacerabat*? ſolide ergo, ut ſolet, *Merc.* qui ſequentia bene etiam reddit, *Et quis avertet eum*? ne Leonis inſtar impetum faciat. *Belg. Cocc.* alii, *Quis faciet eum reſtituere.* Hoc fundamentum non habere in *Hebraiſmo* putat *Schmid.* ſed quum in formula שב שבות *Reduxit abductam captivitatem*, vis *tranſitiva* obtineat ſub *kal*, imprudentius negaretur השיב pro *reſtituere fecit* uſurpatum fuiſſe. Non male tamen *Schmid. Et quis redire faciet*, ſive *retrahet eum*? ut *ſignificetur retractio cum rapto abeuntis.* Mihi prius videtur & promtius, & fortius. Conf. *Eſaj.* 43: 13. Id & ex membro altero elucet, in quo ineſt vis *prohibendi & repellendi.* Conſimilem formulam habes *Dan* 4: 34.

Verſ. 13. Succinit huic ſenſui grandis figura, *Numen non* ישיב אפו *remittit Naſum ſuum*; i. e. *formidoloſa & inacceſſa Majeſtate præſulget*, cui nihil reſiſtere queat; quæque *contendere auſum* certiſſime obterat. *Naſum* אף انف pro *Majeſtate terribili* frequentari ab *Arabibus*, indicatum in *Lib. de Def.* p. 235, 236. Cumprimis huc quadrat formula احمي انفا *Servantiſſimus Naſi*, de eo qui *nec vult, nec poteſt, ſe ſubmittere*, quam habes Ibid. p. 233. Alias phraſis שב אפו *Rediit Naſus ejus*, eſt *reſedit ira*, vel *detumuit, deferbuit indignatio*; atque ita *a bullitu* quaſi *effervescente in ſe rediit.* Inde *Redire non facit Naſum*, eſſet, *non remittit quicquam de ira, ubi ſemel in quemquam exarſit.* Id accommodari poſſe ad hanc ſeriem, haud diffiteor; ut negetur Deum ullius reverentia, vi, metu, *iram* ſuam *compeſcere* aut *inhibere.* Præſertim quadraret in *Æternitatem iræ Divinæ*, quam *Schmid.* hic inculcari autumat. Commodior tamen videtur prior conſpectus, qui quicquid Doctiſſ. Interp. huc attulerunt, ſub ſe complectitur.

Ibid. Eundem planiſſime requireret alterum membrum, ſi hic עזרי רהב inducantur & ipſi אף *Naſo præditi*, ut inſinuavi in *de Def.* 236, 237. Formula eſt obſcurior. *Mercero* ſonat *Adjutores roboris*, ſeu *elationis*, i. e. *Robuſti*, & *elati.* Triplicem Gloſſam dat Cl. *Cocc.* omnes *quibus ſolitum eſt, cum ferocia ſuccurrere*; vel etiam, *ferocibus ſuccurrere*; vel denique, *ferociam ſuam adſtruere.* Prius valde arridet, cum *præc. vſ.* intime cohærens, ubi negatur quemquam *Opitulatorem & Vindicem* agere poſſe eorum, quos Deus *raptare* voluerit. Sic עזרי רהב erunt *Vindices præferoces & præpotentes*, quibus ineſt quidem אף *Naſus, fervens impetus*, ſed *Dei Naſo* plane impar, cui *nunquam ſemet ſubmittenti concedere*, quin *ſubſidere*, cum *depreſſione & dejectione profundiſſima ſui*, cogantur. Cl. *Schmid.* de *Dæmonibus* locum explicat, qui *æternas pœnas ſuperbiæ*, cujus & *auctores*, & *adjutores* ſunt, luant. Alii *Angelos, regionum patronos, præſides*, & *adjutores*, obtruſerunt. Non placet quoque nunc, quod præluſi olim, *Abundantes ſuperbia*, a غزر *copioſum, abundantem eſſe.* In *Originibus* tamen idem hic fons indicabitur, ad *auxiliandi promtitudinem.* Omnino עזר *Auxiliatorem* nunc ſignat, abſolute, ſive *vindicem promtiſſimum.* Sic *Eſaj.* 31: 3. כשל עוזר *Corruet Vindex.* & 63: 5. *Et reſ-*

pexi

15 אשר אם־צדקתי לא אענה
למשפטי אתחנן :
16 אם־קראתי ויענני לא אאמין
כי־יאזין קולי :
17 אשר־

15 Qui, ſi juſtus ſim, haud reſpondeam: mecum diſceptanti ſupplicandum habeam.

16 Si clamem, & reſpondeat mihi: non credam quod exaudiverit vocem meam.

17 Quip-

pexi ואין עזר *nec nullus erat vindex.* Adde *Job.* 29: 14. & 30: 13. &c. &c.

Verſ. 14. Infelix, meo judicio, nexus *Schmidii*, cui *Adjutores ſuperbiæ* erant *Diaboli*; *creaturæ fortes & viribus naturæ excellentes*; *qui nihilominus cogantur ſe ſub Deo incurvare* &c. Quaſi illorum exemplum nunc adhiberetur pro *argumento a majori ad minus.* Si cum proximo hæc cohæreant, commodior longe eadem argumentatio a *Vindicibus* & *Opitulatoribus præpotentibus.* Sed opus haud eſt, אף כי tam arcte reſtringi, non enim *multo minus* ſonat proprie, ſed, *Etiam quod*! vel, *jam vero ut*! per ſpeciem *Reticentiæ*, vel *Ellipſeos*, ut ad *Cap.* 4: 19. notatum. Sentis magnam latitudinem, quæ vel ad *vſ.* 3. cum *Merc.* & *Cocc.* recurrere permittat, quicquid argutetur *Schmidius*: quum hic ſit *Jobi* ſenſus, neutiquam ſe, miſerrimum terræ vermiculum, tantos ſumere velle ſpiritus, ut *cum infinita Dei Majeſtate contendat*, ſi vel ut *Dominus*, vel ut *Judex Rigore Legis armatus* conſideretur: ad cujus nutum videlicet rerum univerſitas concuſſa tremiſcat. Quo fundamento אבחרה דברי dederim *emedullabo verba mea*, percipies ex *Clav. Dial.* p. 195. Eſt jucundus flos orationis, quo *cauſæ inſtructio accuratiſſima* deſignatur, *verbis*, & *ſententiis lectiſſimis adornata.* Id elegantius, quam quod in *Animad.* primis p. 140. dedi. Cum reliquo uſu verbi, qui eſt, *elegit*, *optimum excerpſit*, idem quoque ſuavius conſpirat.

Verſ. 15. Ex mente *Merceri* negat *Jobus*, *ſe vel hiſcere audere*, *conſternatum Dei majeſtate*, *etſi juſtam cauſam foveat.* Eundem ſenſum clariore adhuc luce perfudit *Cocc.* præ quo languent *Schmidiana.* Suſpicor tamen, verbum צדק *juſtum eſſe*, hic fortiore uſu poſitum, quam *bonæ conſcientiæ*, & *cauſæ juſtæ.* Aptius ſedere videtur, quod habuimus *vſ.* 2. & 4: 17. ubi *plena* & *perfecta juſtitia* intelligitur. Sic foret, *Cui ſi perfecte juſtus eſſem*, *haud reſponderem*: *diſceptanti mecum* potius *ſupplicarem.* Poteſt quoque אשר ad *Jobum* referri, *Qui ſi perfecte juſtus eſſem* &c. Id videtur nervoſius, cum reſpectu ad *vſ. præc.* אף כי אנכי *Tantum abeſt ut ego*, calamitoſiſſimus omnium mortalium, *Ei reſpondere ſuſtineam*, אשר *Qui ſi* &c. Admirabile ſpecimen animi profunda Numinis reverentia imbuti! ſi vel *conſummate juſtus forem*, inquit pientiſſimus vir, *nollem ſane Ei reſponſare*, *Eive ſupremum ſuum jus dubium facere*; *ſed mallem contendenti* mecum *ſupplex fieri*, *ad ejuſque genua advolvi.* משפטי optime a *Cocc.* expreſſum, *in jus vocanti me.* Bono monitori melius auſcultaſſet *Schmid.* quam neſcio quid extra cauſam plane poſitum nobis excogitaſſet. Eſt forma *conj.* 3. *Arab.* quæ infert *actionem inter duos*; ac proinde משפטי rectius adhuc dederis, *in jus eunti mecum.* Hoc dicit Noſter, *Tantum apud me Dei Numen*, *ut ſi deſcendens de ſupremo Majeſtatis ſolio*, *mecum diſceptare haud refugeret*, *atque in jus ire*, *ultro potius ſupplex ei acciderem*, *quam vel perfecte juſtus cum ipſo contenderem.* Opponit hunc interiorem animi ſui ſenſum injuſtis criminationibus Amicorum, quaſi *contumax* & *præfractus in Deum inſurgeret.* Pulchrum enimvero characterem pectoris, in medio dolorum ſævientium æſtu, *religioſiſſimum* Dei *timorem*, *amoremque*, ſpirantis.

Verſ. 16. Sponte jam ſpero reſolvetur nodus Gordius hujus verſiculi, quem ita ſecuit Cl. *Cler.* *Hæc non ſatis conſentire videntur cum antecedentibus*; *ſed ignoſcendum homini ſumma calamitate preſſo*, *& æſtuanti*, *ſi interdum ſibi omnino non conſtet*: *nec in hoc figurat*o

 Orien-

17 Quippe qui in turbine ardenti conterit me; & multiplicat vulnera mea gratis.

18 Non

17 אשר־בשערה ישופני והרבה פצעי חנם׃

18 לא־

Orientalium ſtylo quærendus adcuratus ſingulorum commatum nexus. Dura Criſis; quamvis non negem duram quoque eſſe expoſitionem quorundam, vel *diffidentiam & deſperationem* hinc *Jobo* impingentium; vel *negatam providentiam particularium.* Mitior interpretatio *Merceri*, *Belgarum* &c. *hæc dici ratione tremendæ Majeſtatis* Domini, *apud quam ſi ſibi cauſa ſit agenda, etſi clamans exaudiatur, tamen non credat præ tremore.* Molle quoque hoc *Cocceji. Etiamſi maxime copiam ſui faciat, tamen non habeo, cur credam, eum locum daturum verbis meis. Liber enim eſt, & poteſt facere cum* ὑποδίκοις *ſuis, quod vult.* Diluta ſunt, quæ, his ſepoſitis, conatus eſt *Schmid. Etiamſi antea me exaudiverit, quum clamarem ad ipſum; non tamen credo quod nunc, ſi pertinacius cum eo litigem, aures ſit præbiturus voci meæ.* Quid hoc ad rem? & quid ad hoc verbis opus? Si ad *vſ. præc.* non titubavi, firmo talo ſtabit ſenſus inſignis, quem miniſtrat uſus judicialis verborum קרא *vocare*, & ענה *reſpondere*, *cap.* 5: 1. *Si in jus vocarem*, ut Actor, *& reſponderet mihi* compellatus, ſeque ſiſteret; *haud crederem, quod aurem præbuiſſet voci meæ.* Habes aptiſſimam cum proximis copulam, animique infinita Dei reverentia pleni novam declarationem. לא אאמין *Haud crederem*, præ immenſa me inter & Deum diſtantia; *neque* ullo pacto *id mihi poſſem perſuadere.* Ergo ſupplex potius Ei procumberem, quam ut pertinacius cum ipſo diſceptare vellem, etiamſi vel *perfectam* ac *nulla labe imminutam juſtitiam poſſiderem.*

Vſ. 17. Iterum nexus haud liquidus. *Merc.* hunc præbet: *ſane quam tremendus ſit, nunc ipſe in me intelligo, qui me tam vehementer adfligat &c.* Id a pleriſque receptum. *Coccejo* commodius viſum aſſumere conditionem, & metum futuræ ſeveritatis, *qui in turbine attereret me &c. ſi velit jure ſuo uti, & mecum contendere.* Sed præſens calamitas, tam ſignanter expreſſa, hinc abeſſe nequit. Melius procedere putat *Schmid. Jobum* fateri, ſe *vel ex præſenti adflictione ſua diſcere, & perſentiſcere, quod juſtitia ipſius imperfecta ſit, ac proinde coram Deo conſiſtere, cum eoque contendere nequiret.* Vereor ne nihil ad rem faciat: nam hoc ex calamitatibus ſuis Noſtrum collegiſſe, nuſquam indicavit, niſi quod *Cap.* 42. ille ſenſus tandem emergat. Si iſta meditatione ſeſe armaſſet, nunquam ne tantillum quidem de gradu dimotus fuiſſet; atque patientiam non invictam tantum, ſed & inconcuſſam præſtitiſſet. Propius ferit, quod idem *Vir Doct.* ex vocula חנם deinceps exſculpſit, per *ultro* eam convertens, i. e. *non laceſſitus*; quaſi dicat: *ſi a Deo non laceſſito, non provocato, tam graviter adfligar; quid non paterer, ſi eum in jus trahere, atque laceſſere auderem?* Recidimus ſic ad priorem interpretationem, paulo accommodatiorem adhuc ſeriei, & adfectui loquentis; quamvis *Mercerum* hoc ipſum quoque in animo habuiſſe, exiſtimarem. In hunc ſenſum parum refert particulamne אשר reddas, *quia* cum *Piſc. Belg. &c.* an *relative* ad *Deum*, *qui &c.* niſi quod poſterius ἐμφατικώτερον ad perſonæ tantæ Majeſtatem: quaſi dicat, *Non crederem aurem præbuiſſe voci meæ eum, qui me conterit in turbine ardente &c.* חנם *gratis:* i. e. *immerito*; ea amplitudine, quam *Cap.* 2: 3. habuimus. Incipit jam noſter ſenſim enudare, quod audaciore niſu deinceps evincere molietur, *ſe, quia Deo par haud ſit, etiam in optima cauſa ſuccumbere, atque inſontiſſimum ſontem*, ut ſic dicam, *conſtitui per Divinæ Majeſtatis Eminentiam, adverſus quam oculos attollere nemo auſit, nemo poſſit, nemo debeat, ad juſtitiam ſuam defendendam; etiamſi non tantum, ut inter mortales, juſti nomen imperfectius, ſed etiam perfectiſſime citra ullam maculam, labemve, impleret.* Ne ſubtilius, quod *Jobus* orditur, filum vel rumpamus, vel intricemus, velim *Perpetuum ejus ſcopum* ex oculis haud dimitti, *ſe neutiquam* eſſe *nec Hypocritam*, nec *improbum*, *quantumvis graviſſimis* Dei *plagis confractus jaceat.* Ad hoc obtinendum *Vſ.* 2. dixerat, *Quid juſtus eſſet homo cum El, Deo ſupremo?* ut *ibid.* enucleatum; quæ huc tranſſumenda. Eundem

in

in finem repetebat *Vſ.* 15. *qui etiamſi juſtus eſſem* in omnibus, perfectione ſuis numeris abſoluta, *non reſponderem*; *ſed diſceptanti mecum Numini ſupplex procidcrem.* Quare? quia *Terribilis Deo Majeſtas, qui ſi compellatus, in judiciumque vocatus reſpondere dignaretur, mihi ipſi haud crederem; immo procella ſubita pro audaci nimis, ac contumaci, me involvendum, & conterendum fore, metuerem ab eo, qui me gratis, ac nihil tale vel expectantem, vel commeritum, diriſſimo hocce irarum cœleſtium turbine implicuit, atque etiamnum graviſſimis vulneribus configere ac conficere haud ceſſat.* Elucet, ni fallor, profundior viri mens, & enixior conatus, *ad Innocentiam ſuam obtinendam adverſus Dei judicia*, ipſi non *ex meritis*, ut tendebant Amici, ſed *immeritiſſimo* inflicta; *Judicia* quæ ſibi impoſita contendit noſter non a *Judice*, ad normam legis agente, ſed a *Domino abſolutiſſimo*, a cujus nutu, ac numine independente, quicquid eſt creaturarum dependeat. Cave *Deſpotiſmum* introduci putes, cæca ratione agentem. Cave etiam *Futuri ſeculi ſortem* huic diſputationi admiſceas. Utrique cautioni fundum præbet ſolidiſſimum *Cap.* 13: 15,16. ut *Ibid.* demonſtrabitur. Summa huc tandem rediret, *ſi Deus Jure Domini Eminentis uti velit, vel innocentiſſimos nihil habere, quod conquerantur, aut contendant, cum Tanto Numine, ipſos tractante pro ſuo arbitrio. Neutiquam tamen inde conſequi, eos eſſe nocentes, & improbos, quum Deo jus competat etiam probos juſtoſque adfligendi, gravibuſque ærumnis exercendi. Temere ergo ab Amicis miſero Amico improbitatis crimen impactum, non alio argumento, quam quod in triſtiſſimam miſeriam ex florentiſſimis rebus decidiſſet. Temere quoque ipſi objectum, quaſi contumacem cum Deo contentionem ſuſcepiſſet, cui quum Tantus ſit, tantque immenſus, contradici utique ab homine nequeat, nedum obmurmurari & obſtrepi fas ſit. Hoc ſe nec feciſſe, nec facturum, nunc declarat: neutiquam tamen conceſſurum, ſe improbitatis & Hypocriſeos convictum teneri, atque meritas criminum pœnas dare juſtiſſimo Judici, nunquam immerentem, ut contendebant Amici, adfligenti.* Habes *Cardinem* ipſum *Controverſiæ*. Sentis quoque quid tam *animoſum* reddiderit Noſtrum, ad *Innocentiam ſuam* mordicus defenſandam. Denique agnoſcis non *ex contumacia* in Deum tam fortia & libera verba adhibuiſſe Virum Religioſiſſimum, ſed *ex Zelo nimis acri, ad improbitatis maculam a pectore probitatis pleno depellendam.* Confer poſtremam notam ad *Cap.* 4: 17.

Ibid. Rejicula eſt *Chaldæi* ſubtilitas in priore membro reddentis, *Qui uſque ad filamenta pilorum mecum examen inſtituit.* שערה *Pilum* quidem *Cap.* 4: 15. & alibi ſignat; ſed hic tenenda haud dubie vis *procellæ*, ut *Nah.* 1: 3. Vide etiam *Job.* 27: 21. & *Pſ.* 50: 3. Alias סערה. *Origo* adfert *ardorem æſtuantem.* In verbo ישופני non probem quoque acumen *Schmidii*, qui hic comminiſcitur *procellam grandine gravem, per quam omnia conterantur*; quod alias שוף *contrivit* parum quadraret ad turbinem. Remotius adhuc, quod addat, *forte reſpici ad ulcera Jobi, quæ multa & tumentia habuerit in corpore, quaſi grandinato.* Radix שוף eſt ex rarioribus, quippe ternis tantum locis proſtans. Ejus notio nonnihil fluctuat. Hic, & in nobili Vaticinio *Gen.* 3: 15. a pleriſque redditur *comminuere, conterere, contundere.* At *Pſ.* 139: 11. *obſcurare, abſcondere.* Eſt qui ex hoc contextu elicuerit *formalem* notionem, *depreſſum tenere in tenebris*; quam tribus contextibus aptam autumat. Scrupulos obmovit Cl. *Guſſ.* ſub verbo שוף, ideam *graviſſime lædendi* ipſe formans; quam non video cur *comminuendi* poteſtati anteferamus, ne quidem *Pſ.* 139: 11. Cl. *Cocc.* certe ibi reddere non dubitavit, *tenebræ comminuent me.* In *Lexico* tamen aliam movet conjecturam, verbum שאף *anhelare*, itemque *haurire, ſorbere*, jubens conferri. In *Dialecto Arabum* سوف & ساف *med. Vaw* & *Eliph* alternas ſibi præſtare, ad vim graviſſimam *mali lethalis, quo quid ſubito involvitur & perimitur, tanquam a Venatore ex inſidiis captante*, patet ex iis quæ ad *Cap.* 5: 5. verſus finem produxi. Adde *Amoſ.* 2: 7. & 8: 4. *Eſech.* 36: 3. &c. &c. Inde illuſtri Oraculo *Geneſeos* lux accederet haud pœnitenda. Idem de noſtro contextu adfirmare licet; ubi ſic exiſteret imago *Dei Jobum in turbine venantis, & clade interneciva perimentis.* Ampliare tamen nunc malim: atque omnia mihi integra ſervare ad *Originum opus*, in quo huic Themati peculiare Caput aſſignavi.

Vſ. 1

18 Non dat mihi reducere ſpiritum meum: quoniam exſaturat me amaritudinibus.

19 Si viribus experiri velim; prævalidus ecce: & ſi jure; quis dabit condictum mihi?

20 Si juſtus ero, os me meum condemnabit: integer ego, & perverſum me arguet.

21 In-

18 לא־יתנני השב רוחי כי ישבעני ממררים:

19 אם־לכח אמיץ הנה ואם־למשפט מי יועידני:

20 אם־אצדק פי ירשיעני תם אני ויעקשני:

21 תם

Vſ. 18. Continuatur gravitas intoleranda malorum, quibus hac ſub procella Deus indeſinenter in immerentem deſæviebat. Nihil non planum: niſi quod השב רוח *reducere ſpiritum*, aliis ſit ſimpliciter *reſpirare*, ut *Mercero*, *Piſcatori*, *Belgis &c.* idem cum *glutire ſalivam Cap.* 7: 19. aliis *colligere animum*, & *ad ſe redire:* ut *Luth. Jun. Schmid.* Difficilis optio. Utrumque ex æquo admittit Lingua. Utrumque etiam hic ita aptum, ut neutrum videam poſſe ſeponi. Hoc genus in ſtilo orientis eximium, & commendatiſſimum. In vocabulo ממרורים ineſſe creditur *Dageſh forte Euphonicum*, להפארת הקריאה *ad ornatum pronunciationis*, quum ſit forma מַכְאוֹב monente *Mercero*. In eo nihil abſoni. Magna tamen me tenet ſuſpicio, nullum *Dageſh*, *Euphoniæ* cauſa eſſe inſertum, ſed omnia illa habere certam rationem, in *conjugatione*, unde aliquid derivatum eſt, fundatam. Ita מִקְדָּשׁ non videtur eſſe ſimplex מִקְדָשׁ ex *kal*, ſed ex מִנְקְדָּשׁ oriundum. Similiter forma מַמְרוֹר eſt ſimplex, at מִמְּרוֹר eſſet auctior ex *Niphal*, pro מִנְמְרוֹר *amaritudo amarulentiſſima.* Ulterius in hæc non excurro.

Verſ. 19. Duas rationes ſubnectit Noſter, ob quas etiam in optima cauſa *contendere* nolit *cum Deo*. Prima eſt, quod ſit *viribus prævalidus*, qui omnem Adverſarium, ſi forte reſiſtere conetur, ſuomet ipſius niſu frangat atque elidat; haud ſecus atque *teſtam* quæ *Rupi* renitatur. Altera, quod *nec detur Judex*, qui *cauſam Creaturæ* adverſus *Creatorem diſceptare auſit*, *nec dari ullo pacto poſſit.* Aliquid tamen nodi in מי יועידני, quod *Mercero* eſt, *Quis ſiſtet me coram illo*, *ut apud Eum jus meum tueri queam? Nemo ſane*, *tam formidanda ejus præſentia.* Hinc non multum differt *Schmid.* dans, *Quis patronus meus erit?* Magis ad rem *Coccejus*, *Quis condicet mihi? Communis judex*, ſcilicet, & *Arbiter* futurus. *Judex* enim *condicit*, *& partibus facit ἄδειαν*, *ne alter alterum neceſſe habeat metuere.* Hoc intendi, evidentiſſimum ex *vſ.* 32, 33. Commodius tamen in hunc ſenſum fuiſſet, מי יועידנו *Quis condicet Ei?* vel potius, *Quis dicto die citabit Eum?* An hoc innuens Noſter, ne *Reum* videretur facere Numen, ſtilum vertit, flexuque modeſtiore poſuit, *Quis citabit me?* ſic ad תם *correctionem ſcribarum* & hic locus eſſet revocandus. Habeo adhuc aliud, ex *Jer.* 49: 19 & 50: 44. ubi Deus introducitur, *Quis eſt ſicut Ego*, inquiens, *&* מי יועידני *Quis diem dicet mihi? citabit me?* Hinc ſub *Proſopopœia* exiſteret, *Et ſi ad judicium?* Is eſt, qui dicat, *Quis citabit me?* Acquieſcere tamen poſſum in ſtructura Cl. *Cocc. Quis dabit mihi* מועד *condictum locum*, *diemque Judicii*: qui *partibus litigantibus* videlicet *aſſignari* ſolet a Judice. Sic iterum honoris cauſa ſuppreſſum Dei, ut partis adverſæ, nomen. Plena oratio fuiſſet, *Quis mihi citabit illum quicum litigare vellem?*

Verſ. 20. Tam ſubtilis eſt hæc *Jobi* diſputatio, ſimulque tam ſublimis, ut ſi quid titubetur, aut cæcutiatur, venia paratiſſima eſſe de-

21 תם אני לא־ארע נפשי אמאס
חיי׃

22 אחת־

21 Integer ego; & *tamen* meam ipſius animam haud agnoſco: reprobo vitam meam.

22 Sin-

debeat. Maximi interpretes hæc exponunt *de defectu Juſtitiæ humanæ quæ Numini ſanctiſſimo per omnia placere ac ſatisfacere* haud poſſit. In hunc ſenſum אם אצדק aliis eſt, *ſi juſtificavero me*; aliis, *ſi juſtus fuero*. Quaſi fateretur *Jobus*, *pietatem & integritatem cui hactenus ſtuduiſſet, in judicio divino conſiſtere non poſſe, nec propriam conſcientiam tranquillare.* Verba habes Cl. *Schmidii* non nimis commoda; quamvis *Viri Docti* mens haud dubie recta; eademque, quæ *Cocceji*, nervoſe notantis, *Nobilis locus, clariſſime oſtendens neminem ex lege juſtificari, & nullius, ſecundum illam, perfectam eſſe obedientiam.* Doctrinam ambabus ulnis amplector: ſed magnopere dubitem id nunc denuo agere voluiſſe noſtrum, quod de plano peractum, deciſumque erat *Vſ.* 3. hujus *Cap.* Celſius aliquid, animoſiuſque, hæc animoſiſſima ſeries depoſcere videtur, ad quod mihi viam præmunit explicatio ad *Vſ.* 15. propoſita. Illa audacior hypotheſis hic reſumitur, & adſtringitur. *Si* vel perfecte *juſtus eſſem, os meum condemnaret me: integer ſim Ego; ſane perverſum faceret me.* Arcem controverſiæ invadit, atque Amicos ex præſidio validiſſimo cauſæ ipſorum depellit. *Mene tam amentem* inquit, *cenſetis, ut cum Deo, cui infinita Majeſtas, in contentionem, litemque, deſcendere ſuſtineam? Major eſt Adverſarius ille, quam ut oculi adverſus eum attollantur; nedum ut gradus cum ipſo conferatur. Etiamſi perfectiſſimam Juſtitiam obtinerem, nollem tanto Numini, me durius forte tractanti, reſponſare.* Vſ. 15. *mallem ſupplex ad genua diſceptantis mecum advolvi; ejuſque gratiam implorare &c. &c. &c. Quin in tantum me immenſitate Numinis præumbrari, ac prægravari, perſentiſco, ut ſi vel perfecte juſtus cum ipſo litigare vellem, meummet os me damnaturum eſſet; atque cum maxime integer, ab eodem ore meo perverſus pronunciarer.* Habes ſenſum, quo altius ſcandi nequit, hoc in genere: quem in animo, tantos fluctus volvente, exortum fuiſſe, nil mirum. Nihil in eo, quod offendere poſſit; exhibet potius aliquid *Deo* digniſſimum. Tantum, revera, tamque immenſum Deo ineſt Pondus Majeſtatis, ut *ſi vel Angelus cum ipſo congredi, ac contendere vellet, ſuomet ore condemnatus diſcedere cogeretur.* Hoc *Jobo* inculcatum fuerat *Cap.* 4: 18. ad eamque anſam, hanc audaciſſimam *Hypotheſin* aſſumſiſſe videtur. In verbis jam nulla caligo. אם אצדק *ſi juſtus fuero*, (Secundum *verbi* illius *rigorem intenſiſſimum.*) פי ירשיעני *Meum ipſius os me pronunciabit improbum*; i. e. *ſontem, noxium, damnabilem, coram infinita illa Sanctitate, quæ in ipſis Angelis deprendit* תהלה *ceſſationem in officio.* Cave ſententiam ſanam corrumpas; argutius philoſophando. Sequens תם אני κοινοῦ ἀπὸ adſciſcere poteſt אם *ſi integer fuero:* poteſt quoque ſine eo, *integer ſim*, ſat commode converti; iterum in omni amplitudine *integritatis*, & *innocentiæ.* Poſtremum ויעקשני adſcito אם, habebit *Vaw redundans*; vel potius *Emphaticum*, per *ſane, profecto*, exprimendum. Sine eo, *copulandi vim* poterit retinere, paulo intenſiorem, ut ſit, *& tamen perverſum me faciet*; nempe *Meum ipſius os*, quod & concinnius putem, & fortius, quam ſi ſuppleas *ipſum Deum.*

Ibid. Quod ſi forte tenſa nimis videatur chorda hæc, eam laxare licebit in mitiorem ſenſum: ut de *præſenti* ſua *conditione* loquatur Noſter, *Si juſtus ſim* in hac cauſa, quæ mihi cum Deo nunc intercedit, *ut revera ſum*, immerito videlicet adflictus; *os meum me condemnaret, eo ipſo quod illud adverſus infinitam Majeſtatem aperire ſuſtinerem: & cum maxime integrum, idem me os, eandem ob cauſam, perverſum eſſe declararet.* Hoc voluiſſe videtur *Mercerus*; nec a filo orationis alienum eſt: etſi prius illud nervoſius ſit, hocce remiſſius, tanquam neceſſariam ſequelam, ſub ſe complectens.

Vſ. 21. Magnam ambiguitatem hic agnoſcit *Merc.* varios variorum conatus recenſens; quibus haud immorabor. Ipſius mens ſic habet. *Si, inquam, juſtus ſim, neſciam animam*

 meam,

22 Singulare enimvero id! quapropter dico, integrum improbumque ipſe conſumens.

22 אחת־היא על־כן אמרתי תם ורשע הוא מכלה׃

23 Pro-

23 אם־

meam, me ipſum ignorabo, ac velut apud me non ero, mentis minus compos, præ timore majeſtatis ejus; atque adeo averſabor vitam meam, ejuſque me tædebit, præ concepto illius metu. In notis meminerunt *Doctiſſ. Belgæ:* qui tamen maluere, *ſi juſtus ſim non noſco*, non æſtimo, non curo *animam meam*, i. e. *vitam meam*; *ſed potius eam ſperno*, propter calamitates mihi immiſſas. Obſcuriuſcule *Cocc.* hic ponit quintam rationem, ob quam contendere cum Deo nolit *Jobus*, deſumtam *ab inutilitate ſinceræ pœnitentiæ in illo judicio, ad fructum hujus vitæ.* Duplicem conſpectum deinde aperit. *Primum* hunc; *Mea integritas, quæ imperfecta eſt, mihi non proderit ad merendum quicquam boni, quod mihi hanc vitam jucundam faciat.* Dein *alterum* illum; *Etiamſi perfectam Juſtitiam, quod impoſſibile eſt, haberem, nihil tamen promererer, quo vita mihi edulcetur.* Alia adhuc ſubjunxit ὁ πάνυ, in ſe bona, ſed huic ſedi minus accommoda. Placet interim, quod hic requiri ſenſerit *hypotheſin* impoſſibilem, *de perfecta, & ad normam legis exacta, integritate.* Ea uſus fui ad verſum præcedentem rite conſtituendum. Eadem & hic continuata, talem funderet ſenſum; *vel Juſtus ſi ſim*, cum Deo me Majeſtatis ſuæ pondere obruturo litem ſuſcipiens, *non agnoſcam animam meam*; *reprobabo vitam meam.* Hoc eſt, *Etiamſi plane integer, & nullius labis conſcius mihi forem, tamen iſta præclara conſcientia non poſſet adverſus infinitum Jubar Eminentiæ & Majeſtatis Divinæ me ſuſtinere; ſed quantumvis mihi ipſi notus, meam ipſius animam ignorare cogerer; & vitam cum virtute & Juſtitia actam reprobare, condemnare, aſpernari.* Sentis adfectum eundem, quo *Vſ.* 20. inflammata erat oratio, & quidem fervidius adhuc flagrantem, unde novum mox impetum reſumet Noſter ad *Cauſam Innocentiæ ſuæ*, non contendendo, ſed conquerendo, adverſus Deum propugnandam.

Ibid. Si & hic remiſſius quid requiratur, en alium conſpectum cum nexu æque conjunctum. *Enimvero integer ſum; & tamen cum hac præclariſſima mea conſcientia memet ipſum, meamque ipſius animam, ignorare cogor; vitamque meam, probitate & religione ſinceriſſima tranſactam, averſari, ac quaſi reprobare.* Talia dicta ex *Jobi* ore non potuerunt non exire, poſtquam ſemel fervori ſuo ſe permiſiſſet; quod non attendens Cl. *Schmid.* ſæpe pro *vehementi*, *placidiſſimum*, & *ſedatiſſimum* Noſtro attribuit *ſermonem*. Illius commatis eſt, quod hinc exſculpat *confeſſionem* qua diceret *Jobus*, *ſi integer eſſe voluero, fiet, ut non agnoſcam animam meam, probemve tanquam integram: ſed contra vitam meam, tanquam nimis imperfecte ſanctam abominabor.* Recte monet, *Non agnoſco animam meam*, nihil aliud eſſe *quam condemnationem & reprobationem ſui ipſius, & ſuæ vitæ:* ſed reliqua tepent; atque invita ſerie hic inſeruntur. Ni me omnia fallant, alterutrum ex iis, quæ propoſui, intendiſſe debuit commotiſſimum *Jobi* Pathos. Poſterius, citra *ſuppoſitionem*, prima fronte magis arridebit; ſed ſi altius penetretur, in *priori poſterius* quoque erit *incluſum*; quum ex illa *ſuppoſitione* argumentum ducatur *ad præſentem ſtatum, tanto magis obnoxium iiſdem conſequentiis, aliorumque ſiniſtris ſuſpicionibus, quanto imbecilla & ærumnoſa mortalitas abeſt a perfectiſſima, omnibuſque numeris abſoluta, integritate.* Summa ſummarum hæc eſto. *Immenſa Numinis Majeſtas vel perfectiſſime juſtum non pateretur ſecum contendere de juſtitia cauſæ; ſi forte immerentem durius tractare ei lubuiſſet: multo minus imperfecte juſtum, qualis ego: ſed an inde jam conſequitur me eſſe nocentem, criminoſum, improbum? tam parum profecto, quam ſi perfecte Juſtus eadem quæ nunc ſubire cogor Divinitus, ſubeunda haberem. Quicquid mihi malorum inflictum, ex Arbitrio, & Eminenti Dominio, Numinis mihi inflictum. Innocentiſſimus licet, adſligor ut nocens: quin imo, quod mihi omnibus hiſce acerbitatibus acerbius eſt, innocentiſſimus innocentiam meam defendere amplius nequeo; ſed cum optimo teſtimonio conſcientiæ, quod nunquam mihi extorqueri patiar, nocens eſſe cogor, atque vitam religioſiſſime actam ipſemet veluti condemnare; quandoquidem manu prævalida ſub hoc reatu, & judiciis*

Dei,

23 אם־שוט ימית פתאם למסת נקיים ילעג׃

23 Profecto flagellum necat temere: atque mulcationi innocentium illudit.

24 ארץ

24 Terra

Dei, & *Amicorum præjudiciis mihi injecto*, *conſtrictus teneor*; *atque ex his calamitatibus memet evolvere*, & *vindicare*, *non valeo*. Tragica eſt, & adfectuum plena comploratio; in qua quid modum excedat, haud difficulter dignoſcetur.

Verſ. 22. Huc diſputandi ardore evectus Noſter, dolori ſuo novos veluti ſtimulos ſubdit, & de *Dei Judiciis*, *eorumque* hoc in ſeculo *adminiſtratione*, ac *diſpenſatione*, verba proferre occipit nihil modeſtiæ ſervantia: quæ graviori adhuc colliſioni partium diffidentium anſam præbuerunt. Id ab omnibus interpretibus agnoſcitur; circa cohærentiam tantummodo variantibus: nec non circa formulam *una illa* אחת היא, abruptam valde, atque involutam. Plerique *Judæorum*, præeunte *Chaldæo*, accipiunt חרא מכילא היא *una menſura eſt* qua juſti, qua injuſti; eodem modo plagis divinis infeſtantur, ac conficiuntur, omnes, citra ullum diſcrimen. Receptum, tum ab aliis Noſtrorum, tum a Cl. *Cocc*. vertente, *perinde eſt*. Multa cum ellipſi *Merc*. *Unum eſt*, quod me male habet, *propterea dixi*, quæ dixi, & tam graviter conqueſtus ſum. Exiſtimat autem *Doctiſſ*. *Interpres*, *unum* aliquod hic tandem a *Jobo* enotari, *de quo ſibi cum Amicis non conveniret*; *quum cetera ita ſe habere*, *ut dixerant*, *ultro agnoſceret*. Hoc *Schmidii* calculo unice quadrat; niſi quod conciſius reddat, *unum eſt*, *propter quod locutus ſum*; antea nempe, quum de ſorte mea querelas fudi. Sic longus, languiduſque, inducitur hiatus; cui medentur *Belgæ*, præcedenti verſui huncce innectendo; *unum hoc eſt*, quod concoquere nequeam, *me vitam meam ſpernere debere* propter adflictiones acerbiſſimas, *quantumvis integer ſim & innocens*. Perplacet; iiſque veſtigiis inſiſtens obſervabam olim, אחת احدي ex *Arabiſmo* poſſe accipi de *Re miranda* & *inuſitata*; in malum. *Camuſus*, يقال للامر المتفاقم احدي الاحد واتي باحدي الاحد اي بالامر المنكر العظيم *Dicitur de re gravi*, *unica unici*; *itemque*, *intulit unicam unici*, *i. e. rem iniquam & moleſtam*: Apud *Harir*. *conſ*. 29.

احدي الكبر وام العبر

Unica gravium rerum, & *mater exemplorum*, pro *atroci caſu*. Adde *Timur*. *p*. 3. *Tebrizius* ad *Hamaſa* laudat ex *Bochterio*.

واجشمته وبيت الله احدي
المنكرات ۞

Et impoſui ei, *Ædepol*, *unicam monſtroſorum caſuum*.

Eadem *Emphaſis* elucet *Eſech*. 7: 5. *Malum*, *unicum mali ecce venit*. אחת רעה præfert *ſtatum regiminis*, & fortius ſonat, quam *unicum malum*. Ad eam rationem nunc אחת היא *unicum hoc*, tantundem valere poteſt ac, *Hoc ipſum enimvero grave*, & *multo moleſtiſſimum*, *cui neſcio quid nominis imponam*; *utpote rei plane ſingulari*, & *incredibili*; *quod cum ſumma innocentia*, *contra meam ipſius conſcientiam*, *nocens eſſe adigar*, *meamque ipſe animam ignorare*, *ut quid ſim*, *plane neſciam*: *utique non poſſum non hoc conſectarium inde elicere*, *æque* אחת, *unicum*, *durum*, *dirum*; *integrum & improbum ipſe conſumens eſt*. *Atque diſcrimen virtutis & vitii*, *Religionis & profanitatis*, *ſuſtuliſſe videtur*.

Verſ. 23. Fluctuant interpretationes. Multi cum *Hieron*. *ſi flagellat*, *occidat ſemel*; & *non de pœnis innocentum rideat*. Hoc variis modis expoſitum dabit de *Pineda*, merito ſepoſitum a *Mercero*, qui habet, *ſi flagellum interimat repente*, *ad tentationem innocentum ridet* Deus; h. e. *ſi quando flagella & calami-*

 tates

tates immittat hominibus, *videtur ridere*, *quum probi ſimul improbique iiſdem malis involvuntur* ; *idque haud curat.* Monet alios malle cum admiratione, *itane ſimul innocentum afflictionem ridet* ! Tentat Cl. *Clericus*, *ſi flagellum ſubito interficit*, *explorationem innocentium* quivis *ridebit.* Quaſi diceret *Jobus*, *quoſvis riſuros id quod dicitur de probatione bonorum* ; *ſi flagello divino æque boni tollantur quam mali : quum non probatio ſit*, *ſed pœna*, *ſi extinguantur.* Hæc parum concinna, tum in ſe, tum ad ſeriem. Cl. *Cocc.* hinc cum *Tigurinis* elicit, *Felicius nonnunquam impios*, *quam pios*, *perire*, ſecundum illud *Pſ.* 74: 4. &c. Laudat in hunc ſenſum interpunctionem *Deodati*, *ſi flagrum* eſt, *interimit ſubito* h. e. *impii ſubita plaga*, *quam vix ſentiunt*, *tolluntur* ; *ſed innocentes poſt multas ærumnas & tentationes demum e vita ſolvunt.* Tale quid argutius adhuc captatum a quibuſdam *Hebræorum*, qui ילעג *ſubſannat* ad *impium* retulere, *ut flagello impium cito tollente*, *is tentationem innocentum deridere*, *& ſubſannare* dicatur, *tanquam longius protractam*, & *lentis ictibus conſumentem.* Ab his omnibus diſſentit *Schmid.* exiſtimans hic *exceptionem occupari*, qua Amici inferre poſſent, *Deum impios ſubito & in ira perimere*, *at fideles & pios moderate caſtigare :* quaſi ſic occurreret Noſter. *Concedo flagellum pœnæ impiis incuſſum ſubito eos extinguere* ; *ſed non levior eſt innocentium tentatio caſtigatoria*, *qua Deus ita eos tractat ſub cruce*, atque ita ſuſpenſos relinquit, *quaſi illos tantum irrideret. &c. &c.* Omnes hi fluctus præſtantium ingeniorum ad firmiorem ancoram quærendam me compulerunt. Ex iis quæ in medium contuli, adfectui loquentis maxime congruit ſenſus *Cocceji* ; ſed obſtant nonnulla. 1. שוט *flagellum*, omnino deſignat *gravem aliquam calamitatem*, *ad terrorem & exemplum* veluti *incuſſam.* Jam vero *ſubito mori*, *ſine nodis*, *ſine doloribus*, ut pro beneficio imputatur *Pſ.* 73: 4. ita non poteſt appellari *flagrum* in impios *deſæviens.* 2. Non video quo jure prius membrum *ad impios* reſtringatur, quum *generatim* ſit poſitum. 3. פתאם hic *terrorem* non *minuere* debet, ſed potius *intendere.* Omnia hæc cogere videntur, ut *partic.* אם cum *aſſeveratione* accipiamus, quam crebro jam habuimus; in hunc modum. *Profecto flagellum perimit necopinato*, vel *temere : ad tentationem innocentum ridet* ; eam *jocum* ac *riſum autumat* ; ei *cum ludibrio* quaſi *inſultat.* Brevis enucleatio intimum cum præc. *Vſ.* nexum patefaciet. שוט *flagellum*, eſt *dirum* aliquod *malum*, *inflictum* a Deo *ad terrorem.* Vis & Origo figuræ modo inſinuata. Illud *flagellum* ימית *enecat*, *trucidat*, *male perdit* פתאם *temere*, ut *Prov.* 7: 22. vel *necopinato*, *de improviſo* ; ut *Job.* 22: 10. & *Prov.* 6: 5. in omnes videlicet promiſcue graſſans ac ſæviens ; non tantum malos, verum & bonos ; quin imo in bonos vel maxime, & lubentiſſime, *in quorum plagis ſibi placere* videatur ; in quorumque exitio rideat, ac veluti triumphet. Nihil vehementius hoc in genere cogitari poteſt ; quod ex *Jobi* ore exiiſſe non dubitandum ; quum æſtus hicce magis magiſque inardeſcere, & unda alia mox aliam turbulentiorem poſt ſe trahere debeat. Opportune ſuccurrit *Hieronymi* ὑποβολιμαίᾳ animadverſio, *nihil aſperius toto hoc libro dictum eſſe a Jobo :* quod tamen non nimis preſſe ſumendum, quum & *alia non minus aſpera* deinceps ſint occurſura.

Ibid. Verbum ילעג *irridet*, *ſubſannat*, *cum deriſione inſultat*, graviſſimum Pathos prodit, præſertim ſi, quod feci, conſtruatur cum שוט *Flagro*, non autem directe ad *Deum* referatur. Scio *Prov.* 1: 25. extare אלעג *ſubſannabo*, *quum veniet pavor veſter.* Sed cum ſublimius, tum rotundius exibit, ſi nectamus שוט ילעג, *Flagrum ſubſannat*, continuata ſtructura cum ימית *trucidat.* Cl *Schmid.* aliquid ſentiens incommodi in aliorum conſtructione, qua prius ימית *Flagro* datur ; poſterius ילעג *Deo* ; periodum rotundari poſſe putabat per *Ellipſin* τοῦ ב utroque verbo ad *Deum* relato, *ſi per flagellum occidit* Deus *ſubito*, *ridet tentationem innocentum.* Id meo judicio adhuc minus teres. *Flagellum inſultans*, & *ſubſannans* habet cothurnum huic libro unice aptum.

Ibid. Vox מסה derivari poteſt vel a נסה, ut ſit *tentatio* ; vel a מסס, quorſum reſpexit *Perizolides*, argutiuſcule huc trahens מס *tributum* pro *pœna.* Magis arrideret *Chaldæi* opinio, ab eadem radice reddentis מתמסמסין

quum

24 ארץ נתנה ביד־־רשע פני־־
שפטיה יכסה אם־־לא אפו מי־־
הוא :

25 וימי

24 Terra tradita eſt in manum improbi; facies judicum ejus obvelat: ſi non ita, ubi heic aut quis ille?

25 Etiam

quum liquefiunt, & *contabeſcunt* innocentes; ſcilicet *ſævo ſub flagello*. Inde conjectura mihi mota *mulcationis liquefacientis* ſive *lento* æque ac *violento ictu abſumentis*. Ei adhuc plus tribuendum cenſerem, ſi verbum לעג hic eam exereret vim, quam *Arabes* frequentant ſub ſuo لعج *dolore adfecit* ictus. Hinc السوط يلعج الجلد. אלשוט ילעג אלגלד *Flagellum urit cutim*. Radix proprie deſignat *vibrantem nictationem*, ut *fulminis*, *flammæ*, *oculi*, *linguæ*, *flagri dextrorſum ac ſiniſtrorſum moti*, *aut incuſſi*; nam in *Camuſo* exponitur per خلج, quod omnes hos ideas amplectitur. Habes eadem opera *Originem* altiuſcule retruſam *ſubſannandi* & *illudendi* in לעג, vel ab *oculo nictante*, vel a *labris cum lingua vibratis*, de qua alias curatius. Exiſteret hoc pacto *Figura ex Ancipiti*, qua *vibramen* utrumque, tum *Flagri concuſſi*, tum *Ludificationis* & *inſultationis*, in unam ſententiam concinne eſſet adſcitum. Hoc in ſinu Linguæ abditum, non potui non indicare: judicare ac finire non eſt meum.

Vſ. 24. Summa obſcuritas: quam ut perrumpere non potuerunt Doctiſſ. interp. ita mihi vertiginem quandam hic offundi haud diffitebor. Cardo potiſſimum vertitur in vocabulo רשע *Improbus*, quamvis & *Judices terræ*, in medio membro, quinam ſint, haud liquidum. Crudiſſimum 1. quod utrumque ipſi *Deo* accommodare conati ſint nonnulli, quaſi inferretur ex abſurdo; *ſi rideat* ſummum numen. *calamitates innocentum*, *tyrannico* & *cœco impetu terra adminiſtraretur potius* quam *juſtitia* & *ſapientia*. 2. Crudum quoque, quod alii *Satanam maloſque dæmones* hic inducant, quibus *traditum* ſit *imperium in terram*, ut ſævo ſub flagello miſeros mortales, atque inprimis probos, divexent. Aliquid tamen præſidii huic opinioni accedere poſſet ex *Cap*. 1. & 2. ubi *Satanas* introductus, *terras*, *ut ſuum regnum*, *perſultans*, *eaſdemque flagello terribili incurſans*. Has aliaſque ſententias reperies apud *de Pined*. 3. Doct. *Merc*. per רשע intelligit *improbos principes*, *quibus Deus hanc terram regundam permiſerit*; prout *judices* quoque *cæcos*, *ad ſcelera conniventes*, rebus humanis *præſidere ſinat*. Durum: nec ſatis cohærens. 4. Propius ad rem molliuſque, quod Cl. *Cocc*. cogitavit *de vita proborum poteſtati improborum tradita*. Sic *Judices terræ* eſſent *terram judicare digni*, homines pii, *legum*, *juſtitiæ*, *ordinis amantes*. Horum *facies operiri* diceretur, quod *triſtitia*, *mœrore*, *ignominia* adficiantur *ab improbis*. Simile quid, paulo aliter, tentatum a Cl. *Cler*. *Data improbis agrorum poſſeſſione*, *viros optimos*, *qui antea illic jus dicebant*, *rebus adverſis premi*. 5. *Bolducius* hic *Jobum* probare putat, *Deum nullam injuriam facere ſi adfligat innocentem*; quod exemplo vult confirmari alicujus *tyranni*, cui a Deo permittatur citra injuſtitiam, *imperium* & *vitam* aliorum *principum*, & *judicum terræ*, *rapere*. Hoc dormitare eſt, non commentari. Miſſis aliis adhuc conatibus 6. veniat *Schmidii* ſententia, qui hic invenit *vaſtationem terræ ob impios factam*, *quorum ruinæ ſimul pii implicentur*. Quaſi diceret noſter, *Enimvero terra traditur interitui propter improbos*, *qui ſuis ſceleribus efficiunt*, *ut Deus ne judicibus quidem terræ*, *nedum reliquis piis parcat*, *ſed omnes iiſdem calamitatibus involvat*. Talem ſenſum magno cothurno *Æſch*. 7. ad *Theb*. 603-615. extulit.

Φεῦ τοῦ ξυναλλάσσοντος ὄρνιθος βροτοῖς
Δίκαιον ἄνδρα τοῖσι δυσσεβεστέροις.

Phy alitem! qui conſociavit mortalibus
Virum juſtum, *cum injuſtioribus*.

Longior periodus, quam ut huc tranſſcribatur, θεοῦ μάστιγι παγκοίνῳ *Dei flagello communi* clauditur, *quo boni vectores civeſve*, *cum malis nautis ac civibus peſſime perire* dicuntur, *ſi in unam navim*, aut *civitatem cum iis coierint*. Non omnino male id ſederet heic loci, nec

25 Etiam dies mei leviores fuerunt præ mihi curſore: fugerunt, non viderunt bonum.

26 Præ-

25 וימי קלו מני־רץ ברחו לא־ ראו טובה :

26 חלפו

tamen optime quadrat. *Primo*, quia adhuc amplius quid nunc requiritur. *Secundo* quia coactum ארץ נתנה ביד רשע *terra data eſt in manum improbi*, reddere *tradita eſt propter improbum*, & longe aliud eſt quod ex *Cap.* 8: 4. citatur a *Schmidio*. Coactiſſimum *tertio*, יכסה referre ad *improbum*, ut is dicatur *faciem judicum terræ obvelare*, quatenus *in cauſa eſt*, *ut Deus ne judicibus quidem terræ parcat.* Tam torto tibicine fulta expoſitio, ſi forte ad tempus ſteterit, cadat neceſſe eſt.

Ibid. Videamus an aliquid concinnius erui queat, nonnulla leviter immutando. *Secunda*, quam propoſui, *interpretatio* mollior evadet, ſi per *improbum* quidem intelligamus *Satanam*; per *judices terræ* autem, *viros religioſos*, *rigidoſque ſatellites virtutis.* Sic *terra tradita in manum improbi*, pertinebit ad *graſſationes* & *vexationes Satanæ*, quibus cum reliquos mortales, tum præſertim veros Dei cultores *perdit*, *exterminat*, *extinguit*, cum *dedecore* etiam *publico.* Huc ſequens membrum ſe præbet, ut ille *improbus* dicatur *obvelare faciem judicum terræ*, quia *homines juſtos*, qui *improbitatem* omnem averſantur, notant, *damnant*, ipſe velut *capitis damnatos*, & *conſceleratos* tractat, eoſque *ignominia* & *confuſione obruit.* Nota in hanc mentem formula *Pſ.* 44: 17. Notus ritus *Eſt.* 7: 8. Apud *Græcos* & *Romanos* ſimiliter *caput obnubtum*, *obvolutum*, *velatum*, infert *damnationem*, *ſuppliciumque publicum.* Haud invenuſtus in periodo ſic tornata luſus, quum enim *Judicum terræ* ſit, *improbis caput obvolvere*, *eoſque dedecore publico mactare*; contra, *Improbus* hic induceretur *caput probis religioſiſque viris obnubens*, *eoſque exitu ignominioſo mulctans mactanſque.* Idem acumen habebis, ſi *quartam expoſitionem*, quæ *Cocceji* eſt, amplexeris; quam & huic noſtræ ſubordinare in proclivi eſt; nam quod *improborum natio* patrat, *improbitatis Auctori* merito aſſignatur: idemque *malitiam ſuam* non per ſe tantum, ſed & *per malos homines* exercet, expletque.

Ibid. Aliud adhuc omnem rudentem moventi occurrit; quod ſeriei aptius. Deſcribi ſuſpicor *felicitatem improborum in his terris*; itemque *proborum infelicem ſortem*. Hæc deinceps controverſiæ ſerra reciprocanda *Jobum* inter & *Amicos*; ut enim hi contenderant *improbos e terra eradicari*, idque pugnacius contendere pergent; ita Noſter contrarium plane ſtatuere incipit; atque ſcopo ſuo congruentiſſime nunc inculcat, *Improbos in terris florere*; *probos* vero *cum confuſione* & *ignominia exterminari.* Omnia hoc pacto limpide fluunt. *Terra data* Divinitus *in manum improbi*; ut *improbitas* in ea *late regnet.* Contra *Deus faciem judicum terræ obnubit*; quum *religionis* & *virtutis ſtudioſiſſimos*, qui *probitate* vitæ impios *confundunt*, & *condemnant*, immiſſis plagis cœleſtibus *confuſione* & *ignominia onerat*, eoſque *haud ſecus ac nocentes traduci* patitur. Sic *Jobus* quoque ſemet illis *Judicibus terræ* tacite aggregaret. Poſſent & *Judices terræ* quorum obvelata *facies*, referri ad *viros Principes*, quorum *occæcata Judicia*, quominus inter *juſtum* & *injuſtum* diſcernant: quo pacto Amici *Jobum* cæco ſtudio damnantes ut improbum, haud leviter pungerentur.

Ibid. Incommodius ultima explicuit *Merc.* *ſi non nunc*, ipſe Dominus eſt, qui hæc facit, *quis* tandem *eſt*, qui hæc faciat? Alii maluere, *ſi non* Deus eſt, qui hæc ita ordinarit, *ubinam*, & *quis ille*, horum Auctor? Ne hoc quidem ſat commodum. Cum *Ab. Eſra* aliiſque magiſtris *Cocc. ſi non* ita eſt; *ubi*, *quiſnam eſt*? qui probet non ita eſſe. *Schmid.* ſupplet אם יש אומר לא *ſi ſit qui dicat non* &c. eodem ſenſu. Ex collatione *Cap.* 24: 25. id veriſimile fieri poſſet. Vix tamen ſupplementa illa concoquo; & rectius conferes *Cap.* 4: 7. Submonitum ibi, vertendum videri, *ſi non* (*ſi ſecus*,) *ubi hic*, *quis ille*? *promatur exemplum*, *quo refutari poſſim.* Ejuſdem contextus inſpectio, explanationem totius verſiculi, quam exhibui, haud parum confirmabit; *Eliphazi* enim *theſin* invertit Noſter, atque verba ejus reſumens, pugnantem plane ſen-

26 חלפו עם־אניות אבה כנשר יטוש עלי־אכל׃

26 Prætermearunt cum navibus papyraceis: ut aquila involat in eſcam.

27 אם־

27 Si

ſententiam non minore fiducia tuendam ſuſcipit, ut ibidem inſinuatum.

Verſ. 25. Luctuoſiſſimo exemplo ſuo confirmatum it Noſter, quod *Vſ.* 22:23,24. poſuerat. Hic unicus nexus, in quo nonnihil variatur. Videlicet non jam, ut *Cap.* 7. *brevitatem* & *vanitatem vitæ humanæ* deplorat; ſed *leviſſimam*, & *tranſitoria* ac *fallaci ſpecie ludentem felicitatem ſuam* deſcribit; atque ita in ſe quoque comprobari oſtendit, *pietatem* in Deum, *innocentiamque* vitæ, haud eſſe exemtam *flagello:* ſed vel maxime *ignominioſiſſimis* & *acerbiſſimis* ejuſdem *verberibus ſubjacere.* Hoc adfectu dictum, *Dies mei leviores fuerunt præ mihi curſore* &c. Infra *Cap.* 21. *Impietatem* in his terris *longa* ac *perenni felicitate gaudere* arguens *Jobus*, *Vſ.* 13. dicit יבלו ימיהם בטוב *Dies ſuos terunt in bono*, *ad ultimam ſenectutem uſque* &c. Item *Vſ.* 23. *Hic*, Improbus, *moritur planiſſime intactus* malo, *totuſque liquidiſſime & defæcatiſſime tranquillus* &c. *At ille*, probus, *moritur cum anima amarulenta*, *& non comedit de bono.* Vix opus eſt verbum ultra addi, ad ſenſum enucleandum; & rectiſſime *Coccejus*, poſt *Belgas*, monuit *dies* hic ſignanter adhibitos, pro iis *in quibus quid læti accidit*, vel *ſaltem nil mali.* Nempe ut לילות *noctes* ſæpe *miſera tempora* denotant, ita *Dies* abſolute contrariam vim exercere poſſe liquet: fruſtra negante id Cl. *Schmid.* Haud officit, quod ſubdatur, *non viderunt bonum*; nam id valet, *non attulerunt ſenſum boni*, ut iterum ſolide *Cocc.* Latiore adſpectu *Merc.* notans *adflictionem præſentem* Jobi *effeciſſe*, *ut bonorum quibus antea cumulatus fuerat*, *oblivìſceretur*, *quaſi nihil unquam boni eſſet expertus.* Fateor *vim doloris illuc adigere* ſolere impatientiores: malim tamen preſſius illud, in quo ſuſpicor alluſum, ad vetuſtum haud dubie dictum, quod ex *Catecheſi primæva* inculcatum *Pſ.* 34: 13 & repetitum 1 *Pet.* 3: 10. *Quis amans dierum?* לראות טוב *videre bonum?* &c. Sic appoſitiſſime inferretur; *promittit* quidem *Revelatio Dies omni benedictione cumulatos*, *iis qui Religionem & virtutem ſinceram Deo præſtant*, *ſed contraria omnia experior*, *diebus meis citiſſime mihi elapſis*, *e quibus nihil ſolidæ felicitatis a me perceptum: quum nihil aliud mihi relinquant*, *quam maledictionis immeritæ amarulentiſſimas haſce fæces*; *quæ me cogant natalia quoque mea execrari.* Longiori deductione abſtineo. Verbulum tantum addo de comparatione cum רץ *Curſore.* Pro eo *Sapient. Cap.* 5: 7. habemus ὡς ἀγγελία παρατρέχουσα; quaſi reſpiceretur ad *curſorem pub. cum*, *aliquid læti*, *parum certi*, *vel ſaltem parum durabilis nunciantem*; *quod citius auferatur*, *quam adferatur.*

Verſ. 26. Quæ *tribus* in *Elementis* velociſſima, hic, admirabili cum Emphaſi, congeruntur. In *terris* nil pernicius *Curſore*, & quidem *læti* quid *ferente.* Rapidius tamen adhuc *undas non ſecant*, ſed *ſupervolant navigiola papyro contexta.* Omnium rapidiſſime *aërem* grandibus alis *permetitur Aquila*, *præcipiti lapſu ruens in prædam.* Iterum *Sapient.* 5: 10, 11. reperies amplificationem concinnam harum ſimilitudinum, non temere ſed ſummo cum delectu poſitarum: innuitur enim, ut *nulla veſtigia* remanent vel *navis per aquam*, vel *aquilæ per aërem lapſæ*; ita omnem *memoriam felicitatis* priſtinæ, *in animo miſeri*, *oblitteratam*, penituſque *deletam*; haud ſecus ac ſi nihil unquam boni obveniſſet.

Ibid. Obſcurum, in clara ſimilitudine, vocabulum אבה. A radice אבב, unde אב *viror*, *fructus recens*, nonnulli poſt *Chald.* & *Hieron.* dedere *Naves poma*, vel *fructus ferentes.* Alii ex איב exſculpſere *naves hoſtiles*, vel *prædatorias.* Utrumque alienum ab *Analogia.* Nonnulli *nomen proprium fluvii rapidiſſimi* ingeſſere; circa quod ſolens luxuriat *Bolducius.* In ſcriptis *Arabum* geminus fluvius ابي dictus enotatur, ſed huic ſedi haud commodus; quamvis illuc & Magn. *Boch.* inclinet *Hieroz. p.* 2. Ab אבה *deſideravit* plerique *Naves deſiderii*, quæ *Mercero* ſunt

por-

portum attingere quantocyus deſiderantes; at *Coccejo* οὐριοδρομοῦσαι *ſecundo vento lapſæ*; ex *voto* & *deſiderio* videlicet. *Schmid.* mavult *deſideratum nuncium afferentes.* Mitto geminum conatum *Lud. Capell.* in N. C. ad *Job.* itemque *Bocharti* alteram conjecturam, ad اب *accinxit ſe itineri* recurrentis, *Hier. p.* 2. *p.* 171. quaſi eſſent *Naves actuariæ, itineri accinctæ.* Ex omnibus hiſce palmam aufert apud me *Coccejus*; iſtiſque οὐριοδρομούσαις lumen & robur accedere forte poſſet, ex *Origine* verbi אבה, ſi ſatis conſtaret, ut ſuſpicor, eam in *prono impetu* ſitam fuiſſe. Haberemus ſic *Naves prono impetu, ſecundoque* tum *flumine*, tum *vento latas.* Proverbiale quid ſubeſſe ſat liquet. Jam *Græcis* οὐριοδρομεῖν, & κατ' οὖρον, ἐξ οὐρίας, in Proverbium quoque abiere, ſummamque ſignant celeritatem. Notabilis uſus *Æſch.* 7. ad *Theb.*

Ἴτω κατ' οὖρον κῦμα Κωκυτοῦ λαχὸν
Φοίβῳ στυγηθὲν πᾶν τὸ Λαΐου γένος.

Male pereat vento ſecundo Cocytum ſortiens
Genus univerſum Laji, Phœbo exoſum.

Nihil ergo æque locum noſtrum impleat; neque ſi vel *voluntatis*, & εὐδοκίας vim retineas, nimis durum dixerim, cum Cl. *Hiller. Hierophyt. part.* 2. p. 202. *voluntatem* tribuere *navibus vento actis.* Unice tamen placet, quod idem *Vir Doctiſſ.* nec non *Cl. Iken.* in *præf. Nov. Theſ.* felici conſenſione & indagarunt, & illuſtrarunt, *Naves arundineas*, vel *papyraceas* deſignari; quia *Arabibus* ابـاء *Ebe* ſonat *Arundines*; *Arundinetum*; *papyretum.* Jam *navibus arundine* vel *papyro Nilotica textis* nil velocius; ut a Duumviris illis copioſe comprobatum. Adi quoque *Comment.* Cel. *Vitr.* ad *Eſaj.* 18: 2. ibique enotatum Characterem *Ægypti, naviculis ſirpeis uti ſolitæ, ad nuncios quam celerrime expediendos.* An & illuc nunc alluſum, ut in *Curſore læta nunciante*? Certe non de *vita humana*, in *genere*, hic agi, ſed in *ſpecie*, de *fugaci* & *fallaci proſperitate*, quæ *in auras evanuerit*, filum noſtrum ſatis arguit. Non poſſum quin hac occaſione clariorem conſpectum iſtius vocabuli præbeam ex *Gjauhario.* الابـاء بـالمـد

والغنج القصب الواحدة اباءة
ويقال هو اجمة الحلفاء
والقصب خاصة قال كعب
بن مالك

من سره ضرب يرعبل بعضه بعضا
كمعمعة الاباء المحرق

Vox אבא cum *Medda, & phata notat arundinem collective; una autem arundo effertur* אבאה *Alii dicunt eſſe proprie ipſum arundinetum, ſive paludem ubi papyrus & arundo creſcant. Caabus ibn Malichi canit*

Quem delectat pugnator alius alium ſcindens,
Cum crepitu armorum, qualis arundineti incenſi eſt.

Sciendum interim *Gjauharium* in *Camuſo* reprehendi, quod vocem hanc ordinaverit ſub *rad.* אבה ابـي cum *tertiam radicalem Aleph* poſtulet *Medda.* Sed facilis reſponſio; quum ex *viciſſitudine quieſcentium literarum*, a *tertiis Jod* vel *Vaw* ſimiles *formæ* complures *producantur.* Iſtam diſcuſſionem amputo; in *Originibus* proſequendam.

Ibid. Silentio præterire non poſſum, ſingularem elegantiam verbi חָלַף hac in ſede. Ejus *Origo* adfert *ſucceſſionem continuatam*, ſive *continuum motum rerum ſibi per vices ſuccedentium, atque ita pertranſeuntium.* Applicatur ſpeciatim, apud *Arabes*, ad *viciſſitudinem dierum noctiumque*, & quidem *reſpectu temporis præteriti.* Eximie ergo dictum, *Dies mei* חלפו *pertranſierunt cum navibus arundineis; & quicquid mihi promiſerant læti, ſecum rapidiſſime avexerunt, triſti* tantum *deſiderio ſpei eluſæ* mihi *relicto.* Particulam עם *cum* adhiberi in *comparationibus* notum. Anſam habes *Pſ.* 143: 7. נמשלתי עם ירדי בור *Similis factus ſum cum deſcendentibus foveæ.* Cl. *Schmid.* arbitratur *majorem excellentiam* indicari,

27 אם־אמרי אשכחה שיחי אעזבה פני ואבליגה׃

28 יגרתי

27. Si dixero, obliviſcar querimoniam meam: miſſum faciam vultum meum, & renideſcam.

28 Per-

cari, quam מן *præ* alias conſignat. Sic עם foret *collationis* & *contentionis*, cum *prælatione*. Non placet probatio ex *Vſ*. 2. hujus *Cap*. adducta. Res tamen anquiri digna.

Ibid. Verbum טוש *volare* a Viris Doctis illuſtratum ex *Dial. Chald.* & *Syr.* ubi טוס ſcribitur. *Arabes* quoque veſtigium ſervarunt in phraſi ما ادري اين طوس به اي ذهب به *Neſc.o quorſum avexerit eum.* Proprie *avolarit cum eo.* Origo videtur latere ſub طاش *Agilis*, *levis fuit.* Hæc alias. *Aquila agili impetu involans in eſcam*, eſt pulchrum *Hieroglyphon incredibilis pernicitatis.* Confer *Cap.* 39: 29, 30.

Vſ. 27. 28. Non ſatis arcte cohæret, quod Cl. *Cocc.* dedit. *Si maxime facere poſſim, ut hæc mala lenius feram, atque ita triſtitiæ nuncium mittam, tamen per totam vitam hi dolores mei mihi injicient timorem* &c. &c. Olim exiſtimabam id velle noſtrum, *ſe quidem ſæpe numero impetum ſumere ad moerorem ſuum diſcutiendum, ſeque manui verberanti tum ſubmittendum patienter, tum permittendum fortiter, conſtanter, lubenter, animo vultuque ſerenatis: ſed mox novis plagis ingruentibus id ſibi propoſitum excuti & extorqueri.* Differt hic adſpectus a *Schmidii* illo, quod *præſentia mala* habeas, pro *futuris.* Mei eſſent *Belgæ*, *Tigurini*, *Vatablus*, *de Pined.* &c. Sed ne hoc quidem ſat preſſum ad ſeriem, cujus ductu *Merc.* recte monet, *Jobum hic indulſiſſe dolori eatenus, ut ſe inde liberandum non fore ſtatuat.* Id ei, ob longiſſime protractam calamitatem, altius tandem inhæſiſſe, nil mirum; quin dicere ſuſtineo, aliter fieri *nec potuiſſe*, pro imbecillitate carnis; *nec debuiſſe*, pro Dei ſapientiſſimis in hac *Tentatione* rationibus, quæ non fuiſſet *ſumma*, ſi *ſpe emergendi ſemet ſolari*, ac *ſuſtentare* valuiſſet. Ne quis hic *Scammata* mihi *tranſſiliat.* Non deſperat *Jobus* de *conditione animæ*, *cujus Redemtorem vivere* *ſciebat. Cap.* 19: ſed *de ſe actum*, & *conclamatum* pronunciat, ex adfectu conturbato, *hiſce in terris.* Scilicet, *identidem crudeſcente malorum impetu*, *ne minimam quidem ſpem ſibi ſupereſſe ex hoc gurgite cœnoſo* miſeriarum *eluctandi*, *ut antea* ubique ſatis *innuerat*, *mortem invocans*, *implorans que*, *ita diſertis* nunc *verbis* id ipſum *declarat*, atque *graviſſimis figuris*, quæ ſine illa hypotheſi nunquam intelligentur, *tragice expingit.* אם אמרי *Si dicere meum*, eſt *tropus*, pro *ſi dico*, niſi quod fortius ſit. Subaudiendum יש, *ſi ſit dicere*, i. e. ſi cogitare, ac ſperare *ſuſtinuerim*, fore, *ut obliviſcar hujus querelæ*, atque, mutata in melius fortuna, *horum malorum memoriam* ex animo *deleam.* Additur perpulchre, *Relinquam*, vel potius *miſſum faciam vultum meum.* Intelligeſis *vultum triſtem*; ut recte Viri Docti; *vultum nube mœroris gravem ac tetricum.* Hunc אעזבה *vadere ſinam quo velit*, & *procul a me ablegabo.* Id nonnunquam valet עזב. Conſonat grandi figura ואבליגה & *renideſcam*; vel tranſitive & *renidere faciam* illum meum vultum. *Poſt nubila tandem Phœbus* mihi reddetur. Vide *Orig. Hebr.* p. 44. ubi בלג ex بلج, atque hunc contextum claram in lucem vindicavi.

Ibid. Diverſiſſime ultimum Colon a *Vulg.* expreſſum; *Commuto faciem meam, & dolore torqueor.* Id *Hieron.* expoſuit, *præ doloris nimietate contraho* vultum, *& contriſtor; ſubitiſque dolorum aculeis ita vexor, ut rurſum amaritudinis & fellis verba depromam.* Rejiculum; nec tamen tam ineptum, quam prima fronte videtur. אעזבה פני *Dimitto vultum meum*, ſic eſſet, *permitto dolori indulgeat*: ut *Cap.* 10: 1. אבליגה item in malum, *reſtrictis labiis ringor præ dolore.* Tale quid in verbo *renidere* etiam *Latini* admittere poſſent. Uſum Orientis ſub הבליג *riſum Sardonium*

28 Pertimeſco quicquid dolorum meorum: perſentiſco quod innocentem me haud habiturus ſis.

29 Equidem improbus ero! ad quid hoc in vanum defatigor?

30 Si

28 יגרתי כל־עצבתי ידעת כי־לא תנקני׃

29 אנכי ארשע למה זה הבל איגע׃

30 אם־

ex dolore ortum recipere, indicatum in *Diſp. de Ambig.* Coactior tamen eſt ſenſus ille, quam ut in cenſum veniat: neque *riſui Sardonio* hic locus.

Vſ. 28. Languidius, *Timeo omnes dolores meos*, exponitur, *vereor ut dolores mei mihi id permittant, quod aliquando dico me facturum.* Quod Cl. *Coccejo* hic viſum, adhuc dilutius. Non aliene *Schmid. Quando conſidero omnes dolores meos, quos patior, & quidem deſperatos, timere me illi faciunt adeo, terrentque, ut omnem bonam ſpem excutiam; & dolores hos non deſituros credam, donec tandem me conſumant.* Habes, quod ad *Vſ. præc.* inculcabam, in quo acquieſcerem, niſi plane mihi perſuaderem, adhuc gravius quid *dolore infinito inflammatum Jobi pectus* concepiſſe: *Horreo univerſitatem dolorum meorum.* עצבות ex *origine* ſunt *Dolores ſtringentes.* Hi dicuntur *toties incruduiſſe*, & *ſævius exarſiſſe, quoties vel minimum ſeſe erigere niteretur*; id agente videlicet Numine, ut ne *fracta* quidem *arundo quaſſæ ſpei* miſero huic luctatori relinqueretur; quippe qui ſe *ab omnibus* in univerſum *cruciatibus ſuis ſtringi, uri, laniari*, ac *vivum diſcerpi* ſentiret tum vel maxime, quum ſeſe allevare, & præſumtione lætioris ſortis conſolari conaretur. *Horreo Univerſitatem dolorum meorum*; velut agmine facto *denuo* in me *irruentium*, *meque* omni ſua violentia *obruentium.*

Ibid. Ultima ſic extulit *Mercerus. Novi enim quod non mundabis me*; i. e. *innocentem, purum, & immunem reddes ab hoc dolore: ſed tanquam improbum me adfliges ſine modo.* Hæc paulo confuſiora videri poſſent; nec tamen ſunt. Reſpexit *Doctiſſ. Interp.* geminam vim vocabuli נקי *immunis* a culpa, *inſons*; & *immunis* a *pœna*; *impunis.* Hinc לא תנקני valet, *nec immunem* a culpa, *nec impunem dimittes me.* Declarat rotundis verbis, ſe ex *longius protractis*, & *creſcentibus adhuc*, Dei *plagis ſcire*, & *perſuaſum eſſe*, neutiquam *finem* fore *malorum*, ſed *ſub* hoc *reatu*, Divinitus *immiſſo*, ſimulque *judicio graviſſimo*, ſibi fore *emoriendum*; ut ita tanquam *improbus in ſepulcrum deſcendat* is, qui ſibi ex *probitate*, & *innocentia*, quamvis non *ob* eas, meliorem longe ſortem & in *vita*, & in *morte honorata*, deſtinarat. O Æſtum ex alto emoti cordis, plus quam decumanos fluctus volventis! *Scio, quantumvis Te innocentiæ meæ teſtem citare auſim O Deus, fixum* tamen *Tibi* eſſe, *& decretum me pro nocenti, ad extremum uſque, adflictare; donec miſerum huncce ſpiritum exhalem.* Quæ Cl. *Cocc.* hic admiſcuit de *metu* & *terrore Legis ante Chriſtum*, melius hinc abfuiſſent. Rectius Cl. *Schmidius, perges me tractare tanquam nocentem, ut cepiſti: nec me ab his caſtigationibus temporalibus liberabis, aut abſolves.* Prudenter idem ſubmonet, neutiquam de *æterna damnatione* hic agi, ſed tantum de *præſentis vitæ & mortis acerba conditione.*

Vſ. 29. Aſpera verba cumulantur effato omnium aſperrimo, אנכי ארשע *Equidem improbus ero; ad quid hoc in vanum laboro*, vel *laborarem*? ad innocentiam nempe meam ulterius pervincendam, contra tam potentem adverſarium; qui me *innocentiſſimum* licet, *ſuis plagis haud ſecus ac nocentiſſimum proſtituit.* Huc collineat *Merc. impius ero & ſons apud te, etſi juſtiſſimam cauſam alioqui foveam*: collineant quoque *Belgæ.* Cogitata *Ralbagi* & *Perizolidis* plane abeunt extra oleas. *Cocceji* dilemma argutum quidem, ſed pro ſerie nimis dilutum. *Aut ſum impius, & ſine timore Dei vixi; aut inculpate & innocenter vitam egi. Si illud; ſupplicium mihi irrogandum erat peremtorium. Atqui nunc in vanum laboro. Si hoc; me tamen ita fœdat, ut naturæ abominationi ſim; hoc eſt, tractat me, ut maximum peccatorem.* Sic illa *cur in vanum laboro?* valerent, partim, *cur tam diu plector, ſi vere ſum improbus*; partim, *cur in totum pœnas haſ-*

ce

30 אם־התרחצתי במי־שלג והזכתי
בבור כפי׃

30 Si abluero memet aquis nivalibus; & enitidavero in ipſa puritate manus meas.

31 אז

31 Tum

ce ſuo, ſi ſum probus. Priorem *dilemmatis* partem unice urget *de Pineda:* penes quem & alia languidiora. Nervum plaue ſuccidit Cl. *Schmid.* ita argumentantem inducens noſtrum. *Sane ego impius & peccator ſum, & deinceps etiam ero, in peccatis conceptus & natus; atque in vitæ renovatione imperfectus.* &c. &c. *ut quid ergo fruſtra laborabo, ut non ſim impius: nam quod ita ſum, ut ſemper futurus ſum, mutare ſane non potero.* Conatum infeliciorem excuſo, non accuſo. Quidni *Genevenſibus* potius ſubſcribebat? *poſtquam ita eſt ut ipſe me peccatorem eſſe confitear, cur tantopere me perſequitur Deus?* Prior explicatio cum filo univerſo tam intime connexa, ut mirum ſit, vel minimum hæſitationis cuiquam objectum fuiſſe. Terruit haud dubie atrox verbum ארשע *improbus ero.* Atqui *judicialis* eſt *uſus*, pro *Reus ero, condemnabor ut ſons*, quantumvis revera ſim inſons. Habuimus eundem conſpectum *Vſ.* 20. quem huc transferri velim, quum nunc *concluſio ad* illa *præmiſſa* formetur; niſi quod jam non de *conditione impoſſibili* agatur, ſed *directe* aſſumatur, nil aliud ſibi relictum, quam ut *inſontiſſimus, ſontis ſub nomine*, & *præjudicio publico, inter hæcce judicia Dei expiret.*

Verſ. 30. Huc pertinent inſignes figuræ hoc, & *ſeq. Vſ.* ex Orientalis Eloquentiæ penu depromtæ; quorum *ſummam* ſic complexus eſt *Merc. Parabolice ſignificat, ſe quantumvis purus ſibi & innocens videatur, & quantumvis ſuum jus defenderit, apud Deum tamen longe impuriſſimum & injuſtiſſimum appariturum, quaſi in foſſa cœnoſa eſſet intinctus & immerſus.* Rectiſſime, niſi quod ad ambiguitatem tollendam dicere potuiſſet, *quantumvis purus & innocens ſit, liquidiſſimamque habeat cauſam, tamen pro impuro ac nocente a Deo judicandum ſe fore; ut ſub calumnia ſibi injecta tandem occumbat; neque eam, hoc in ſeculo, diſcutere ac diſſipare valeat; quicquid, manibus pedibuſque obnixiſſimis, ex hoc profundiſſimo judiciorum gurgite ſeſe emergere, atque ejicere, allaboret.* Neceſſaria cautio hæc, quia Magnorum interpretum acies, ut in materia ardua, hic connixit, atque a ſummo gradu expoſtulationis, ad quem flagrantiſſimus dolor *Jobum* provexit, plus minuſve deflexit.

Ibid. Aquas nivales habere inſignem, *δύναμιν ῥυπτικὴν vim emundandi* nemini incompertum. Eas ex veteri ritu luſtrationum adhibitas item omnibus clarum ac compertum. Copioſus hic *de Pineda*, & *Coccejus*. Adde *Gatak. Miſc. poſt. Cap.*40. & *Scheuchz.* Non tamen in illo adſpectu ſubſiſtendum, ſed *limpidiſſima Sanctitas* & *Juſtitia*, ut alibi in Sacris *aquarum* & *nivium Emblemate* proponitur, ita hic quoque aſſumenda eſt. Cl. *Cocc.* poſtquam monuiſſet reſpici ad ritum ſacrorum in *adſperſionibus*, & *ablutionibus*, quibus *luſtratio per ſanguinem & ſpiritum Chriſti figurabatur*, tandem ſubſumit, *Lavare ſe aquis nivis hic dicere, cum fidem καθαρισμοῦ purgationis divinæ, tum ſerium pœnitentiæ ſtudium.* Nimis calide Cl. *Schmid.* ad hæc, *ſi prius de fide Juſtificante*, & *Juſtitiam Chriſti apprehendente, intelligatur, ſe nullo modo conſentire: impium namque eſſe, dicere, lotum per Chriſti Juſtitiam, pro juſto non haberi, ſed immergi ſordibus.* Tales conflictus melius a *Commentario in Jobum* exularent. Ex mente *Cocceji, lotum per Chriſti Juſtitiam, pro juſto non habere*, non agnoſcere, *videtur Deus, quando eum παραδειγματίζει, & publicæ abominationi tradit.* Quid in eo profani? Et an revera non ea erat *Jobi* conditio? non *infidelis* utique, ſed *Fidelis*, atque in Sponſore cenſendi. An etiam *ſerium pœnitentiæ*, & *ſanctimoniæ, ſtudium*, quod cum *Coccejo* hic *Schmidius* admittit, & urguet, ſine *Fide Juſtificante* concipi poteſt? In ſenſu, quem Vir *Doctiſſ.* ipſe hinc elicuit, omnia dura, atque a ſtatu controverſiæ plane aliena; facit enim *Jobum* profiteri, *Quod natura impius ſit, nec unquam innocens eſſe poſſit rigori Dei: quin ſi ſummo ſtudio pietati incumberet, & eam aſſequeretur in vita & moribus perfectionem, ut inter Sanctiſſimos referri poſſet, ſe tamen nullum fore, ob imperfectionem originis.* Multis partibus commodior expoſitio *Cocceji*; quam citra ullum ſcrupulum retinerem, in omni ſuo ambitu, niſi ſubvererer,

31 Tum in ſordes demerges me: & abominabuntur me veſtimenta mea.

31 אז בשחת תטבלני ותעבוני שלמותי׃

32 Quo-

32 כי־

iſtas profundiores veritates Theologicas, e noſtro potius ſenſu inſeri, quam ex mente *Jobi* inferri. Ei, in hoc acerrimo certamine, unice ante oculos obverſabatur *cauſæ ſuæ bonitas; vitæque totius innocentia, qua ſe præſtiterat Rectum, perfectum, Dei reverentem, & recedentem a malo.* Hanc *virtutem limpidam, Speculoque clariorem*, deſignat Emblemate *aquarum nivalium; quibus abluere & abſtergere poſſet* omnes *ſordes ſibi* per præſentem calamitatem *injectas*, & *appactas*; nempe *ſceleris* aut *hypocriſeos* non jam *ſuſpiciones*, ſed *criminationes*, ſed *convictiones*, ut Amici tendebant. Ergo, *ſi abluero memet aquis nivalibus*, tantundem valet ac, *ſi provocaro ad vitam ante actam cum religioſiſſimo ſtudio omnis virtutis, omniſque vitii odio ſinceriſſimo; ut me integrum, ſceleris purum, & ab hypocriſi intactum, probem.* Factum id, ſub finem harum colliſionum, non minus magnifice, quam animoſe, per totum *cap.* 31. in quod oculos conjeciſſe juvabit, ad viri *intaminatam*, in quantum mortalitas admittit, *puritatem*, ac *munditiem*, emirandam.

Ibid. Alterum membrum huic interpretationi ſuccinit. Reddi ſolet, *& emundavero ſmegmate manus meas.* Summa eſt gratia verbi הזכותי *Nitidavero ad pelluciditatem uſque.* Notio ſmegmatis voculæ בר addita, ex affini בורית *Jer.* 2: 22. & *Mal.* 3: 2. ferri poteſt. Sed nobilius; *ſi emundavero in ipſa puritate manus meas.* Notiſſimus ritus *Lavandarum manuum*, in *teſtificatione publica innocentiæ.* Hinc flos nitidæ orationis רחץ בנקיון כפיו *Lavare manus ſuas in innocentia. Pſ.* 26: 6. & 73: 13. *In ipſam* videlicet *innocentiam, ut aquam limpidiſſimam, immerſas.* Dextre hæc loca contulit *Cocc.* nec tamen vim figuræ ſatis expreſſit, vertens, *& mundavi puritate manus meas.* Non omittendus hic inſignis locus *Eſaj.* 1: 25. אצרף כבר סגיך: Incommode & hic a *Rabbinis* ingeſtum *Smegma.* Rectius noſtri, *Conflabo ad purum, ad liquidum, ſcorias tuas.* Figuratius eſſet, *Tanquam ipſa puritate*, quæ pro *igne expurgante* admoveatur: vel, ſi malis, *ſecundum puritatem* ſeu *claritatem ipſam*, ut *Clarorem merum* repræſentent.

Verſ. 31. *Immerſionem in foveam* multi *Rabbinorum* traxerunt ad *mortem* & *ſepulturam*; quaſi ſenſus eſſet, *quantumvis innocens ſim, ſcio tamen fore ut me interimas; certum habeo, me ex hoc morbo moriturum, atque in ſepulcrum deſcenſurum; ubi ita ſordibus inquinabor, ut me veſtes meæ, quibus vivus indutus eram, abhorreant:* vel etiam, *ut me veſtes meæ ſepulcrales abominentur.* Poſtrema nugis proxima. Prius, *de morte ſub his* tandem *plagis oppetenda*, non plane rejiculum, ut mox parebit. Cl. *Cler.* in *Comm.* videtur ſimplicius referre ad *mortem ordinariam*, quaſi diceret Noſter; *Quamvis innocentiſſimam vitam agerem, attamen morerer, & in ſepulcrum demergerer, in quod non minus boni, quam mali deſcendunt.* Id parum ad rem. Nec quadrat alterum, in *Paraphraſi* propoſitum, *in lutulentam foſſam vitiorum me detruderes, ut inquinatior in dies fierem.* Paulo obſcurius *Cocc. In cœnoſam lacunam demerges me*, h. e. *me tractabis pro eo, atque reus ſum apud te, ſecundum jus tuum.* Vel, *ut ſoles graviſſima peccata, ita parva delicta in me perſequeris.* Utrumque minus ad ſcopum: cum quo plane pugnat gloſſa *Deodatæa, Immerges me in abyſſum ſenſus peccatorum meorum.* Omnium dexterrime in Figura elucidanda verſatus eſt Cl *Schmid.* obſervans 1. *Agi de immerſione in foveam lutoſam, in qua quis fœdiſſime pollui queat.* 2. *Per eam adflictiones & miſerias notari. Pſ.* 130: 1. *Pſ.* 40: 3. &c. &c. 3. *Ejuſmodi adflictiones, in quibus non pedibus tantum, ſed toto corpore quis infigatur.* 4. *Cujuſmodi impii & peſſimi homines immergantur.* 5. *indicare Jobum exæquationem ſui, etiamſi Sanctiſſimi, cum impiiſſimis.* Non æque feliciter hæc applicat *Vir Doct.* quaſi dicere voluiſſet *Jobus, ſe etiamſi Sanctiſſime victurus eſſet, tamen imputatis ſibi peccatorum reliquiis, æque ac ſi peccatis immerſus eſſet, ac* pla-

plane impius, *a Deo fore tractandum*. Coactus nempe fuit hæc flectere ad *Hypotheſin*, qua ſæpius in explanando hoc Cap. uſus fuit, *Jobum ſe confiteri peccato originis infectum*; *ac proinde ad rigorem Legis & Juſtitiæ Divinæ innocentem cenſeri nec poſſe*, *nec velle*. Eodem collineaſſe, putem Cl. *Cocc.* in duplici, quem offert, ſenſu. Ex meo filo nihil aliud dicere poteſt Noſter, quam, *ſe*, *ut ut Sanctiſſime vixerit*, *atque in ipſa puritate manus ſuas lavare queat ſolemniter*; *cum tanta tamen*, *tamque evidenti*, *innocentia*, *ut Nocentiſſimum a Deo tractari*: *atque in gurgitem miſeriarum ac maledictionum immergi*. Addo hiſce, *Ita immergi*, *ut ſentiat ſe tandem ſubmergendum & extinguendum fore*, *cum horrore*, *& infamia publica*, *tanquam caput conſceleratiſſimum*, *omnibus iris & diris cœleſtibus dignum*; *etiamſi liquidiſſimo conſcientiæ teſtimonio ſe iis ſciat eſſe indignum*. Hæc eſt *fovea* illa *cænoſa*, & *lutulenta*, ad cujus *abominandas ſordes* totus cohorreſcit Noſter. Ubi talium cogitationum undæ cooriuntur, mirum non eſt mentem miſere fluctuare; quin tanquam turbine quodam ita raptari, ac circumagi, ut plane ubi ſit, neſciat; atque in comploratione ſuæ ſortis modum excedat. Id a *Jobo* cum hic, tum alibi factum, haud dubie: ſed ſimul apparet, *infando* huic *dolori* nullum pectus humanum par concipi poſſe, quominus ſe in querelas effundat, eo vehementiores, quo integriore conſcientia, *ad innocentiæ conculcatæ cauſam propugnandam* animatur. Ad vocem שחת teneatur, eam derivari poſſe, vel a שחת *corrupit*, ut ſit *ſtatus* aut *locus putridæ corruptionis*; vel a שוח *ſubſedit in lutum voraginoſum*; vel a ישח *computruit ſordibus*, ut وسخ. Hoc jam non diſquiro. Tantum moneo, ubique locorum adhærere huic vocabulo aliquid *dirum*; atque hic ſpeciatim ſub eo comprehendi *diram*, *horroriſque publici plenam mortem*; *ſub qua ſe tandem occubiturum*, ex malorum ſuorum creſcente magnitudine ac mole, ſibi Noſter penitus perſuadebat. Dignus, qui conferatur *Bolducius*, in שחת hic alludi putans ad *Foveam*, *in quam cadavera cruciariorum*, *ultimoque ſupplicio adfectorum*, *projiciebantur*.

Ibid. Sublimis imago, *Abominantur me veſtimenta mea*. Variant ſententiæ. *Veſtes emortuales* quæ *cadaver putridum* refugiant, meræ ſunt næniæ. Speciosius paulo cogitatum de *ulceribus*, ob quorum *ſaniem* & *fœtorem veſtes indui* non potuerint, ut propterea dicantur *Jobum abominatæ eſſe*. Hoc ab *Ab: Eſra* & *Merc.* repudiatum, Cl. *Schmid.* adoptavit, & *Merceri* ſententiæ ſubordinavit. Ea fert, *nihil aliud ſignificari*, *quam gravitatem immerſionis*, *totum hominem ita polluentis*, *ut eum propriæ etiam veſtes abhorreant*. Iiſdem finibus ſe continuit *Cocc. Veſtes candidæ ſunt Symbolum Juſtitiæ*; *ut ſordidæ*, *reatus*. *Zach.* 3: 3, 4. &c. *ſed hic aliud eſt*. *Veſtibus adfectum & judicium tribuit*, *per* προσωποποιΐαν. *Si enim veſtes judicare poſſent*, *& ſuo arbitratu hominem amicirent*, *certe hominem cœno & luto coopertum abominarentur*. *Ita Job ſummam fœditatem animæ per ſummam fœditatem corporis indigitat*. *Tam fœdus a judicio Tuo diſcederem*, *ut corpore ſordidus*, *quem veſtes ſuæ horrent & fugiunt*. In eadem *Proſopopœia* ſubſiſtit *de Pineda*, addens, nonnullos *allegorice* exponere *veſtimenta* de *operibus hypocriticis*. Id inconveniens merito pronunciat; quemadmodum nec ſatis convenit, quod ex *Chryſoſt.* profert, *veſtium* nomine intelligi *propinquos*, *qui pari ipſum*, *ac veſtis corpus*, *propinquitate contingerent*. Ampliore adſpectu *Doctiſſ. Belgæ*, *Omne quod mihi proximum*, *atque ad me pertinet*, *immunditiem meam abominabitur*. *Eſt hyperbolicum*. Item *Genevenſes*; *Quicquid allegare voluero pro me in judicio*, *nihil valebit*, *ad probandam puritatem meam*. Optimus fui interpres fuerit *Jobus*, qui *Cap.* 29: 13. dicet, *Juſtitiam induebam*, *& amiciebat me*: *ut pallium & cidaris judicium meum*.

Illa שלמות *Amicula honoris*, *dignitatiſque*, *illa ſplendida virtutum ornamenta*, & hic ante oculos habenda; de quibus grandi & appoſitiſſima *Hyperbole* nunc dicit Noſter, *fore ut ipſa Juſtitia & Sanctitas*, *qua circumamictus procedere poſſet in conſpectu Dei*, *hominumque*, *ipſum abhorreant*; *ejuſque contactum tanquam ſcelerati impii*, *aut Hypocritæ*, *refugiant*, *ipſum amplius ornare negantes*. Applicetur hic *Pulchra* illa *fictio*, quam in *veſtibus proprie dictis* propoſuit Cl. *Cocc.* cujus venuſtum illum *corticem* ut amplector, ita nil cauſæ video, cur *Nucleum* hunc *ſuaviſſimum*, *Allegoriæ* noſtræ *incluſum*, non retineamus. Sic mens *Jobi* huc tandem redibit. *Deus me ſuis judiciis tanto opere & jam defœdavit*, *& ulterius defœdabit*, *ut Nocentiſſimum caput me immergens*

32 Quoniam non vir eſt, ſicut ego, ut reſpondeam ei: ut intremus ſimul in diſceptationem.

33 Non eſt inter nos Arbiter: qui imponat manum ſuam utrique noſtrum.

34 Recedere faciat a me virgam ſuam: & terror ejus ne conterreat me.

35 Tum

32 כי־לא־איש כמוני אעננו נבוא יחדו במשפט׃

33 לא יש בינינו מוכיח ישת ידו על־שנינו׃

34 יסר מעלי שבטו ואמתו אל־תבעתני׃

35 אדברה

gens in Foveam perditionis; *ut ipſa teſtatiſſima Deo*, *teſtatiſſima hominibus*, *Innocentia*, *juſtitia*, *& Sanctitas*, *mea*, *quibus ornatiſſimus antea fui*, *& nunc eſſe poſſem*, *atque adeo deberem*; *me non amplius agnoſcant*, *ſed contagem meam*, *tanquam monſtri alicujus impuri*, *abominentur.* Habes eundem ſenſum, quem *Vſ.* 20, 21. enucleavimus; niſi quod per *Tragicam* hanc *proſopopoeiam* id ipſum adhuc cum illuſtrius, tum commiſerabilius, oculis ſubjiciatur.

Verſ. 32. Nexus apertiſſimus. Nempe, oſtenditur, *quamobrem*, *etſi juſtus ſit & innocens*, *injuſtiſſimus tamen & impuriſſimus reperiatur*; *quia non cum homine ipſi res ſit*, *cui reſpondere vel auſit*, *vel queat*; *ſed cum Deo*, *& quidem virgam*, *ac Terrorem ſuum*, *admovente.* Hic eſt *culpabilis* ille *exceſſus*, per totum caput regnans, quem *Elihu* caſtigabit, & nominatim infra taxabit, *Cap.* 33: 5, 6, 7. Pauciſſimis defungi licet, quia quæ ad *Vſ.* 1. præſtruxi, ut hinc robur capiunt, ita lucem huc ſuam transfundunt. Obſervo tantum, Cl. *Schmidium*, qui ad *Vſ.* 1. reſiliebat ab *abſoluto* Dei *Dominio*, ad illud nunc tandem nobiſcum recurrere: quid enim aliud ferant verba illa? *ſi Tantus non eſſes*, *aut non utereris tua Auctoritate atque Majeſtate*, *maſcule cauſam acturus eſſem*, *nec dubitarem quin eſſem victurus.* Id quidem ad ſuam *Hypotheſin* utcumque accommodat; ſed ejus *debilitatem* ſæpiuſcule nudatam, vel ſolus hic *Vſ.* coarguat. Mei hic planiſſume ſunt *Mercerus*, *Coccejus*, reliqui fere omnes. Elegans verſio Cl. *Cocc.* *Sed non homo*, *ut ego*, *reſpondebo ei*: *non veniemus una in judicium*, 1. & 3. *perſ.* permutatis, ut *Gen.* 44: 32. Repetenda ſic negatio ἀπὸ κοινοῦ. Magis tamen id arrideret, ſi לא איש אעננו extaret, omiſſo כמוני, quod arguit איש *virum* a *Jobo* diverſum; uti recte monuit *Schmid.* Malim itaque verſionem, conſtructionemque *Merceri*; in qua כי eſt *cauſale*, proxime cohærens cum *Vſ.* 29. *Enimvero improbus ero*, quicquid renitar &c. *Quoniam non* eſt *Vir*, *ſicut ego*, *ut reſpondeam ei &c.* Durior eſt cohærentia *Schmidii*, cum *Vſ. præc.* immediate nectentis.

Verſ. 33. Audaciſſime enunciatum, *Non eſt* בינינו *inter nos*, tanquam *partes diſſidentes*, מוכיח *Arbiter*, *judex*, qui *jus æquum* utrique, cum auctoritate, *tribuat*, *condemnans* citra προσωποληψίαν eum qui cauſa cecidiſſe reperiatur; eundemque ſimul *caſtigans*, ac *mulctans.* Hoc poſtremum clarius adhuc per *injectionem manus* deſignatur, quippe quæ adferat *coërcitionem* a magiſtratu admotam ei, qui alium oppreſſiſſe, aut iniquius tractaſſe, convincatur. Hæc ſunt illa cruda ſane, quæ ſtomachum moverunt viro moderato, infra *Cap.* 34: 5, 6, 7. aſperius *Jobum* perſtricturo; eumque *Ridiculum* cum hiſce ſuis magniloquentiis pronunciaturo. Scilicet in litore omnes ſapimus, & firmi ad clavum ſtamus magiſtri, qui inter fluctus, & ſcopulos, non curſu tantum recto, ſed & nobis ipſis, excutimur: prout revera *Jobus* hic ſibi excuſſus, nimioque æſtu abreptus fuit.

Verſ. 34. Ferri poteſt, quod nonnulli יסר referant ad *Arbitrum* illum, qui *virgam* Dei *faciat recedere* a *Jobo*, *ne terror tanti* Adverſarii *eum* amplius *conſternet.* Luculentiorem tamen ſenſum præbet receptior verſio, cum *voto* conjuncta, ut ſaltem ipſe *Deus removere* velit *terribilem* ſuam *virgam*; atque ita *Innocen-*

cen-

35 אדברה ולא איראנו כי־לא־כן
אנכי עמדי׃

35 Tum loquar; & non timebo eum; quod non talis ego ſim apud me.

ſcentiæ immerito adflictæ, & *ſpatium* reſpirandi, & *fiduciam* ſemet defenſandi præſtare. Recurrent eadem hæcce *Cap.* 13: 20, 21, 22. Iterum paratragœdiatio eſt digna reprehendi; id enim dicit: *Quando talem Arbitrum Deo ſuperiorem natura rerum haud admittit; Deus ipſe ſemet quodammodo coërceat atque in ordinem cogat: ut Oculos adverſus ipſum attollere, & os aperire audeam.* שבט *Virga* aliis *jus* & *poteſtatem* Dei ſignat; aliis *plagas*. Eadem diſſenſio circa אימה *terrorem*. Utramque ideam hic tenendam recte obſervatum *Schmidio*, & quidem ſic ut *virga*, *adflictiones* deſignet; *terror* autem, Dei *Majeſtatem tremendam*, cum *poteſtate*. Poſſet aliquis inverſum ordinem malle, ſed hunc præferendum eſſe arguit *Cap.* 13: 19, 20. Primo petit Noſter, *plagas*, quibus cum maxime premebatur, *removeri*, ut *ſe erigere*, & *cauſam agere poſſit.* Secundo, *Majeſtatem* præſulgentem, & *formidoloſam*, *deponi*, vel ſaltem *ſeponi*, ut *libera*, & periculi vacua, *verba mittere auſit.* Sic declarat tandem, quod per totum caput inſinuarat, *ſe in optima cauſa ſuccumbere, eo quod Infinita Majeſtate & potentia Numinis prægravaretur; de qua ſi quid remittere vellet Deus, ſe haud difficulter innocentiam ſuam coram ſummo Tribunali evicturum.*

Verſ. 35. Cumulum magniloquis hiſce dictis imponit tandem, *victorem* ſe ferendo, ſi voti compos reddatur. אדברה *Loquar* libere, fortiter; qui nunc quidem vix *hiſcere* vel poſſim, vel auſim. Crebrum in *cauſarum actionibus* verbum. ולא איראנו *Neque timebo illum.* Non eſt, *audacter* & *intrepide loquar*, ut *Merc.* aliique putant; nam hoc verbo priore continetur: ſed altius ſe effert animoſiſſimus ſui Defenſator, id dicens; *Ne Deum* quidem *ipſum*, *illum omniſcium*, *illum cordium Renumque exploratorem*, *reformidabo*, ſi modo *Virgam*, & *formidoloſam*, qua præfulget *Majeſtatem*, *ſeponere dignetur*, atque *ad ſe accedi patiatur.* Tum enimvero non *tergiverſabor*, non *retrocedam*, non *metu* ullo *contrahar*, quo minus *apud ſummam Sanctitatem* cauſam meam defendam; atque *ſub oculis* ipſius *Dei demonſtrem*, me *immerentem* plane, & *innocentem*, acerbas haſce pœnas ſuſtinere; atque *pro improbo* aut *Hypocrita*, in exemplum Juſtitiæ Divinæ, *traduci.*

Ibid. Abtuptius eſt ultimum Colon. Id tam diverſis, miriſque, modis exponi monet Cl. *Cocc.* ut vix te explices. Egregium ipſe ſenſum promſit, *Non timebo ipſum, quod non rectus apud me ſim.* i. e: *quod male mihi ſim conſcius.* Officit nonnihil Diſtinctio; nec non conſtructio *partic.* כי, poſt ירא iſtam vim vix ferentis. Argute *Kimchius*, *Quia non ſic eſt*, ut virgam removeat, *Ego mecum loquar.* Sic gradus eſſet ad ſequentis *Cap.* effuſum de novo impetum. *Merc.* ad *Vulgati* ſenſum tentat, *Quia non ſic ſum apud me, ut nunc, ſcilicet, ſum, in hac adflictione. Mei haud compos ſum, præ metu Majeſtatis ejus. Ab. Eſra*, qui plurimorum calculum tulit, dat, *Quoniam non talis ego apud me, qualem me cenſent Socii.* Propius & fortius, quod *Nachmanides* ſupplet, *Non talis ſum apud me, qualis apud Deum.* Id *Schmidius* enervavit, addens, *non ſum ſicut impii malitioſi, impius, licet imperfectus ſim.* Ego ſimpliciſſimum ducerem, cum לא איראנו, *Non timebo illum*, hæc arctiſſime copulare, *Quoniam non ſic ſum penes me, ut illum timere* debeam, poſſimve. Scilicet non tantum negat *ſe improbum eſſe*, ſed etiam tam præclara *probitatis* & *Virtutis* ſinceriſſimæ *conſcientia* ſe ſuſtentari indicat, ut vel Sanctiſſimo Numini ſe explorandum committere, quin judicandum permittere audeat; ſi modo *ex vero* & *æquo* optimam cauſam cognoſcere haud dedignetur. Infra *Cap.* 23: 9. hunc ſenſum audaciorem planius expreſſit. Ibidemque עמדי *penes me* eadem amplitudine poſitum. Quid fines religioſæ ſui defenſionis in hiſce ſervet, quid eoſdem iterum ſupergrediatur, cuivis ſponte obvium.

CAPUT DECIMUM.

Verſ. 1. DIrupta crepat anima mea in coagmentationibus mei; liberæ evagationi permittam ſuper me querelam meam: loquar in amarulentia animæ meæ.

2 Di-

Verſ. 1. נקטה נפשי בחיי אעזבה עלי שיחי אדברה במר נפשי :

2 אמר

Verſ. 1 Quid de materia hujus capitis ſtatuendum ſit, ipſe *Jobus V.* 1. ſatis declarat, quum ſe, tædio diſruptum, liberrimas, & nullo ordine digeſtas, querelas effuſurum dicit: ut quum congredi cum *Deo*, ſuamque innocentiam perviçtam dare, nequeat, ob rationes *cap. præc.* expoſitas, ſaltem laxamenti aliquid reperiat per conteſtationes ſolemnes coram Deo hominibuſque, ſe longe diverſam ſortem a Dei ſapientia, æquitate, & bonitate, expectaſſe; atque immerentem plane iræ non tantum, ſed & odio creatoris ſui, ac Genitoris benigni, eſſe expoſitum. Melius ergo ſibi fuiſſe, tanquam monſtro alicui, ut nunquam uterum maternum ſolviſſet. Æquum ſaltem eſſe, ut qui telis Dei confixus jaceat inſanabiliter, poſt exantlatos jam immenſos dolores, pauxillulum reſpiret ante mortem fatalem, quam ſibi ſub ictibus hiſce immeritis oppetendam eſſe appareat.

Ibid. Verbum ἅπαξ λεγόμενον נקטה ab aliis revocatur ad קטט, قط, *reſecuit*, *ſuccidit*, ut ſit *ſuccidıtur anima mea in vita mea*; ab aliis ad קוט, pro נקוטה *Tædio vitæ meæ adfecta eſt anima mea.* Doct. *Merc.* autumat *tædii* vim ſub קוט ortam a *ſucciſione*, ut *Niph.* נקט vel נקוט valeat *ſuccidi* & *torqueri* ac *excruciare ſe præ tædio.* Cl. *Cocc.* *Anomaliam* vitans, aſſumit Radicem נקט, quæ apud *Chaldæos* cum קוט alternetur. Id male improbatum a Cl. *Schmid.* dubitationi eximitur auctoritate Dialecti *Arabicæ*, in qua قاض & نقض ſive קוס & נקט, *Dad* pro *Tet* adhibito, ex *Clav. p.* 238. eandem poteſtatem obtinent, *diſſiliendi*, & *diſſolvendi* cum *crepitu* ac *fragore*: niſi quod قاض קוט fere *tranſitivum* ſit, & paulo mollius: نقض autem *intranſitivum* & graviſſimum. Diſcrimen accurate enotatum in *Camuſo*, ubi قاض קוט a lferre dicitur نقض من غير هدم او نزع الاعواد والاطناب *diſſolutionem* compagis *citra plenam dirutionem*; *aut revulſionem lignorum & funium tentorii*: ſed نقض נקט de *domo*, *dorſo*, *oſſe*, *&c.* eſt, *cum ſonitu* ac *fragore diffindi*, aut *diſſilire*; ita ut res plane *diruatur*. Grandis eſt figura, *Opus* انقض الظهر *fecit cum crepitu diſſilire dorſum*, i. e. اثقله حتى سمع نقيضه *gravavit donec audiretur fragor dirupti ejuſdem dirutique.* Exemplis ſuperſedendum. Habes, quo nihil gravius concipi poteſt, *Dirupta & diruta crepat anima mea* בחיי *in vitis meis*, proprie, *in coagmentationibus meis.* Hoc eſt, ita *onere* mihi *incumbente gravor*, *ut diſſiliam & diſrumpar*, abſque tamen ut *rumpar*, & *mortem* tantopere deſideratam *invenire* queam. Exprimi vides

cum

2 אמר אל־אלוה אל־תרשיעני
הודיעני על־מה־תריבני׃

2 Dicam Numini, ne improbum peragas me; notum fac mihi ſuper quo litem mihi intendas.

3 הטוב לך כי־תעשק כי תמאס
יגיע כפיך ועל־עצת רשעים
הופעת׃

3 Num bonum Tibi, ut opprimas? ut ſubulcerato adfectu reprobes laborem manuum tuarum? & conſilio improborum ſplendidus adfulgeas?

4 העיני

4 Num

cum *tædium vitæ intenſiſſimum*, tum *prægravantes* uſque & uſque *cruciatus*, qui *ſpirantem* ita obruant, ut eum tamen *exſpirare* haud ſinant; ſed *invitum* ac *reluctantem* in *compaginationibus vitæ* contineant.

Ibid. Pulcherrima phraſis אעזבה עלי שיחי, in qua tamen fluctuatum, ob raritatem, & interiorem quandam elegantiam *metaphoræ*. Rejiculum plane Gloſſema *Kimchii*, *Roborabo ſuper me planctum meum*; itemque aliorum *onerabo*. Doct. *Merc.* genuinam verbi notionem ſic retinet, *Relinquam ſuper me planctum meum* i. e. *laxabo ei habenas*, *ei indulgebo*, *non a me depellere ſtudebo*. Mirum cur Cl. *Coccejo* id coactum videatur, quum expoſitio ejus eodem plane redeat. Reddit nempe *Relinquam apud me querimoniam meam*; *neque a me amoliri conabor inani* ἀγωνίᾳ, *quia eam exuere non poſſum*. Etiam *Schmidius*, cum ſua *querelæ duratione*, idem dicit, quamvis aliud ſibi dixiſſe videatur. Merito ergo acquieſcitur iſti verſioni; ut factum a *Piſc. Belg. Genev.* aliiſque; qui enim *relinquit apud ſe*, vel *ſuper ſe querelam* ſuam, nec *eam exuere poteſt*, an non *eidem indulgere*, & *frena laxare* cogitur? Etiam Veteres hunc ſenſum exprimere voluere, nam LXX. dant Ἐπ' ἐμαυτὸν ἐπιφήσω τ̃ θύμον μȣ, & *Vulg. dimittam adverſum me eloquium meum*; ſive *ſibi permittam*, laxatis veluti habenis Vel hæc auctoritas Cl. *Cler.* retinere debuiſſet, quo minus inſereret *negationem*, quam excidiſſe ſuſpicatur, vertens; *Non relinquam ſermonem meum de me*. Proponit & citra inſertionem; *An relinquam ſermonem de me*? cum interrogatione negante; qui conatus parum ſciti. Meliora ſuggerere potuiſſet formula ſolemnis, unde unde tandem ea fluxerit, אפס עצור ועזוב *Defecit coërcitus*, & *derelictus*, ex qua id ſaltem evidentiſſime patet, עזב oppoſitum inferre *Coërcendi*, atque *relinquere* rectiſſime exponi *incoërcitum mittere*, *dimittere*, *ſibique permittere*. Hinc *omittendi* poteſtas ſecundaria ducta, itemque *negligendi*, unde poſſes, *Negligam ſuper me querelam meam*, *eique laxatis habenis ita indulgebo*, *ut liberrime ferri & evagari queat*, *quo velit*. Sic eodem ſemper recurrimus. Arduum in tam arcta re *Hebræa*, omnium Phraſium natales indicare, qui in Linguis copioſiſſimis non niſi ex collatione multorum exemplorum eruuntur. Cum proverbiali formula, quæ עצור ועזוב *Coërcitum & relictum*, ut oppoſita ſiſtit, convenire videtur uſus ſpecialis *Arabum*, in *evagatione* ovium &c. *quæ paſcendo longius & liberius excurrunt*, *veſperi non redeuntes*. Jam *libero paſtui permittere querelas*, ita genium *Arabiæ* redolet, ut *Jobum* hoc voluiſſe juſta ſit ſuſpicio; cui robur accreſceret, ſi שיח *diſſertatio* ac *meditatio liberior* in Origine valeret *ſpatiationem*, *exſpatiationem effuſiorem*. Hæc ampliora, ut vides, ſpatia differendi requirunt, in Originum opere emetienda. *Part.* עלי malim *ſuper me*, quam *apud me*, quia ſic *dolor exſuperantiſſimus & liberrime ſe effundens* ſimul pingitur. במר נפשי poſſet capi, *Loquar in amarulento animam meam*; per uſum illum *Emphaticum Præp.* ב, quem indicavi *Cap.* 7: 11. Sic vehementior adhuc eſſet ſenſus; quem tamen nemini præ altero molliore velim obtruſum.

Verſ. 2. Grandior hic regnat adfectus, quam prima fronte paret. אמר *Dicam*, pro meo jure, cum fiducia, & libertate. אל *Ne*, non *deprecantis*, ut multi, ſed *dehortantis*, atque adeo, *deterrentis*; ut ſit *Noli me improbum per-*

4 Num oculi Carnis Tibi? Numquid ut cernit mortalis, Tu cernis?
5 Num

4 הַעֵינֵי בָשָׂר לָךְ אִם־כִּרְאוֹת אֱנוֹשׁ תִּרְאֶה׃
5 הֲכִימֵי

agere, vel *cave ſaxis*; haud par enim eſt, haud decet, O Deus, *inſontem pronunciare ſontem*, & quidem *inauditum*, cui *ne crimen* quidem ſuum *inſinuaſti*; ut ſaltem cur *pœnas luat* tam *acerbas cognoſcat*. Immodeſta eſt expoſtulatio; quam graviore cenſura merito adfecit *Elihu*; *præcipitati* enim *judicii* quodammodo *accuſatur* Deus. Quid hic plus minuſve ab Eruditis interpretibus ſit dictum, non diſcutio; quum id ex *cap. præcedentis* filo haud obſcure cuivis poſſit dilucеſcere.

Verſ. 3. Eadem licentia evagante verborum additur, *An bonum tibi ut opprimas*? Non diſplicet omnino *Schmidii*, *Num volupe tibi eſt*; ſed melius *Belgæ* noſtri, quos immerito rejicit, *num decet*, *juvatve*. Nempe per *oppreſſionem apertam inſontis*, qualis *Jobus*, *ſuſpicio exoriri poterat*, *virtutibus Divinis haud ſane decora*. Ergo fortius, *An bonum Tibi*, *Tuoque Nomine ſanctiſſimo dignum*? עָשַׁק in *genere* infert *defraudationem juris debiti*; in *ſpecie*, *violentam* & *injuſtam inflictionem pœnæ ſine legitima cognitione ac ſententia*, ex obſervato Cl. *Cocc.* Hoc cur Cl. *Schmidio* diſplicuerit, non video; nam aliis verbis idem plane expreſſit, nempe *vim facere alicui*, *eumque injuſte perdere*. In graviorem adhuc contra *Coccejum* cavillationem incidit idem *Vir Doctiſſ.* ad ſequens membrum; contendens יְגִיעַ כַּפֶּיךָ *laborem manuum Dei* non debere extendi ultra *elaborationem in utero materno*, *fundatam in prima creatione hominis*. Dixerat Cl. *Cocc.* per phraſin hanc indicari 1. *immediatam operationem*. 2. *opus artificioſum*. 3. *plurimam & quaſi laborioſam paraturam*. 4. *ſummum apicem omnium operum*, *& laboris metam*, *quo confecto quieſcatur*. Addiderat, *cave de ſtructura corporis hic tantum cogites*; *imago Dei per Chriſtum illud eſt*, *de cujus factura & conſervatione hic agitur*. Hæc fundata in vi phraſeos, quæ proprie *Elaboratum manuum* deſignans, omnes iſtas ideas ſponte ingerit, ut mirum ſit *fundamentum hujus ſententiæ* a Cl. *Schmidio* deſiderari. Commentatori Theologo ſyſtema ſuum neſcio quid glaucomatis ante oculos objecit, ut *pondus* & *decus* hujus formulæ non perſpiceret, quæ cum *ſtructura corporis elaboratiſſima* haud dubie complectitur *animæ dotes inſignes*, *imaginis Divinæ imitamentum præferentes*. Fruſtra ergo hic *Calvinianis* iraſcitur; & nimis propere properans ſcribit, *Scripturam quando de opere manuum Dei loquitur non ſolere opus redemtionis*, *ſed creationis intelligere*. Utrumque, peræque obtinet. Concedo equidem *creationem animæ & corporis* hic primum omnium tenendam; ſed *Jobum* ſimul *recreationem*, ſive *novam* gratiæ *creaturam* hic innuere, arguit oppoſitio *inter ipſum*, & *improbos* inſtituta. Creſcit quoque inde vis argumenti; & quam abſonum ſit, ac repugnans, ut Deus *talem hominem ſubulcerato adfectu reprobet repudietque*, palam eſt. Apparet etiam, cur in *diſcuſſionem* hanc *Theologicam* deſcenderim; nam ſine ea ſenſus vel tenuior, vel obſcurior exiſteret, ut deprendes ex *Merceri* interpretatione, bona illa quidem, ſed citra aſpectum, quem dedimus, parum ſtringente; *Argumentatur*, inquit, *ex eo*, *quod Artifices ſua opera amare ſoleant*, *& tueri.* &c. &c. Verbum הוֹפַעְתָּ eſt, *Radias*, *irradias*, *vibrans & præradians effers lumen*; ut ad *Cap.* 3: 4. inſinuatum. Emblema per ſe luculentiſſimum. Etiam amputo, quæ latius hic diſquiſivit *de Pineda*.

Verſ. 4. Rudia dicta profundit noſter, æſtuanti cum maxime dolori ſe abripiendum permittens. Sonantius redditur *oculi carnis*, quam *carnei*, vel *carnales*. Non ſatis arridet *levitas*, quam iis notari vult *Merc.* vel *ignorantia*, unde *fallax judicium*. Cl. *Cocc.* retulit ad *ſuſpiciones*, & *iracundiam*, *quæ impellant ad veritatem vi eruendam*; & *quæſtionem per tormenta habendam*. Præfero *oculos odii & invidiæ plenos*, quos Cl. *Schmid.* exhibuit. κατ' ἐξοχὴν *oculi invidi* merentur *carnis* nota ſignari, ut alibi quoque *mali* abſolute vocantur. *Videre* pro *invidere* etiam proclivem habet rationem, quum a *nimis videndo invidiam*, vel *invidentiam*, duxerint *Latini*. An huc pertinet ראי מן אלגן رئي من الجن *Viſus a Genio*, ſive *Dæmone*; i. e. *oculo maligno tactus*? Indubitato huc facit, quod verbum עַיִן عان inter alia valeat, *oculo maligno*

5 הכימי אנוש ימיך אם־־שנותיך כימי גבר :

5 Num ut dies mortalis, dies Tui? Numquid anni Tui ſicut dies viri?

6 כי־־־־־תבקש לעוני ולחטאתי תדרוש :

6 Quoniam inveſtigas *quid* ad iniquitatem meam: & conquiris ad peccatum meum.

7 על־־דעתך כי־־לא ארשע ואין מידך מציל :

7 Etiamſi bene ſcias, quod non ſim improbus: neque e manu tua eripiens eſt.

8 ידיך

8 Ma-

no petivit; & عين עין *Oculus* pro *maligno* & *invido*, ut in formula ſolenni دفعا للعين *ad depellendum oculum*, i. e. *ad invidiæ faſcinum averruncandum.* Senſus ſic emergit, præfiſcine dixerim, admirabilis. *An nimis tibi felix*, & *beatus videbar*, *ut poſtquam me*, *ad invidiam uſque*, *bonis internis*, *externis*, *cumulaſſes*, *ipſe mihi quodammodo invidere inciperes.* &c. &c? Sentis ſimul *Invidendas* olim *Jobi fortunas*, *eaſdemque* haud dubie *inviſas*, ac *maligno* ſæpe *oculo petitas*, indicari.

Verſ. 5. Profundior & hæc periodus. Ad *ignorantiam* refert *Merc.* quaſi diceretur, *Num opus habes hominum more temporis diuturnitate*, *ad inquirendum de facto meo*; & *ad cognoſcendum qualis ſim* &c. &c. Huc conceſſere cum *Piſc.* Doct. *Belgæ.* Alios ad *mutabilitatem* traxiſſe, monet *Merc.* quos ſecutus eſt *Schmid.* innui putans *mutationem animi ſententiæque*, quæ *Æterni* & *immutabili Numini* non conveniat. Ideam *iracundiæ*, & *cupiditatis vindictam occupandi quantocyus*, preſſit *Cocc.* Omnia hæc prolixius dedit *de Pineda*, poſterius quidem ut germanum præferens, ſed in *Paraphraſin* tamen reliqua quoque intexens. Mihi extremum æque ac primum minus videtur reſpondere univerſo tenori; cum quo melius conſiſtit *mutabile* illud & *varium*, quod in *adfectibus humanis* regnat, nunc *amorem* cum *favore*, nunc *odium* cum *invidia* induentibus, & tempore ipſo fluxioribus. In viris principibus præſertim id vitii reſidere, atque Aulæ aura nihil eſſe inconſtantius, recte hic obſervatum a *Doct. Jeſuita.* Habes nexum haud inconcinnum cum *Vſ.* 4. niſi malis Cl. *Clerici* concinnam quoque expoſitionem; *An brevis ævi es*, *ut poſſis inſtar hominis maligni*, *aut invidi*, *male velle*, *aut invidere*? *pares paribus invident. At non Deus æternus* &c. Bonus eſt adſpectus, *Mortali* enim, quamtumvis *Felici*, quis æmuletur, aut invideat, niſi *Mortalis*, & anguſti tum ævi, tum pectoris?

Verſ. 6. Variant, pro varia, quam vidimus, ratione, deductiones. *Merc.* dat, *Taleſne adfectus humani in te ſunt*, *ut per quæſtiones ac tormenta confeſſionem ſceleris a me extorqueas.* Inſiſtit in *ignorantiam.* Cl. *Cocc.* eundem *equuleum*, *quæſtionemque per tormenta* exſculpit ex *Iracundia.* Non omnino diſplicet imago *torturæ*, quam ex *odio invido* tunc potius derivarem. Saltem longe melius ea quadrat ad ſeriem, quam *Schmidii* interpretamentum, cui *quærere peccatum* hic valet *imputare* & *vindicare*, ſeu *punire.* Sic ſe *punitionem* ſaltem *meruiſſe*, confiteretur *Jobus*; quod eum in hac acerrima conteſtatione feciſſe, ſupponit quidem *Vir Doct.* ſed magis ex ſuo ſenſu, quam ex *Jobi* adfectu, frenum hic mordente. Ei ſic ſatis accommodas ſentis *fidiculas innocenti admotas*, *ut ſe nocentem fateatur.* Sed vide an aptius ſedeat, *conquiris ad peccatum meum*, &c. Invidorum videlicet eſt, *criminationes* & *Calumnias* undique *conquirere*, ad innocentiam ac virtutem labe adſpergendam, vel & in judiciis opprimendam. Conſtructio per ל, admodum ſignata, hanc expoſitionem adjutare videtur. Tale quid obverſatum Doct. *de Pined.* qui verba דרש & בקש hic explicat *ſummo ſtudio quærere*, *nec tamen invenire*, ut *Pſ.* 4: 3. & *Jer.* 50: 20.

Verſ. 7. Non improbo ſtructuram, quam magno & miro conſenſu omnes Interp. tenent, *ſuper ſcientia tua*, ſupple *eſt*; *Tu probe*

8 Manus tuæ nervis colligarunt, & effecerunt me; uniter circumquaque; & tamen abſorbes me.

8 ידיך עצבוני ויעשוני יחד סביב ותבלעני :

9 Re-

9 זכר־־

ſcis: vel, quod *Bolducius*, non ſine acumine, malebat, *Apud ſcire tuum eſt; apud Te, & ex propria ſcientia, ſine teſtibus, optime noſti, me non peccaſſe.* Sed tum rotundius, tum fortius fore puto, ſi על *ſuper*, ſumamus pro *non obſtante*, ut vulgo dicunt, *quantumvis bene ſcias, ſuper ſcire tuum*, ſine ſupplemento. Amat *Arabia* hunc uſum ſub علي, quamvis & priorem illum agnoſcat. *Haririus Conſ.* 35. ارب بكرا طال تعنيسها وحجبها وهي علي التعنيس مخطوبة *Nutrio virginem, a longo innuptam, & domiſedam; quæ non obſtante ea magno ambitu petitur.* Ænigma eſt in *vinum vetus*, cujus teſta needum *relita*. Idem *Conſ.* 44. تتابعين عقابا في مسيرهم علي تكميهم بالبيض واليلب *Sequi poſſint Aquilam in itinere ipſorum, etiamſi galeati loricatique a capite ad calcem ſint.* Ænigma in *milites & ſignum militare.* Iſta emphaſi על adhibitum quoque *infra Cap.* 16: 17. & 34: 6. ut ibidem monebitur. Adde *Eſech.* 9: 5. *percutite* על תחום עיניכם *non obſtante indulgentia, qua connivere vellent oculi veſtri; & ne molles ſitis, parcatiſve.* Si *Maſorethis* promtus fuiſſet uſus, a *Criſi* temperaſſent credo, qua אל ſubſtituerunt. Poteſt quoque his omnibus in locis aſſumi vis illa elegantior, qua علي adfert *ſtatum præſentem*, & *cum maxime vigentem.* Clarius evadet ſpecimine ex *Hamaſa*.

ولاكنه نازعته مجاوع علي انه
ذو مرة صادق النهض

Interim divexant illum inediæ, ſuper quod ille
Præditus vigore, ſtrenuuſque ad conſurgendum.

Haud quadrat ibi, *non obſtante:* ſed viri *præſentiſſimus* ſemper *vigor*, & *ſtrenuitas* deſignatur. In *Alcor. Sur.* 15: 54. *Abrahamus læto Filii naſcendi nuncio adjectus* ſic inducitur. ابشرتموني علي ان مسني الكبر *An Evangelizatis mihi, quum cum maxime me tetigerit ſenectus.* Poſſis tamen ibi cum *Maraccio* iterum, *Non obſtante.* Hinc foret, ſine ſuppletione & interruptione, *Conquiris quid ad peccatum meum, quamvis cum maxime ſcias, me non eſſe improbum.* In *altero* habes *obſtaculum ſuperſcanſum*; in *altero*, *ſtatum ſuper quo quis conſtitutus.* Fortiſſimum merito anteſertur.

Ibid. Languet, quod in ſeq. membro ſuppletur a nonnullis, *ſcis me inſontem*; quod ſi ſons eſſem, *non eſt qui me e manu tua eripiat; non poſſem debitas mihi pœnas effugere.* Eodem ſupplemento indiget Cl. *Cocc.* verſui 5. & 6. ſic clauſulam hanc ſubnectens, quaſi inſinuaretur, *Non eſſe cur ex iracundia vindictam occupet Deus, inſtar hominis, quia nemo ex manu ejus poteſt eripere*; nempe *ſontem, pœniſque dignum.* Minus adhuc vigoris habet Cl. *Schmidii* nexus cum דעת jungentis, ut ſit, *ipſe ſcis quod nemo me eripere poſſit e manu tua; nam ipſe ſic deſcribere ſoles tuam potentiam.* Tale quid & Cl. *Cler.* exhibet; valde meo judicio remiſſum. Non ſatis nervoſa quoque *Merc.* interpretatio, in hanc mentem. *Tenes me, nec elabi tibi potero: quid itaque per hos atroces dolores confeſſionem mihi exprimere conaris facinorum?* Vehementius aliquid miniſtrabit nota ultima ad *Cap.* 5: 4. ubi hac formula comprehendi videbis *adflictionem atrociſſimam*, velut *diſcerpti* a *Leone*, vel *direpti* ab *hoſte* & *oppreſſore potentiſſimo.* Sic foret, *ſævumque in morem a te diſcerpor ac dilanior*: nullo mihi *vindice tantam* a Te illatam *vim* depellere valente. Ad hunc ſenſum adſpiravit proxime

Pag-

Pagnin. inſerens, *&* tamen *non eſt qui de manu tua eruat.* Tota periodus ſic rotundanda. *Numquid inſtar* mortalis alicujus *invidia tangeris? Nam conquiris mihi Crimina, meque ut improbum tractas, quantumvis certo tibi conſtet me non eſſe improbum: atque* adeo, non obſtante tua iſta exploratiſſima ſcientia, *me ut talem diſcerpere* & *diſperdere non ceſſas*, abſque ulla ſpe reſtitutionis in integrum.

Verſ. 8. Nil cauſæ erat, cur Cl. *Schmid.* novam hic cohærentiam ingereret; *ſcis quod manus tuæ formaverint me.* Jacet ſic, quod erectius extulere Reliqui, ſine iſto *Quod.* Ubi ergo nexus? ad *Vſ* 3 *Mercerus* reſpicere jubet, ut inſiſtatur ulterius in *opus manuum Dei.* Non ſperno, ſed addo propius ex *Vſ.* 7. Nempe *ſub manibus* Dei ſe *dilaniatum* ſentiens Noſter, novam inde expoſtulationem arripit, atque in hæc verba erumpit. *Manus tuæ efformarunt me, & effecerunt: uniter*, aptiſſime, *circumquaque*; *&* tamen *abſorbes me.*

Ibid. Quatuor invenio ſententias, in quas ſeceditur, præeuntibus *Rabbinis*, in verbo עצבוני. Nam 1. *Ab. Eſra* dedit ex uſu vulgatiſſimo, *dolore adficiunt.* 2. *Kimch.* maluit *cum labore fecerunt*, ſive *elaborarunt me.* 3. *Jarchius* cum *Ralbag* & *Perizol.* ex עצב *effigies* exſculpſere *effigiarunt me.* 4. Ad lucem *Dial. Arab.* רובי המפרשים *multo plurimos interpretum* dediſſe monet *Ab. Eſra* בראו מיתרי הגוף *crearunt nervos corporis.* Idem a *Nachmanide* ſuggeſtum. *Primum* amplexi *Belg. Jun.* &c. dantes, *Manus tuæ dolore adficiunt me, quamvis me fecerint.* Id ex connexione modo indicata non omnino alienum cenſeri poteſt, & præſidii aliquid invenit in *Cap.* 9: 28. ſed tunc rotundiorem mallem ſtructuram *Ab. Eſræ*, ויעשוני reddentis *& conficiunt me* i. e. *adfligunt* ac *conſumunt*; ut *Zeph.* 3: 19. *Ecce ego* עשה *conficiens omnes adfligentes te.* Pro *ſecunda* opinione ſtant LXX. *Vulg. Chald. Pagn. Piſc. Deod. Tigur. Genev. Merc. de Pined. Bolduc. Druſ. Cocc. Schmid. Cler.* Exiſtimatur a ſignificatione primaria *doloris*, ſecundario ortam eſſe vim *laborioſæ* cujuſdam & *difficilis formationis*, ſive *elaborationis*; eodem fere modo quo *Vſ.* 3. habebamus יגיע כפיך *Laborem manuum tuarum*, ſive potius *Elaboratum*, ut *ibid.* inſinuavi. Specioſiſſimum eſſe fateor; quod propterea plurima quoque puncta abſtulit: interim tamen nec in uſu *Biblico*, nec in *Dialectis* reperio, quod hanc *Laborioſam formationem* in ſolido locet. Ad *Tertium* nonnihil inclinat Cl. *Cocc.* obſervans עצב *Syris eſſe obligare, conſtringere, quia conſtrictio dolorem adfert. Inde in Thalm. dici, infantem non* מעצבין *ſtringunt faſciolis in ſabbato. Hoc fieri artuum formandorum cauſa. Non mirum proinde eſſe, ſi formandi etiam ſignificationem induerit hoc verbum.* Vides a *ſecundo* nil differre, niſi ratione *Etymologiæ*; prout עצב *ſimulacrum, effigies* aliis a *Forma* deſcendere videtur, aliis a *Dolore*, quem *idola* cultoribus ſuis important. Poſterius hoc nunquam cuiquam in mentem veniſſet, niſi vim *Doloris* conſtituiſſent Principem totius Radicis. Hoc tam alte fixum ſedebat Cl. *Cocc.* ut inde *conſtringendi* uſum *Syriacum* emanaſſe autumaret. Atqui *dolorem* a *Conſtrictione* potius derivandum eſſe, Linguarum omnium natura evincit. In *Lib.* de *Def. p.* 142. & ſeq. hæc diſcuſſa; ibique *Originem* thematis noſtri in *conſtringendo* ſic adſtruxi, ut nihil dubitationis relictum videatur. Speciatim autem illic enotatum reperies uſum *Arabum*, in *corpore humano ſuis nervis & tendinibus in pulcherrimam formam colligato*, ac *contexto.* Vid. *p.* 144. & 151. itemque quæ in *Obſ. Prioribus* dederam *p.* 190: 191. Hinc *Quartum* tandem a veteribus *Rabbinis* commendatum, minus ſuſpectum erit cordatis interpretibus, atque tuto quieſci poterit in completiſſimo illo ſenſu, quem hinc elicuit Doct. *Merc. Nervis & venis me compegerunt ac colligarunt manus tuæ, pulcherrima undiquaque compage, ut omnia membra ſint inter ſe connexa, compacta, & pulchre aptata, ac conformata.* Exiſtimem *Jobo* hic obverſatam eſſe *corporis* ſui *carnificinam*, & *dilaniationem* illam, quam *Vſ. præc.* tetigit; quæque hic recurret in verbo תבלעני *Abſorbes me*, more Leonis me *concerpens*, & *membratim dilacerans.* Atqui, inquit, *Tuæ manus pulcherrimum in modum me contexuerunt* olim, *& conſtruxerunt*; *ut jam tantopere adverſus me ſævire, meque deſtruere*, ac *dilaniare*, *profecto haud debeas.* Hæc oppoſitio miſſam facere jubet conjecturam geminam, olim propoſitam in *Obſ.* poſt *Job. p.* 192. ubi totam *pericopam* in bonum reddere conabar, ope verbi بلغ, ut pro תבלעני

9 Recordare, age, quod tanquam lutum me feceris; & ad pulverem me ſis redacturus.

10 An non ſicut lac eliquaſti me? & ſicut caſeum coagulaſti me?

11 Cu-

9 זכר־נא כי־כחמר עשיתני ואל־עפר תשיבני׃

10 הלא כחלב תתיכני וכגבינה תקפיאני׃

11 עור

Abſorbſiſti me, haberemus, *ſummo ſtudio elaboraſti me*, vel *&*, *ad maturitatem pervexiſti me*. Haberent hi conatus, quo gradum tuerentur; præſertim ſi بلغ a بلع *abſorpſit* nil differat *Origine*, ſed tantum *Metaphora*, qua *abſorbere* uſurpari cœpit pro *pervenire ad finem*, *terminum*, *metam operis*, *curſuſve*. Verum, ut *noſtra* in his omnibus non quærimus, ita pro *noſtris* haud ſane contendimus; quin ne *noſtra* quidem cenſeri volumus, niſi quæ *veritatis ſigillo* comprobabuntur. *Dilaniandi* & *deglutiendi* poteſtatem proinde ex *Cap.* 2: 3. nexuque cum *Vſ. præced.* hic cum opportunius, tum ſecurius, retineri judicarem.

Ibid. Verbulum debetur particulæ יחד pereleganter hic poſitæ. Redditur, *ſimul undique*; & refertur a pleriſque ad *præcedens* עשוני *effecerunt me*: ut ſit *totum me*, non *dimidium* aut *aliquam partem mei*. At *Merc.* & *Cocc.* cum *ſeq.* jungunt, *ſimul undiquaque abſorbes* aut *deſtruis me*. Sic ingratus exiſtit *Pleonaſmus Præp. Vaw*, cujus duritiem exempla a Cl. *Cocc.* adducta non emolliunt. Nec tamen arridet interſtinctio *Belg.* *ſimul circumquaque ſunt* illæ; *manus* ſcil. ut me dolore adficiant: *& abſorbes me*. Tentarunt alii, *duriore* adhuc *Ellipſi*, cum *Pleonaſmo* conjuncta, *una circumquaque* ſunt, quibus *me abſorbeas*. Omnia erunt in vado ſi aſſumas *uniter*, uſu illo ſignatiſſimo, quem *Lucret.* frequentat; ut *Lib.* 3: 358.

> —— —— *Qui cœtu, conjugioque*
> *Corporis atque animæ conſiſtimus uniter apti.*

Id eſt *unitiſſime juncti*, & *coagmentati*. Ex multis, quæ huc pertinent, unum nunc dabo *Pſ.* 122: 3. *Urbs quæ coagmentata ſibi eſt uniter.* Referendum ad עצבוני *nervis contexuerunt*, atque *aptiſſimam* illam *texturam*, dicam? an *acupictionem* corporis humani, qua סביב *circumquaque* eſt elaboratum, tam artificioſe, ut omnem admirationem ſupergrediatur.

Verſ. 9. Contortius eſt, quod cum interrogatione admirabunda hic conceptum a nonnullis, *memento quod ut lutum feceris me; & in pulverem reduceres me?* ſic poſterius illud *figurate* eſſet exponendum, pro *me adfligeres*, *ſtratumque ita in pulverem dejiceres*? Habes phraſin *Cap.* 15: 15. *In pulvere cornu meum.* Confer quæ ibi dicenda. Hoc adſpectu commodior foret *enunciatio*, *Memento quod ut lutum feceris me; &* tamen *in pulverem redigis me*. *Qui* me *ex pulvere* & *luto conſtruxiſti* in *admirabilem* hominis *formam*, *effigiemque*; *parum tibi* ipſi *conſtare* videris, quum *me*, in medio vitæ curſu, tam miſerabiliter *deformas*, *deſtruiſque*, ut non *homo* ſim amplius, ſed *vivum* ac *ſpirans cadaver*. Sic reſponderet hoc *Hemiſtichium* ſuperiori illi, *& tamen abſorbes me*. Non auſim tamen deſerere *literam* hujus *formulæ* ex *Gen.* 3: 19. *Pulvis es & ad pulverem reverteris*; & ſubſcribo Doct. *Merc. Cocc. Schmid. Cler.* aliiſque, ad *humanæ conditionis fragilitatem*, *ultro in pulverem relapſuram*, totum verſiculum revocantibus. Incommodius appoſitum ab *Erudit. de Pined.* *Non deprecor mortem, ſcio enim mihi ſtatutum ſemel mori; ſed ne tam cito moriar, illud tandem precor.* Imo vero, *ne tam duram diramque necem ſubire* cogar; & *intolerandis* tuis *ictibus contundar*, qui ſponte *in pulverem* utique ſum *dilapſurus*. Eſt ergo deprecatio *acerbiſſimarum Plagarum*, *pulveri in pulverem redituro incumbentium*, *eumque conficientium*; & quidem, quod hinc abeſſe nec poteſt, nec debet, *immerito*, חנם; quin imo *meritis* viri *aliud exigentibus*. Huic ſenſui ſuccinit זכר *Memento*, quod magis quadrat in *mortalitatis ſortem* per ſe *miſerrimam*, cujus oblitus videbatur Deus; quam in alterum illud. Succinit item & כחמר *ſicut lu-*

lutum; quùm ſuperior expoſitio poſtulaſſet potius מחמר עשיתני *Ex pulvere effeciſti me*, *atque erexiſti*; & tamen *in pulverem me reducis*, & *proſternis*.

Verſ. 10. Inſignis Tabella, quæ eminentibus coloribus depictum ſiſtit hominem, prout artifice Dei manu admirabiliter effabricatus fuit, ut ex ipſo virtutes Conditoris relucerent. Ea tres verſiculos implet, atque a nonnullis, cum quibus ſentit *Doct. de Pineda*, habetur pro *amplificatione Vſ.* 9. ubi ſe *e Luto* dixerat efformatum. Sed diverſa plane eſt facies rerum. Ibi *ex mortalitate* abjecta & *fragili* argumentabatur Noſter, ſeſe *extraordinariis plagis* non debere *obrui*, quod *inde ab ortu vermem*, ſive *verminantem putredinem indutus*, & *ex pulvere fictus*, *ad pulverem quantocyus ſua ſponte*, & *ordinaria miſeriarum mole*, *eſſet relapſurus*. In hac materia totum *Cap*. 7. vidimus conſumtum fuiſſe. Hic vero, ad *earundem Plagarum depulſionem* aliud ſuſcipitur ratiocinium, deſumtum a *magnifica* & *munifica* hominis *factura*, quem *tam mirandis modis* Deus infinita ſua potentia, ſapientia, ac bonitate, *produxit*, *ac conſtruxit*, *ut ſibi parum conſtare* videatur, ſi *nobiliſſimum* illud & *elaboratiſſimum opificium* ſuum *propriis manibus deſtruat*, atque deformet. Hoc voluiſſe puto *Schmidium*, quum hic argumentum invenit deductum *a beneficiis Dei olim exhibitis quæ continuanda potius*, *quam abrumpenda*. *Ea autem beneficia conſiſtere in creatione*, *ſive formatione in utero*; *vitæ datione*; *conſervatione*; & *cuſtodia*. Eadem mens *Merceri*, *Belgarum*, totiuſque fere interpretum chori, intra *Naturæ* fines ſeſe continentium; niſi quod unus itemque alter *Gratiæ* ac *vitæ ſpiritualis* quoque rationem habendam eſſe cenſuerint. Cl. *Cocc.* cinnum amborum beneficiorum conficit, atque partem pericopæ ad *vitam naturalem*, partem ad *vitam ſpiritualem* applicat; *Vſ.* 12. ex voce חסד *gratia* colligens, *peculiare aliquod beneficium indicari*, *majus*, *quam quod in vitæ corporalis datione conſiſtit: nimirum*, *ut Deus ei innotuerit cum oblatione* & *obſignatione unionis ac communionis ſuæ*. Hypotheſin urguet ex eo, *quod homo ſine iſto principio nil aliud ſit niſi pulchra beſtia*: & *quod ſi temporalia tantum intelligerentur*, *neque de ſpiritualibus bonis cogitaretur*, *eadem poſſet eſſe prædicatio Bovis*, *ſi is loqui ſciret*. Ad finem ſubnectit, *deſcriptio hæc hominis generatione procreati eſt analoga creationi primi hominis*, *ejuſque ordini*, *Gen.* 2: 7. *eaque hic Vſ.* 7. *innuitur*. *Eadem quoque in pictura formationis novi hominis*, *ſive regenerationis*, *adhibetur Eſech.* 37: 5, 6. Voluitne inſinuare πάνυ, *univerſam* hanc *periodum* tribus verſibus continuatam, tum *literaliter*, tum *myſtice*, eſſe interpretandam? ita accepiſſe videtur Clar. & Acutiſſimus *Scheuchzerus*, in *Phyſ. Sacr. Jobi* ad h. l. Atqui in *Vſ.* 10. & 11. *naturalis formationis limites* non egreditur Præclarus interpres; atque *regenerationem* ex *Vſ.* 12. demum exſculpit. In hoc ſententiarum divergio expendendum accurato interpreti, reſpiciatne *Jobus* ad *generalem* & omnibus *communem*, vel *creationem*, vel *formationem in utero materno*; quo plurimi inclinant: an *ſpeciatim* ſuam *productionem*, cum *prærogativa favoris* cœleſtis, ſupra alios, *conjunctam*, voluerit delineare. Inde haud exigua lux orietur, ad dirimendum, de *naturæne beneficiis* hic agatur, an *gratiæ* potius; an de *utriſque*, *Jobum*, ut inſigne ſpecimen Divinæ bonitatis, exornantibus. Phraſium penitior diſcuſſio ad hæc omnia facem prælucebit.

Ibid. Eximii quid præfert, *Nonne ſicut lac eliquaſti me*? Emblema *lactis* hic honeſte poſitum volunt plerique de *ſemine materno*. Ita poſt *Rabbinos Merc. Piſc. Belg.* &c. At Cl. *Coccejo* eſt *paternum* potius, ſive טפה סרוחה *gutta olens*, ut contemtim Rabbini hominis primordium appellitant. Illuc trahi poſſet verbum תתיכני, quod veteres dedere *Mulſiſti me*, *emulſiſti me*, ex notione apud *Arabes* ſervata ſub נתך نتك *compreſſis digitis expreſſit reliquias ſaccati humoris* &c. Originem & cognationem cum notionibus *Hebraicis* alibi indicabo. Non tamen pugno pro hac imagine, quam minus concinnam, ac decoram, quis reputare, haud ſine ratione, poſſet; præſertim quum merito dubitetur genitalem viri liquorem *Lactis* emblemate innui. Bona utique obſervatio Cl. *Cler.* *non agi de mulgendo lacte*, *ſed de eo in vas effundendo*, *ubi coagulatur*. Attendi quoque meretur illud *Schmidii*, *verbum* נתך *non tam notat* colliquare, *quam*, rem colliquatam fundere, & immittere in formam aliquam; *ut* 2 *Reg.* 22: 9. &c. Secundum iſtam vim *Lac fuſum* figura-

11 Cute & carne veſtiviſti me? & oſſibus ac nervis contexuiſti me?
12 Vi-

11 עור ובשר תלבישני ובעצמות
וגידים תשככני
12 חיים

raret *primam hominis formationem*, quum in *Embryonem* ex utriuſque parentis ſemine coaleſcit. Hoc *Lactantius* de *Opif. Dei Cap.* 12. quam ſimillime expreſſit, *Ajunt Varro & Ariſtoteles, ſi ſemen ſeminæ recte cum virili miſtum ſit, utraque concreta & ſimul coagulata informari* &c. &c. Hoc fœtus primordium *Lac coagulatum colore & conſiſtentia referre* tradit *Doct. Scheuchz.* ad quod hic reſpici haud abhorret a vero. Saltem magis placet quam quod *Lactis* nomine *partes fluidas* corporis adfectas velit Cl. *Guſſ.* in *Comm.* L. H. ſub סכך. *Alterum gradum formationis* tunc efficere poſſet ſequens colon, quod exhibet *Caſeum condenſatum*, & *conglobatum*, per quem repræſentaretur ſat commode ipſe *Fœtus*, ex *materia* illa *coagulata in ſpiſſiorem*, & carneam, *materiam ſeſe* magis magiſque *conglobans*; ac conſtituens *rudiorem* illam *maſſam*, quæ *convoluti glomeris*, גלם, appellatione inſignitur *Pſ.* 139: 18. Radix, unde גבינה *caſeus* deſcendit, apud *Arabes* aſſervata eſt, quibus جبن de *Lacte* eſt *coagulari*, vel potius *concreſcere*, & *conglobari in maſſam ſpiſſiorem*. Plura non addo, repetenda ab iis qui profunda amant Linguarum, ex *Clavi Dial. p.* 196. 197. Formam גְּבִנָּה, quam in quibuſdam Codicibus extare monuit *Mercer.* confirmaret ſimilis duplicatio *tertiæ radical.* in جُبُنٌّ & جُبُنَّةٌ *Gubunnon* & *Gubunnaton*, quam a quibuſdam in his vocabulis captari annotavit *Gjauharius*. In hac *Literali* explicatione acquieſcere me poſſe profiteor, ſi paulo magis ad ſcopum attemperetur, ea ratione, quam mox indicabo. Non diſſitebor interim, me ejuſdem ſcopi ductu impelli, ut aliquid ſublimius & exquiſitius ſub his figuris comprehendi ſuſpicer, per quod *gratia Sanctificationis, inde ab utero*, conſignetur. Hujus *magni Beneficii participem* fuiſſe *Jobum*, cum aliis illuſtribus vaſis Electionis, multa credere jubent. Ejuſdem opportuniſſimam hic mentionem eſſe, nemo non ſentit; quum argumentum inde reddatur ſtringentiſſimum, cujus acies, ſi intra fines Naturæ ſubſiſtatur, nonnihil hebeſcet. Accedunt jam Emblemata illuc proclivia *Lactis* & *caſei nivei*, ſive *Materiæ*, *Maſſæque ſincerioris*, quam illud חמר *Lutum*, quod ſibi cum reliquis mortalibus commune agnoverat *Vſ. præced.* in quo ut inerat ſignificatio *mortalitatis abjectæ* & *impuræ*; ita immutata argumentatione hic urgeri videtur *peculiaris Gratia Dei*, quæ *Jobum* inde *a primo ortu ſibi vindicaverat in vas Electum*, *ſpecimenque* veræ *virtutis* ac *pietatis*, ejus tum *corpus*, tum *animam* eximiis *Dotibus Spiritus Sancti imbuendo*, atque *communi corruptioni* eatenus *eximendo*, ut in ipſum *dominari* haud ſineretur. Non ergo *improbus*, qui *ab utero*, per ſingularem Dei curam, cuſtodiamque, *probus*; nec *labe hypocriſeos contactus*, quem ut *Lac purum ſincerumque eliquarat* & conſecrarat in Sp. S. domicilium: non denique pro *capite ſcelerato* nunc *deſtruendus* & *exterminandus*, quem *eximia Sanctitate* ſuiſmet manibus *excultum* atque *exornatum* voluerat bonitas divina. Huic interpretationi ſubſervire etiam poſſet verbum התיך, quod eſt *fundendo eliquavit* & *extraxit*, quo de latius in *Originibus:* præſertim ſi illuc alluſum eſſet *Cap.* 11: 4. ut ibidem ſubmonebitur.

Ibid. Sublimiorem hunc adſpectum proponendum eſſe exiſtimavi. Poſſum tamen *Literali ſenſu* contentus eſſe, ſi ſcopo magis adaptetur, hoc eſt, ſi non *lutea*, & *impura*, ſed *Lactea* & *pura* hominis *Origo* hic deſcribi ſtatuatur, qualis e manibus Conditoris intaminatiſſimi prodiit, ac prodire cenſendus eſt, ſecundum legem *Naturæ* Divinitus *inſtitutæ*; quum contagio, & labes, illi Origini adhærens, non ex Deo ſit, ſed ex *Natura deſtituta*, ut in Scholis loquuntur. Merito ergo *Jobus* ſuam *Formationem* conſiderans ut *ingens beneficium* Numinis, *pignuſque inexhauſtæ* ejus *bonitatis*, eam *pulchris* hiſce *Emblematibus* expingit, atque *ſincerum* illud & *incorruptum*, quod *Origini* noſtræ a parte Creatoris inditum eſt, concelebrat, ut Eum ad *continuationem* ejuſdem *gratiæ* provocet, ſi ſeſe ea non penitus

12 חיים וחסד עשית עמדי ופקדתך שמרה רוחי׃

12 Vitam & benignitatem feciſti mecum? & viſitatio tua cuſtodivit ſpiritum meum?

13 ואלה

13 In-

tus indignum geſſiſſe, ſed eam religioſo Numinis cultu foviſſe reperiatur. Hac argumentatione utetur Noſter *Cap.* 23: 10, 11, 12. Ea in ſe nihil habet abſurdi: ſed ſiniſtras tamen movit ſuſpiciones, quaſi ſe *immaculatum*, & *a labe intactum*, gloriaretur; ut *Cap.* 11: 4. oſtendemus.

Verſ. 11. Graphicam hanc corporis artificioſe conformati ac contexti deſcriptionem alii applicant *Fœtui* adhuc *incluſo*, alii eidem jam *excluſo*, atque *ad maturitatem ſuccreſcenti*. Ex mente priorum *Ill. Grotius*, *Hic ordo eſt in genitura: primum pellicula fit*, *deinde in ea caro*; *duriora paulatim accedunt*. Hæc latius deducta dabunt *Merc. Schmid.* itemque *Bolduc.* qui tamen præfert alteram opinionem, quæ omnia hæc ad *adultioris ætatis robur* extendit. Hoc anſam eidem porrexit ad *figuram Hominis Loricati* hic introducendam, in qua *oſſa* reſpondeant *ferreis laminis*, e quibus *Lorica* conſtat: *nervi* autem ſint veluti *corrigiæ* &c. *pellis* denique ac *caro* ſint velut *Chlamys*, *veſtiſque militaris coccinea*, qua *oſſea Lorica* ad ornatum operiatur. Hæc luxuriant. Caſtigatiore judicio Clar. *Scheuchz: corroborati* jam *corporis admirabilem fabricam* in *cute*, *carne*, *oſſibus*, & *Nervis*, ex *Anatomiæ* fontibus nobis recluſit, atque ſub conſpectum dedit. Meo judicio & *fœtus incluſi conformatio*, & *ejuſdem excluſi corroboratio*, atque *incrementa*, hic amiciſſime conſpirant, ſeque ſimul comprehendi non patiuntur tantum, ſed etiam poſtulant.

Ibid. Ad verbum תשככני paucis obſervo, nonnullos a סכך dediſſe *texiſti me*; alios a שוך *ſepiviſti me*. Utrumque interpretamentum a *Mercero* expoſitum. Adi & *Guſſ.* ſub סכך. Cl. *Cocc.* vertit *texuiſti me*, *a* שוך *ramus perplexus*, inquit, *non a* שכך *quod eſt tegere*. Placet: ſed ſciendum, utramque Radicem eandem habere *Originem*, & סכך *ſecundario* eſſe *tegere*, *a texere*, *prætexere*; quod & *Latinis* pro *prætegere* tritum. Poſſes hinc, vel, *tanquam ſepimento prætexuiſti me*, vel, quod malim, *tanquam ſtructuram elaboratiſſimam oſſibus & nervis contexuiſti me*. Quam opportuna ſit hæc *imago*, nil dicere attinet, quum *contextura*, & *contexi*, apud veteres paſſim hoc ſenſu adhibeantur.

Ibid. In deliberationem tandem venit, an & hæc *figuratam* interpretationem exigant, admittantve, ſecundum *Allegoriam Eſech.* 37. Haud putem: etiamſi concinniora adferri poſſent forte, quam quæ *Gregorius*, *Hugo*, *Bernardus*, aliique *Myſtici* Doctores hic captarunt. Sane multum diverſa eſt facies rerum apud *Eſech.* neque quæ ibi *Myſtice* extant de *oſſibus motis*, *in unumque compactis*, ac mox *nervis*, *carne*, *cute*, *conveſtitis*, heic loci quadrant. Etiam hoc probe obſervandum, iſtis figuris non *internam Regenerationem*, & *Novi Hominis creationem*, pingi, ſed tantum *externam* ejus *ſpeciem*, quæ necdum *Spiritu vitæ* animabatur. Non video proinde, *Gratiam ſanctificationis* jam *ab utero collatam*, ſatis tuto quæri poſſe in his phraſibus, quæ ita *totam* ſibi *Literam* vindicant, ut ſublimiorem ſenſum excludere videantur. Dices, ergo nec *figuratum* illum *adſpectum*, quem *Vſ. præc.* propoſui, poſſe ſtare. Per me cadat licet, ſi ſemet ſuſtinere nequeat: nec tamen exiſtimem eam neceſſario concidere, ſi hunc *Vſ. intra Literam* contineamus. Haud male utique cohærebit periodus ſic digeſta, *Quum in matris utero conciperer & formarer*, *ſingularis tua cura me complexa fuit*, *ſatuſque meos ſanctificans*, *corpus artificioſiſſime contextum mihi paravit*, *ut*, *cum vita*, *gratiæ tuæ ubertatem gratus lætuſque experirer* &c. &c. Expeditior tamen adhuc *pericopa* forte cenſebitur, ſi ſolam *Naturam inſtitutam* a Deo ſpectemus, ſecundum id, quod ultima nota ad *Vſ.* 10. exhibebat; ſic enim ſimplici tenore omnia decurrent hactenus; & *Gratia Spiritus Sancti*, *regenerans* & *reſtituens naturam deſtitutam*, *Vſ. ſequente* demum pro *cumulo beneficiorum* ſuperaccedet.

Verſ. 12. Arctiſſimis cancellis hæc incluſa

a qui-

a quibuſdam *Rabbinorum*, omnia ad *fœtum in utero* adſtringentium, ſecundum *Naturæ Leges* & rationes. Alii, ut *Ramban*, & *Jarchi*, generalius retulerunt tum ad *vitam* & *beneficentiam* in utero inchoatam, tum ad eandem poſtea diverſis gradibus continuatam. Cum his facit Doct. *Merc.* ſub חסד complectens *omnia beneficia, quæ ultra vitam homini largitur Deus, dum educandum eum, provehendum, inſtituendum, & informandum in Lege ſua & timore curat.* Hæc tanquam lata & laxa nimis reſtrinxit iterum *Schmid.* per חיים *vitam*, intelligens cum *animæ extractionem ex utero*: per חסד autem *benignitatem tenerrimæ infantiæ in nutritione impenſam*: addens *ſe valde dubitare an vocabulum hoc ultra infantiam iſtam debeat extendi.* Nempe tres gradus, nimis anxie, ſibi deſcribit Vir Doctus, atque illa quæ *Mercer.* ſub חסד complectebatur, ad *viſitationem & cuſtodiam Dei* potius pertinere judicat; calidiuſcule rejiciens meditationem *Cocceji*, τὸ חסד exponentis tum de reliqua *Benignitate*, tum potiſſimum de *Gratia ſanctificante, cum obſignatione unionis & communionis cum Deo.* Tam bonis rationibus hanc *ideam* adſtructam dedit præclarus Interpres, ut haud dubie aſſenſum quoque Cl. *Schmidii* impetraſſet, niſi diverſum Syſtema circa *gratiam Electorum* eum præpediviſſet. Dixerat *Coccejus*, *de ea Gratia valet argumentum, ut qui eſt* opus manuum ejus, *poſſit eſſe certus, Deum hoc opus ſuum non ſpreturum, aut abjecturum; nam χάρις hæc, ſi quæ alia, eſt ἀμεταμέλητος.* Ut doctrina, ita argumentatio inde *Jobo* attributa, diſplicuere *Schmidio*; ac propterea ex voce חסד omnem reſpectum ad *Gratiam Sp. S.* excluſum ivit, non ſine ἀμετρίᾳ τῆς ἀνθολκῆς. Potuiſſet *Vir Doctiſſ.* ex ſua quoque Theologia voci latitudinem ſuam relinquere; atque argumentationem ſaltem admittere a *convenientia, quæ Beneficium gratiæ ſemel collatum continuari potius quam abrumpi vult; ſi nulla cauſa ejus abrumpendi poſſit dari.* Huc *Theologicum* hoc *certamen* diſcutiendo deſcendere iterum debui; quia ſic demum pervenire poteram ad *genuinam vim ratiocinationis Jobææ.* Ea non deſumta eſt *a Certitudine gratiæ, unde nunquam quis excidere poſſit.* Salutis anchora illa ſi inter fluctus tentationum præſens ſemper adfuiſſet Noſtro, tam turbulento æſtu nunquam jactari potuiſſet. Ergo argumentatur ex eo, quod *Benignitatem & gratiam ſemel cœptam proſequi, convenientiſſimum ſit.* Redeatur ad ea, quæ *Vſ.* 10. prælibata.

Ibid. Nimis quæſitum, & Philoſophum, eſt, quod R. *Levi* in membro ſequenti פקדתך exponat *præfectura tua*, eamque trahat ad *Facultates principes* animæ, quæ *præfecturam* quaſi gerant in corpus. *Merc.* cum pleriſque *viſitationem* vertit, intelligens *aſſiduam* Dei *curam*, *inſpectionem*, & *providentiam*, quæ *Jobi ſpiritum vitalem conſervaverit*, uſque in hodiernum diem. *Schmid.* omnia *bona corporalia* & *ſpiritualia*, hac *viſitatione* complectitur; ipſam quoque *Gratiam Sp. S.* quæ *cogitata, conſilia, decreta,* & *molimina omnia fidelium regat, atque ab errore cuſtodiat.* Mireris merito hic tam Liberalem redditum, qui in חסד triparcus fuerat. Sed vicit vis veritatis, ſenſitque *Beneficium ſummum Sanctificationis* hinc abeſſe non poſſe, quin *argumentationis nervum* in eo potiſſimum reſidere. Nimis interim argutum, quod *viſitatio tua* pro *Tu viſitans*, accipere jubeat: longe commodior enim & mollior eſt ipſa *actio*, ſive *viſitatio benigniſſima* Dei, *vitam*, *Gratiamque Jobo collatam* continuans, identidemque cumulans novis beneficiis, & ornamentis.

Ibid. Offeram, ex alia conſtructione, alium adhuc ſenſum, quem tamen anteferri nolim. Monuerat *Ab. Eſra* פקדתך eſſe פועלת, *Agens*, ſive *Nominativum.* Poſſet tamen, citra ullam violentiam, haberi pro *Accuſativo*, *Et depoſitum tuum cuſtodivit Spiritus meus.* Phraſis eſt notiſſima שמר פקודים *Cuſtodivit mandata.* Eadem ratione obtinuiſſe debuit שמר פקרון *Cuſtodivit depoſitum*, quod & פקדה appellatum dubitari nequit. Tranſpoſitio vocabulorum, pro ורוחי שמרה פקדתך nihil habet durum, aut inſolens. Sic teſtaretur Noſter, ſe *Beneficia* Dei, ac præſertim *Sacratiſſimum* illud *depoſitum Gratiæ*, religioſo pectore cuſtodiviſſe: atque obligationibus ſuis Sanctiſſimis tam diligenter reſpondiſſe, ut ſe pro *Improbo* aut *Hypocrita* a Deo puniendum fore nunquam ſperarit. Propoſui quod natura Linguæ admittit, ſed ſen-

13 ואלה צפנת בלבבך ידעתי כי־ זאת עמך׃

14 אם־

13 Interim illa recondideras in corde Tuo: ſcio nunc, hoc fuiſſe tecum

14 Si

ſenſum hunc ſuperiori poſtpono, tum ob alia minora, tum quod tota hæc periodus in *Beneficiorum Divinorum* enumeratione commodius decurrat.

Verſ. 13. Magna opinionum divortia circa prius Colon. *Merc.* hæc *cum ſtomacho legenda* ait, *Et iſta recondidiſti in corde tuo*, nempe *adflictiones quibus me torques.* Sic ſenſus eſſet, *Etſi tam prolixe mihi benefaceres, hæc tamen reſervabas in tuo pectore & reponebas, ut vindictam aliquando de me ſumeres.* Similiter *Piſc. Belg. de Pined. Cocc.* qui hoc *Vſ.* contineri putat *Propoſitum ſeveritatis in ipſa formatione*, & אלה *hæc*, itemque זאת *hoc*, refert ad *Vſ. ſeq.* interſerto *Nimirum.* R. *Levi* non omnino male ad *occultas rationes providentiæ & gubernationis divinæ* reſpexit, eaſdem tamen inficete nimis explicans. Alia omitto; ut veniam ad *Schmidii* ſententiam, cui *Recondere in corde* valet, *beneficiorum memoriam ſupprimere & ſepelire*; *eave longæ oblivioni mandare.* Non abſimiliter alii apud *de Pined.* itemque *Erud. Vavaſſ.* ad *Vulgati* illud; *Licet hæc celes in corde tuo* &c. cogitarunt *de diſſimulatione bonitatis*, & *priſtinæ charitatis per exercitium ſeveritatis.* Elumbe plane quod *Bolducius* dedit, *Neceſſarium non eſt, ut quis hæc omnia te doceat*; *nam ipſe hæc ſcis, eaque in cordis tui theſauro reſervantur*; *videlicet quod ſicut me condidiſti, ita quando, & quomodocumque libuerit, perdere me poſſis. Ut quid ergo tecum, tanquam cum ſodali, litigare præſumerem.* Damnat deinde *Merceri* interpretationem; quam & Cl. *Cler.* repudiat, *ſat multa non circumſpecta fudiſſe Jobum* notans, *quæ augenda non ſint.* Incidit in eandem fere mentem cum *Bolducio*, hanc *Paraphraſin* exhibens, *probe novi horum te nequaquam oblitum eſſe, ſed recentem eſſe eorum memoriam.* Mihi ſubit mirari *duram & vehementem* nimis videri potuiſſe ſententiam *Merceri*, quum *Vſ.* 1. *acerrimam vehementiam* profiteatur, omniſque inſequens oratio eandem ſpiret. Ad *beneficia* quidem *Dei* divertitur *Vſ.* 10: 11, 12. ſed non alium in finem, quam ut *novus* inde *impetus* reſumatur, *ad querelas acerbiſſimas.* Coticula hæc ſi admoveatur reliquis interpretationibus, molles nimis, ac plus minuſve plumbeæ, reperientur. Quid enim hic *recens* Dei *memoria*? quid *diſſimulatio*? Quin imo quid *oblivio* ipſa horum beneficiorum? Eam Cl. *Schmidius* coactiſſime ſane induxit, quum *ſeq.* membrum ad *iræ & ſeveritatis propoſitum* cum *Merc.* & *Cocc.* pertinere agnoſcat. Facit propterea duo *cola* inter ſe *oppoſita*, ut prius *abſcondere in corde* valeat, *in angulum* quaſi *cordis abſtrudere obliviſcendo*; alterum זאת עמך *Hoc tecum fuiſſe ſcio*, tantundem ſit ac, *totum cor occupaſſe*, ac *repleviſſe*, quo *effectum* mox *ſuum haberet* atque *exereret.* Nimis ſecure etiam צפן בלב *recondere in corde* tractum ad *oblivionem*; quum potius contrarium inferat ſua natura, & origine, quæ eſt *condere tanquam in loculo.* Sic *Pſ.* 119: 11. בלבי צפנתי אמרתך *in corde meo recondidi ſermonem tuum.* Abſolutum uſum habes *Job.* 23: 12. *præ demenſo meo recondidi verba oris ejus:* nec non *Prov.* 2: 1. *præcepta mea recondes tecum*; ut *theſaurum*, videlicet, *cujus cura cor totum occupet.* Hinc *in malum* proclivis tranſitus, ut *Recondere in corde* ſit *alta mente repoſtum habere* quid. *Theſaurum iræ repoſitum* alicui, hoc verbo exprimi videbimus *Cap.* 21: 19. & 15: 20. Quamvis ergo non omnino abſurde cogitari poſſet de *occultis rationibus providentiæ*, quibus Deus *juſtum* æque ac *injuſtum perdat*; nullus tamen ambigo, quin *Mercer.* rem acu tetigerit; ut *theſaurum malorum* ſibi a Deo *reconditum* innuat Noſter, & quidem ex *occulto* aliquo *odio*, quo hoc caput, ſive nocens futurum, ſive innocens, male perdere, cum animo ſuo decretum deſtinatumque habebat. Phraſis ſecundi coli lucem fœneratur ex 1 *Reg* 11: 11. monentibus *Cocc.* & *Schmid.* Plenius effertur היה עם לבבו *Fuit cum corde ejus*, pro *in animo fixum ſedit.* 2 *Chron.* 1: 11. & 6: 8. & 29: 10. Ceterum אלה *illa*, malim referri ad

14 Si peccarem, ut ſervares mihi iram; & ab iniquitate mea non abſolveres me:

15 Si improbus eſſem, væ mihi fore; & juſtus ſi eſſem, non attollerem caput meum; ſatur ignominiæ & ſpectator adflictionis meæ.

16 Eum

14 אם־חטאתי ושמרתני ומעוני לא תנקני׃

15 אם־רשעתי אללי לי וצדקתי לא־אשא ראשי שבע קלון וראה עניי׃

16 ויגאה

ſigna odii, in *præced.* commemorata; ut זאת *hoc*, ad *ſequentia* commodius referetur.

Verſ. 14. Multa & hic ſine acrimonia, ac vigore, a multis tentata; quæ circumcido. Ne languore quidem caret, circa prius colon, illud *Merceri*, *Quoties peccavi*, *id diligentiſſime notaſti*, *ut ſuo poſtea loco & tempore me tandem punires.* Poſtremum adhuc remiſſius accepit, *ſcio quod non immunem me reddes a ſcelere*, *propter quod nunc me punis.* Addit. *Verba diffidentis. Ita gravem video hunc morbum ut deſperem me ab eo liberatum iri.* Sentis nonnihil confuſionis, cum confeſſione haud quaquam apta ad mentem *Jobi*, quaſi ob *ſcelus* aliquod puniretur. Rotundiore ſerie *Coccejus*, *ſi* nimirum *peccem*, *obſervaturum te eſſe me*, *& a pravitate mea me non abſoluturum.* Id explicat de *Decreto ſeveritatis*, *cum omni iſta gratia*, *ut ad peccatum non conniveret*, *neque impunitam dimitteret pravitatem*, *quum tamen Deus gratia donanda videatur iræ renunciaſſe*; *& natura jam ſit ſub reatu*, *ac per ſe nihil poſſit.* Adjicit aliquid ex diſcrimine V. & N. T. repetitum, quod huc non facit; quum *Jobus* hic proferat, quod in ſe ſolum, tanquam monſtrum hominis, ſingulari quadam ſeveritate Dei erga ipſum expetere putabat. Reliqua melius ſe habent; & mox illuſtrabuntur ex coll. *Cap.* 13: 26. & 14: 16, 17. quæ loca obſtant *Schmidio*, hæc in *futurum* ſic accipienti, *Hoc in animo tecum habes*, *quandocumque & quotieſcumque peccavero*, *te obſervaturum eſſe*, *& ſine ulla miſericordia ac remiſſione puniturum peccatum meum*; *quod tamen ſemper ſum habiturus.* Si talia dixiſſet noſter, non tam acribus cenſuris potuiſſet adfici, quales cum reliqui, tum ipſe *Elihu*, in Eum deſtrinxerunt; tanquam qui ſe *purum*, *& a peccato immunem* jactaſſet. Hoc quoque in cenſum venire vix patitur conatum Cl. *Cuſſ.* in *App. Comm.* L. H. *p.* 923. vertentis, *ſi obtuli ſacrificium pro peccato*, *at tu ſervabas mihi* animum ulciſcendi; *neque a pœna iniquitatis me abſolvebas.* Habet nova verſio quo feriat; ut *Jobo* ne ſua quidem *Religio* & *ſacrificatio* profuiſſe dicatur, ad pacem Numinis veniamque impetrandam. Ei tamen ſubſcribere non auſim, multas ob rationes, quas exſequi haud licet. Amplector interim שמר pro *ſervare animum ulciſcendi*, quem uſum peculiarem indicavi jam ad *Cap.* 7: 20. ubi reddebam *ſi peccavi*, *tum ſervaſti mihi iram*, & *rancorem.* Eadem tunc mens mihi ſedebat de h. l. quam Cl. *Cocc.* exhibet, de *Propoſito ſeveritatis* adverſus *Jobum* capto, *ut ejus peccatum nunquam inultum abiret*, *ſed quicquid commiſiſſet luendum haberet.* Vides aliquid, quod ſuus *Jobo* adfectus ſuggerere potuit, quaſi cum aliis quidem cultoribus ſuis leniter & paterne agere conſtituiſſet Numen, at cum *Jobo* dure & rigidiſſime, ita *ut a nullo delicto immunis*, atque *impunis exiret*: ſed quantumvis *pius*, *Sanctus*, *religioſus* viveret, *eorum* tamen *quæ unquam* antea *admiſiſſet*, *pœnam ſeveriſſimam ſubire cogeretur.* In tales querelas oppreſſum viri pectus ſe effundet *Cap.* 13: 26. &c. nec non *Cap.* 14: 16, 17. Notabimus ibi, quæ hunc ſenſum ulterius commendare queant. Habeo tamen adhuc nervoſius quid, & tum animoſitati hujus orationis, tum ſeriei, conſonantius. *Novi*, inquit, *ſentio*, *experior*, *Hoc tibi fixum ſediſſe*; *ſi peccarem*, *ut ſervares mihi* rancorem, & cupiditatem ulciſcendi: *neque ab iniquitate mea non redderes immunem. Si injuſtus eſſem*, *væ væ mihi fore*: *& juſtus ſi eſſem*, *ut non attollerem caput meum*, *ſatur ignominiæ & ebrius adflictionis meæ.* Ad hunc modum filo circumducto, grandior exſurgit ſenſus, cum cenſuris perpetuis Amicorum in *Jobum* conjunctus, quo hactenus quidem *nulli* ſeſe *delicto adfinem* fatetur; ſed tantum oſtendit, *quan-*

quanta erga ipſum *ſeveritate uti decreviſſet* Deus, *ut ſi vel minimum* unquam *peccaſſet*, *graviſſimas pœnas iniquitatis perſolveret*, *tanquam reus læſæ Majeſtatis*; *quas pœnas ne tum quidem effugeret*, *quum ſeſe juſtum per omnia præſtitiſſet*.

Verſ. 15. Graves ſententiarum fluctus, ut in materia gravi, atque ut ſic dicam, vorticoſa, circumagunt interpretes. Dilemma inducitur a *Mercero*; *Siquidem tanquam ſons punior, hei mihi! miſerrime mecum agitur, quum in Dei & Legis maledictionem incidam. Sin juſtus ſim, ne hoc quidem prodeſt mihi, quum ita adfligar ut caput attollere nequeam confectus & oppreſſus dolore. Ita neutrum mihi prodeſt, nec ſcelus, nec innocentia.* Incommode. *Coccejus* paulo commodius, *Adeo ſevere mecum agis ut pietas mea mihi ne tantillum quidem proſit, ad caput erigendum; & ut, ſi hæc ſeveritas meis delictis conveniat, mente concipere nequeam, quid me futurum fuerit, ſi improbus & impœnitens eſſem.* Hæc paucis complexus erat *Gregor.* ſic περιφράζων, *impius væ habet*; *juſtus miſeriam*; *quia æterna damnatio reprobum ſequitur.* Quid iſta argumentatio ad rem faciat, ſe non videre ait *Schmid.* cujus & tu vide num probare poſſis opinionem. *Quod ſive impius eſſet Jobus*, i.e. *malitioſe peccaret*, *væ ipſi contingeret a Deo*; *ſive juſtus eſſet* h.e. *nonniſi peccata infirmitatis committeret, nihilominus caput attollere non ſineretur.* Idem reperio expreſſum a *Cler. Hoc vult Jobus, male mihi eſt, ſi ſim improbus: nec melius a Deo habeor ſi juſtitiam & virtutem colam.* Longius labitur *Bolduc. Si ita eſt, quod ſim impius, juſtiſſime mala hæc perpetior: ſi vero juſtus ſum, non propterea debeo ſuperbire* &c. Similiter annotatum a *Codurco*, ſignificare Noſtrum, *ſe non in juſtitia ſua, ſed in Dei miſericordia gloriari.* Hæc directa fronte pugnant cum eo, pro quo Noſter depugnat, *ſe immerentem* plane *adfligi* atque *juſtiſſimum pro injuſto proſtitui.* Huc nihil eorum, quæ excerpſi, videtur adſpirare, aut pertingere. Obſervandum inſuper, tale quid poni, ex iis quæ *Vſ.* 13. præmiſſa, quod in ſe ſolum, *extra ordinem*, ita Divinitus eſſe conſtitutum, commotior adfectus *Jobo* ſuggerebat. Jam vero nihil *extraordinarium* in eo, ut qui *impius ſit*, *væ habeat*; *maledictionemque ſubeat Legis.* Omnia videntur plana fore, & expedita, ſi verba רשע & צדק *Judiciali uſu* capiamus; ut prius valeat *malam* & *injuſtam habere cauſam*; poſterius *juſtiſſimam.* Notiſſima loca *Deut.* 25: 1. *Prov.* 17: 15. Hinc explicui ſupra *Cap.* 9: 29. אנכי ארשע *Reus peragar*, ſive *injuſtam cauſam habere cogar.* Abſolutæ *improbitati* nullus ibi locus. Eadem amplitudo *Vſ.* 7. hujus *cap. Quantumvis probe ſcias me non eſſe improbum*; i. e. *culpæ proximum.* Ad hanc rationem duplex via commodæ patet explanationi. *Primam* propoſui ad *Vſ.* 14. in fine; continuata cum præcedentibus oratione: *Experior* nunc, *Te ita mecum agere conſtituiſſe, ut ſi ulla in parte reus exiſterem, grave væ in me continuo incumberet: ſin juſtus forem*, ut ſum, *ne ſic quidem caput erigerem*, ſed *calamitate* & *ignominia* omni *confuſus* ac *confectus* jacerem. Si minus forte rideat longior circumductio hæc, en *alteram viam*, quæ *Vſ.* 14. *Propoſitum ſeveritatis* exhibet, adverſus *Jobum* exercendæ: unde nunc inferatur per modum conſequentiæ, *ſi ergo Reus eſſem, Væ mihi! qui quum juſtus ſim non erigo caput meum* &c. Habes id, quod *Jobum* tendiſſe & tenuiſſe certiſſimum eſt; *ſe cum optima cauſa peſſime a Deo tractari*; atque *in ſumma innocentia plagas & pœnas pati Nocentis.* Hoc Viri conſtantiam infregit; hoc ex pectore præfocato *voces* expreſſit, *amaras* illas quidem, ſed *innocentiæ ſenſu intimo animatas* atque *accenſas.* Ex eodem nunc ſenſu graviſſima hæc expoſtulatio erupit, qua ſe nunquam *in lucem prodire debuiſſe* arguet, quippe cujus tam durum, tam dirumque, eſſet fatum, ut *inſontiſſimum* licet, pro *ſonte* plectendum ac perdendum conſtituiſſet Deus. Jam, inquit, *ſi tam acerba* & *infanda* ſubeo *Juſtus*, i. e. neutiquam *reus*, aut *culpæ adfinis*; quid non *ſubeundum* haberem, ſi *in reatu* apud Deum *deprenſus* eſſem, & non *criminationes* in me *conquirerentur*, ſed *vera* de me *Crimina* conſtarent. Facile intelligere eſt, quid in *liberius evagante querimonia* modum excedat: qui *exceſſus* ſi ab interpretatione mea abeſſet, me a *Jobi* quoque mente abeſſe cenſerem.

Ibid. Nimis argutum eſt, quod ad formulam אללי לי, *Væ mihi*, annotat Cl. *Schmid.* ea Emphatice *extremum hominis interitum* ſignari, qualis eſt *impiorum.* Generale eſſe apparet ex *Mich.* 7: 1. Alibi non proſtat. Recurritur ad cognatum ילל, *ejulavit*; ut *Jod* in *Aleph* ſit trajectum. In *Arabum Dialecto*

 ge-

geminum manſit thema ول, quod eſt ילל, cujus geminatio dedit ولول *ululavit:* & ال, אלל, quod in *Camuſo* exponitur inter alia رفع صوته بالدعاء وصرخ عند المصيبة *altius vociferari, & exclamare ad calamitatem ingruentem.* Actio illius verbi triplex, الال *Alalon*, ال *Allon*, & اليل *Alylon*. Prius ſpeciatim idem ſonare quod ويل *Væ, Eheu*, & quidem apud *Nabathæos*, ex *Gjauhario* monet Cl. *Golius*. Addo apud *Gjauh.* quoque, enotari *forma Duali* أَلَلَيْهَا *Geminatum væ ſuum* exclamavit puella. Habes planiſſume noſtrum אַלְלַי, quod eſt *Plur.* vel *Dual.* cum *aff.* & vel *geminatum* vel *multiplex væ mihi* proprie reſonat. Utrumque & ول & ال eſt ex ὀνοματοπεποιημένοις, & priori quidem ὀλολύζειν, poſteriori ἀλαλάζειν reſpondet. Prius ita *luctui* datum, ut tamen ad *lætitiam* quoque migret apud *Æſch.* 7. *ad Theb.* 831. *Agam.* 28. &c. &c. Poſterius ita *lætum*, ut ſæpe fiat *luctuoſum*. Ita *Eurip. Phœn.* 338. *Plut. Brut.* 992. 998. qui & ἀναλαλάζειν ſic uſurpat in *Brut.* 991. & in *Romul.* 29. Ergo ſana lectio *Marc.* 5: 38.

Ibid. Non vacat diſcutere ea, quæ copioſius hic congeſta a Doct. *de Pineda* circa phraſin, *Non attollo caput meum.* Dicam tantum, melius ſentiri, quam verbis declarari, quid ſit *Juſtus non erigens caput ſuum, coram Deo* æque, ac *hominibus*. Addo *coram Deo*, quia ad ſolos *homines* hanc *confuſionem* reſtrictum ibat *Schmid.* quamvis recte *pudorem* & *ignominiam* præcipue indicari judicet. Non tamen *mœrorem*, *triſtitiam*, *dejectionem animi*, quam alii hic volebant, excludere debuiſſet. Includendum præterea *pondus immane ærumnarum, ſub quo confuſus & confractus jacebat*, quod ſolide ab Erud. *Belgis*, itemque *de Pined.* adductum. Hæc omnia cumulanda ſunt per *Infamiam publicam*, quæ *Jobo tanquam capiti Nocenti*, per *extraordinarias* Dei *plagas inurebatur.* Quis *Notas infames*, & *ſtigmata noxiorum frontibus impreſſa* ignorat? ad has alluſum, patet ex reſponſo *Zophari cap* 11: 15. *Tunc attolles vultum tuum e macula &c.* Confer quæ ibi promentur.

Ibid. Per *parentheſin* Quidam interpoſitum volunt, *ſatur eſto ignominiæ, & vide adflictionem meam.* Subſcriptum a *Coccejo*, qui hic *preces intermiſceri* ait, *quæ reſpondeant* τῷ זכר *memento Vſ.* 9. *Belgæ* cum *Merc.* שׂבע pro *adjectivo* habent; ראה pro *imperat:* per *Apoſtrophen* ad Deum, *ſatur ſum ignominia, at vide adflictionem meam, & mei miſerere.* Poſtremum tamen illud ad animoſius *Pathos* revocatur a *Merc.* & *Bold. Et tu ipſe vide quo ſim ſtatu, tum cognoſces ita eſſe ut dico.* Vel ſic tamen languor ineſt, quem tollere voluit Cl. *Schmid.* aſſumta forma *infinit: Satur ignominia, & videndo adflictionem meam*, διὰ κοινοῦ שׂבע *ſatur* repetito. Alii iſtud *infinitum* convertunt in *participium*, ut *videre* ſit *videns*, & rotunde exeat *ſatur ignominia, & videns adflictionem meam.* Genio Linguæ minus adhuc litatum a Cl. *Cler.* qui ad *Deum* refert τὸ *videns*, ut ſit, *cum ſatiatus ſim ignominia, & adflictionem meam videas.* Mihi citra ſalebras שְׂבַע & רָאֵה *ſatiatus* & *videns*, i. e. *experiens*, ſunt *participia Benoni*, per *Regimen* ſic conformata. Habet tamen neſcio quid incommodi, *videns adflictionis meæ*, pro *experiens*; poſt שׂבע *ſatur*; unde ſuſpicio mihi oborta radicis רוה *inebriatus fuit*, cujus *part.* רָוֶה *Ebrius*, *Vaw* in *Aleph* trajecto, hic exaratum ſit רָאֶה, ex lege conſtructionis רְאֵה, *Ebrius adflictionis meæ.* Unam ſedem ſuo jure intrant verba *ſaturari* & *inebriari*; & quidem hac ipſa ſub *Figura*, *Thren.* 3: 15. *Saturavit me amaritudinibus, & inebriavit me abſinthio.* Confer *Eſaj.* 51: 17, 20, 21. &c. &c. In bonum juncta proſtant *Jer.* 31: 12. quorſum revocari poſſet illud *Eſaj.* 53: 11. *Propter laborem*, vel potius, *ex labore animæ ſuæ* יראה ישבע *inebriabitur, exſaturabitur.* Similis *Metaplaſmus* obtinet in נאות *manſiones* pro נוות *Pſ* 23: 2. & alibi. Hæc, ut ut ſpecioſa, dubitationi anſam relinquunt. Apud *Eſaiam* ſat rotunde efferas cum Cl. *Cocc.*

Vi-

16 ויגאה כשחל תצודני ותשב תתפלא בי׃

17 תחדש

16 Eum itaque qui celſus ibat ut Leo venaris me: & repetito impetu mirabilia in me patras.

17 Re-

Videbit quo ſatietur. Heic loci grandius adhuc aliquid ſeſe obtulit mihi, quam ipſum illud quod propoſui; in quo ſimul vis *adfixi* evidentius ſeſe exeret. Sane *Ebrius adflictionis meæ*, ſine *adfixo* enunciari ſat commode, vel & commodius, potuiſſet. At *Spectator adflictionis meæ* illud ita requirit, ut ſine eo ſententiæ ſuum haud conſtet pondus. Nempe *part. præſ.* רָאֶה *Spectans*, abſolute uſurpatur pro *ſpectatore:* quod & ſub *Arabum* رائي ſpeciatim in uſu eſſe enotavit Cl. *Golius* ex *Maruphide*. Hinc infra *Cap.* 34: 26. occurret, *pro impiis percutit eos* במקום ראים *in loco videntium*, *in theatro* veluti *ſupplicii publici*, *ubi multi ſpectatores.* Eadem imago feralis & hic obverſata videtur Noſtro, *Satiatus ignominia* publice, ut ſcelerato, mihi *inuſta*; *quin ſpectator meæ adflictionis*, atque huic *meo infami ſupplicio* non *ſupervivere* ſolum, ſed & *adſtare*, atque *adfixum hærere* coactus. Sentis *Tragicum Schema* genio *Arabiæ* accommodatiſſimum, quo nihil luctuoſius concipi aut efferri poteſt. Occaſionem huic *Figuræ* præbere potuit vox קלון *ignominia inuſta*, a קלה *torruit*, *uſſit*, quod *Originibus* relinquendum. Adde, ex nota præcedenti, *infamiam publicam*, *Jobo*, *tanquam ſceleſto capiti*, *inflictam*; cui ſententiæ hinc non parum roboris accedit.

Verſ. 16. Nodum nectit intricatiſſimum ויגאה. Plerique cum *Merc.* dant, *Et effertur*, vel *effert ſeſe*; nempe עניי *adflictio mea.* Reliqua deinde, *tanquam Leo venaris me* &c. Figurate *Elationem* & *ſuperbiam* tribui volunt *dolori* magis magiſque invaleſcenti. Hæc nimis dura κατάχρησις *Schmidio*, qui ex *Cap.* 8: 11. *creſcere* ſubſtituit, parum attendens & ibi *elationem ſuperbam* deſignari. Nil haberet abſoni in ſtilo Tragico *ſuperbius* & *ferocius ſeſe efferens dolor*, ſi ſatis conſtaret de iſta conſtructione, quam R. *Levi* aliique cum voto reddiderunt, *utinam efferret ſeſe* iſta mea adflictio! *& me tanquam Leo venareris! me quantocyus perimendo. &c.* Vide & aliud apud *Merc.* Longe diverſum quid exhibet Cl. *Cocc.* יגאה conſtruens cum ראשי, ut ſit, *Et* putaſne *erigeretur? caput*, nempe, *meum. Quomodo poſſet erigi cum Tu ut robuſtus Leo me veneris?* &c. Id parum molle, aut teres. Reſeco alia conamina; & venio ad eos qui כשחל ad *Jobum* retulerunt, *quem* Deus dicatur *ut Leonem*, *retibus*, *telis*, *venabulis*, *circumdediſſe.* Horum optima fuiſſet ratio, ſi ויגאה locare potuiſſent; ſed quis concoquat illud *Vulgati*? *Et propter ſuperbiam quaſi leænam capies me.* Id explicitum ab *Eruditiſſ. de Pined. Cum volo conteſtari meam innocentiam*, *pœnas ſtatim pendo: ſentio enim me tanquam ferocem ſuperbientemque leænam paratis a te laqueis & retibus capi; atque acutiſſimis dolorum jaculis configi.* Iſte adſpectus ſic ſatis accedit ad genuinam *Jobi* mentem, neque in verſione parum felici felicius quiſquam verſari potuiſſet. Inſerta *particula* אשר omni nodo nos exſolvet, grandiſonumque aliquid miniſtrabit; *Et qui efferebat ſe ut Leo*, *venaris me.* Notum proverbium, *Juſtus ut Leo animoſus eſt.* Indicat ergo Noſter, poſtquam *Juſtum ſe eſſe* dixiſſet, *ſe olim capite erecto animoſum inceſſiſſe*, *ad inſtar Leonis*, ſed *nunc venabulis* Dei *confixum*, *proſtratum*, *adflictum*, *jacere.* Appoſitiſſimum in hac ſede illud גאה, quod *Caput*, *cervices*, *animos*, *erectos* & *excelſos* deſignat *in bonum* æque, ac *in malum:* unde nunc per *Superbiam*, nunc per *Celſitudinem* & *gloriam* convertitur. צוד *venari* hac *figura* auctum *Pſ.* 140: 12. unde infra *Cap.* 19: 6. habebimus מצודו *Rete ſuum mihi circumdedit.* A *tertia* ad *primam perſonam* tranſitum fieri patitur ſtilus Orientis. *Gen.* 44: 32. *Servus tuus ſponſione ſuſcepit puerum a patre meo.* Tragicus præſertim id affectat. *Eurip. Med.* 1337.

תחדש

17 Renovas incurſiones tuas coram me; & multiplicas indignationem tuam adverſus me; novæ vices, & exercitus, inſtant mihi.

17 תחדש עדיך נגדי ותרב כעשך עמדי חליפות וצבא עמי׃

18 Qua-

18 ולמה

——— ——— ——— νυμφευθεῖσα δὲ
Παρ' ἀνδρὶ τῷδε, καὶ τεκοῦσά μοι τέκνα

——— ——— ——— *Nupta vero*
Viro huic, & pariens mihi liberos.

Illud *viro huic* refertur ad ipſum loquentem, *Jaſonem*. Item *Androm.* 64: *&c.*

Ὦ φιλτάτη σύνδουλε, σύνδουλος γὰρ εἶ
Τῇ πρόσθ' ἀνάσσῃ, νῦν δὲ δυστυχεῖ.
Τί δρῶσι; ποίας μηχανὰς πλέκουσι νῦν,
Κτεῖναι θέλοντες τὴν πανάθλιον ἐμέ;

O chariſſima conſerva, conſerva quippe es
Huic antea Reginæ, nunc vero infelix eſt.
Quid faciunt? quas machinas nectunt nunc,
Occidere volentes me multo miſerrimam?

Agmen exemplorum præ manibus. Sed en Noſtrum eodem flexu iterum utentem *Cap.* 13: 16. *Etiam hoc ipſum Mihi ſaluti*; *nam non veniet in conſpectum ejus Hypocrita.* Confer quæ ibi notabuntur.

Ibid. Nihil equidem deſidero in ſenſu ultimæ partis, *identidem miris & indignis modis me tractas*; *portentoſas & horrendas plagas mihi imponis*, vel *mirifice impetum facis in me:* quibus, aliiſque, verbis, Doctiſſimi interpretum hic uſi. Suſpicor tantum, aliquid latere in *Origine* thematis פלא cujus *Niph.* valet *Mirabilis* aut *portentoſus fuit*; & *Hiph. Admirabile* aut *ſtupendum* quid *patravit*. Hæc *ſecundaria* ſunt. *Primaria notio* haud quidem exploratiſſima mihi; non poſſum tamen quin exponam, quod collatio *Dial. Arab.* mihi ſubjecit. In ea فلا פלה notat *findere*, *diffindere*, *ſeparare* &c. &c. Id *Hebræis* הפלה. Hinc enatum conjicio, *Mirabile* quid, vel *portentoſum patravit*, aut *produxit*. Conjecturam hanc nunc perſequi haud vacat: quæ ſi fundata reperiatur, habebimus hic, *identidem portentoſa in me patras*, cum alluſione ad vim principem, quæ *fiſſionem*, vel *diffiſſionem*, ad *vulnera altius adacta* applicari patitur. Hanc *Figuram ex Ambiguo* apprime hic quadrare, percipias ex *Merceri* interpretatione, *ſubinde iteras & ingeminas plagas tuas*, *ut plane admirandum te in mea perſona & corpore exhibeas*; *dum tam atroces*, *admirandas*, *& horrendas*, *plagas mihi infers.*

Verſ. 17. Nexus evidens. In phraſibus nonnihil obſcuritatis. Ac primo quidem hæretur in voce עדיך. Plurimi a עוד vertunt, *Teſtes tuos renovas coram me.* R. *Levi* a עדה, & עדיתא *plaga leproſa*, apud *Aramæos*, maluit *Plagas tuas renovas*. Per *Teſtes* nonnulli *Dæmones*, alii *ſocios Jobi* intellexere. Rectius plerique tum *Judæi*, tum *Chriſtiani* ipſas *plagas* eleganter ſic appellari arbitrantur. *Coccejus* a *Schmidio* redarguitur, quod *Delicta Jobi* nomine *Teſtium* venire autumarit. Crediderim potius, per ſimilitudinem *Teſtes* hic inductos eum voluiſſe. *Talem te præbes in me*, ita commentatio ſe habet Cl. *Cocc.* *ut videaris ſigillatim*, *quaſi novis teſtibus novum crimen deferentibus*, *mea delicta excutere*, *& perſequi*, *atque ita magis magiſque incandeſcere.* Addit, *Teſtes olim convincebant ſceleris*, *& ipſi primi pœnam irrogabant. Huc alluditur & Malach.* 3: 7. *Ero teſtis velox in omnes flagitioſos.* Ergo & ipſe tenet cum *Merc.* *Plagas* Dei *accuſantes*, *convincenteſque de crimine commiſſo*, *ac pœna promerita.* Id fortius & figuratius, quam quod a *Schmidio* præfertur, *plagas quæ mihi teſtentur tuam indignationem.* Inſpice *Comm. Doct. de Pined.* & hoc ipſum ſat demonſtratum fuiſſe agnoſces. Argute ab eodem *de Pin.* obſervatum, *Decretoriæ ſententiæ dilationem & moram innui hac Teſtium inſtauratione*, *quum Noſter Judicium Mortis in ſe acce-*

acceleꝛari maluiſſet. Fateor hoc pacto *enucleatam figuram* aliquid *grande* & *ſpecioſum* præferre, quod cum *Vſ.* 15. ſatis arcte poſſet copulari. Attamen necdum exemtus mihi ſcrupulus, quem olim adverſus hos *Teſtes* movi, quod minus convenire videantur *venationi contra Leonem ſuſceptæ Vſ.* 16. Ad hanc comparationem ſuſtinendam a *Rad.* עדה عدي *cucurrit*, *incurſavit*, in medium tunc dabam *Renovas incurſationes tuas*, a *ſingulari* antiquo עֲדָה. Hoc quodammodo concinit cum eo quod R. *Levi*, quem *Pagnin.* aliique ſecuti ſunt, ex עדיתא producebat, qua voce *plaga contagioſa ſcabiei*, vel *lepræ*, quæ *Arabibus* عدوي, ab *incurſando* ſic dicta, denotatur. Noſter adſpectus latior, & commodior; in quo quieviſſem, niſi Cl. *Guſſ.* conjectura examinanda reſtaret. Et ille *Teſtes extra rem* huc *advocari* cenſuit, ob eandem, quam dixi, rationem. Mavult ergo a *rad.* עדה, ejuſque derivato עדי *Rictus*, imaginem *canis venatici os ſuum in Leonem aperientis* &c. &c. Dura locutio profecto, *Renovas ora*, *rictus tuos.* Durior adhuc imago *canis venatici* Deo applicita. Denique *precaria* tantum iſta *notio rictus*, ex *Pſ.* 32: 9. & 103: 5. a quibuſdam, non ab omnibus, extuſa. עדי conſtanter ſonat *ornamentum*, *inſtrumentum*, *apparatum.* Ejus *plurale* עֲדָיִים *Eſech.* 16:7. *Analogia* admittere etiam potuit עֲדִים, ut כֵּלִים *vaſa*, a כְּלִי; cujus Origo כָּלָה. Ad eam rationem עֲדָה, pro quo deinde עֲדִי, dederit עֲדִים, *inſtrumenta*, unde hic non incommode exſiſteret *Renovas inſtrumenta*, vel, *apparatus tuos coram me.* Intelligeſis *Retia*, *venabula*, reliquumque *apparatum venatorium.* Hanc amplitudinem vocabuli עדי recipere poſſe, ut *ornamentum* apud *Latinos*, itemque *inſtrumentum*, patet ex collatione *Radicis* ادا, quæ cum عدا עדה eandem tenet *Originem*, ut in *Clavi p.* 269. notatum. In verbo *Renovandi*, præter *generalem notionem* ſeſe exerere videtur *ſpecialis* illa *vis*, quæ inclinat in malum, veluti quum *Dira* & *infanda* apud *Græcos* & *Latinos* appellantur *Nova.* Eundem uſum *Radici* חדש حدث vindicat *partic. præſ.* حادثة, frequentatum pro *Infortunio*, nec non حُدْثَى, *forma fœm.* ab أَحْدَث, quaſi dicas *Rem novam valde*; quales erant ſane *calamitates inuſitatæ* & *inauditæ*, quæ Noſtrum velut *indagine*, omnis *formidinis* plena, circumcinctum & exagitatum tenuerunt.

Ibid. Illa *Nova* ſemper *malorum agmina* ſic porro exequitur Noſter. *Multiplicas indignationem tuam* עמדי *apud me*, vel *contra me*, ut alii malunt. Proprietas Linguæ adferret *proximam adſtantiam*, vel *inſtantiam.* Lubens conceſſerim Cl. *Schmid.* per כעש non tam *affectum iræ*, quam *effectum* & *indicia ejus* deſignari. Si quis *ipſam indignationem* malit, תרב vertendum potius erit, *increſcere facis eam* identidem, nam רבה etiam *incrementum* rei adfert, & quidem ſpeciatim *fœnoris* ac *lucri*, quæ figura & hic forte captata. Ad vocem חליפות ſaniſſime judicavit *Merc. vices & exercitus* eleganti tropo dici, pro *vices exercitus*, ut ſenſus ſit, *impetor variis & ſibi invicem ſuccedentibus malorum agminibus.* Haud quadrant *exciſiones* aliorum. *Mutationes in pejus*, quas *Schmid.* profert, longe petitæ & languidæ. Minus feliciter in hunc ſenſum citat *Cap.* 14: 14. ubi צבא & חליפה etiam junctim comparent. Intelligit ibi Cl. *Cocc. deceſſionem a ſtatione per mortem*, *alio ſuccedente*, *ut in militia fieri ſolet.* Idem heic loci vertit, *ſucceſſiones & ſtatio apud me ſunt.* Hoc eſt, *ſuccenturiantur teſtes infeſti alii aliis*; *& ii ſtato tempore hoc ſuum munus adminiſtrant contra me.* Sic ὁ πάνυ in *Lex* planius, quam in *Comm.* Non placet צבא pro *ſtato tempore* ſic ſumtum. Minus adhuc ridet *tempus præſtitutum pœnarum*, quod *Raſchius* volebat; cujus veſtigiis hærens Cl. *Schmid.* dedit *miniſterium negotioſum & moleſtum*, cui obnoxius fuerit Noſter. Nil incommodius. Tenenda illuſtris figura *Exercitus*, pro *malorum agmine conglobato.* Redeatur ad *Cap.* 6: 4.

18 Quare ergo ex utero exire feciſti me? expiraſſem & oculus non vidiſſet me.

19 Ac ſi non exſtitiſſem, fuiſſem: a ventre in ſepulcrum fuiſſem deductus.

20 An

18 ולמה מרחם הוצאתני אגוע ועין לא־תראני :

19 כאשר לא־הייתי אהיה מבטן לקבר אובל :

20 הלא־

ſupra. Cum eo חליפות ſic copulabam olim, ut *conjurationes*, aut *fœderationes* deſignarentur; atque ita per *Hendiadyſin* exiſteret *conjuratus malorum omnium exercitus*. Id exſculpſeram ex حلف *juravit*; nondum omni *proprietate* & *elegantia* verbi חלף ex collatione cum خلف mihi perſpecta. Ea Radix quicquid poſſidet notionum, traxit a *ſuccedendo in locum* alterius, *ſubſtituendove*. Inde ſpeciatim اخلف *inſtauravit vices*. Item, *reſtauravit*, *reſarſitve vires* &c. &c. Ex hoc fonte nil limpidius, quam quod poſt *Merc. Belgæ*, aliique præſtantes interpretes, amplexi ſunt, ut vox חליפות ſignet, vel *vices adoriendi turmatim*, vel *ipſas turmas & copias ſibi invicem ſuccedentes*, *ut*, *haud ſecus atque in bello*, *aliave impreſſione*, *cum vicibus*, *& vires oppugnantium inſtaurentur*. Confer uſum 1 *Reg.* 5: 14. quem Cl. *Cler.* opportune quoque adduxit. Quid *inf.* 14: 14. intelligendum ſit, ſuo loco reddetur.

Vſ. 18. Non probo criſin Erud. *Vavaſſ. ſicut in querelis a ſumme miſero*, *& calamitoſo*, *fruſtra expectes modum*, *ita & ordinem*. Idem *Doct. Merc.* innuit, quum *Rediri* ait *ad querelam ab initio inſtitutam Cap.* 3. Reditur ſane, ſed ita, ut nihil aptius ad ſeriem dari queat. Nempe dolori ſe ſuo permittens, infert tandem ex præced. *ſe tanquam infauſtum & neſaſtum caput non debuiſſe in luminis oras prodire* &c. &c. Vides quanto adfectu prolatum ſit, *Et quare me*, tam dirum hominem, *ex utero exire feciſti*? Me, *qui* quamtumvis *juſtus*, *caput non erigerem*, &c. &c. Confer in hanc mentem, quæ Cl. *Cocc.* ſcopo convenienter poſuit. Sequentia cum eodem melius extra votum acceperis, *Expiraſſem*, *oculus non vidiſſet me.* Minus tamen placet interpretatio adjecta, *pejus aliquid mihi non accidiſſet tum*, *quam quod nemo me vidiſſet*, *quem jam vident* πρὸς δεινὰ γυμναζόμενον. Plenius tamen hoc, quam illud *Merceri*, *Expiraſſem*, *nec me jam oculus cujuſquam videret tam acerba patientem.* Vehementius aliquid intentum, & *Tragico ſchemate* expreſſum hic, quod ad *Vſ.* 1. inſinuabam, Noſtrum ſemet ut *Monſtrum* aliquod *hominis* conſiderare, quod *a nullo oculo* unquam *conſpici debuiſſet*, ſed *in utero* potius *extingui*. Hoc *pathos* toto capite 3. regnans opportuniſſime ergo hic recurſat.

Verſ. 19. Eodem adfectu adſpectuque dictum, *Ac ſi nunquam fuiſſem*, *eſſem*, i. e. *eſſe debuiſſem*; continuato filo: languidius enim exit *Tunc eſſem quaſi non fuiſſem.* Senſus eſt, *tam neſaſtum dirumque caput non debuiſſe comparere in terris*, *ſed ignorari penitus*, *atque in obſcuro deliteſcere*, *haud* ſecus ac *fœtus abortivus*, *qui æterna oblivione jacet ſepultus.* Redi ad *Cap.* 3: 16. & agnoſces Clar. *Clericum* hic infelicem criticum, infeliciorem agere Theologum, quum fidenter notat, *Nondum notam immortalitatem animi*, *tempore Jobi*, *fuiſſe*, *hæc*, *ut innumera alia*, *clare oſtendunt.* Itane vero *clare*? Atqui *nil clarius* quam verba popularia non eſſe ultra ſcopum rapienda; atque *immortalitatem animæ* tam parum hic tolli, quam tollitur ipſa *fœtus formatio in utero*; *infectumve* redditur quod *factum* fuerat. Cavillatio hæc ſæpiuſcule jam refutata: ut *Cap.* 3: 13, 16. &c. Formula parili fere ſenſu adhibita *Obad. Vſ.* 16. והיו כלוא היו *& erunt ac ſi non fuiſſent*: *æterna oblivione ſepelientur*, *& abolebuntur*. Ibi *Animæ immortalitatem dubiam reddi*, nemo, quod ſciam, dixit; nemo ſaltem prudens dixerit.

Ibid. Dupliciter exponitur membrum poſterius, vel, *Matris uterus mihi fuiſſet ſepulcrum*; vel, *ex eo lapſus mortuus*, *inde ad ſepulcrum elatus fuiſſem.* Res a Doct. *Merc.* in medio relinquitur. *Schmidio* poſterius magis

pla-

20 הלא־מעט ימי יחדל ישית
ממני ואבליגה מעט׃

21 בטרם אלך ולא אשוב אל־
ארץ חשך וצלמות׃

22 ארץ

20 An non pauxillulum dierum meorum deficiet? abſiſtatur a me, & renideſcam pauxillulum.

21 Antequam abeam, non rediturus, ad terram horridæ caliginis & umbroſitatis feralis.

22 Ter-

placet. Mihi prius videtur gravius & figuratius, hunc in modum, *venter fuiſſet veſpillo meus. A ventre*, tanquam veſpillone, *ſepulcro fuiſſem illatus.* Sic *ſepulcrum* non proprie, ſed improprie foret poſitum, ſecundum illud *Jer.* 20: 17. *Et mater mihi mea fuiſſet ſepulcrum* &c.

Verſ. 20. Rotundior eſt verſio Cl. *Cocc.* quam aliorum, in priori parte. *An non paucitas dierum meorum ceſſabit*? Eandem ſtructuram *Vulgatus* tenuit. Sane *Chetyb*, יחדל, longe commodius τῷ *Kery*, quod plerique ſecuti. Poſſes quoque fortiore adhuc ſenſu, *An non parum quid dies mei*, quod *ceſſabit*? Omiſſum אשר, ob gratiam, & Emphaſin. חדל *ceſſare*, ſpeciatim infert *ceſſationem vitæ, quum vigor omnis remiſſus & extinctus jacet.* Grandiſone hinc dictum *Eſaj.* 38: 11. ישבי חדל *Habitatores ceſſationis*; pro *Functis.* Adde *Pſ.* 39: 5. *Mercerus* יחדל ad *Deum* incommodius retulit, de quo mox.

Ibid. Et hic Varia Lectio ancipites habet interpretes. Si ישית retineatur, ad *Deum* redibit, ut ſit, *deſiſtat a me.* Id *Doct. Merc.* cum יחדל in unam periodum colligavit, conſtructione minus tereti ac molli. Qui וחדל malebant, ושית etiam præferre coguntur. Quin Cl. *Cocc.* poſtremum hoc ſecutus eſt, quamvis prius rejecerit, ut ſit, *Ergo caſtra tua move a me.* Mihi admiſſa hac Lectione *Infinitivum* videretur convenientius, *Ego abſiſtere a me*, pro *abſiſtatur.* Sed fruſtra ſollicitari puto τὸ ישית, quod intranſitive poſitum, norma *Chaldaica*, dat, *Abſiſtatur a me.* Verbum שות, & med. *Jod* שית etiam intranſitivam vim obtinuiſſe patet ex *Pſ.* 49: 14. *ut oves in Orco* שתו *ponuntur.* Hinc ex *fut.* in *kal*, non, ut volunt, in *Hiph.* exiſtit ישית *ponatur a me*, hoc eſt *remittatur impreſſio hoſtilis*, ut *ponere ſuper*, ἐπιτίθεσθαι, adfert *invaſionem* & *impugnationem.* Fero equidem, quod Cl. *Cocc.* ſupplet, מחנה, ſed ſimplicius hocce præfero. Vernacule dixeris **Men ſette van my af.** Poſſis quoque *Remittat a me* Deus, vel *Exercitus* ille malorum, quo cinctus ſum. Mihi ſonantius videtur illud intranſitivum.

Vſ. 21. Congeruntur hoc *Vſ.* & ſeq. graviſſimæ, & pluſquam Tragicæ, locutiones, *Mortis & ſepulcri horrorem* exaggerantes. Hoc quum minus ad ſcopum *Jobi* facere videretur, quippe qui *Mortem anhelaret*, *omnibuſque votis*, tanquam miſeriarum unicum portum, *exoptaret*, & Veteribus & Recentioribus multis opportunius viſum ad *damnationis æternæ tenebras* & *horrores* hæc referre. Prolixus in hac expoſitione Doct. *de Pined.* ad eamque nonnihil propendet Cl. *Cocc.* hoc ſenſu, *Ne deſeras me, O Deus mi, ut ne deſeram Te*; *ne me patiaris in barathrum deſperationis incidere, & perire in æternum*; *inque perpetuis tenebris mori.* Ego cum *Merc. Schmid.* aliiſque, eam ſeponendam judico; ut pote nec *ſenſui*, nec *Adfectui Jobæo* reſpondentem. *Senſus* ejus hic ponit *ſtatum*, quem ex *Lege moriendi* certiſſime eſſet ſubiturus. *Adfectus* iſtam *mortis neceſſitatem* jam non ut *portum* proponit, ſed ut *ſcopulum*, ad quem *vita* hæc, poſt laborioſum curſum, ſit *frangenda*, *luce* ejus *breviſſima* in *Longum Occaſum*, & *denſiſſimas* atque *horrendas* plane *tenebras*, *converſa.* Talis adſpectus hic mire quadrabat, & liberas *Jobi* querelas inflammabat; ut enim *Cap.* 7. ex *dura & fatali neceſſitate naturæ* colligebat, *miſerum mortalem tam extraordinariis plagis* non eſſe *onerandum*; ita hic *paululum* ſaltem *lætæ lucis* ſibi concedi poſtulat, antequam *longam*

22 Terram vertiginis caliginoſæ, qualis eſt tenebrarum umbræ mortis; & non præſtrictionum: quippe cui jubar ſit ipſiſſima caligo.

22 ארץ עפתה כמו־־־אפל צלמות ולא־סדרים ותפע כמו־־אפל׃

illam & *perpetuam Noctem* intraret, quam brevi *ſubeundam* haberet *ſine* ulla *ſpe reditus in hanc* ipſam *vitam*, quæ non niſi ſemel in terris vivi poſſit. Extra hos fines proſilire, atque *Jobi Philoſophiam* aut *Theologiam* ad talia dicta explorare, non eſt circumſpecti commentatoris. Prudenter & ſolide *Cocc. Concluſionem* hic agnoſcit, *qua Noſter petat mitigationem & relaxationem*, *ratione ducta a propinquitate mortis per ſe abominabilis.* Atqui hic ipſe nexus omnem reſpectum ad *ſtatum damnationis* miſſum facere jubet; quod ſi probandum ſuſciperem, cum ratione inſanire viderer.

Verſ. 22. *Tragice Mortem* & *ſepulcrum* deſcribi ut *Regionem*, quin & *Regnum vaſtiſſimum*, nemo non dixit, nemo non ſentit. Multa a veteribus ſimili cothurno enunciata. Is tamen celſior adhuc, quam vulgo exprimitur: fluctuante inſuper plurimorum conſtructione, & verſione. *Merc.* dat *Terram obſcuritatis velut caliginis*; *umbræ mortis & non ordinum: & ſplendet velut caligo.* Aliter *Cocc. Regionem vertiginis*, *ut in caligine*, *umbræ mortis*, *ſine ordinibus*; *& quæ ſi luceat*, *ut caligo eſt.* Non perſequar omnem varietatem, ſed apponam tantum quod *Pagnin.* exhibet, *Terram* nempe *obſcuritatis*, *ſicut caligo umbræ mortis: & non ſunt in ea ordines*; *ac tenebreſcit ſicut caligo.* Ex his granditas figurarum non ſatis relucet; quam ut claro in die locem, omnino *Cocceji Regionem vertiginis* teneri neceſſe eſt. Hoc quid ſibi velit, ſe non videre ait *Doct. Schmid.* Vidiſſet, ſi *Lexicon* Cl. *Cocc.* inſpexiſſet, ubi notio *obſcuritatis* ſub עוף arceſſitur a *vertigine*, quaſi dicas *caliginem vertiginoſam.* Feliciſſime, niſi quod obſcurius tamen *vertiginem* illam derivatam putet a *volando.* At hoc ipſum *volare* eſt *ſecundarium* ſub עוף; a *Principe* poteſtate *gyrandi*, *rotandive*, unde *volare* ductum, quod fit *rotando*, *gyrandove per aërem.* A *gyratione* & *rotatione* item deducta *vertigo*, qua *caput rotatur.* Quin & עיף *laſſari ad deliquium uſque*, nihil aliud eſt quam *vertiginoſum fieri.* Hæc nunc obiter, ad עפתה pro *maxima vertigine* rite conſtabiliendum. *Græcis* στροφοδινεῖσθαι dicitur, qui *vertigine caligante circumagitur & rotatur:* itemque *volucres* στροφοδινοῦνται πτερύγων ἐρετμοῖσιν ἐρεσσόμενοι *circumgyrantur alarum remis remigantes*, apud *Æſch. Agam.* 51. עיפה citra ullam dubitationem σκοτόδινος, & עוף quatenus *obſcuritatem* notat, ſummum ejus gradum exprimit, unde σκοτοδινία oboriatur, *qua laborare*, eſt σκοτοδινᾶν & σκοτοδινιᾶν. Habes venuſte non minus quam graviter *Terram caliginis vertiginoſæ*, quam qui intret, *perpetua* velut *vertigine jaceat conſopitus.* Cl. *Crom.* non inveniens *convenientiam* inter *obſcuritatem* & *volatum*, noſtrum עפתה revocat ad عفا *obliteravit*, *extinxit*, unde عفو *terra veſtigiis carens*, *inhabitata*, & عفاء *obliteratio*, *interitus.* Sic haberemus χέρσον ἀφανῆ *Æſchyli*, figura haud ſane inconcinna. Sed quid faciet tunc Vir *Doctiſſ.* illo? עשה שחר עיפה *Faciens auroram*, *caliginem vertiginoſam*, *Amos.* 4: 13. quid *Jud.* 4: 21.? ויעף וימת & *vertigine caliginoſa correptus moriebatur.* Radix ibi haud dubie עוף, cujus σκοτοδινίαν, cum relatione ad *mortis tenebras*, indidem condiſcas. Alia recurrent ad *Cap.* 11: 17. infra.

Ibid. Dilucere incipit, quam magnifice, & rotunde, ſtruatur, *Terra vertiginis ſicut tenebrarum umbræ mortis.* אפל proprie ſignat *Tenebras quæ cum ſole occaſo ingruunt*, *magiſque ac magis ingraveſcunt. Caliginis nocturnæ ſummum gradum.* Appoſitiſſimum ergo אפל צלמות, *ipſum* quaſi *meditullium umbræ mortis* exprimens. Additur ולא סדרים quod exponi ſolet, & *ſine ordinibus*; ex notione *Chal-*

Chaldaica vocis סדר. Intelliguntur a nonnullis *ordines ſtellarum*; ab aliis *temporum*; ab aliis *perſonarum*, ac *conditionum*. *Cl. Cocc. diſpoſitionem & pulchritudinem ordinatiſſimam omnium rerum* generalius reſpexit, quem ſecutus eſt *Schmid.* ut *confuſum* ibi *chaos* eſſe, innuatur. Nil opportunius, ſi סדרים ſint *ordines*, quibus aliquid præſidii accedit ex שדרות 2 *Reg.* 11: 8, 15. quod *ſeries ordinatas* videtur deſignare. Non pœnitet tamen conjecturæ veteris, qua in medium tuli *Arabum* سدر *præſtrictos habere oculos ex fulgore*: ſed tunc temporis necdum penetrabam ad omne illud, quod nunc majore luce ſeſe mihi majorem in modum commendat. Nempe quum עיפה ſit *vertigo capitis ex horridis tenebris oriunda*, سدر סדר autem *Arabibus* notet *præſtrictionem oculorum*, & *vertiginem capitis ex fulgore*, veri perquam ſimile ſit, duo hæc vocabula ſibi invicem reſpondere, & ארץ עפתה *Terræ caliginoſæ vertiginis*, amplificandi ergo *negative* ſubnecti, ולא סדרים *& non vertiginum luminoſarum.* Duplex hujus verſionis facies. Vel enim ſimplex eſt oppoſitio, ut in *Proverbiis*, *deſtruet*, *& non ædificabit*, quo genere nil tritius in ſtylo Orientis; vel eſt *oppoſitio cum comparatione conjuncta*; & quidem ſic, ut id cui quid comparatur, longe ſubſidat infra prius. Exemplum unum alterumve rem reddit illuſtriorem. *Hariri Conſ.* 15. ارقت ذات ليلة حالكة الجلباب ولا ارق الصب طرد عن الباب *Vigilavi nocte quadam, obſcuro peplo velata, & non vigilia amatoris a foribus repulſi.* Id eſt, *multo graviore & vigilaciore cura, quam talis amatorculi eſt.* Ibidem iterum فخرسوا ولا خرس سكان المقابر *Obmutueruntque, & non ſilentio habitantium in ſepulcris.* i. e. *altiore, quam mortuorum, ſilentio.* In Sacris tritiſſima quoque figura. שכרו ולא יין *Ebrii ſunt, & non temeto.* Intellige mecum, *Ebrietatem multo graviorem.* Similiter *Eſaj.* 51: 21. *Amos.* 8: 11. *Prov.* 8. 10. *Jer.* 4: 11, 12. ubi quoque expreſſum, quod alias ſubauditur, *Ventus nitidus* adeſt, *non ad ventilandum, & non ad purgandum. Ventus plenus præ illis.* Ad eam rationem in noſtro contextu exiret, *Terra vertiginis ſummæ tanquam tenebrarum umbræ mortis, & non præſtrictionum e lumine.* Videlicet *immane quantum gravioris.* An utrumque hic obtinere dicemus? certe *negatio* iſta prior acumen habet, & ſalem; quo exaggeratur horror eorum locorum, ubi *æternæ* regnant *tenebræ*, *ſoli*, & *lumini*, plane *inviæ*; vel, ut *Ennius* ait, *Ubi rigida conſtat craſſa caligo inferum.* Idem hæc *leti loca* appellat *pallida*, *obnubila*, *tenebris obſita*; ubi ſtylo *Æſchyli* regnare dicas κνέφας δυσήλιον, quin ἀνήλιον, Ἀπόλλωνι ἀστιβές. Ergo ולא סדרים *præſtrictionibus e lumine oriundis haud ſane obnoxia.* Cl. *Guſſ.* in *App.* ſub סדר, ſerie verborum ductus inclinat in notionem *Luminis*; atque מסדרון exponit *locum lucidum.* Id ultra veterem meam conjecturam non progreditur.

Ibid. Ironiæ ſpeciem ſic naſci vides, quam & ſequens colon aperte præfert. *Et ſplendet velut caligo*, habes apud *Merc.* hoc ſenſu, *quod in ea ſplendidiſſimum, eſt caligini ſimile, omnis ejus lux nihil aliud quam caligo.* Idem haud dubie voluit *Cocc. Et quæ ſi luceat, ut caligo eſt.* Subtilius quid dare ſe putat *Schmid. Et quæ illuminatur luce, quæ eſt ſicut tenebræ.* Mihi omnia hæc eodem redeunt, ſub grata & gravi *Ironia*; cujus *lepos* ſimul & *acies* creſcet nonnihil ex *Origine* utriuſque verbi. Nempe יפע deſignat *jubar præradians*, veluti *ſolis in meridie verſantis*: אפל *ſummum* dicam? an *imum gradum noctis, nocturnæque caliginis.* Hinc exiſtit cothurno vere Orientali, *Et cujus vibrantiſſimum jubar ſit mediæ noctis profundiſſima & omnis lucis vacua caligo.* Alliteratio attendenda forte, inter עיפה *caligo vertiginoſa*, & יפעה *jubar præradians*, item *vertiginem creare aptum. Antiphraſis*, per quam תופע pro *radiat* hic eſſet *obtenebreſcit*, ut *Kimch.* autumat in *Lib. Rad.* eumque ſecutus *Pagnin.* merito jam ab aliis repudiata fuit; ut totum hocce genus nil niſi ſomnium eſt, & *Grammaticorum* moſtellum. Ejuſdem erat *Commatis*, quod עיפה a quibuſdam pro *Lumine* poſitum cenſebatur in priori membro; quo nihil abſurdius, ac violentius.

CAPUT UNDECIMUM.

Verſ. 1. ET reſpondit Tſopharus Naamatæus, dixitque.

2 Num multitudo verborum ſine reſponſione eſſet? & numquid vir labroſus juſtus exiſteret?

3 Jactantias tuas ſodales ſilentio tranſmittant: & illuſorem agas nemine confundente.

4 Ete-

Verſ. 1. ויען צפר הנעמתי ויאמר ׃

2 הרב דברים לא יענה ואם־איש שפתים יצדק ׃

3 בדיך מתים יחרישו ותלעג ואין מכלם ׃

4 ותאמר

Verſ. 1. Tertius hicce cenſor, magniloquis *Jobi* dictis provocatus, ita ea retundenda & refutanda ſuſcipit, ut oſtendat & ſibi perſuaſiſſimum eſſe, *meritas criminum pœnas* a Noſtro *ſuſtineri.* Quin, ut fit, ulterius quoque provehitur, atque *temeritatis*, *arrogantiæ*, & *contumaciæ* dicam *Jobo* impingens, *longe infra merita* ipſum *plecti* contendit: optans ſimul, ut ex contemplatione infinitæ Dei perfectionis in ſe deſcendat, & juſtitia Dei, ſuaque injuſtitia agnita, ferociam exuat; cor fermento expurget, atque omne commercium cum crimine abrumpat. Sic fore ut omni calamitate diſcuſſa, lætior redeat fortuna, atque ad ſummum ſimul, ſimul ſtabile, culmen felicitatis evehatur. Sin *improbum* agere pergat, crimini addens pertinaciam, nec effugium, nec ſpem ullam eſſe reliquam, quum *improbos* certiſſimum maneat exitium, unde emergere aut eluctari nunquam detur.

Verſ. 2. Vocabulum רב judice *Merc.* potius *adjective* ſumendum, quam *ſubſtantive*; ut ſit, *Multus verborum.* Quum tamen alibi hæc forma ſit *ſubſtantiva*, retinere malim, *Multitudinem verborum*, ſive illud jam placeat *concrete* ſumere, atque ita per *figuram* convertere in *Adjectivum*; ſive *abſtracte* & *ſimpliciter*, quod mihi cum *Cocc. Schmid.* aliiſque præplacet. Ceterum *An multitudo verborum non reſpondebitur*? hic non tantum valet *reſponſum feret*, ſed etiam *refutabitur*; neque admiſerim, quam Cl. *Schmid.* mallet, *Ellipſin* ꝟ ל, quaſi eſſet הלרוב *An multitudini* &c.? In verbo ענה aliquando & ipſam *refutationem* ineſſe, monui *Cap.* 9: 3. Sequens formula איש שפתים ex genio Linguæ ſonat *vaſtis labris præditum. Labeonem*, vel, e *Græco* fonte, *Chilonem.* Intelligitur haud dubie *Loquax*, *blaterator vanus* & *tumidus*, cui *improbiora* ſunt *Labra.* Ea figura *Buccones* apud Latinos figurate etiam pro *loquacibus*, qui *tumidas intendunt rumpere buccas.*

Verſ. 3. Nimis argutum videtur, quod Cl. *Cocc.* בדים videantur eſſe quaſi ἐκχέμενς *Rami*, pro *jactantiis*, metaph. a *brachiis* & *ramis arborum late explicitis.* Sic Radix foret בדד. Durius adhuc, ex בדים *artus inf.* 41: 4. tentatum, *Numquid ſilebunt tuos artus*? id eſt, *quod Tu te ita nobis infers ut animal artuoſum*; *ut virum inſolitæ ſanctitatis*, *ſapientiæ* &c. Conſimilia fere reperias apud *Codurc.* qui *Argumenta*, & *Lumina orationis* indicari opinatur. Conjecturis anſam præbuit *forma*, commodius a בדד deſcendens, quam a בדא, *effutivit*, *commentus fuit.* Nec tamen tanti ea difficultas, quum ex

4 ותאמר זך לקחי ובר הייתי בעיניך׃

4 Etenim dixiſti, nitidus eſt flos ſeminis mei; & purus exiſto in oculis tuis.

5 ואולם

5 At

ex *pihel* illius *Radicis*, ſuppreſſa 3. commode derivetur. Aptius adhuc erit, ſi reſtituatur thema בדה, بـدا *ult. Vaw* & *Je*, unde Cl. *Crom.* produxit in 4. ابدي *modum exceſſit*, & بداوة *exceſſus*. Præſertim in *ſermone* uſurpari, docet *Gjauharius*. يقال ابديت في منطقك *Dicitur* 4. *form.* אבדית, *exorbitaſti in ſermone tuo.* Addit, ومنه قولهم السلطان ذو عدوات وذو بدوات *Hinc dictum eorum, Sultanus tum factis modum excedere ſolet, tum verbis.* In *Originibus* hæc latius.

Ibid. Sine *interrogatione* vertunt *Pagn.* & *Merc.* *Nugæ tuæ ad ſilentium adigunt homines* &c. Cum *interrog.* maluerunt plerique, *An ad ſilentium adigent homines*? quod prior ille ſenſus langueat. Animoſius adhuc *Cocc.* *Jactantias tuas homines ſilentio tranſmittent*? *&c.* Conſentit *Schmid.* nec ego diſſentio; niſi quod ſuſpecta mihi *interrogatio*, cui nihil loci relictum erit, ſi מתים, ut ſæpe alias, contemtum aliquem adferat. Illuc vergit origo, juxta quam ſonat *ſodales*, *ſodalitate junctos*. Ita *Vſ.* 11. hujus *cap.* מתי שוא *ſodales vanitatis.* Item *Pſ.* 26: 4. *Job.* 22: 15. Abſolute etiam *Pſ.* 17: 14 Ex hoc uſu non alius admitti poſſet ſenſus, quam hicce, *Jactantias tuas ſodales ſilentio tranſmittant*: *illuſorem agas, nemine confundente.* Videlicet *in cœtu ſodalium*, qui tecum faciunt, ſentiuntve, *talia jactanda* tibi; non vero *in ampliſſimo* hocce *conſeſſu*, ubi adſunt qui Tibi os obturabunt.

Verſ. 4. Bilem viro in naſum concitam ſentis. Eam moverat tum reliqua *Jobi* defenſio modum haud ſervans, tum potiſſimum illa gloriatio, qua *intaminatam* ſibi *virtutem* inde *ab ortu* vindicare voluiſſe videbatur. Redi ad *Cap.* 9. *Vſ.* 30. &c. & *Cap.* 10: 2, 6. & 10, 12. ex noſtra ſaltem conjectura. Videbatur, inquam, nam revera id ſibi non vindicarat Noſter, ſed tantum nimius fuerat in *probitate*, & *innocentia*, nullis contacta criminibus, aut maculis hypocriſeos, non tantum propugnanda, verum etiam prædicanda, & invidioſe quodammodo in Deum jactitanda. Per *interrogationem* autem & hunc *Vſ.* ut *præc.* enunciandum ſtatuit Cl. *Schmid.* cui non refragarer, niſi jam *Vſ.* 3. orationem invertiſſem; quam ita nunc continuarem, *Dixiſti quippe* &c. Quod attinet porro ad phraſin זך לקחי, ejus *materiam*, non *formam*, in verbis *Jobi* quærendam, ab omnibus agnoſcitur. Fluctuatur tamen in notione figenda vocis לקח, quam alii hic pro *Doctrina* poſitam volunt; alii pro *vitæ ratione* & *diſciplina*; alii pro *ſermone* & *eloquio*; a quibus ſtat *Cocc.* reddens *pura eſt oratio mea.* Maluit *Schmid.* *Pura eſt fides mea*, iſtam vim eliciens ex *Doctrina*, quæ cum *aſſenſu* & *fiducia acceptetur.* Hoc nimis *Scholaſticum*; quin ſedi huic minus aptum: quid enim criminoſi commiſiſſet Noſter, *ſi puritatem fidei ſibi tribuiſſet*? Ne *oratio* quidem, cum omni illa amplitudine, quam Cl. *Cocc.* propoſuit, ſenſum explet; cui ut fieret ſatis, *Doctrina mea* a *Merc.* exponitur, *Mores*, *inſtitutum vitæ*; *& quicquid ago, doceo, dico.* Eo tamen uſque *Doctrinæ* notionem extendi poſſe merito addubites. Sed unde *Doctrina* לקח dicta? Cl. *Cocc.* duplicem *Originem* offert 1. a לקח *accepit*, quaſi *accipienda* aut *acceptabilis inſtitutio.* 2. a *tradendo* ex uſu illo notiſſimo *Pſ.* 68: 19. ut ſit *Doctrina quæ promitur ex animo ad tradendum aliis.* Non poſſum quin venuſtius quid recludam, ex ſpeciali uſu verbi لقح *cepit, accepit*, inter *Arabas*, ſito in *conceptione* & *fœcundatione palmarum*, *quarum arborum femellæ nullum fructum ad maturitatem perducere poſſunt*, *niſi flore maſcularum conſpergantur.* Iſtum *fœcundum*

5 At enimvero utinam Numen loqueretur! & aperiret labia ſua adverſus te.

6 Et ob oculos poneret tibi ſignaturas ſapientiæ; quoniam conduplicationes ſunt quoad ſummam ſolidatam: ſcito autem quod fœneret tibi Numen de pœna pravitatis tuæ.

7 Num

5 ואולם מי־יתן אלוה דבר ויפתח שפתיו עמך׃

6 ויגד־לך תעלמות חכמה כי־כפלים לתושיה ודע כי־ישה לך אלוה מעונך׃

7 החקר

dum & vegetum florem ſeminis ſignate vocant لقاح, unde in 10. *conj.* استلقحت النخلة *florem ſeminis expetivit palma ſemella*, in *Camuſo* eſt آن لها ان تلقح *Idoneum ei appetivit tempus, ut flore ſeminis conſperſa fœcundaretur.* Inſigni *metaphora* hinc uſus *Haririus Conſ.* 31. فلما القح عقم الافهام بسحر الكلام *Quum fœcundaſſet ſteriles mentes faſcinante ſuo ſermone.* Hæc ſuſpicionem mihi movent, *Doctrinam*, & *ſermonem floridum ac jucundum*, ductum eſſe a *flore ſeminis* ſub noſtro לקח. Jam vero *primaria* notio ſemper jus ſuum ſervat, & *ſecundariæ* anteferenda eſt, ſi luculentiorem præſtet ſenſum; ut heic loci, ubi *ſermo* aut *doctrina* minus quadrant: aptiſſimus autem eſt *flos ſeminis*, pro *indole nobiliore.* Hanc metaphoram ſub لقاح regnaſſe, colligo ex eo, quod iſto titulo inſigniantur *Arabum tribus, quæ nunquam ſervitutem*, vel *captivitatem*, *ſubiere.* Hinc tandem pulchra tralatione dictum conjicio; *illibatus flos ſeminis, limpida virtutis indoles mihi*; ſecundum id, quod *cap.* 9:. 30. præ ſe ferebat Noſter; niſi quod forte *fatus* ipſos & *primam fœtus conceptionem* hic ſimul comprehenderit caſtigator, ad majorem *Jobo* invidiam creandam, ex male intellecto eodem contextu, nec non altero illo *Cap.* 10: 10, 12.

Ibid. Poſtremum magno conſenſu refertur *ad Deum*, quaſi *Jobus* repræſentetur Deum compellans his verbis, *purus exiſto in oculis tuis.* Suſpicabar aliquando commodius fore, ſi ad *Jobum* referretur, *Dixiſti quippe purus exiſto; in oculis tuis* ſcilicet. Sic *Cap* 32: 1. reperio כי הוא צדיק בעיניו *Quia juſtus ille in oculis ſuis.* Ut tamen minima circumſtantia variat rem, ita prius nunc aptius dixerim heic loci, ubi illud *in oculis tuis* O Deus! exhibet audaciſſimam provocationem, qua non *Teſtem* tantum, ſed & *Judicem* citavit Deum, ad *inſontis, juſtique*, vel *exactiſſimam inſpectionem.*

Verſ. 5. Nihil in verbis impediti. Senſus quoque expeditiſſimus. Unum tantum addo, tacite notari obſtinationem *Jobi*, qua adverſus convictiones Amicorum, ſapientiſſimorum hominum, magis magiſque exardeſcens, Deumque ſecum in congreſſum venire optans, ne ab ipſo Deo quidem ſe redargui poſſe criminis gloriatus fuiſſe videbatur. Et fuerat ſane, nec tamen tam abſurde, tamque contumaciter, quam cenſor hicce arguit. Interim ſuum ille ſequens impetum, quum tali voto ſe ſuoſque ſocios taxari ſentiret, ut Judices parum aptos, parum æquos, viciſſim optat *ut ipſe* ergo *Deus ſuæ cauſæ Actor prodeat*, atque *Jobo* profunda *Hypocriſeos* ſuæ denudans, oſtendat, eum intra merita plecti, nedum ut immeritas luat pœnas. In hunc ſenſum quam late fundatur verbum דבר *Loquatur, cauſam agat, Pſ.* 51: 6. nec non formula יפתח שפתיו *aperiat os ſuum*, ut longum exequi, ita iis ſat promtum, qui fontes tenent rerum. Apponam tantum, ad anſam meditationis uberioris. ubertimum illud *Apoſtoli Hebr.* 4: 12, 13. quod ſi huc transferas, *Gla-*

Gladii illius *Ancipitis aciem Jobo*, *& Dei Sanctitatem*, *& ſuam impuritatem ignoranti*, *admotam* voluiſſe *Tſopharum* agnoſces.

Verſ. 6. Admirabilis locus, in quo, non tam quoad verba, quam quoad profundiſſimum ejus ſenſum, exponendo, palmam aufert *Vulgatus*. *Ut oſtenderet tibi ſecreta ſapientiæ*, *& quod multiplex eſſet lex ejus: & intelligeres quod minora exigaris ab eo*, *quam meretur iniquitas tua.* Rotunde, pro ſcopo, & ſerie, unde ſub multiplici flexu verſionum, non multum tamen deflexere Reliqui interpretes. *Secreta ſapientiæ* proprie eſſe *obſignationes* ſive *ſignaturas ejus*, ex *Opuſc. de Def.* haurias. Has *Jobo*, abſona multa fundenti, recludi optat cenſor, atque *ob oculos poni*, ut ad *ſolidæ ſapientiæ* radios ſuam *inſipientiam* detegat, quam longeque abſit a *Juſtitia*, & *virtute intaminata*, quas ſibi arrogabat, confuſus agnoſcat. Nempe *ſapientia* illa habet כפלים לתושיה *conduplicationes quoad ſolidam ſummam & ſubſtantiam.* Languent interpretamenta. *Sapientiam juſtitiamque Dei duplo majorem quam humanam*, etiamſi *duplo* exponas *multipliciter*, nimis tenuiter dictum eſſe nemo neget. Id voluerat *Merc.* cui eatenus aſſenſum a *Cocc.* ut *duplum* retineat preſſius, reddens, *Nam alterum tantum eſt in veritate.* Ergo *ne dimidium quidem certæ cognitæque veritatis attigiſſe te* deprendas. Conſentit et *Cler. Sententia eſſe videtur*, *duplo majorem eſſe ſapientiam*, *quam putabat Jobus.* Conferas quoque Cl. de *Dieu* conatus. Ejuſdem naturæ eſt, quod de *duplici ſenſu Legis* hic habent Alii, *externo*, & *interno*. Etud. *Vavaſſ.* maluit, *duplo majores pœnæ divina lege ſancitæ taxatæque ſunt*, *quam tu ſuſtines.* Illuc *Genev. Piſc. Belgæ*, &c. inclinant. *Doct.* de *Pined.* ex diverſis ſententiis propoſitis, *Duplicem*, ſeu *multiplicem Legem*, ſic explicat, ut *una* ſit *rigida*, *ſevera*, *inflexibilis*, qua Deus puniat inimicos; *altera mitior*, *remiſſior*, *minus exigens quam debetur*, *atque ad miſericordiam inflexa*, ſecundum quam *Jobus* fuerit judicatus. Coactum. Arceſſitum & illud *Schmidii*, *quia duplum eſt ſapientiæ diſpenſatrici*, i. e. *Dei miſericordia duplo major eſt peccatis tuis.* In has anguſtias deventum, ex ignorata *Origine* ישׁ & תושיה a *ſolido*, ſive *ſolidatione*, unde heic loci *ſolidam ſummam* exſculpſi. Crediderim ſignatiſſima phraſi hic inſinuari *inæſtimabilem* plane, & *infinitam* Dei *ſapientiam*, *juſtitiam*, *ſanctitatem*, *perfectionemque*, *Lege comprehenſam atque expreſſam.* In his omnibus dantur כפלים לתושיה *conduplicationes quoad ſolidam ſummam*, ita ut ſi tu *decem* concipias, *multiplicatio* tibi pro *decem* reddat *centum*, pro *centum*, *myriada*, unde mox *myriades* infinitæ, conduplicationibus uſque & uſque exereſcentibus, exoriantur, quæ omnem *Arithmeticam* obruant, atque confundant. Huc ſequentia manifeſto collineant. Inſpicienti mihi *Codurcum* non abſimile quid ſe offert, a *rationibus ſubductis* deſumtum; *argutius* quidem illud, ſed *tenuius* forte, quam par eſt; *Quoniam duplex rationum pagina*; una *Accepti* videlicet, altera *Expenſi*, *quibus collatis Debitum colligitur.* Tactum ab Ill. *Grot.* qui *legem Noæ*, additam *Legi naturæ*, hic invenit. Mihi *infinitudo omnem calculum ſupergreſſa* unice convenire videtur.

Ibid. Variatum quoque fluctuatumque in fine, ob ambiguitatem Thematis נשה; unde *Merc.* 1. dedit, *Mutuat tibi de iniquitate tua*, i. e. remittit. *Tigurini*, *differt pœnam iniquitati tuæ debitam.* Subtilius adhuc *Cocc. Fœnerat tibi de pravitate tua:* h. e. *pœnam delicti tui non totam exigit*, *ſed partem ipſius credit in diem*, *non repræſentandam*, *neque adeo ſolvendam*, *ſi egeris pœnitentiam.* 2. A diverſa ejuſdem verbi notione Noſtri *Belgæ*, *obliviſcitur tibi* &c. *non exigit*, velut *oblivione tranſmittit.* Alii; *oblivиſci facit te &c.* quaſi innuatur *oblivionem*, vel *ignorantiam*, *conſpectum ſuarum iniquitatum ademiſſe Jobo.* Ita fere *Schmid. Cler. Guſſ.* in נשה, cum levicula quadam differitate. Alio adhuc flexu *facere oblivиſci* aliis eſt, *facere ut non omnia exigantur.* Ex hoc fonte *Codurcus*, *Scito iniquitatis partem a Deo deductam tibi*; quamvis fateatur a *fænerando* eundem quoque ſenſum effici poſſe. 3. Judice Cl. *de Dieu* expedita erunt omnia, ſi reddamus, *Scito Deum tibi jam exactionem facere de iniquitate tua.* Ita verbum noſtrum per *Exactorem agere* convertitur *Pſ.* 55: 16. idque & mihi aliquando placuiſſe profiteor; at nunc re perpenſa, id nimis *leve* exiſtimem præ *pondere* hujus ſententiæ. Illud quoque æquare nequeunt, nec ſuſtinere, quæ ab *oblivиſcendo* ductæ ſunt interpretationes. Ne quidem *figura Merceri*

7 Num ſcrutinium Numinis attinges? numquid ad conſummationem uſque omnipotentem invenies?

8 Altitudines cœlorum! quid facias? profundior inferno, quid cognoſcas?

9 Lon-

7 החקר אלוה תמצא אם עד־

תכלית שדי תמצא׃

8 גבהי שמים מה־תפעל עמקה

משאול מה־תדע׃

9 ארכה

ſatis *gravis*; quamvis illud, *il te prete de ton iniquité*, cum ſuavitate acrimoniam exerat. Gravitati, quam requiro, reſpondebit *Cocceji* explanatio, ſi adjungas, quod ſane abeſſe nequit, *impœnitenti atrociores multo pœnas eſſe expectandas, quam nunc ſuſtineat.* In hanc mentem ſplendide dictum, *Fœnerat tibi de pœna iniquitatis tuæ:* pro, *ſummam capitalem*, ſive *ſortem pœnarum iniquitati tuæ debitarum adhuc a te non exigit, ſed tanquam fœnori exponit apud te*; unde *theſaurus* tibi & *cumulus immenſus iræ accreſcat, ſi contumax eſſe pergas.* עון pro *pœna* ipſa nemini ignotum. מן *de* poteſt eſſe *partitionis*; ut *Coccejo* viſum: poteſt quoque *ex*, vel, ampliore ſenſu, *quod attinet ad pœnam iniquitatis tuæ, fœneratorem agit tibi Deus*, qui *forte* univerſa apud te relicta, *uſuram* tantum a te cepit, unde conſtare poſſit, te *graviſſimo in ære* eſſe apud Deum, quin *Exitio* ultimo *oppigneratum*, & *ſempiternis ſuppliciis tradendum*, niſi quantocyus reſipiſcas, atque ex hac *debitorum abyſſo* emergere coneris. Metaphoram in Scripturis protritam fruſtra exemplis aliunde congeſtis illuſtrarem.

Verſ. 7. Subnectitur tribus *Vſ. Immenſitatis Divinæ* deſcriptio luculentiſſima, quæ non ad *ſapientiam* tantum Numinis pertinere videtur, verum etiam ad reliquas ejus *perfectiones*, ac præſertim ad *Juſtitiam* ac *Sanctitatem*, cujus jubare præfulgente ipſa Cœleſtium ſpirituum *Sanctitas* obſcuretur, ut *Cap.* 4: 18. vidimus. Hoc ſi verum, verus eſſe nequit nexus, quem plurimi interp. hic ſibi propoſuere. Dixerim, nihil aliud intendi, quam *Jobo tam alta ſpiranti, Deumque quaſi provocanti, in ſe deſcendendum, ſuperboſque illos ſpiritus ponendos, quibus congreſſum cum Deo expetere auſus fuerat: quandoquidem cum immenſo Numine ipſi congrediendum eſſet, cujus tum ſapientia, tum juſtitia & Sanctitas nullis finibus circumſcriptæ, & mille ſolibus clariores.* Apparet חקר rectius *paſſive* capi, quam *active*. Adblanditur obſervatio Cl. *Cocc.* vocem hanc ſignare *ultimum ſummumque quod perveſtigando attingi poteſt.* תכלית *conſummationem*, recte quoque vertit, nec video cur Cl. *Schmid.* ea ſepoſita, malit, *ad finem uſque* & *ultimum terminum. An ad conſummationem uſque* non idem elegantius adhuc ſonat? Hoc ipſum vero, eodem plane ſenſu, voluiſſe *Cocc.* patet ex verſione ejus, *An uſque ad finem omnipotentis pertinges?* Mihi uberius videtur, *An uſque ad conſummationem Omnipotentem penetrabis?* Hoc vel ſimplicius erit, *uſque ad finem*, & *ultimum terminum:* vel, *uſque ad conſummatiſſimam, omnibuſque numeris abſolutam, perfectionem.* Nihil *duri* in hac ſtructura, ſed *duriſſimum*, quod *Schmid.* vocem חקר repetendam velit; ſenſu tantum non elumbi. Si religio ſit תכלית שדי ſejugare, ob conjugatum חקר אלוה, vertas licet, *Num ad conſummatiſſimam uſque perfectionem omnipotentis penetrabis?* Utor verbo *penetrare*, *pervadere*, & *penetrando attingere quod quæritur*, quia *inveniendi* notionem hinc ductam eſſe, colligere eſt ex مضي, quod eſt *pergere*, *pervadere*, & *interius penetrare.* Fateor tamen *ſecundariam vim inveniendi* retineri poſſe heic loci, ut ſit *veſtigando*, & *penetrando*, tandem *attingere*, atque *invenire*, poſt longum laborem. Suſpicor verbum מצא *invenire*, in *Arithmetica* fuiſſe adhibitum, ad *majoris ſummæ collectionem juſtam*, *inventionemque* ſignandam. Sic grata exiſteret varietas, & in primo membro eſſet *penetrabis*, in ſecundo, *pe-*

9 ארכה מארץ מדה ורחבה מני־ים׃

10 אם־יחלף ויסגיר ויקהיל ומי ישיבנו׃

11 כי־

9 Longior eſt terra menſuram ſuam: & latior quam mihi mare.

10 Si invadat, & includat cippo: & in comitium adducat; at quis avertet eum?

11 Ip-

penetratum in ſummamque collectum invenies.

Verſ. 8. Languet nonnihil *Pagnini*, *in altis cœlis quid facies*? quaſi Ellipſis eſſet ב. Rotundius, & fortius paulo, *Cocc. Altitudine cœli quid facies*? ſed rectius a *Merc.* aliiſque inſertum, *eſt*, vel *ſunt*, quaſi, *Ce ſont les hauteſſes des cieux.* Abruptum illud, & ſuſpenſum, habet decus ſimul & pondus. *Schmid.* addit *illi ſunt*, nempe תכלית *fini.* Ad *ſapientiam* חכמה retulere alii; vel & תושיה; e *Vſ.* 6. repetitam. Mihi תכלית proximum habere jus videtur, unde nemo diſceſſiſſet, ſi *conſummatiſſimam perfectionem* omnes tenuiſſent. *Altitudines Cœlorum ſunt ea conſummatio*; ut qui eam complecti quærat, citius altiſſima cœlorum ſpatia complecti & permetiri potis ſit. Quæ de *forma comparativa*, ad morem *Arabum*, olim ſuſpicabar, quia puncta minus favent, haud urgeo, quin dejeo; quamvis *comparationem* huic *poſitioni* ſubeſſe certiſſimum maneat. Hanc firmat ſequens עמקה משאול *profunda* eſt conſummatio illa *præ inferno*; i. e. *Vaſto* illo & *inviſibili ſpatio*, quod *ſub terram in immenſum ſubſidere* more vulgi concipitur. Cl. *Cocc.* dedit, *Profundius inferno quid noſces*? Ad *ſapientiam* retulit, & quidem in *Neutro*, ſatis eleganter, ac rotunde. Attamen ſimplicior eſt, & plenior, תכלית עמקה *conſummatio profunda.*

Verſ. 9. Structuram hanc unice tenendam eſſe, patet ex annexis *fœmininis*, item ad תכלית *conſummationem* Dei redeuntibus. מדה pro מדתה eſſe poſitum cenſet *Merc.* ut ſit *Menſura ejus longior eſt quam terra.* Idem monet, alios *abſolutum facere* מד; quod cur alienius vocet, non video; quum illud ſit *anomalum*, hoc autem *analogum*, cujus *plur.* מדים occurrit *Jer.* 13: 25. Hallucinatiunculæ anſam dedit conſtans vertendi ratio, qua ארכה refertur ad מדה. Atqui tornatius fuerit, grandiuſque ſimul, *Longior eſt quam terra menſuram ſuam.* Sequens מני *Præ mihi*, eleganti *Pleonaſmo*, ut ſæpe.

Verſ. 10. Conciſa granditas implicuit interpretes, in variaſque eos opiniones diſtraxit ad ſingulas voces. Prima יחלף aliis eſt *ſi tranſeat*; aliis, *ſi mutet*; aliis, *ſi ſuccidat*, vel *exſcindat*; aliis denique, *ſi multiplicet* vel *propaget.* Alteram ויסגיר plerique in malum dant, *& tradat* hoſti; aut, *& includat* carceri: in bonum *Nachmanides*, *tradatque* terram habitandam. Tertia ויקהיל aliis in malum eſt, *& congreget copias* ad aliquem perdendum; aut, *& in cœtum judiciumque publicum adducat.* Bono ſenſu *Cocc. e ſordibus & tenebris carceris in lucem & cœtum hominum educat, honore, potentia, divitiis augendum.* Confer Doct. *Belg.* & *Piſcat.* Ad *cœtus in civitatem coaleſcentes* traxit *Nachmanid.* Hæc, & alia, in diverſa, quam pariunt, facie, ſerieque, diſcutere, mihi, Lectorique, moleſtum foret. Sententiarum diſcidia ut ſcopo minus rite obſervato exorta ſunt, ita eodem accurate fixo poterunt terminari. Doct. *Merc.* ſtatuebat, ad *ſapientiam* & *potentiam* Dei demonſtrandam hæc verba pertinere, qua *ordinem curſumque naturæ invertere*, *quin omnia ſubvertere & confundere queat.* Eodem collineant, *Vulgato* præeunte, *de Pined. Vavaſſ.* &c. &c. Ex mente Cl. *Cocceji* oſtenditur *abſoluta* Dei *poteſtas*, qua ut *Judex ſupremus*, pro arbitrio omnia diſponat, & diſpenſet. Carpitur a Cl. *Schmid.* rogante, quid *ſumma poteſtas ad hoc, ut Jobus convincatur de pecca-*

Oo 2 *to*?

11 Ipſe enim novit ſodales nequitiæ; & videt vanitatem, & quod nihili eſt intelligit.

11 כי־הוא ידע מתי־שוא וירא־און ולא יתבונן׃

12 Er-

12 ואיש

to? Ipſe recurrit ad *Dei abſcondita*, & *naturam* plane *imperveſtigabilem*, per quam omnis *obmurmuratio*, & *querela*, excludatur, *quod longe plura de nobis ſciat, quam noſmet ipſi, ut proinde nemo jure cum Deo contendere poſſit, etiamſi ſeveriſſime puniatur.* Si cavillas quærerem, rogarem & ego, *Quid imperveſtigabilis Dei natura ad hoc, ut Jobus convincatur ſe merito plecti*? Omnino tenendum, quod ad *Vſ.* 7. commonui, non tantum *ſapientiam*, ſed & *juſtitiam* ac *Sanctitatem infinitam* Dei a *Tſophāro* fuiſſe intentam. Verſus ſequens tam clare ad illas virtutes vocat, ut mirum ſit, cuiquam aquam hic hæſiſſe. Nil aliud his verbis contineri poſſe exiſtimem, quam *Judicia* Numinis eſſe quidem *tremenda*, ſed tamen *juſtiſſima*, in quibus nihil carpi, aut argui queat: ac proinde *inſipienter* non minus quam *injuſte* ea a *Jobo* taxari, atque criminationibus odioſiſſimis onerari. In hunc ſenſum 1. אם יחלף mihi ſonat, *ſi hoſtiliter invadat* &c. Utitur cenſor eodem verbo, quo *Jobus* expoſtularat *Cap.* 9: 11. quorſum reſpici palam eſt. Alluſum quoque dixerim ad *Cap.* 10: 17. figuramque vocabulo חליפות expreſſam. 2. ויסגיר verto, *& in collariam compingat.* סוגר سوجر eſt *vinculum collare*, *Eſech.* 19: 9. κλοιὸς, *cataſta*, ſecundum quoſdam. Innuitur *Supplicium grave* & *ignominioſum.* Aliis etiam in locis הסגיר eſſe *vinculo collari conſtrictum tradere ſupplicio*, alibi aperiam. 3. ויקהיל *& incomitiet* dare poſſis veteri verbo, pro *in comitium vocet*, & *judicium publicum.* Simile extat *Prov* 5: 14. *In medio comitii & cœtus.* Planius adhuc *Eſech.* 23: 46. *Comitium convoca contra eas, eaſque in terrorem & direptionem conſtitue; & lapidibus eas obruant.* Adde *Eſech.* 16: 39, 40. Ad eam rationem hic figurate denotatur *dirum* aliquod & *ignominioſum judicium*, homini improbo *Divinitus inflictum inſpectante* quaſi *univerſo populo*, vel *orbe terrarum.* 4. ומי ישיבנו *Et quis refutabit eum*? pulcherrime iterum reſpondet dicto *Jobi* ipſius *Cap.* 9: 12. *Ecce raptabit, & quis repellet eum.* Venuſte tantum inflexam putem ſignificationem, ut pro *repellet* nunc *refellet* ſubſtituatur. Uſus ſui verbo *Refutandi*, quod utramque poteſtatem amplectitur, unde & cum *repellere* conjungitur a *Cic.* quum ait, *vim vi repellere ac refutare.* Ut ergo ſupra ex ſua mente *Jobus* dixerat, *& quis refutabit eum*? ita ex ſua nunc viciſſim *Tſopharus* idem verbum ei, non ſine ſale, reponit. Magna emphaſi pollet *Vaw* in ומי *Et quis*, quod ſi *copulandi* uſu retineas, languidius exibit. Communi ergo calculo admiſſus *pleonaſmus*, datumque ſimpliciter *Quis*? Subeſt provocatio, qua *Et quis*? vel *At quis*? poſitum cum exclamatione.

Verſ. 11. Arctiſſimus jam apparet nexus hujus verſiculi, cum præcedenti. מתי שוא eleganti formula ſonat, *ſodales vanitatis* vel *nequitiæ*, a Radice מתה متي *extendit*, unde & עד מתי *uſque quo*? & מתי *quando*? cum interrogatione. Illud *extendit* ſecundario uſurpatur pro *adfinitatem* aut *ſodalitatem inivit* cum aliquo; unde מתים *ſodales*, *affines.* און *vanitas*, *inanitas*, ejuſdem *Originis* cum אין, cujus oppoſitum יש *ſolida exiſtentia*, niſi quod אין *Phyſicum nihil*, און *Nihil morale* ſignet. Cl. *Cocc.* idem hocce *Etymon* heic loci attigiſſe video. Nil differt, *in concretone* ſumas, an in *abſtracto.* ולא יתבונן non æque expeditum. Tricas *Rabbinicas* dabit *Merc.* qui cum *interrogatione* enunciantibus ſubſcribit, *Et non animadverteret*? Ita *Piſc. Belg. Cler.* & plurimi. *Pagn.* per *Ellipſin* אשר *Et eum qui non intelligit.* Friget. Acute *Cocc.* *Et non conſiderat*, i. e.

via

12 ואיש נבוב ילבב ועיר פרא אדם יולד׃

12 Ergo vir fungoſus corde induatur: & pullus onager homo naſcatur.

13 אם

13 Si

videt ſine labore, *ſine multa ſpeculatione* &c. Ex hoc uſu *conſiderandi* olim tentabam, *Et non cunctatur*, pro *punit quantocyus.* Ejus conjecturæ haud pœnitet: quod enim Cl. *Schmidius*, *Et non advertit*, velit poſitum pro *non punit*, *fidelibus remittens*, *infidelibus procraſtinans*, ſpecie omni caret. Quum tamen התבונן *cunctari* pro *pœnam prorogare*, alibi non occurrens, ſcrupulum relinquat, vide an ſic penitus queat eximi, *Et τὸ μηδὲν Nihilum intelligit*, *intime penetrat*, *perſpicitque*. A בון *diſtincta* fuit *res*, unde בין *inter*, naſcitur הבין *diſtinguere*, *diſtinctius intelligere* ac *penetrare.* לא *ſubſtantive* idem quod אין *Nihil*; ſenſuque morali, און *inanitas ipſa*, ſive jam *vitium* velis, ſive *hominem vitioſum.* Omnem *Jobi pietatem* & *virtutem* לא *Nihil* factam, *Nihili* convictam, habuimus *Cap.* 4: 6. Viciſſim amicos *inanes* & *perfidos* notaverat *Jobus* tanquam לא *Nihil* factos, *Nihili* convictos, *Cap.* 6: 21. His adde quæ *Cap.* 4: 21. exhibeo, ubi τὸ μηδὲν ad *perſonas* permitti videbis; itemque ὁ οὐδὲν. Salſe ergo cenſor iſtud לא hic reſumit, inculcans Deum, *quid* ſit *Nihil*, & *quis* ſit *Nihil*, ratione veritatis, ſolidæque virtutis, *intus perſpectum* atque *exploratum* habere. Sic *ſynonyma* erunt שוא, און, & לא, non ſine eleganti gradatione.

Verſ. 12. Durior eſt verſio *Merc. Et vir vacuus mente privatur*; & tanquam *pullus onagri homo naſcitur:* Quod ex *Cant.* 4: 9. adducitur, ad hanc vim verbi לבב adſtruendam, toto cœlo diſtat. Non quadrat præterea *Antitheſis* ad præcedentia, quaſi diceretur, *Dei ſapientiam imperſcrutabilem eſſe*, *hominem* vero natura *bebetem*, *ſtupidum*, *mente ac judicio vacuum.* Commodius *Piſc.* & *Belg.* ad fructum, qui ex Dei caſtigationibus vel redundet, vel ſaltem redundare debeat, retulerunt: *Tum homo inanis cor comparabit*; *etiamſi pullus onagri natus ſit homo.* Semet tamen nonnihil impedit hæc vertendi ratio, per illud *tametſi*; ad quod expediendum Cl. *Coccejo* placuit, *Et ſic vir inanis cor accipit*; & *pullus onager homo fit.* Egregie profecto, ut אדם *Homo* oppoſitus *Onagro*, adferat *Emphaſin cordati hominis*, & יולד *Naſcitur* idem dicat quod *fit*, *redditur*, *renaſcitur.* Præluxerat *Targum*, quod מתעבד *efficitur* habet: nec non *Jarchius*, qui expoſuerat, *condoceſaciat ſe ipſum eſſe* אדם חדש *Homo novus. Schmidius* nimis *contortum* id judicat, dans, *ſed vir inflatus audaciam ſumit*; & *pullus onager homo naſcitur.* i. e. *homo ab ipſis natalibus inſipientia indomita & inſuperabili ſimilis eſt onagro* &c. &c. Hunc ſenſum expreſſerat jam *Vulgatus* ſatis eleganter. Elegantiuſque eundem heic loci applicuerat *de Pined.* non ad *hominem* generatim, ſed ad *Jobum* ſpeciatim referens dictum aculeatiſſimum; quaſi ejus *ſuperbia* in Deum, ſimulque *effrænata licentia*, perſtringeretur. *Bolducius* aliter adhuc *Jobum* vellicari autumat, *ironice* utroque membro prolato: *Et vir vacuus cordatus fiet*; & *pullus onagri homo evadet.* Quaſi diceret, *æque difficile*, *ut tu ſapiens fias*, *quam ut onager homo evadat.* Hoc *decorum* non ſervat, quamvis periodus bene circinata ſit. Symbola mea hæc eſt, concludi nunc ſuperiorem illam convictionem, per *inſinuationem officii*, quæ viam ſternat ad ſequentem *exhortationem*, *Ergo vir inanis*, *cor accipiat*; & *pullus onager Homo evadat.* Eſt telum in *Jobum* ejectum, quo monetur *tumidam* iſtam *inanitatem*, qua hactenus in Deum invectus fuerat, miſſam facere, ut pro *feroci* & *indomito pullo* ſe *præberet hominem corde præditum.* &c.

Ibid. Paronomaſiam pervenuſtam in ver-

bis נבוב ילבב *Vacuus corde inſtruetur*, obſervavit jam Cl. *Cocc.* Creſcet venuſtas, ſi teneatur Origo ꝥ לב *cordis*; a *fixo* & *compacto*; itemque metaphora, qua *Nucleus*, nec non *medulla arboris*, appellatione *Cordis* veniunt. נבוב *inanis* διάκενος; *fungoſus*, χαῦνος; a בוב *cavus fuit*, unde ביב *canalis* apud *Thalmud.* qui & *Arabibus* بيب; item, בוב باب *porta*, *foramen cavum* & *pervium*. Sic erit *Partic.* in *Niph.* Poſſet quoque eſſe *Part. paſſ.* in *Kal* a נבב, monente Cl. *Cocc.* quæ Radix apud *Arabes* dat انبوب *Anboub*, *internodium* arundinis, aut cannæ. *Fiſtulam.* Hinc *Ambubajas* dictas, Viri Docti dudum annotarunt. Inde نبب eſt *internodia produxit arundo.* Sic נבוב iterum eſſet *arundinea cavitate fungoſus.* Cl. *Crom.* ex *Arabia* adduxerat نبب pro *magnifice ſemet extulit* & *ſuperbivit*, unde נבוב vertit *ſuperbum.* Cl. *Gol.* pro iſta notione addiderat formulam نبب عتودة. At in *Camuſo* noſtro diſertim proſtat نَبَّ عَتُودُهُ *fremuit hircus ejus* i. e. *ſuperbius ſeſe extulit*; in qua phraſi figurate *Hircum* dari ſcias *homini ſuperbo*, ipſumque *vitium petulantiæ* deſignari. Talia ad *Nawabig* prolata. Ex hoc fonte נבוב noſtrum invito Linguæ genio derivaretur. Maneat ergo vel *inſtar arundinis cavus*, *internodiiſque inanitatis indicibus præditus*; vel ſimpliciter διάκενος, χαῦνος. Iſti viro *cor induendum* eſſe dicitur, pulchro ſane luſu, quo לב ſimul *Medullam interiorem plantæ* conſignat, cujus χαυνότης ſic expleatur & *ſolida* ac *compacta* reddatur.

Ibid. Nec genio linguæ, nec Gratiis, litatum ab iis, qui עיר פרא *Pullum onagri* in *ſtatu conſtructo* dedere. Omnino tenenda, quæ & plurimis riſit, *Appoſitio*, ut ſit *Pullus onagri*. Apud *Arabes* عير, עיר ejuſque *Dimin.* عيير, deſignat *pullum aſininum*, tum *domeſticum*, tum *ſylveſtrem*. Magis tamen *domeſticum*. In eandem partem uſus quoque Biblicus inclinat. Habes anſam concinnæ non minus, quam ſalſæ, *appoſitionis*, qua id quod per ſe mitius, manſuetiuſque, efferatur, addito فرا פרא, quo *Onager* notatur, ejuſve *pullus*, tantummodo. Eſt inter proverbia *Arabum* جُحَيْش وَحْدِهِ *Aſellus ſolitudinis* ſive *ſolitatis ſuæ*; pro *contumaci*, *obſtinato*, *ſuique cerebri*. Idem & عُيَيْر وحده עייר וחדה voce ſynonyma appellitatur. Parilis uſus حمار חמור *Aſini*; ſummo *efferæ indomitæque contumaciæ* gradu حمار وحشي *Aſini ſylveſtris* appellationem exigente. Is una voce فرا פרא. Hinc *Iſmael* פרא אדם *Onager hominis*, vel *Onager homo.* Notabile quoque Epitheton *Hoſ.* 8: 9. פרא בודד לו *Onager ſolitarius ſibi*, quod illuſtratum in *Hieroz. Part.* 1. *P.* 878. ex *Damirio*, *proverbia* a nobis *diminutive* poſita, in *primitiva* forma efferente, جحش وحده & عير وحده *Laliſio ſolitatis ſuæ*, pro *homine pertinaci.* Sentis quam appoſite dicterium jaciatur in *Jobum*, nimis ſane *pertinacem* in his congreſſionibus. Anſam præterea huic ſcommati dediſſe ſuſpicor, quod Noſter *Onagri* figura uſus fuiſſet *Cap.* 6: 5. ad ſocios pungendos. Hujus *Onagri oppoſitum* jam, non autem *ſuppoſitum*, eſt אדם *Homo*, ſecundum illud *Prov.* 30: 2. בער אנכי מאיש *Brutus ego præ quam vir*; h. e. ita ut nomen *Viri* haud merear: vel *ſtupidior quam ut Vir cenſeri poſſim.* Patet ex adjecto ולא בינת אדם לי & *non eſt intelligentia Homi-*

13 אם־אתה הכינות לבך ופרשת אליו כפיך׃

13 Si tu autem paraveris cor tuum; & palmas tuas ad eum expandas licet.

14 אם־און בידך הרחיקהו ואל־תשכן באהליך עולה׃

14 Si vanitas in manu tua, longe removere eam: & ne habitare ſinas in tentoriis tuis iniquitatem.

15 כי־אז תשא פניך ממום והיית מצק ולא תירא׃

15 Tunc enim attolles faciem tuam e labe; eriſque nitidiſſimus; & non timebis;

16 כי־

16 Nam-

Hominis mihi. פרא אדם *Onager hominis*, **Een Woudeſel van een Menſch** / ex alia ſerie aliam depoſcit vim *Gen.* 16: 11. Non eſt boni interpretis, ita loca inter ſe contendere, ut pro luce offundantur tenebræ. אדם יולד *Homo naſcatur*, admirabili pollet venuſtate, pro *reddatur*. **Een Veulen / een Woudeſel / werde een Menſch Geboren; werde een Menſch Herboren.** تولد *naſci*, pro *fieri*, *evadere*, apud *Arabes* eſt receptum, qui hanc ſententiam ſic efferre poſſent, عسى يتولد ابن ادم *Laliſio naſcatur filius hominis*, h. e. رجل وحشي يكون انسي *Vir efferus exiſtat humanus*, *manſuetus*, *modeſtus*. Ad παλιγγενεσίαν *Novi hominis* directe reduxit Cl. *Cocc.* me haud refragante. Poſſumus *ſimpliciore* quoque *ſenſu defungi*, cum eo tamen, ut ad myſticam παλιγγενεσίαν alludatur. Formulæ vernaculæ mentem meam ſatis declararunt.

Verſ. 13. Emiſſo hoc aculeo, quo *Jobus* indomitam ferociam deponere jubetur, ſeque modeſtum ſubmiſſumque Deo præbere, pergitur proclivi gradu, ad officia hactenus, (ut tacite innuitur) neglecta a Noſtro, eique ſincerius pietatis ſtudium præſcribitur, & commendatur. Hunc nexum, ſenſumque inde redundantem, ubertim expoſuit Cl. *Cocc.* poſt *Belgas*; ita periodo hac concepta; *ſi tu direxiſti cor tuum*, *tum expandas manus tuas ad ipſum*. Malim tamen, *ſi tu direxeris*, *ex Onagro Homo factus*. Apparet emphaſis compellationis ad 2. a 3. *Perſ.* redeuntis. Reliquæ omnes verſiones, nihil habent, quo cum hac contendi, committique, mereantur. In primis admitti nequit, quod a Cl. *Schmid.* tentatum, אם *interrogative* ſumendo. Connexio quoque nova, quam format Vir *Doctiſſ.* adeo non expedit, ut magis adhuc præpediat. Cl. *de Dieu* omnino conſulendus, qui *Vaw* ante פרשת pro *Copulativo* accipi non poſſe, evidenter demonſtravit, atque *imperandi forma* propoſuit, *Expande ad eum manus tuas*, quod eodem recidit.

Verſ. 14. Omnia limpide fluunt, ſi a *Corde purgato*, altero præcepto tranſeatur ad *Manum* itidem *repurgandam*. Notanter, *iniquitas in manu*, quam quis *exerceat ſtrenue*, & quam *ut ſuam retineat*. Ad *manus commaculatas* reſpici, haud negarim; quum omnis *iniquitas maculet*. At יד רמה *manum elatam*, cave negligas, qua adverſus Deum impia arma moventur. הרחיקהו *imperative* omnes; nec repugno. Poſſes tamen venuſtius forte, ex *Infin. Procul amovere eam*, pro *Amoveto*. Sexcenta talia in ſacris, profaniſque. In *præceptis* præſertim regnat iſta *Enallage*. הרחיק ſignate hic eſt *amovere tanquam impurum*, *cum abominatione* & *execratione*, ſecundum formulam veterem, qua *procul eſſe*, aut *abire*, jubebantur *res contagioſæ*. Grandis imago אל תשכן *ne habitare facias*. *Ne domicilium figere ſinas*. Haud obſcure Corrector ſubinnuit, quid *Jobum* hactenus feciſſe ſtatuat. אם *ſi* non eſt *dubitantis*, ſed *latitudinem officii*, *ad om-*

omnem omnino iniquitatem eliminandam pertinentis, inculcat.

Verſ. 15. Elegans eſt *Merceri*, *Sane tunc*, ex uſu *Cap.* 8: 6. Nec tamen minus concinnum, *Nam tunc.* Idem מום *Maculam* intelligit vel *peccati*, vel *Morbi* & *calamitatis*. Poſterius prælatum a *Belgis*. Prius unice tenendum cenſuit *Schmid.* judicium Noſtrorum minus probans. Etiam *Cler.* ad *vitium animi* vocem reſtrinxit. Erud. *Vavaſſ.* trahit ad *perturbationem animi* quæ *mutet vultum ex conſcientia criminis*. Idem intendit *de Pined. Sic habebis faciem quam levare ad Deum ſimul cum mente poteris.* Addit, *Faciem ſicut culpæ labes deturpat, ita pœnitentia expurgat, atque detergit.* Monet, alios ad *pœnam* referre, atque ad *ærumnarum ſordes*, *ſqualloremque*. Poſtremum hoc convenit cum eo, quod *Doctiſſ. Belgis* viſum; idque haud dubie præferendum. Tantummodo addas velim *dedecus* & *ignominiam publicam*, *fronti* velut *inuſtam per calamitates*, & *pœnas*. Hic genuinus eſt adſpectus ת מום *maculæ vultui impreſſæ*; non enim *calamitas* quæcumque dedecorat, ſed *calamitas pœnæ judicialis nomine ac titulo inflicta ad exemplum*, & *horrorem*. Reſpicitur ad *Cap.* 10: 15. ut ibi tetigi, unde quæ huic ſenſui firmando ſint, repetantur. Eſt ex floribus *Arabiæ*, ut *vultus albus*, aut *nitidus*, deſignet *decus*, *honorem*, *gloriam*; & contra, *vultus niger* vel *maculoſus* pingat *dedecus* & *opprobrium publicum.* Pulcre Poeta vetus in *Hamaſa* laudat nobilitatem gentis ſuæ.

بيض في الكريهة شوس

Albi in calamitatibus, limoque ſuperbi ocello.

Ad ea *Taurizius* العرب تجعل البياض كناية عن الكرم ونقاء العرض وعلى ذلك قولهم بيض الوجوه اي لم يفعلوا شيئا يشينهم وقد قالوا في ضده اوجههم كالحمم وسود الوجوه *Arabes* albedinem faciunt *figuram nobilitatis*, & *præclaræ famæ*, *opinioniſque*: *indeque formula*, *Albi vultibus*, *in iis qui nihil committunt quo dehoneſtentur. Contrario uſu dicunt*, *vultus eorum carbones referunt*; *aut atri vultibus.* Exemplum unum alterumve mox apponam. Cl. *Crom.* noſtrum מום contulit cum مُوم *Arabum*, quatenus notat *Morbillos*, quibus *Jobum* laboraſſe autumat. Id parum liquet. Non inutilis tamen obſervatio; quæ latioris adhuc conſpectus anſam præbet. In *Diw. Hudeil.* reperio,

له الندة سفع الخدود كانما
يصفقهم وعك من الموم ماهر

Gnatos habet nigros genis, haud ſecus acſi
Uſſiſſet eos æſtus morbillorum adfligens.

Monet ibi *Scholiaſtes* illud موم מום quibuſdam eſſe *variolas*, aliis *pleuritidem*, aliis *febrim vehementem*. Vides latitudinem uſus *Hebraici*, quo מום amplectitur omne id, per quod corporis integritas *vitiatur*, ac dehoneſtatur. Quum tamen ſpeciatim notet *variolas*, & quidem الكثير المتراكب *confertas compactaſque*, ut idem *Schol.* alibi docet, quumque eæ *vultum* maxime *deturpent*, vides locum hic quendam relictum eſſe *violentiæ morborum* & *malorum*, quibus *totum corpus Jobi* unum *ulcus*, una erat *cruſta purulenta*, *vultu* præſertim horrendum in modum *fœdato*, & tanquam *notis ignominioſis* peruſto. Solide itaque Cl. *Cocc.* *Elationem faciei* hic opponit *dejectioni capitis* ſupra *Cap.* 10: 15. & quidem *labe omni*, *quæ elevationem impedire poſſet*, *abſterſa*. Obſervetur ת מום hic ſubſtitui pro קלון iſtic loci; eaſque voces junctim incedere *Prov.* 9: 7. ut proinde dubium non ſit, quin *macula ignominioſa divinitus tanquam improbo inuſta* nunc intendatur. Eam vides

16 כי־אתה עמל תשכח כמים עברו תזכר׃

16 Nam tu ærumnam obliviſceris; ut aquarum præterlapſarum recordabere.

17 ומצהרים

17 Ac

vides ſponte complecti *quicquid calamitatum* vel *Perſonæ* ejus, vel *Fortunis*, cum *dedecore publico* incumbebat.

Ibid. Pulcherrime ſubnectitur, *eriſque* מוצק; *firmus* reddi ſolet, quaſi *fortuna firmior ſtabiliorque* promitteretur. Cl. *Cocc.* trahit ad *firmitudinem animi* oppoſitam *pavori*, & *trepidationi* ab ira Dei, & tentationibus. Obſervat quoque cum *Merc.* aliiſque, eſſe proprie *Fuſum*, a יצק, & quidem *æris inſtar*, κεχωνευμένον, χωνευτόν. Iſtam ideam premens Cl. *Schmid.* hinc elicit *tranquillitatem conſcientiæ, velut columna ex ære fuſo ſubnixam*; ut præcedens *figura* continuetur; *ſublata facie ſtabis firmus & erectus, nec incurvaberis iterum.* Sic haberes, *Hic murus aheneus eſto, Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.* Luculenta imago. Sed forte luculentius & commodius reperietur, *Eris fuſus*, pro *eris nitidus* ſimul, ſimul *firmus*, inſtar *ſpeculi* ex *ære nitidiſſimo.* Ex hoc metallo *ſpecula conflata* olim fuiſſe, nemini incompertum. Vide modo *Exod.* 37: 18. Proverbiale eſt, ut *Vultus nitens* comparetur *ſpeculo*; pariliter *ſpeculo fuſo* ראי מוצק aſſimilatur *Cœli firma & nitens facies*, infra *Cap.* 37: 18. Ergo, *& eris fuſus*, vel ſi malis, *& eris fuſum*, ut directe *ſpeculum* deſignetur, ſubaudito ראי. Sic *Amrolkyſus* in *Moallek.* deſcribens *Formoſulam* ſuam, eam inducit.

مهفهفة بيضاء ترايبها مصقولة

كالسجنجل ۞

Gracilem, albam, pectoribus inſtar ſpeculi politis.

Eſt quidem ille uſus *proprius*; ſed en *improprium*, & plane *noſtrum*, in *Hamas.* de Heroe *glorioſam mortem* oppetente in prælio.

وخرّ لم يوسد كانّ جبينه

سيف صقيل ۞

Et ſtratus jacuit ſine pulvinari, ac ſi vultus ejus eſſet gladius politus.

Deſino in exemplo illuſtri, ad præcedens membrum ſimul illuſtrandum pertinente, ex *Diw. Hud.*

حسان الوجوه طوال الرماح

يحمون مجد حسب لن

يراما ۞

Nitidi vultibus, longis haſtis præditi; Qui defendunt gloriam Dignitatis haud laceſſendæ.

Nemo non ſentit *Nitidos* illos *vultus* ibi improprie ſignare *ſplendorem virtutis*, & *famæ prænobilis.* Ad eam rationem & hic, *ſpeculo nitidior, ſplendidiorque* celebrabere; quin *ipſum* diceris *ſpeculum* virtutis, omniſque laudis, *multo ſplendidiſſimum.*

Verſ. 16. Non diſplicet, *Sane tu*, quod *Pagn. Merc.* aliique hic habent: ſed malim cum *Belg. Cocc. Schmid.* &c. *Etenim Tu*, vel *Quia Tu.* Arctior ſic exiſtit nexus cum *vultu ſublato, neque amplius dejiciendo.* Exiſtimem autem non *nudam* hic poni *ſimilitudinem*, ſed depingi *gurgitem malorum*, ac velut *diluvium*, quo *Jobus* fuerat *inundatus.* Certe vereor ne exilius ſit illud *Merc.* *ſi malorum te ſubeat memoria, ita tenuis erit, ut ſimilis videatur aquis præterlabentibus quæ non redeunt.* Intra hos fere fines ſubſiſtitur; niſi quod Cl. *Schmid.* ulterius progreſſus meminerit *damni alluvione*

Pp vel

17 Ac præ meridie ſtabit ævum felicius: caligine vertiginoſa labores; ut aurora eris.

18 Et

17 ומצהרים יקום חלד תעפה
כבקר תהיה׃

18 ובטחת

vel *inundatione aquarum* dati. Putem eum idem mecum intendiſſe: quemadmodum & Doct. *de Pined.* quum *aquas* haſce *dilabentes* exponit, de *flumine* aut *torrente*, qui *raptim per convalles exundat*, *nullum*, *æſtate adveniente*, *veſtigium relinquens*.

Verſ. 17. Grandis & magnifica oratio, quam ſatis feliciter a viris Doctis expreſſam, præſertim a *Cl. Cocc.* & *Schmid.* paucis confirmatam, illuminatamque, dabo. חלד non eſt *tempus* in genere, multo minus *tempus præſentis miſeriæ*, ut *Schmidius* opinatur, reprehenſus a Cl. *Crom.* ſed *tempus felicius*, *vita jucunda* & *luminoſa*, ut præclare *Cocc.* in *Lex.* docuit. Firmatur ex *Dial. Arab.* ubi خالد eſt *perennitas ævi beatioris*: & גנה אלחלד جنة الخلد *Hortus perennantis vigoris ac viroris*, *Paradiſus.* Speciatim nonnunquam *viror* ac *vigor ſenectæ* hoc vocabulo ſignatur. Id Cl. *Crom.* hic locum habere arbitratur, ut ſit, *præ meridie ſurget viror ſenectæ.* Fateor accommodatum; ſed ſciri velim, ſub *ævo perennante* illam vim *virilis ſenectæ* ſponte includi. Tenendum itaque, *præ meridie ſtabit ævum feliciter perennans.* תקום *ſtabit*, i. e. *in ſummo culmine lucebit*, non, ut plerique volunt, *ſurget* vel *orietur.* Eleganter *ſtare* dicuntur, quæ *ſupremum tenent culmen.* Hinc ſolennis formula ducta قام قايم الظهيرة *ſtetit ſtans meridiei*, quam reperies *Hiſt. Sar.* p. 21. Ex *Gjauhar.* nunc tantum addam يقال اتيته حد الظهيرة وحين قام قايم الظهيرة *Dicitur acceſſi eum ἀκμῇ, ipſo culmine, meridiei; itemque, quum ſtaret ſtans meridiei.* Similiter *Græcis* placuit ἦμαρ σταθερὸν & θέρος σταθερὸν &c.

Ibid. Variatur in תָעֻפָה, a עוּף. Nonnulli, cum iiſque Noſtri, *volabis*, *evolabis*; *ex omnibus calamitatibus*, videlicet. Alii *ſplendeſces*, a עפעפי שחר *palpebris auroræ* anſa ſumta, quam & *Aurora* adjecta porrigebat. Et mihi aliquando placebat hinc, *tremula luce vibrabis*, ut *Prov.* 23: 5. Hanc ideam Doct. *Belg.* in Not. cum priori *evolandi* conjunxerunt. Commodiorem tamen nunc cenſeo oppoſitionem, quam plurimi concipiunt, *Obſcurus fueris*, *ut aurora eris.* Id *Merc.* ſolide declarat, *Etſi obtenebratus fueris*, *in afflictionibus poſitus*, *eris auroræ exorienti ſimilis*, *quæ magis magiſque augeſcit in lucem.* Aſſentior *Schmidio*, non *futurum* ſed *præſens* intendi *tempus*: nec putem *Mercerum* aliud voluiſſe: quamvis Cl. *de Dieu* in *fut.* traxerit. Idem, ut & Cl. *Cocc.* in 3. *fœm.* extulit *imperſonaliter*, *ſit obſcurum*, *ut mane erit.* Cl. *Cler.* correctorem agit, & legere jubet תְעוּפָה; *ſubſtant*: *forma*, ut ſit, *caligo ut aurora erit.* Infelix criſis, quæ ex vibrante, & erecta, languidulam facit orationem. Saniſſimum eſt תָעֻפָה *Tu nunc ſis obſcurus* licet, & tanquam *caligine vertiginoſa denſæ noctis involutus*; *ut aurora eris.* Nil grandius. עיפה *caliginem vertiginoſam* cur reddam, invenies *Cap.* 10: 21. Ea *auroræ* opponitur *Amos.* 4: 13. ſub iiſdem, quibus hic, figuris. צלמות *umbra mortis* pro *ſummis miſeriis* nemini ignota. In ea regnat עיפה *caligo vertiginem oculis offundens*, in eaque conſtitutus יעוף σκοτοδινιᾷ *vertigine laborat*, *præque mœrore emoritur* quaſi, *intus* & *extus* ita *oppreſſus*, ut *ſui haud* ſit *compos.* Omnia hæc admirabiliter comprehenſa in uno verbo תעופה. *Tali in ſtatu deſperatiſſimo ſis* licet, *aurora novæ felicitatis tibi illuceſcet*, *cujus* חלד *Vigor perennis ſtet duretque.* Similem oppoſitionem *Noctis*

18 ובטחת כי־יש תקוה וחפרת
לבטח תשכב׃

18 Et ſecurus eris, quod ſolida ſit expectatio: & molli ad fodiendum terra gaudens ſecure recubabis.

19 ורבצת

19 Pro-

ctis caliginoſæ, & *auroræ*, invenio in *Hiſt. Sar. p.* 289. ubi *Chalyphæ Muctadii* nobilis vena Poëtica laudatur, appoſitis quibuſdam verſiculis, non feliciſſime redditis, in quibus & hicce,

وبدلنا من ظلمة الجور
بعد ما دجي
ليلها صبحا من العدل
مسفرا ۞

Et reddidit nobis e tenebris iniquitatis, poſtquam
Ingruiſſet nox ejus, auroram juſtitiæ ſplendidiſſimam.

Verſ. 18. In verbo בטחת *confides*, *ſecurus eris*, ſuſpicor alluſionem ad *Originem* eſſe captatam, quæ eſt *in planitie verſatus fuit: habitavit in plano.* Hoc *ſecuritatis ſummæ* argumentum. Confer præter alia, de quibus alibi, *Jer.* 49: 31. Sequentia hunc luſum invitant, quem tamen nemini obtrudo, quum ſenſus abſque eo conſtet. יש תקוה proprie *ſoliditas expectationis*, vel *fiduciæ*. חפרת *fodies* ancipites habet interpretes. *Merc.* & *Cocc. Defodies paxillos tentorii tui. Figes Tabernaculum*; ut ex moribus *Arabum* deſumta ſit phraſis. Alii *foſſas* & *munimenta perduces* circum *Tabernaculum*, quæ *vim* & *impreſſionem* latronum arceant. Argutiore ſenſu *Kimch. Levem* tantum *foſſam fodies*, *non murum educes*, *ſatis tutus abſque validiore munimento.* Mitto alia remotiora, ut *foſſionem ſepulchri:* &c. &c. & venio ad ſpecioſam Cl. *Cocc.* conjecturam, reſpici ad *foſſionem puteorum aquationis cauſa*, *more paſtoritio*, cujus veſtigia paſſim in Sacris. Idem Cl. *Cler.* placuit: quin & a *Vavaſſ.* tactum fuerat. *Gregum* certe rationem hic habendam patebit *Vſ.* ſeq. ut Cl. *Schmidio* id adeo *remotum* videri non debuiſſet. Ipſe minus opportune infert alteram notionem *pudoris*, quæ τῷ חפר ineſt, quaſi eſſet, *Etiamſi* nunc *pudefactus ſis*, *ſecure cubabis.* Adeone *Vaw converſ. præt. in fut.* nullius hic momenti? ſi autem *fut.* teneas, quod & ſe poſſe ait *Vir Doctiſſ.* adeone ſui diſſimilis fiet, ut qui in *præc.* תעפה id refutarit, nunc ingerere ſuſtineat? *Etiamſi* in poſterum *aliquid ignominiæ ſis paſſurus*, *tamen mox ſecure cubabis.* Mea quoque vineta cædens refingo quod olim tentabam ex خفر *protexit*, *præſidio cinxit*; unde *paſſive* volebam *protegeris.* Facile interim agnoſcitur, a *fodiendo* iſtam vim manaſſe, & خفر عليه חפר עליה, quatenus exponitur in *Cam.* اجاره ومنعه وآمنه *in protectionem ſuſcepit*, *defendit*, & *ſecurum præſtitit aliquem*, nihil aliud eſſe quam, *fodit circa eum*, *foſſa* quaſi *ducta circummunivit.* Debuiſſem potius inde offerre, *foſſa ducta circummunies tuam familiam*, *univerſamque* adeo *clientelam*, *futurus* aliorum *Protector.* Hoc cum ſecunda explicatione concinit, quam ſibi non diſplicere dixit *Merc.* Adfine eſt, quod verbum نأي ſit, *foſſam duxit circum tentoria ad avertendum imbrem*, *& fluxum.* Illa *foſſa* حفير חפיר *particip. form.* & חפרה حفرة *ſubſtantive:* ut quum النأي
الخيم declaratur جعل لها نؤيا
اي حفرة حول الخباء يمنع
السيل والمطر *Fecit tentoriis foſſam iis circumductam, quæ prohibeat fluxum torrentis, & imbrem.* Sic ad *Torrentem malo-*

 rum,

19 Procumbeſque nemine conterrente; & ſupplices te multi frequentabunt. | 19 ורבצת ואין מחריד וחלו פניך רבים :

20 Aſt oculi improborum conſumentur; & effugium ipſum peribit ab ipſis: ſpeſque eorum crepatio animæ. | 20 ועיני רשעים תכלינה ומנוס אבד מנהם ותקותם מפח־נפש :

rum, *vehementemque* illum *fluxum aquarum*, quo *tentoria Jobi* fuerant *aſportata*, pulcherrime reſpiceretur; a quo *per foſſionem* hanc *tuta* præſtarentur. Habes, quod vix expectaſſes, in *fodiendi* verbo *celſiſſimam figuram*, quæ uberes meditanti venas recludet. Ultimum שכב, ex origine ſonans *Fuſum jacere* humi, in herba, in toro; ad *quietem*, vel *ſomnum* capiendum; hanc *imaginem* egregie adjutat.

Verſ. 19 In verbo רבצת *Recubabis* contineri *metaph.* a *Gregibus*, recte monuit *Merc.* Nimis ſubtiliter diſcriminat *Schmid.* inter *poſſeſſorem* & *pecora*, quaſi *Vſ. præc.* de *Jobo*, hic de *pecoribus* tantum ageretur. Ad *greges* tamen *abactos* alludi lubens eidem conceſſerim. *Arab.* ربيض רביץ eſt *Grex pecudum cum ſuis paſtoribus*, *Dominiſve*, hoc, vel illo in tractu, *recubans*. Vide *Clav. Dial. p.* 296. Plura dabit *Hieroz. part.* 1. *p.* 468. In formula חלו פניך agnoſcit Cl. *Cocc.* vim *vultus* precibus *fatigati*, quam in *Origin. Cap.* 3. illuſtratam dedi, a חלה *terere*, τρίβειν. innuitur *Jobum*, ut ante, non *divitiis* tantum, ſed & *potentia* conſpicuum fore; ejuſque *gratiam* ac *protectionem* omnes eſſe ambituros. Talem *præpotentem* appellant *Arabes* مجير מגיר *in protectionem recipiens* גרים *clientes*, ſive *peregrinos*, qui استجاروا *præſidium* & *protectionem implorant*, *ſe clientum numero haberi flagitantes.*

Verſ. 20. Gravis, & aculeata plane clauſula, qua cenſorio ſpiritu *deflatur*, ut ſic dicam, Noſter; *deflantur* omnes ejus fortunæ, *præteritæ* non tantum, ſed & *futuræ*. Partem veri vidit *Merc.* ad *Jobum* quoque generale hoc dictum pertinere monens, qui *ſi in impietate perſeveraret*, cum reliquis impiis, *expectaret* quidem *bonum*, ſed non *aſſequeretur*. Nempe *conſumtos*, vel *contabeſcentes*, *oculos* refert ad *expectationem fruſtratam* ac *deluſam*. Erud. *de Pined.* hæc *Jobo* item applicans, *oculos deficientes* concipit *ob triſtiſſimum ærumnarum adſpectum*, *quum præ mœrore obſtupeſcitur*, & *fixo hæretur obtutu.* Idem tamen longe diverſam interpretationem adfert, quæ *impios* hos facit *inimicos Jobi*, *a Diabolo ipſi immiſſos*, *ad calamitates ejus deridendas*, *quos nunc dicat Tſopharus ob res proſperas ejus fore adficiendos dolore.* Illuc & R. *Salom.* collineat, ſenſu ſpecioſo magis, quam ſolido, cui anſam præbuit minus rite enucleata clauſula *Cap.* 8: 22. Ut autem ibi ex orationis ſerie aliquid vehementius elicui, ita hic eundem aculeum altius adhuc infigi, mox clareſcet. Cl. *Schmid.* oleo mollius quid edidit, miro nexu capto a *Multis*, in *Vſ. præc.* poſitis; non *omnibus*; *quia nimirum etiam mali & impii exiſterent*, *qui illud non eſſent facturi.* Inde extundit. *Reliquorum impiorum*, *qui non deprecabuntur faciem tuam*, *oculi contabeſcent*; *quum videbunt te ipſis feliciorem eſſe*; *ſeque longe inferiores*, *quam ut tibi nocere queant.* Addit, מנוס eſſe *Refugium*, *auxiliumque*, quod hi homines quærerent *ad Jobum opprimendum:* itemque תקוה eſſe eorundem *ſpem de Jobo opprimendo.* Nil dilutius: nec expectaram ad tam exilem ſenſum mihi deſcendendum fore, a granditate & amplitudine, quam nudus loci conſpectus ſuggerebat. Non poſſum interim quin ſubmoneam, ſimilia ferme *Bolducio* adlubuiſſe, cui ſine rivali id privum, quod מנוס *Refugium* ſit *Auctoritas Eccleſiaſtica reſidens* apud *Prælatos*, qui dicuntur, *ad quos tempore tribulationis tanquam ad ſacram anchoram recurratur.* Hanc *auctorita-*

ritatem, ab *inimicis Jobi ad ipſum fore redituram* innui ſtatuit. Iiſdem fidiculis ex תקוה extorquet *congregationes Eccleſiaſticas*, unde hunc fluidum ait procedere *ſenſum*, *fore ut æmulatorum Jobi congregationes*, *licet nunc eſſent ampliſſimæ*, *paulatim evaneſcerent*, *& ad nihilum redigerentur.* Concludit, hinc colligi, *illis temporibus inter prophetas*, *& viros Eccleſiaſticos ſanctam piamque fuiſſe æmulationem*, *ut ſibi multos fideles*, *ſubditos*, *diſcipulos*, *ac Parochianos conciliarent.* Lepida commenta! qualium fœcundum hoc cerebrum; ad *Vſ.* 18, 19 in שכב & רבץ inveniens *Accubationes Propheticas inter duo pulvinaria*, *ad oracula e viſis ſomniorum petenda.* Hoc ei per portam eburneam advolaſſe diceres. Sed pergo. Ad *inimicos* quoque, & *contemtores Jobi* verba noſtra traxit Cl. *Cler.* in *Paraphraſi* ponens, *Improbi proſpicientes*, *num aliunde auxilium adveniat*, *fatigabunt oculos*, *experienturque ſpem ſuam inanem eſſe* &c. &c. Errorem hunc offudit minus introſpecta ſeries cenſurarum *Tſophari*, quem putabant Viri Docti *conſolatorem agere* in præcedentibus, quum revera *Reprehenſorem gerat acerrimum*, ſub omni iſta *promiſſionum blanditie*, & *dulcedine.* Videlicet noſtrum omnibus hiſce convincere voluit *officii* hactenus *neglecti*; & *impietatis* vel *occultæ*, vel *apertæ*; quia alias in tam graves calamitates nunquam merſus fuiſſet; multo minus iiſdem tamdiu ſubmerſus teneretur, ſine ſpe ulla inde emergendi. Sentis jam, quam appoſite, quamque aculeate ſimul, his verbis cenſuræ ſuperiores claudantur. Sentis quoque, *generalem* quidem eſſe *ſententiam*, adverſus *Improbos* omnes pronunciatam; *ictum* tamen ejus vel maxime nunc *cadere in caput Jobi*; qui propter deploratum plane, conclamatumque, ſtatum fortunarum ſuarum, *Improborum gregi accenſetur*, Deoque *meritiſſimas pœnas perſolvere* arguitur. *Conſumti oculi* deſignant *fruſtratam & eluſam ſpem omnis boni*, cum *invidia tabida alienæ felicitatis.* In formula אבד מנוס *Effugium periit*, plus reſidet quam *negatio* vel *ademtio effugii*. Ὀξύμωρον videlicet ſubeſt, quo *ſalus* ipſa iis converti dicitur in *perditionem*, ut tum vel maxime *periiſſe* deprehendantur, quum *Aſylum tutiſſimum*; *Arcemque ſe* cenſent *tenere ſalutis.*

Ibid. Majus negotium in מפח נפש *efflatio animæ*; quæ *Mercero* deſignat *animi mœrorem tantum*, *ut propterea expiretur*; vel *expirare* ſaltem *cupiat* aliquis. Cl. *Cocc.* non abſimiliter *Deliquium animi* exponit, ex *Jer.* 15: 9. *Deut.* 28: 65. *Job.* 31: 39. Idem viſum *Doct. de Pined.* non male *Vulgatum* tamen, qui dat, *Et ſpes illorum abominatio animæ*, explicanti, *Res ſperatæ eorum dignæ quæ exſibilentur*, *exſufflentur*, *& oris flatu abominante diſpellantur.* Hoc *figuratius* quam ſimplex *exſufflatio animæ*, pro *halitu oris in auras abeunte*; quod a *Merc.* & *Cocc.* ſepoſitum, a *Schmid.* & *Cler.* eſt recentatum. Addidit *Crom.* ex نفحة *boni odoris auram evanidam.* Multo commodius eſt, in hac quidem conſtructione, quod Doct. *Belg.* *efflationem animæ* exponant *mortem*, *qua* omnis *ſpes improborum finita evaneſcat*, *& in auras dilabatur.* Non tamen per omnia quadrat. Mea epicriſis hæc eſt, Phraſin מפח נפש vel referri poſſe ad alios, qui *ſpem improborum* dicantur *cum ſibilo* & *contemtu publico deflare*; vel ad ipſos improbos, quibus *ſua* ipſorum *ſpes* convertatur in *efflationem*, *crepationemve animæ.* Prior adſpectus habet, quo adblandiatur, ſenſu illo quem ſupra ex *de Pined.* propoſui; niſi quod fortius adhuc tunc darem, *omnem eorum ſpem flatu oris tenuiſſimo abomineris ſimul*, *ſimul difflare queas.* נפש pro *anima oris.* מפח *difflatio*, pro *re quam facile diffles*; vel quæ *contemni* & *deflari* mereatur. Si hanc phraſin *geſtu contemtore* adjutaſſet *Tſopharus*, & in tali *flatu* verba facere deſiiſſet, nihil admodum in hoc ſenſu deſiderarem, grandi ſane & uberi. Fateor tamen me magis ferri in alterum illum conſpectum, quo *efflatio*, vel, quod malim, *crepatio animæ* vocatur *Spes improborum* vel *firmiſſima*: quippe quæ ipſos *in culmine* etiam *votorum*, & *felicitatis*, ſubito deſtituat, ſimulque cum ipſis *crepet* quaſi, atque *in deſperationem diſſiliat.* Sic iterum pulchrum exiſtit ὀξύμωρον, qua id quod *validiſſimam ſpem* dabat, dicitur *cum crepitu rumpi & rumpere* ſimul *ſperantem*, *mera deſperatione ei relicta.* Hoc intendiſſe videtur Cl. *Cocc.* quum notat, *animæ deliquium*, quod *Jer.* 15: 9. & *Job.* 31: 39. itemque *Deut.* 28: 65. in *Paraphr. Chald.* ſignificatur, hic poni pro *anguſtia*, στενοχωρίᾳ, θλίψει, ὀδύνῃ & *ſimilibus*; quæ

ſib' improbi, ut *theſaurum, recondant in d em iræ*. Si *Dialectum Arabum* conſuluiſſet ὦ πά-νυ, ſub نفخ, pro *animæ deliquio*, quæ eſt *expiratio mollior*, *lentiorve*, directe dare potuiſſet *diruptæ animæ crepitum*, quod & *plenius*, & *vehementius* aliquid, infert. Infra *Cap.* 31: 39. formula נפח נפשו *cum flatu crepuit anima ejus*, adhuc luce nonnulla adſpergetur.

CAPUT DUODECIMUM.

Verſ. 1. ET reſpondit Jobus, dixitque

2 Sane vero vos eſtis populus: & vobiſcum morietur ſapientia.

3 Etiam

Verſ. 1. ויען איוב ויאמר :

2 אמנם כי אתם־עם ועמכם תמות חכמה :

3 גם־

Verſ. 1. Acres & ſeveros aculeos Noſtro admoverat præcedens objurgatio; quos partim retorquet, partim retundit; adhuc animoſius, ut fit, quam ante, pedem cum Amicis non tantum, ſed & cum Deo, conferens; atque ad ejus Tribunal quaſi perrumpens, ut ſe nulla Hypocriſi contactum, atque inmerito adflictum, pervincat. Hoc capite potiſſimum *Tſôpharum* ſociosque caſtigat ut oſtentatores ſapientiæ ſublimioris, quum tamen circa prima tantum Elementa verſarentur, atque vulgatiſſimas modo proferrent veritates, de Dei *ſapientia*, & *potentia* infinita, qua rerum univerſitatem & creavit, & ſuſtentat, atque gubernat. Iſtam oſtentationem eo magis ſibi redarguendam inſinuat, quod ex primis illis, neminique non notiſſimis, veritatibus, male profecto colligerent, *Calamitates* a Deo Opt. Max. eodemque ſapientiſſimo, non aliis immitti, quam *improbis*; *probis* autem *omnia proſpera*, ut *promiſſa*, ita & divinitus *contingere*, hiſce in terris. Contrarium plane, ut experiebatur Noſter, ita nimis contentioſe poſuerat *Cap.* 9: 22, 23, 24. idem *Vſ.* 6. hujus *Cap.* reponit, atque deinde quoque, in *Magnifica* illa *deſcriptione Majeſtatis* & *magnitudinis Divinæ*, quæ a *Vſ.* 13. ad finem pertexitur, non obſcure inculcat. Apparet, *Amicos* hinc, *Jobum* illinc, ex certis confeſſiſque principiis nimis fervide diſputaſſe; atque ſic, ſenſim ſine ſenſu, ſtatum controverſiæ conturbaſſe; gravi ἐμπειρίᾳ τῆς ἀνθολκῆς utrimque commiſſa.

Verſ. 2. Vehemens exordium, ex abrupto. In conſtructione prioris membri hinc hæſitatio quædam. *Mercer.* dat. *Vere quod vos eſtis populus*; pro *Enimvero ſcio* &c. A *Pagn.* ſuppletum *putatis*. Noſtri, aliique, rotundius, *Profecto, quia vos populus* eſtis, *ideo vobiſcum morietur ſapientia.* Non invenuſte quoque *Cocc.* cum *Ironica* confirmatione antecedentium, & collaudatione; *Certe! Nam vos* eſtis *populus* &c. Limpidius tamen illud *Schmidii*, *Certum eſt, quod vos ſitis populus.* Obſervat ille *Adverbia* ſæpe *nominaſcere*, & vel *adjective*, vel *ſubſtantive* reddenda. Heic loci dubitat, priusne ſit, an poſterius, *veritas eſt*. Id unice verum, nam אָמְנָם ab אֹמֶן *veritas*, *firmitas*, propagatum, cum *Mem adſ.* unde & אֻמְנָם exarari poteſt, ad normam *ſegolatorum*. Cum כי conſtruitur etiam *Rut.* 3: 12. monente Cl. *Schmid.* ubi a *Maſorethis* expunctum אם ſic expreſſerim; *Et nunc, profecto veritas eſt, quod ſane vindex ego*; per *Pleonaſmum* elegantem admodum.

Ibid. Jejunior eſt ſenſus, quem *R. Levi*, aliique Magiſtri, exhibent. *Vos eſtis plebs, & vobiſcum mortua* jacet *ſapientia.* Sic gratia *Ironiæ* perit, quam exigit illatio *Vſ.* 3. Frau-

3 גם־לי לבב כמוכם לא־נפל אנכי מכם ואת־מי־אין כמו־אלה׃

3 Etiam mihi cor ut vobis: non ceciderim ego a vobis: & cum quo non ſunt talia?

4 שחק

4 Lu-

di fuit inſignior uſus עם, quem non aſſecuti ſunt, qui vel *populum* aliquem *excellentiorem*, vel *univerſum genus humanum* denotari volunt. Gl. *Cocc. Populum* hic *multitudini extraneorum* ac *ſervorum* opponi ſagaciter deprehendit. Ita apud Romanos *Populi* nomen ſæpe dignius quid ſpirat. Salſa hinc ironia Noſter, *Vos eſtis populus ingenuus* ſcilicet! *vos liberi & liberaliter eruditi*; *ego* autem, *meique ſimiles vilis & ſervilis turba*, *numerus*.

Cl. *Crom.* confert عميم *Præſtantior & exquiſita pars* hominum; ut in *Lex. Goliano* proſtat. Dulcius bibes ex ipſo fonte *Gjauharii* يقال هو من عميمهم اي صميمهم وخالصهم *Ipſe eſt ex eorum* עמים, *nobiliore & maxime ingenua ſtirpe*, *ſive progenie*. Eandem conjecturam & ego in primis conaminibus promſi. Quum tamen forma differat, & notionis iſtius *Origo* paulo obſcurior ſit, prius retinere malim, donec plenior forte lux adfulgeat.

Ibid. Nobilis cothurnus, *Vobiſcum morietur ſapientia*; quo nec grandius quicquam nec falſius concipi poteſt, quum *ſui plenos*, atque *excellentioris ſapientiæ opinione turgidos*, conflatos volumus. Extra *Ironiam Sophoc. Philoct.* 1437.

—— Ἡ γὰρ εὐσέβεια συνθνήσκει βροτοῖς.
Κἂν ζῶσι, κἂν θάνωσιν, οὐκ ἀπόλλυται.

Pietas enim commoritur hominibus;
Et ſeu vivant, ſeu moriantur, non interit.

Sic editur, ſic vertitur; re & ratione reclamante, quæ poſtulant, *Non commoritur*, οὐ συνθνήσκει. A *Clar. Weſſeling.* meo hanc certiſſimam emendationem, doctos inter ſermones, prolatam ante aliquot annos, commemini. Suaviſſime *Moſch. Id.* 3: 12.

Ὅττι Βίων τέθνακεν ὁ βώκολος, ὅττι σὺν αὐτῷ
Καὶ τὸ μέλος τέθνακε, καὶ ὤλετο Δωρὶς ἀοιδά.

Iterum *Vſ.* 66.

Πάντα τοι ὦ βῶτα, ξυγκάτθανε δῶρα τὰ Μοισᾶν.

Adde *Vſ.* 33: 34, 35. nectare dulciores, quum ait *Bione mortuo mella* ex *alvearibus* non amplius *fluxiſſe*, ſed *in ceris* ſuis *contabuiſſe emortua*, *quod nefas eſſet*, *poëtæ hujus Melle intermortuo*, *aliud vindemiari unquam*. Celſiore Spiritu *Æſch. Agam.* 763. dixit, vetus eſſe verbum μέγαν τελεσθέντα φωτὸς ὄλβον τεκνοῦσθαι, μηδ᾽ ἄπαιδα θνήσκειν, *Magnam factam viri felicitatem procreare liberos*, *neque ſine iis mori*. Nempe, ut ſemet explicat, *ex nimia felicitate germinant calamitates* &c. Hoc alterius eſt naturæ. Vide & *Choëph.* 846. *Soph. Elect.* 1153. *Lucian. T.* 1. *p.* 360. *Ed. Græv.* &c. Agmen claudat *Comicum* illud, quo *Euripidis* λέξεις perſtringit *Ariſtoph. Ran.* 1017. τὸ τρύβλιον μοι τέθνηκε. *patella mihi mortua eſt.*

Verſ. 3. Latentem aculeum ipſe *Jobus* indicat, ut recte obſervatum a *Doctiſſ: Interp.* Submonendum reſtat, oculos reflecti ad *Cap.* 11: 12. ubi *cor recipere* jubetur *vir fungoſus*, & *arundinis inſtar cavus*. Apud *Arabes* لب eſt *Nucleo prædita fuit* bacca; *intelligentia polluit* homo. Habes *conduplicatam* hoc pacto *figuram*, quam ex collatione iſtius contextus ad plenum perſpicies. *Præp.* כ hic ita comparat, ut præferat; quum enim dicimus, *Et mihi cor æque ac vobis*, ea ipſa collatione majorem gradum illatum volumus; quamvis modeſtia hunc flexum malit. Sequens Colon, *Non cado ego a vobis*, capi poſſet in *metaphora* a *luctatoribus*, quod Cl. *Schmid.* etiam monet; qui interim mallet, *non cado præ vobis*; quando iſti tralationi non adeo locus eſſet; aliud enim ſonat, *non cado a vobis*, quod eſt *dejecti*, *proſtratique ab Adverſario*; aliud, *non cado ego præ vobis*, quod eſt *ſemet* quaſi *dejicientis* ante formidoloſum Adverſarium, priuſquam ad manus veniatur. Ambigas, utrum

4 Ludibrium ſocio ſuo exiſto; qui vocat Deum, atque eidem reſpondeat *vocatus*; Ludibrium exiſtit juſtus integer.

4 שחק לרעהו אהיה קרא לאלוה ויענהו שחוק צדיק תמים׃

5 Ca-

5 לפיד

trum voluerit Cl. *Cocc.* vertens, *non ſum inferior vobis*; i. e. *ſto erectus æque ac vos*; *nec lapſo*, *titubo*, *cado*. Cl. *Cler.* putat reſpici ad conſuetudinem *adorationis Orientalis*, quum *ignobiles ante nobilem ſe proſternunt*. Venuſtius erit, ſi a *Gigantibus* & *Nanis*, *homuncionibuſve*, ductum ſtatuamus ſchema, vel ſaltem a *Bellatoribus præſtrenuis*, *ante quos ſemet dejiciant imbelles*. Adfine eſt, ſed non idem, *Neh.* 6: 17. Recurret formula hæc *Inf.* 12: 2.

Verſ. 4. Reprehenduntur arrogantes Amici, quod *Virtuti puriſſimæ*, & *Deum* ipſum *exploratorem* ac *judicem poſcenti*, palam illuſiſſent; atque ita *Innocentiæ adflictæ inflixiſſent*, a ſua parte, *acerbiſſimam contumeliam*. Singulare illud, quod in primo colo ex *mutatione perſonarum* exiſtit, docte illuſtratum a Clar. *Cocc.* qui conciſum loquendi genus ſic reſolvit: *Deridiculum amico ſuo* qui eſt, is ego *extiti*. Minus aptum & apertum illud *Pagnini*, *Deriſio amico ejus ſum*; nec non *Merceri*, *ſum riſus ſocio ſuo*; quamvis recte explicet, *ut is qui eſt riſus ſocio ſuo*. En genuinam formam faciemque phraſeos, *Ludibrium ſocio ſuo*, *factus ſum*. Fallor, aut *Ludibrium ſocio ſuo* habet aliquid proverbiale, quo ſignificatur *homo ſtolidus*, & *vilis*, quem ſocius quoque ſuus *ludibrio habeat*, atque *aliis deridendum propinet*. Id *Græcis* παίγνιον & ἔμπαιγμα, unde παίγνιον ποιεῖσθαι, *Ludibrium facere* aliquem, Sentis hoc pacto nil rotundius, ſimulque brevius, potuiſſe efferri. Vicinum eſt illud *Iliad.* 13: 233. κυνῶν μέλπηθρα γένοιτο. i. e. ἐμπαίγματα. Sic μέλπηθρον ſeu ἔμπαιγμα ἑταίρου dicas *hominem ad viliſſima ludibria proſtitutum a ſocio ſuo*, qui & اضحوكة אצחוקה *Arabibus* itemque ضُحْكَةٌ צחקה *Perſona* vel *res ridicularia*. שחק & צחק convenire notum. Simplicior ſtructura dediſſet, שחק לרעי *Ludibrium ſocio meo factus ſum*

كنت ضحكة لصاحبي, Figuratior præbet ضحكة لصاحبه, שחוק לרעהו *Ludibrium ſocio ſuo*, *factus ſum*, vel *exſtiti*: ampliore & acriore ſenſu: cui nervus incidetur, ſi cum Cl. *de Dieu* teneas, *Deriſioni eſt cui amicus ſum*, *qui invocat Deum*, & *exaudit eum*, *deriſioni eſt juſtus integer*. Opinatur Vir *Doctiſſ.* eſſe generalem ſententiam, qua inferatur, *Omnes pios deriſioni eſſe expoſitos* Sic omnia membra directe ad *totum genus juſtorum* pertinerent, *cui ſe amicum* profiteatur Noſter. Loci obſcuritas conatus infelices facile excuſet; quamquam mirari ſubeat, magnum in Orientalibus literis Virum ita prius colon luxaſſe, ut לרעהו אהיה jungat, capiatque pro לאשר רעהו *cui amicus ego ſum*; quod ſaltem convertendum fuiſſet, *deriſio* parata eſt illi, *cui ego amicus exiſto*; ut ſuus Linguæ genius conſtaret.

Ibid. Gravem nodum nectit medium membrum, *vocans Numen*, & *reſpondet Ei*. Cl. *de Dieu* opinionem nullus probem. Merito quoque improbata hallucinatio R. *Levi*, ad *deridentem* hæc referentis, *Riſui ſum ſocio*, *qui ſocius quoties Deum invocat*, *exauditur*. Rectius ad *Jobum deriſum*, a *Mercero*, *Coccejo*, *Schmidio*, pleriſque, applicatur. Senſus tamen parum limpidus, ſive *in præſenti* explices, ſive *in præterito*, ſive *in futuro*. Prius Doct. *Belgæ*, ſequuntur, *Ego quidem a vobis derideor*; *nihilominus non ſum ſine conſolatione apud Deum*. Hoc qui conveniat deploratiſſimæ conditioni Loquentis non exputo. Latiore adhuc conſpectu *Merc.* *ſunt verba*, inquit, *confidentis*, & *bene ſperantis nunc de ope Dei*. *Quaſi dicat*: *Antehac quum ad Deum clamarem*, *exaudire me ſolebat*; *ſed* & *nunc idem eum facturum non deſpero*. Quid ergo tantas tragoedias miſcet Noſter? Ratione *præteri*

5 לפיד בוז לעשתות שאנן נכון למועדי רגל׃

5 Calamitati vilitas adeſt apud ſplendidam proſperitatem ſecuri: percuſſio flagellans vacillantibus pede.

6 ישליו

6 Tran-

teriti tantum *Nachmanid.* dictum cenſet, *Qui fui invocans Deum, & exaudivit me.* Subtilius Cl. *Cocc.* quatuor hic characteres *Jobi* enotatos putat. 1. *Quod ſit invocator veri Dei.* 2. *Quod Deus ei teſtimonium reddat in corde ſuo; accedente* olim *& figuris externis.* 3. *Quod ſancte & inculpate vixerit.* 4. *Quod ſine hypocriſi, ac claudicatione.* Omnia hæc complexus eſt Doct. *Schmid.* quum ait *Eum* indicari, *qui hactenus conſtanter ſolitus eſt Deum invocare, nec a Deo defecit; atque etiam exauditus eſt; ſive per ignem, ſive per ſomnia, & viſiones.* Fateor nil commodius, propiuſve, dici poſſe, ad difficultatem *temporis* expediendam. In eo acquieſcatur neceſſe eſt, ſi הו, ut omnes hæ interpretationes ſupponunt, ad ipſum *Jobum* redeat. Sed perpendi velim, an non expeditius certiuſque ad *Deum* referri poſſet? utique 3. *perſ.* aptior *Deo*, quam *Jobo*, qui in 1. potius dixiſſet ויענני *Et exaudivit me*, quum nunc velle videatur *Et reſpondet Ei* Numini. Uberior quoque hinc ſenſus ſuppeditatur, *Illuſionis*, de qua conqueritur Noſter, *verum argumentum* ob oculos ponens. *Deridebatur* videlicet Noſter *ab Amicis*, non quod eſſet *pius Cultor Dei*, (ea enim fuiſſet *profanorum hominum* improba *ludificatio*, ex contemtu religionis profecta,) ſed quod *ſibi inſignem pietatem arrogaret*, atque *ſe purum* & *innocentem eſſe* contenderet, vel *ſub ipſis* Dei *oculis* atque examine; cupiens *cum Deo in congreſſum venire*, ab Ipſoque audire, quo tandem crimine haſce plagas commeritus fuiſſet. Hoc ſi ex Verbis hiſce eruere queam, directius ſcopum me feriiſſe judicabo. Eruetur autem, ſi *uſus illos judiciales* Verborum קרא & ענה, quos ad *Cap.* 5: 1. indicavi, & huc admoveamus: *Vocans Deum, Eidemque reſpondere paratus.* Hoc eſt; *Qui tam præclaræ conſcientiæ teſtimonium in pectore meo gero, ut & Actorem me profitear, & Reſponſorem, ad utrumque paratum, ſi Deus mecum in colloquium deſcendere haud dedignetur.* Sic compendioſe renovatum hic vides iſtum *congreſſum* quem ſibi dari optavit *Cap.* 9: 32-35. quemque denuo urgebit *Cap.* 13: 17-21. ubi *ſe Reſponſurum* ait, ſi *Deus vocare*, i. e. *Actorem gerere velit*; vel & *Actoris perſonam ſumturum, ut Deus reſpondeat.* Has *magniloquas voces* deridebant Amici, atque pro *vanis jactantiis*, quin *ſignis manifeſtis contumaciæ* caſtigabant ac confutabant; quum potius inde colligere debuiſſent *ſummam* viri *innocentiam*, & *virtutem*, animoſius quidem, æſtuante vi dolorum, loquentem, ſed tamen *ſinceram*, *ſolidiſque radicibus nixam*, quam tanta calamitatum tempeſtas convellere nequiviſſet. Id nunc & indignatur noſter, & maleſidis Amicis exprobrat; quod *Talem hominem* pro *Deridiculo* haberent, qui *eo uſque confidentiæ* fuerat *progreſſus*; quaſi *tantam innocentiam*, *virtutiſque ſinceritatem*, quantam ſibi tribuebat Noſter, inter homines reperiri poſſe negarent; eumque qui hoc ſibi vindicaret, exſibilandum eſſe cenſerent. In hanc mentem palam fertur poſterius, *Ludibrium eſt juſtus perfectus.* Si *aſyndeton* facias, laxabis quod debet intenſiſſimum eſſe. Ne ſatisfacit quidem *juſtus integer*, ſi תמים ſimpliciter opponatur vel *infidelitati*, vel *hypocriſi.* Vis diſputationis exigit *integrum vitæ*, *ſceleriſque purum*, in omni illa amplitudine, quam *Cap.* 9: 30. & alibi vidimus. Prudenter interim in 3. *perſona* elatum, invidiæ molliendæ ergo, quod *de ſe* intellectum volebat; quamvis *alios* quoque *juſtos* inſigniores hic includi poſſe lubens concedam.

Verſ. 5. Obſcuritatem ſummam hujus *Vſ.* omnes interp. agnoſcunt: quam & eorundem diſſenſio manifeſte prodit, in decem & ultra diverſas opiniones ſe ſcindens. A pleriſque לפיד habetur pro voce ſimplici, *Lampas*, unde reddi ſolet *Fax contemta cogitationi tranquillitate gaudentis*, eſt *paratus ad nutationes pedis.* Hoc Doct. *Merc.* riſit; ut נכון ſit *Nominativus*, unde reliqua pendeant. Alii, quibuſcum Noſtri, *Nominativum* repetunt ex *Vſ.* 4. *Juſtus ille eſt fax contemta* &c. *paratus ad nutationes pedis*; vel, ut ſit *inter nutantes.* Nonnihil immutans Doct. *Schmid.* dedit, *Fax contemtionis* eſt juſtus ille, &c. *Et deſtinatus*

vacillantibus pede; ſenſu nihil mutante. Rotundius fore putabat Cl. *de Dieu*, *Titio* eſt *contemtus cogitationi tranquilli*; *Rectus*, *vacillantibus pede*. Supple, contemtus eſt. i.e. *Hypocritæ contemnunt rectos*, *ut felices contemnunt titionem*. Friget; nec vigor accedet, etiamſi לעשתות vertas *Nitori*; quaſi proverbialiter diceretur, *Nitori felicium contemtum eſſe titionem*. Idem de *tæda ſeminuſta* ac *pene conſumpta*, *quæ prælucere* amplius *nequeat*, merito pronuncies; ſimulque requiras exemplum *talis* vel *proverbii*, vel *ſimilitudinis*; *diſſimile* enim, ut quod maxime, *Zach.* 3: 2. *Titio ereptus ex igne*. Cl. *Cler.* hariolari dicens eos, qui *facem pæne conſumtam* notari volunt, ipſe mox ad *lampadem oleo carentem quæ ſponte extinguenda ſit*, relabitur; quaſi quicquam differret. Suſpicionem *mendæ* melius preſſiſſet vir doctus, ſcripturarum haud inimicus utique. Talia *ſemina ſpargi* nollem, malos fœtus paritura: quum nil iniquius ſit, quam integritatem ſacri codicis ad curtam noſtram ſupellectilem velle exigere & metiri.

Ibid. Altera eſt *analyſis* qua לפיד ab *Ab. Eſra* revocatur ad פיד *calamitas*, *infortunium*, ut ſenſus ſit; *ſum ut qui ob infortunium contemtus* eſt *in mente ſecuri*; *eoque paratus ut pede nutem*, *& de providentia Dei dubitem*. Poſterius merito improbatum a *Merc.* ad quod ne quis ultra adhæreſceret, ita ſententiam circinandam duxit Cl. *Cocc.* *Ad calamitatem contumelia*, *apud nitelam tranquilli*, *parata eſt vacillantibus pede*. Egregius ſenſus, quo *qui ſumma in tranquillitate nitent*, *ac florent*, *contumelioſius contemnere dicuntur infortunatos & calamitoſos*. In eo nil deſidero, præter longitudinem *periodi*, non adeo reſpondentem diſtinctioni verſuum reliquæ; divulſionemque בוז a נכון, interſertis vocibus לעשתות שאנן; quam minus concoquere poſſum. Durius adhuc tranſponit Cl. *Guſſ.* in *Comm.* L. H. ſub פיד exhibens hanc faciem loci; *Qui ad infortunium*, *ad vacillationem pedum diſpoſitus eſt*, *vilis habetur cogitationi hominis rebus ſecundis utentis*. Mentem *Jobi* hanc eſſe, univerſa clamat ſeries; quam ſic expreſſam arbitror; *calamitati contumelia apud nitorem liquide ſecuri* adeſt: *flagellatio nutantibus pede*. Habes duo Cola, hunc ſcopum directe ferientia. פיד *Infortunium grave* ſignat *Prov.* 24: 22. & bis in Libro noſtro *inf.* 30: 24. & 31: 29. *Ei* adhæret בוז *contumelioſa contemtio*, & *deriſio*, qua poteſtate mox recurret *Pſ.* 21. Et quidem לעשתות *ad nitorem*, *ad ſplendorem*, hominum in omni *opulentia* & *ſecuritate viventium*, quales vocabulo שאנן notari conſentitur. Si quis malit *ad cogitationem*, *ad opinionem*, ſenſui nihil, elegantiæ forte nonnihil decedet. Iſtud לעשתות *ad nitorem* ſumere poſſis pro *apud*, eo modo, quo ex *Cocc.* vidimus. Poſſis & ſubtilius, ut oppoſitio fiat inter בוז & עשתות; & *calamitoſos* dicatur *ſequi publicus contemtus*; *fortunatos* autem *gloria*, *ſplendorque*. Prius præfero, quod ſic ex *lauta* illa & *ſplendida re*, *contumelioſam contemtionem miſerorum ſurrepere opulentis hominibus*, appoſitiſſime inſinuetur: non ſine aculeo Amicos tangente.

Ibid. Sequens נכון ſi revocetur ad כון, non omnino male quadrabit, ut ſit, *paratiſſima* eſt *vacillantibus pede*: nempe, *contumelia*. Sed concinnius autumem a Radice נכה *ſubſtantivum* illius *formæ*, ſonans *percuſſionem*, *flagellationem*, quæ בוז *contumelioſo contemtui* rite annectitur, ad *inſultationem*, & *Linguæ verbera* deſignanda. *Percutere aliquem Lingua*, eſt inſignis floſculus, quem hæc ipſa Radix tulit. שוט לשון *Flagellum Linguæ* habuimus *Cap.* 5: 24. Hoc qui graſſantur *Pſ.* 35: 14. ſignate dicuntur נכים *percuſſores*, *flagellatores*, qui *virulenter* omnes *lacerant* ac *proſcindunt*. Apud *Arabes* geminum thema huic *Hebræo* reſpondet نكأ *ult. Hamz.* & نكى ultima *Vaw* vel *Jod* deſignans *ictus perſcindentes omnia*, *quæque coaluerant reſcindentes*. Qui dubitare vellet, an נכון vivente Lingua *Hebræa* extiterit, eodem jure dubitet, an unquam in *Kal* viguerit נכה. Bene interim habet, quod veſti-

6 ישליו אהלים לשודדים ובטחות למרגיזי אל לאשר הביא אלוה בידו׃

7 ואולם

6 Tranquillitate limpida gaudens ſua vaſtatoribus tentoria; & res ſecuriſſimæ ſunt irritantibus Deum; cuique, qui adducit Numen in manu ſua.

7 At

veſtigium hujus vocis, notioniſque, ſagaciter deprenderit Cel. *Boch. Hieroz. Part.* 1. *p.* 372. in Hiſtoria *Uzzæ* 2 *Sam.* 6: 6. ubi memoratur גרן נכון *Area percuſſionis*, a viri illius *caſu* nomen indepta. Ea *Chron.* 13: 9. vocatur גרן כידון *Area exitii*, non jam *Nomine*, ſed *Omine* concinente; ex quo ſimul liqueat non *propria* eſſe, ſed *appellativa* hæcce vocabula; ac proinde ne minimam quidem ſuſpicionem corrupti textus hic hærere poſſe.

Ibid. Apparet nunc liquido מועדים non pertinere ad יעד, ut LXX. *Chald. Vulg.* putarunt, ex *parato* arripientes *tempus ſtatutum*. Non etiam a מעד *nutationes*, invita *Analogia*: ſed *Nutantes*, *Vacillantes*; per quos nunc intelligi *calamitoſos*, non autem *Hypocritas*, ut volebat Cl. *de Dieu*, indubitatum. Vide modo *Pſ.* 18:36. & 38:17. Locutio apud *Arabes* regnans. In *Hamaſa* extat الله ثبت ساقي بعد ما كدت اعثر *Deus ſtabilivit crus meum, quum jam jam lapſarem.* Ubi *Taurizius* العثار في الجد مثل للهلاك *Offenſio in greſſu proverbialiter deſignat interitum, ruinamve.* In eadem *Antholog.* Poëta gentis ſuæ gloriam in cœlum vehens, inter alia ponit

فما كلت الايدي ولا انا طر القنا
ولا عثرت منا الجدود العواثر

Non manus hebetantur, non haſta inflectitur;
Neque greſſus inter nos lapſabundi cæſpitant.

Ubi iterum *Schol.* يقال للرجل اذا هلك عثر جده *Dicitur de eo qui perit, lapſavit greſſus ejus.*

Ibid. Quamvis nil commodius uberiuſque autumem, quam quod dedi; ſupprimere tamen nequeo aliam adhuc faciem, quam collatio *Pſ.* 38:18. ſuggerit, ubi ſignanter admodum dicitur ואני לצלע נכון *At ego lapſationi*, vel *Claudicationi paratus*, *deſtinatusve.* Si iſtam vim & hic aptare quis vellet, ſic ei ſeries non omnino incommode procederet. *Ad calamitatem vilis eſt juſtus integer*, hoc eſt *Calamitatibus omnibus obnoxius*, לעשתות שאנן *nitente & florente interim homine ex opulentia nimia ſecuro, & Numen contemnente. Deſtinatus eſt* inquam *nutantibus pede. Adſcriptus* eſt *numero* eorum, quibus ex una calamitate in alteram eſt decidendum. ſic בוז *vilis*, & נכון *deſtinatus*, ſibi invicem reſponderent, ad deſignandum *parabolarium*, ut ſic dicam, atque *divinitus abjectum*; *projectumque ſimul acerbiſſimis calamitatibus.* Formula eſt *Arabibus* multum trita, *vilem facere aliquem morti*, *miſeriæ*, &c. quam alibi ex aliis quoque fontibus illuſtrabo.

Verſ. 6. Luculenta deſcriptio *felicitatis limpidæ* non minus, quam *pinguis*, & *nitidæ*, qua gaudere ſolent *protervi numinis contemtores.* Ea *Theſi* quæ optime cum filo diſputationis cohæret, ſive hoc, ſive illud eligas, funditus ſubvertitur quicquid argumentorum hactenus ab Amicis erat allatum; ſimulque confirmatur,

 quod

7 At enimvero interroga, age, beſtias, & docebunt te: volucremque Cœlorum, & ob oculos ponet tibi.

ז ואולם שאל־נא בהמות ותרך
ועוף השמים ויגד־לך׃

8 Aut

ח או

quod ſupra *Cap.* 9: 23, 24. erat propoſitum. In *Radice* שלה, ישלו, שלי, ישלה contineri *pinguem* & *eliquatam opulentiam*, ac *ſecuritatem*, *nullis curis*, *nullis ſæcibus turbatam*, adſtruxi *Origin. L.* 2. *cap.* 3. בטחות ſunt *ſecuræ res*, ut egregie *Cocc.* vidit; vel *ſecuriſſimæ* potius, ob inſertum *Dageſh*. Alii malunt *Securitates*, quibus, eadem de cauſa, addas licet *ſummas*. Suſpicabar aliquando eſſe *compoſitum* ex טחות *Renes*, a טוח *adipe oblinire*, ſecundum *formam Cap.* 38: 36. & *Pſ.* 51: 8. quaſi foret, *Idque in intimis renibus*. Prius mollius, opportuniuſque.

Ibid. Plus negotii faceſſit ultimum Colon. *Mercerus* exhibet, *ob ea quæ adduxit Deus in manum ejus*, pro *eorum*: i. e. *ob fortunas*, *quas iis largitur*. Elegantius Noſtri, *ob ea quæ confert Deus manu ſua*. Cl. *Cler.* poſt *Deod.* tentat, *Eique cui Deus* optata *in manum tradit*, ſat rotunde. Argutius *Genev. Qui Deum tenent in manibus ſuis*; *eumque ſibi pro lubitu faciunt*. Ad *idololatras* traxit Cl. *de Dieu* poſt *Rabb.* quoſdam, qui *Deum ſibi* vel *fabricent*, vel & *manu geſtent*. Cl. *Cocc.* poſtquam ſuum dediſſet, *illis*, *quos Deus in manu ſua poſuit*; præfert conatum illum Cl. *de Dieu*, *ei qui geſtat Deum in manu ſua*; ſubtilius explicans, *Nolens eſſe in manu Dei*, *ſed habere Deum in manu ſua*. His veſtigiis inſiſtens Cl. *Schmid. portare Deum in manu ſua* exponit, *Manum ſuam pro Deo habere*, & *putare quicquid libeat*, *etiam licere*. Felix acumen. Adfert ſubſidium ex *Gen.* 31: 29. quaſi & ibi diceretur, *Manum alicujus eſſe ipſi* לאל *in Deum*. Eſt diverſa phraſis. Felicius adduxiſſet *Hab.* 1: 11. quod a Cl. *Cocc.* fuerat collatum זו כחו לאלהו *Cui ſua vis in Deum ſuum eſt*. Grandis illa Figura hic aptiſſime ſedet, & poſt *vaſtatores violentos*, *elataque manu Deum irritantes*, ac *provocantes*, mirifice ſane adblanditur, *is qui Deum gerit in manu ſua*, *Manumque ſibi ſuam conſtituit Numen*. הביא pro *gerere* eleganter: vel *ſecum adducere*, *inferre*, *introducere*, ut quocumque *veniat*, *greſſuſve ferat*, hoc *Numen* habeat ſibi *præſentiſſimum*. Si אלהו *Numen ſuum* & hic fuiſſet expreſſum, grandis ſenſus aleæ eſſet exemtus: nunc anſa nonnulla dubitationi relicta: quam diriment oculatiores. Cl. *Guſſ.* aliquid tentavit in *Comm.* L. H. ſub יד, quod corrigitur *App. p.* 914. ubi *Mercero* palma datur.

Verſ. 7. Nulla in verbis difficultas. Connexionis ratio impedita 1. *Merc.* & *Cocc.* reſumi ſtatuunt, atque ulterius deduci, quod *V ſ.* 3. erat dictum, *Cum quo non ſunt talia*, *qualia vos venditatis pro medulla interioris ſublimiorisque ſcientiæ*. *Omnis creatura ſcilicet hoc cuique non bardo & hebeti inculcat*, *inexhauſtam eſſe ſupremi Numinis cum ſapientiam*, *tum potentiam*. 2. Cohærentius fore putat *de Pin.* ſi nectatur cum *V ſ. præced.* ubi Deus dicebatur *univerſa creata in manus hominis dediſſe*; quod nunc confirmet Noſter ex *univerſarum creaturarum teſtimonio*, *ſe propter hominem conditas eſſe agnoſcentium*. Præſtrinxit *Vulgatæ* auctoritas. 3. Arctiore quoque nexu *Doct. Belg.* cum *Piſc.* ex *creaturis vanitati obnoxiis probari* volunt, *majorem eſſe improborum felicitatem*, *fortunas*, *commoda*, *quam proborum*, *qui omnibus hiſce copiis ferme careant*, *quum priores illi iiſdem abundent*. Id nimis ſubtile non immerito cenſet *Schmid.* qui tamen ipſe 4. *ſubtilius* adhuc aliquid promit, quod vix aſſequor: *Quis non novit ex omnibus his creaturis*, *quod manus Domini faciat illud*? nempe *quod Deum facere tum piis*, *tum impiis* adfirmavi; *dum his quidem bene*, *illis vero male eſt*. Mens Viri Docti alia eſſe nequit, quam *ex contemplatione harum creaturarum patere*, *Dei providentia omnia* tum *ſuſtineri*, tum *gubernari*; ac proinde *Dei* quoque *moderamini* eſſe attribuendum, quod *boni expoſiti ſint* deri-

8 או שיח לארץ ותרך ויספרו לך
דגי הים :

8 Aut alloquere Terram, & edocebit te: enarrabuntque tibi piſces Maris.

9 מי

9 Quis

deriſioni adflictionibuſque; *dum mali tranquille vivunt & glorioſe.* Hoc *ſtatum controverſiæ* non attingit; qui unice in eo verſatur, *An bonis ſemper bene eſſet*, ſecundum regulas certiſſimas juſtitiæ & ſapientiæ Divinæ, *maliſque male*; ex quo fonte omnis cavillatio & criminatio Amicorum fluxerat; an contra, *bonis plerumque male*, & *malis bene res cederent*, id quod *Jobus* tanquam ſolidiſſimum defenſionis ſuæ clypeum prætendebat. Ad hanc litem decernendam non video quid *pecudes*, *aves*, *piſces* contribuant, niſi deſcendatur in ſubtiliorem illam explicationem Noſtrorum; quæ haud levibus incommodis laborat. Concederem itaque in ſententiam principe loco propoſitam; quum nexus ille haud adeo ſit remotus; multumque habeat aculei, in *Tſopharum*, & ſocios, qui *Rudimenta cognitionis naturalis* de Deo, quæ omnibus inſculpta ſunt, *Jobo* tanquam ea *ignoranti*, non ſine ſupercilio, inculcabant. Vide tamen an 5. aculeatius adhuc futurum ſit, ſi *talia* ne *brutis* quidem *animantibus ignota* eſſe reponat Noſter, quippe quæ *ſuum* quendam *ſenſum* habeant *ſupremi Numinis*, *ſuoque* etiam *more* vel *docere* poſſint, *Creatorem Cœli*, *Terræ*, *Mariumque*, *infinita* tum *ſapientia*, tum *potentia* eſſe *præditum*, *ab* ejuſque *tremendis nutibus* cuncta ita *dependere*, ut *voluntati* ejus *reſiſti* nequeat. Redi ad *Cap.* 11: 10. & confer *Vſ.* 14. &c. hujus *Cap.* quæque ibi monebuntur. Argutius forte eſt, quod ſuſpicer, hocce ואולם *At enimvero*, opponi tô ואולם *Cap.* 11: 5. quo *redargutiones hominis Dei perfectiones ignorantis*, ſcilicet, *inchoatæ* fuerant. Illas jam refutaturus Noſter, eandem particulam, non ſine ſale, adhibuiſſet. Saltem particula noſtra aptior eſſe videtur ad inferendum ſermonem, quam ad connectendum, & per *Attamen*, *verumenimvero*, *at vero*, & ſimilia amat exponi. Vide *Job.* 1: 11. & 13: 4. & 14: 18. & 17: 10. Ergo vel *quinta* vel *prima* tantum ratio cohærentiæ admittenda: niſi utramque potius conjungendam eſſe quis cenſeat; quod ſane maxima affinitas non tantum permittit, ſed ferme poſtulare videtur.

Ibid. Huic ſententiæ ſuccenturiantur inſignes *figuræ*, quibus Animantes *interrogatæ*, ac *conſultæ*, dicuntur *reſponſuræ.* Quin *Doctorum perſona* quaſi *veſtitæ* introducuntur, in vocibus תרה & יגד, quarum præcipuam vim illuc tendere nemini ignotum. Quod Cl. *Cocc.* תרך *imperſonaliter* poſitum velit, ut ſit, *Ea res*, *id ipſum docebit te*, mireris, quum ſolennis ſit *Hebraiſmus* jungere *fæmin. ſingulare* cum *plurali* tam *maſc.* quam *fæmin.* בהמות תרך *Beſtiæ docebunt te*, id quod Tu me docere velle videris; & *volucris* יגד *indicabit* veritatem, cujus Tu te מגיד *judicem*, *monitoremque* profiteris.

Verſ. 8. Dubium movet שיח, quod pleriſque eſt *verbum*, *Alloquere terram*; *colloquere cum terra.* At *Nachmanidi* eſt *Subſt. virgultum*, quem ſecuti Cl. *Schmid.* & *Cler.* ut ſit, *Aut interroga virgultum terræ*, vel, *quod eſt terræ.* Agnoſcit tamen *Schmid.* שיח nuſpiam *fæmin.* eſſe. Vide *Gen.* 2: 5. & 21: 15. item *Job.* 30: 7. Tutius proin prius; quamvis fatear nuſpiam alibi verbum hoc cum *Dativo* conſtrui. Quid mirum? quum alibi ſemper vel *abſolute* ponatur, vel *materiam*, de qua *ſermo* eſt, poſt ſe habeat, cum *Præp.* ב, aut *accuſ.* Unus tantum extat locus *Prov.* 6: 22. ubi תשיחך valet *Colloquetur tecum.* Ad eam rationem poſſet hic ל eſſe *Emphaticum*, *accuſativo* additum; *Colloquere terram*, pro *cum terra*; ut *Cocc.* dedit. Sed quidni *Dativus* retineatur? quum verbum שאל, cui hocce ſubnectitur, etiam cum *Dativo* ſtrui queat, ad *Eum qui rogatur* deſignandum. Nimis ſcrupuloſe ſæpe in talibus ad calculos ſedetur, & de Natura conſtructionis Hebraicæ judi-

9 Quis non cognoſcit in omnibus iſtis? quod manus Jehovæ fecerit hocce.
10 Cujus in manu eſt anima omnis viventis: & ſpiritus omnis carnis viri.
11 An

9 מי לא־ידע בכל־אלה כי יד־
יהוה עשתה זאת :
10 אשר בידו נפש כל־חי ורוח
כל־בשר־איש :
11 הלא־

judicium fertur ex anguſtis tenuibuſque illis reliquiis, quæ vix centeſimam ejus partem efficere poſſent. Ceterum magna me tenet ſuſpicio ארץ *Terram* hic poſitam eſſe pro *Reptilibus terræ*, quando quatuor membra rotundius exibunt, & quicquid *graditur*, *volat*, *repit*, *natat*, exhibebunt tanquam totidem *Enarratores* & *præcones infinitæ*, per quam ſunt, vigent, & moventur, *virtutis*.

Verſ. 9 Variant nonnihil verſiones. Aliis placet, *Quis neſcit omnia hæc, quod manus Jehovæ fecerit hoc?* Aliis, *quis neſcit, in his omnibus, quod &c.* Aliis, *quis neſcit ex his omnibus?* vel, *per omnia hæc* &c. Audaciore ſenſu *Deod. Quænam inter omnes illas creaturas eſt, quæ neſciat, quod manus Jehovæ fecerit hoc.* Nimis durum Cl. *Schmidio*, Perſonale מי referri ad *irrationalia*, quin *inanimata*, ut *virgulta* ex ipſius opinione. Et ego id duriuſculum cenſerem, niſi *proſopopœia* hic eſſet aſſumta, quæ *latiorem* iſtum *uſum pronominis* admittit, & cum decentia adhibet. Acerrime ſic pungeretur *Tſopharus*, qui ſublimiorem ſcientiam oſtentans, nil aliud tamen promſiſſet, quam quod vel Bruta animalia *ſuo* quodam *more* ac *modulo* cognoſcant. Sub *figura* dictum putes, quam & *affectus* loquentis, & *cothurnus* hujus Libri plauſibilem reddunt. Satis tamen arridet quoque hic adſpectus, *Quis non novit ex omnibus hiſce* &c. Quis eſt ſtupidus ille, animalibus hebetior, ſtupidiorque, qui *hiſce magiſtris non didicerit*, & *cognoverit*; quæ vos *me docere* verboſa oratione voluiſtis.

Ibid. Diverſimode applicatur זאת *hoc*; ſecundum diverſas illas *hypotheſes*, quas circa *nexum* ſtrinxi ad *Vſ.* 7. *Mercero* eſt *Hoc quod in illis eſt creaturis*; paulo exilius. Doct. *Belgæ*, *hoc*, *quod de felicitate improborum, proborumque calamitatibus*, fuerat propoſitum. Non multum hinc abit *Schmid.* Rem acu tetigiſſe putem *Coccejum*, qui δεικτικῶς *Hoc* refert, *ad cœlum, terram, & omnia quæ in iis ſunt, quæ porrecta manu monſtraverit Noſter.* Id ampliſſimum univerſitatis theatrum pandit, Dei manu *conditum* ſimul, ſimul *ſuſtentatum* & *gubernatum*, quod ſcopo unice reſpondet.

Ibid. Huic illuſtri adſpectui accommodatiſſimum Nomen *Jehovæ*, quod alias in ſermonibus *Jobi* & *Amicorum* non occurrens, dedita opera videtur adhibitum, ad *Infinitam Majeſtatem* & *Perfectionem Entis ſupremi* conſignandam. Conf. *Nehem.* 9:6. *Tu ille Jehova, ſolus Tu; Tu feciſti Cœlos, Terram, Maria* &c. &c. *& conſervas omnia illa.* מחיה. *Coagmentas, & portas verbo potentiæ tuæ.* Alia, occaſione hujus loci, monenda habeo, quæ liberiora ſpatia requirunt.

Verſ. 10. Ut modo *Creator*, ita nunc *Suſtentator* & *Rector ſupremus* omnis *animantis*, *irrationalis*, *rationalis*, agnoſcitur *Jehova*. Cl. *Cocc.* ad *conſervationem* quoque hæc reduxit, *quæ maxime in viventibus perſpiciatur, & eorum propagatione.* Doct. *Merc.* nimis videtur ſubtilis, quum *altius conſcendi* cenſet *a corporibus, & externis, quæ in animantibus, & plantis, apparent, ad interiora, animam & ſpiritum; quorum Auctor quoque ſit Dominus.* Cl. *Schmid.* neſcio quas argutias nectit, quas ſeponere licet, quia *ſuſtentationem* ſaltem *hominis* nobiſcum hic admittit. *Animam omnis viventis* reſtringit idem *Vir Doct.* ad *rationalem*, ut nihil plane differat a ſequenti רוח *ſpiritu* &c. Cum *Cocc.* ſaltem diſtinguere potuiſſet in homine נפש *Animam qua vivitur cum ſenſu & ſenſibili appetitu*, & רוח *ſpiritum, quo vivitur cum ratione & conſilio voluntatis.* Prior illa *homini* cum *animalibus reliquis* communis eſt. Hanc tenent *Merc. Belg.* alii-

11 הלא־און מלין תבחן וחך אכל יטעם־לו׃
12 בישישים

11 An non auris ſermones probat; ut palatus cibum guſtat ſibi?
12 In

aliique. Ad *animam* quoque *vegetatricem plantarum* & *arborum* reſpicit Clar. *Scheuchz.* quia *Vſ.* 8. per ארץ *plantas* potiſſimum intelligi ſupponitur. Negat tamen Doct. *Merc.* Hebræos *plantas* ſub nomine חי *viventis* comprehendere. Id tam abſolute negare haud ſuſtinerem, quum pomœria veteris Linguæ nobis tam accurate cognita non ſint. Si ארץ ad *Reptilia* ibi pertinet, ut ſuſpicabar; difficultas ſponte evaneſcit. Non de nihilo eſt, quod ad finem ſequentis coli compareat איש; ſi enim רוח כל בשר *Spiritus omnis carnis* nude eſſet poſitus, *Bruta* quoque *animantia* in cenſum venire debuiſſent; quum & illis detur רוח *Pſ.* 104: 29. *Eccl.* 3: 19. Hoc ipſum argumento eſt, *quicquid vivit* hoc verſu comprehendi; & primo quidem *bruta*, dein *Homines* recenſeri; ut inſinuetur *poſteriores* æque ac *priores* a Nutu præpotente Dei abſolutiſſime dependere; & non niſi *in ipſo eſſe*, *vivere*, *moveri*. Ex his ut *potentiam ſapientiamque immenſam Numinis* elucere, ſeque omnium oculis ultro ingerere arguit Noſter, ita ex iiſdem hiſce anſam ſumit altioris mox diſſertationis, qua *Dominium ſupremum* & *abſolutum* tanti illius Numinis, in omnes ſuas creaturas, congruenter ad *Caſum*, *Adfectumque* ſuum, exequetur.

Verſ. 11. Hanc diſſertationem antequam ingrediatur Noſter, duas interſerit ſententias, quæ *vim proverbialem* præferunt. Prima hoc *Vſ.* expreſſa dubios trahit interpretes, ſitne *bimembris*, *Nonne auris ſermones probat*, *&* *palatum eſcam guſtat ſibi*; an *ſimplex*, per comparationem illuſtrata, *Nonne auris ſermones probat*, *ut palatum eſcam guſtat ſibi*? Poſterius tenent *Merc. Jun. Piſc. Belg.* ex uſu notiſſimo *Præpoſ.* ו in *Proverbiis*. Prius ſequuntur *Pagnin. de Pined. Cocc. Schmid. Cler.* diſcrepantes in applicatione. *De Pined.* excuſſis quibuſdam opinionibus, ad ipſum Deum trahit, ejuſque *omniſcientiam* qua *omnia audit*, *explorat*, *probat*, *improbat*, *bonumque a malo*, *dulce ab amaro*, *diſcernit*. Non multum hinc diverſus *Cocc.* cujus mens huc redit, *Deum qui aurem dedit ad verba*, *&* *palatum ad cibos mirabiliter diſcernendos*, *haud dubie omniſcium eſſe cum præpollentia virtutis*, *qua omnes res cogantur Nutui ejus parere*. Longe aliter *Schmid.* *Quemadmodum proprium eſt auditus*, *probare verba*, *&* *guſtatus*, *diſcernere cibos*, *ſic proprium ſenum eſt ſapientia experimentalis.* Cum eo conſonat *Cler.* quaſi in hoc *Vſ. protaſis*, in ſeq. autem *apodoſis* eſſet. Ultimum frigidius; prius nimis longe petitum: utrumque haud ſatis cohærens. Si *Vaw* copulativum eſſet, cenſerem *ſermones* Amicorum *elevari*, tanquam *gratia* & *ſale parum conditos*, quique *ſtomachum moveant* prudentioribus, *Aure præditis ad ſolida a vanis*; *itemque Palato*, hoc eſt, *acri* & *prompto judicio*, ad *vera* a *falſis*, *ſapida* ab *inſipidis*, diſcriminanda. Poſſes etiam latiore conſpectu, qui priorem ſimul includat, extendere ad *ſermones hoc in congreſſu ultro citroque jam habitos*, *atque habendos.* Eos vult Noſter a *bona aure probari*, atque *a palato non hebeti explorari*; ut ita *dijudicetur*, ac *decidatur*, a cujus partibus hoc in certamine ſtent, *ſapientia* & *ſolida ratio.* Hunc eſſe genuinum loci ſenſum liquet ex *Cap.* 34: 2, 3, 4. ubi hoc *proverbium* Noſtro redditur quaſi, adeumque *ſapientum judicio* coarguendum imprudentiæ, nimiæque confidentiæ, reponitur. Conferas in hunc ſenſum *Obſerv. Philoſ.* Cl. *Scheuchz.*

Ibid. Ejuſdem *Cap.* 34. collatio oſtendit, venuſtius eſſe, *ut palatum*; quod Doct. *Merc.* ſolide & judicioſe explicuit, *ſicut guſtu dijudicantur ciborum ſapores*, *quis dulcis*, *quis amarus*; *ita* *&* *ſermones aure*, *&* *auris judicio*, *diſcernendi* &c. Cl. *Schmid.* non guſtans ſuavitatem hujus comparationis, eam ſurdo nimis palato reſpuit. און *Auris* extra *figuram* hic nulla ſedet; *externa* enim non תבחן non *probat*, non *explorat*, non *Aurificum more ad coticulam terit verba*; quæ eſt proprietas thematis בחן; ſed *interna* tantum, illa *purgata*, illa *circumciſa*, de qua *Eſaj.* 50: 4. *Excitat mihi aurem ad audiendum ut doctrina præditi.* Compara-

12 In decrepitis ſapientia; & longitudo dierum eſt intelligentia!

12 בישישים חכמה וארך ימים תבונה:

13 Cum

עמו 14

parationem hanc commendat, & illuminat, *Metaphora* ꝟ אכל *cibi* ad *ſermones*; *palati* item ad *Judicium*. Inde anſa ſumta ad hoc *Proverbium* concipiendum, *Auris explorat verba, ut Palatum guſtu explorat cibos*. Verba verbis ſic reſpondent ut nil teretius, ad unguemque politius, excogitari queat. און *Auris*, *palati* חך *officio perſungi* debet, *recipiendo* non tantum, & *imbibendo*; ſed *diſcernendo*. Apud *Arabes* حنك חנך, unde חך eliſo *Nun* ortum, inter alia valet *judicavit*, *intellexit*. בחן *Terendo* & *fricando explorare*, quadrat in *Aurem ſapientis*, quadrat & in *palatum*: inverſiſque vicibus טעם *guſtare*, *terendo & fricando ad palatum cibo*, a *corpore* ad *animum* quoque transferri amat, deditque טעם *guſtum*, pro *Judicio* & *diſcernendi promtitudine*. מלין *Verba*, & אכל *cibus*, quid relationis habeant, dictum. Minus dextre Cl. *Cler.* ultimam partem effert, *Et palatum cibus ſapit ei*. Idem voluerat Cl. *Schmid.* חך לו eleganti *Hebraiſmo* poſitum dicens pro לחך *guſtui*. Sed quid quæſo elegantius quam, *guſtat ſibi*, ad *interiorem* illam *vim*, qua palatum a natura eſt imbutum, ſignandam? vel leviſſimo nempe tactu perſentiſcit quid dulce, quid amarum, quid utile, quid noxium; & quidem *ſibi*, quum vel *dulcedo titillet* mox *læta*, vel *amaror torqueat triſtia tentantum ora*. Hoc reſponſum eſto Viro Docto *palatum non ſibi*, *ſed homini*, *guſtare* cavillanti. Geminum germanum recurret mox *Cap.* 13: 1. Ceterum de nexu me non idem cum *Mercero*, *Noſtris*, aliiſque, ſentire, ſupra ſatis indicatum.

Verſ. 12. Languida eſt connexio *de Pined. Si in antiquis eſt ſapientia*, *quid de Antiquo dierum ſtatuendum*? Idem argumentum formaſſe videtur Cl. *Cocc.* per *interrog.* adfirmantem. *In vetuſtis eſt ſapientia* &c? Sunt qui ad *Cap.* 8: 8. recurrant, *interroga priſca ſecula*: quaſi diceret Noſter, *Fateor equidem in ſenibus eſſe ſapientiam*; *ſed longe major Deo ineſt*, *Fonti omnis ſapientiæ*. Alii malunt cum *interrog.* negante, *An in ſenibus ſapientia* &c? Incommode. Doct. *Merc.* exiſtimat *Jobum* de ſe modeſtius hæc poſuiſſe, ut ſit, *Ego ſenex ſum*, *& experientia valeo*, *itaque vos docebo quæ per ætatem de Dei ſapientia cognovi*. Addit, *generalius* accipi poſſe, *ſenibus*, *quum experientia valeant*, *credendum*, *qui longo rerum uſu cognoverint quæ de Deo mox ſint ſecutura*. Utrumque adoptatum a Cl. *Schmid. Generalem* eſſe *ſententiam* dubitari nequit, & quidem *Proverbialiter*, vel ſaltem *Moraliter*, enunciatam. Ea inſinuaſſe videtur Noſter, ſe *alios* deſiderare *Judices* ſermonum ſuorum, qui *maturiore* & *ſolidiore intelligentia* polleant *rerum ſpiritualium*; ad *ſinceram pietatem*, *juſtaſque* innocentiæ oppreſſæ *querelas*, ab *impietate*, & *hypocriſi*, diſcernendum, & de *Deo*, ejuſque *providentia*, prudentius diſputandum. Hoc jam cum præced. *Vſ.* pulchre cohæret; atque cum ad ſuperiora, tum ad ſecutura omnia, ſeſe explicat. Fieri quoque poteſt ut *Jobus* ſe ipſum numero *ſeniorum*, penes quos *ſapientia maturiòr ætatem provectiorem comitetur*, incluſerit; atque ita *juniores*, ut creditur, *Tſopharum*, & *Bildadum* perſtrinxerit. Saltem ita verba hæc accepiſſe videtur *Eliphazus Cap.* 15: 7-10. Non tamen neceſſe eſt; quin minus veriſimile; quum *Jobus canitiem decrepitam*, quæ in ישיש reſidet, hoc temporis nondum attigiſſet; *ſenibus* vix annumerandus; & 140. annos adhuc poſtea victurus. Adde *ſenum* זקנים titulum *Inf. Cap.* 32: 4. omnibus Amicis tribui; & parum liquere, quid *ætatis Bildadus* & *Tſopharus* jam habuerint; ut tanquam *Minores natu* præ ſe eos contemnere potuerit Noſter. Generalior conſpectus meus ſatis pungit Cenſores, non *ſenili* ſane & *grandæva prudentia* uſos in ſuis

cum

13 עמו חכמה וגבורה לו עצה ותבונה׃

13 Cum ipſo ſapientia & potentia; ipſius eſt conſilium & intelligentia.

14 הן יהרוס ולא יבנה יסגר על־איש ולא יפתח׃

14 Ecce deſtruet, & non reædificabitur: vinculum collare injiciet alicui, & non exſolvetur.

15 הן

15 Ec-

cum *Jobo* diſcuſſionibus; ſed inconſiderato fervore & zelo ſæpiſſime abreptos, *Juvenum* inſtar, dicere fas ſit; quamvis *ſenum* jam *graviorem ſpeciem* præ ſe ferrent. Habes, ni fallor, id, quod *Eliphazum* tantopere irritavit; atque acerbius illud reſponſum *Cap.* 15: 7-10. provocavit. In verbis nihil eſt, quod curam depoſcat. Tantummodo teneri velim, ארך ימים non videri poſitum *Elliptice*, *in Longitudine dierum* eſt *intelligentia*; ut plerique vertunt; ſed figuratius, *Longinquitas dierum eſt intelligentia:* vel ut *Cocc.* dat *Longævitas eſt prudentia.* Dupliciter hoc capias. 1. *Longævi ſunt prudentes.* 2. *Prorogatio vitæ adfert prudentiam*; *quin imo eam efficit* quaſi, *ac conſtituit*; *neque citra eam quiſquam vere prudens cenſeri meretur.* Ceterum *Proverbiale* quid huic & prægreſſo verſiculo ſubeſſe viſum quoque Cl. *Cocc.* ſub finem.

Verſ. 13. Tranſitum juvandum per *imo* cenſuit Doct. *Piſc. imo apud ipſum eſt ſapientia.* Simile quid requirunt ſententiæ *Cocc.* & *de Pined.* præ quo jacet *Schmidii* hocce, *in longitudine dierum eſt intelligentia* hæc, quod *apud ipſum ſit ſapientia.* Ad noſtram quoque mentem illud *immo* ſeſe præbere poſſet, ſi omnino cohærentia tam arcta exigeretur. Sed vereor ne argutius ſit, quum parum ponderis adferat iſta oppoſitio, *immo vero apud ipſum eſt ſapientia.* Sentias id ex Cl. *Cler.* nexu, *Verum apud Eum eſt ſumma ſapientia*, *cum qua illa ſenum nullo pacto conferri queat.* Grandius & decentius quid ſpirat, ex abrupto reſumta oratio, per anſam *vſ.* 10. porrectam, interſertis ad comparandam audientiam duobus vel *proverbiis*, vel *ſententiis*, in proverbialem uſum abituris. *Cum illo*, nempe *Jehova*, *cujus in manu eſt*, *quicquid eſt*, *vivit*, *movetur*, *eſt* ſane *ſapientia* &c. &c. Egregia & magnifica oratio; qua ſe non minus ſublimia de Deo ſentire, quam Amicos, declaratum ire voluit, ut ipſe *Cap.* 13: 1, 2. inſinuat. Præſertim oppoſita eſt cenſuræ, *Cap.* 11: 6. &c. qua ei ignorantia *Infinitæ ſapientiæ*, *perfectionis*, & *Majeſtatis divinæ* objecta fuiſſe videbatur. Eſt autem probe notandum, ut *Antagoniſta* ibi cum *ſapientia* Dei *juſtitiam* & *Sanctitatem perfectiſſimam* urgebat *Jobo* convincendo: ita e contrario Noſtrum ex *eadem ſapientia*, *potentia*, &c. quas nulla acies creata conſequi ac perveſtigare queat, ſui defenſionem denuo moliri; atque pervictum dare velle, *imperſcrutabiles* eſſe Dei *rationes* ac *vias*, quippe quas cum *Juſtitia*, ac *Sanctitate* ejus, vix ac ne vix quidem conciliare ſit. Eum in finem ſic orationem, celſo ſane cothurno conceptam, dirigit, ut *Res mundi*, *Fortunaſque hominum*, oſtendat *mirabilibus* plane *caſibus* verſari, volvi, miſceri; ad quos omnis *ſapientia* & *ratio humana* obſtupeſcere, & conticeſcere, cogatur; quippe qui *Caſus* ſimul *probos*, ſimul *improbos*, involvant; atque ex *eminenti* magis *dominio*, *conſilioque imperveſtigabili Numinis*, profluere videantur; quam ad normam exactiſſimæ æquitatis amuſſitari. Hoc directe *ſtatum quæſtionis* tangit; a quo paululum deflexit Cl. *Schmid.* qui ſolide alias obſervat, non in *contemplatione generali ſapientiæ* & *potentiæ divinæ* hic eſſe ſubſiſtendum, ſed omnia ad *ſcopum Jobi* eſſe revocanda, qui erat, adverſus Amicos demonſtrare *Bonis male eſſe* in hoc mundo, *malis* vero *bene*.

Verſ. 14. Cum Doct. *Merc.* plerique ſtatuunt, hæc ad Dei *potentiam* æque ac *ſapientiam* illuſtrandam pertinere, ut *in* earum virtutum *admirationem rapiantur* homines. Preſſius Cl. *Cocc. Non tam vult oſtendere*, *Deum potentem eſſe*, *quam quod nullus alius ſit*, *qui cum ipſo conſulat*, *aut æquali poteſtate mundum regat*; *qui rationibus cum ipſo diſceptet*; *aut ex certis legibus cum ipſo contendat*; *aut potentiam potentiæ opponat.* Addit eſſe magnum argu-

 men-

15 Ecce coërcebit aquas, & exareſcent; atque emittet eaſdem, & ſubvertent terram.

16 Cum

15 הן יעצר במים ויבשו וישלחם ויהפכו־ארץ׃

16 עמו

mentum contra *Polytheiſmum*. Id lubens concedo; ſed an Noſter eo collineet nunc, merito dubites. Ad ſcopum propius accedere autumem, quod Cl.*Schmid.* monet, non in ſe conſiderari *potentiam* & *ſapientiam Dei*, ſed *in relatione* ad *vires* & *ſapientiam creaturarum*; quam divina longe ſuperſcandat. Documentum in eo, *quod ſi Deus deſtruat*, *nulla ſapientia aut vis humana queat reſiſtere*, *nedum reædificare*. Item, *qui a Deo concluditur*, *contra illius voluntatem nullis viribus*, *nulla ſapientia ſeſe in libertatem vindicabit*. Necdum tamen mentem *Jobi* exhauſtam putem, ad quam eruendam conferri debet *Cap.* 11: 10. quorſum reſpici monuerunt *Docti Interp.* Ut ergo ibi Dei *Juſtitia* & *vindicta* in *publicis ſeveriſque Judiciis* ſeſe exerens Noſtro inculcabatur: Ita viciſſim eadem illa *Judicia graviora* adhibet pro ſe, ſuaque cauſa: inſinuans, ea ſane in Mundo extare, & comparere, ſed eorum *rationem* ſoli Deo conſtare; quippe qui illis ſuis judiciis *bonos* æque ac *malos* involvat. Nimis craſſe a nonnullis cogitatum de *Turri Babylonica* divinitus *deſtructa*. Haud dubie ſenſu figurato *graves everſiones* ſignantur *populorum*, *regnorum*, *virorum principum*, *familiarum*, *perſonarumque privatarum*, quum ex *fundatiſſimis* & *florentiſſimis rebus* necopinato *occidunt*, & *ſub ruinis ſuis ſepeliuntur quaſi*. Vides formam loquendi exquiſitam, de induſtriaque captam, quod in *Jobum* ipſum quoque admirabiliter ea quadraret; & tacite refutaret pollicitationes *reſipiſcenti*, & cor ac manus purganti, factas, de *reſtauratione Domus funditus collapſæ*. Sane cum *experientia* neutiquam conveniebat, quod tam largiter promittebatur, nec omnes qui *pœnitentiam agunt* ſub Dei manu adfligente, *in integrum reſtituuntur*, & *reædificantur* ſeculo hocce. Concluſio ergo legitima, *Juſtitiam viarum* Dei in obſcuro eſſe, quum *ſapientia* & *potentia* ejus manibus oculiſque contrectari poſſint.

Ibid. Emphatica ſtructura, *Claudit ſuper viro*, nempe סוגר κλοιὸν *cataſtam*, *vinculum ſervorum* vel *noxiorum collis injectum*. Doct. *Merc.* non extra oleas adfert *vincula captivi*, vel & *mala* omnia unde exitus non detur. Cl. *Schmid.* addit *impedimentum quodcumque*, *per quod quis conſtringitur*, *ut non poſſit pervenire quo contendit*, *nec obtinere quod intendit*, *quaſi vincula ipſi undique injecta forent*. Eandem latitudinem dat Cl.*Cler.* *Calamitates* intelligens quibus *quis irretitus teneatur*. Omnia hæc luculentius dabit *De Pined.* quibus facile accedo, cum eo, ut יסגר recipiat *emphaſin*, qua *Cap.* 11: 10. elicui *vincula* vel *captivi*, vel *noxii*, quæ cum *miſeria ignominiam* trahant. Illa vincula promiſcue injicit Divina providentia, & ſæpe *probi* æque, ac *improbi*, iſtud סוגר, *opprobrii* atque *horroris* plenum *Collare ſubire*, ſub eoque exſpirare, coguntur.

Verſ. 15. Inſignia documenta Divinæ cum *ſapientiæ*, tum *potentiæ*; Univerſales nempe *Siccitates*, cum *Diluviis* longe lateque omnia *evertentibus* & *evaſtantibus*. Intra hos tamen fines haud ſubſiſtendum; quum exempla hæc non fortuito ſpargantur, ſed certa manu dirigantur ad *ſcopum*, ſuperius præfixum, *Bonos æque ac malos Judiciis Dei ſubjacere*, atque *flagello* omnibus *Communi* ita res humanas commiſceri, ut earum ratio reſpectu *boni*, *æqui*, & *juſti*, conturbatiſſima reddatur, ſummiſque implicet difficultatibus. Eſt locus nemini non *Philoſophorum* ac *Theologorum* tactus, tritusve, quem hic deducere nil attinet. Tantum perpendi velim an non his ſpeciminibus *ſiccitatum* & *eluvionum*, ſimul redarguere voluerit Noſter promiſſiones illas nimis ſane liberales Amicorum, quibus *ſincero Numinis cultori pacem*, & *proſperitatem* addicere auſi fuerant, nulla adflictione turbandam: quaſi Deus, ſecundum *Leges providentiæ*, illas *graviores calamitates* immitteret tantum in *improbos*, *probis* inde ſemper vel exemtis, vel eximendis. Ad decus Linguæ paucis teneatur עצר in *aquis* eam inferre *cohibitionem*, & *compreſſionem*, qua *conſtrictæ* quaſi *fluere* nequeant; ſive jam *cœleſtes* intelligas, ſive e *fontibus oriundas*. Contra שלח non eſt ſimplex

16 עמו עז ותושיה לו שגג ומשגה׃

16 Cum ipſo gloria & ſolida ratio: ipſius eſt errans & errare faciens.

17 מוליך

17 Qui

plex *emiſſio*, e *nubibus*, e *fontibus*, ex *alveis*; verum etiam *effuſio* quæ fit *admiſſis* veluti *habenis*, omnique *freno ſoluto*, ut quaqua verſum *diluviem ſtragemque* ferant. Verbum יבשו *exareſcunt*, a *Merc.* aliiſque trahitur ad *ſemina*, *fruges*, *animalia*, *hominesque* ipſos. Doct. *Belgæ. Cocc. Schmid.* rectius ad *aquas* retulerunt; quæ, quicquid nonnulli argutentur, utique *exſiccari* & *exareſcere* dici poſſunt quam decentiſſime, ſenſu populari, quum *in fontibus* ſuis velut *extinctæ* ſunt, & *Cœlum* in *æs*, *terra* in *ferrum* converſa videtur; ex formula proverbiali Orientis, quæ *Deut.* 28. extat.

Verſ. 16. Ingenia erudita ſeſe exercuerunt in vocibus עז & תושיה, quas alii idem ſonare volunt cum גבורה *potentia*, & חכמה *ſapientia Vſ.* 12. alii ſubtilius inde diſtinguunt, ut videri poterit apud *Merc. Cocc. Schmid.* ita diſſidentes *verbis*, ut *re* ipſa conſentire videantur. Facile autem aſſentior Doct. *Schmid.* Deum hic *conſiderari*, ut *ſummam Originem* omnis *Roboris* & *ſapientiæ*, *quæ in creaturis conſpicitur*, ita ut, quando influxum ſuum retrahat, *creaturæ infirmæ*, *ineptæ*, *ſtultæ* reddantur, nec quicquam præſtare valeant. Huc ſequentia manifeſto vocant; indeque colligere licet עז hic latiſſimo illo, quo pollet, uſu, eſſe *virtutem*, *excellentiam*, *robur*, & *decus* omne: תושיה autem denotare *ſolidam ſummam*, *rationem*, *veritatem*; ſive *ſubtiliſſimam*, atque *exactiſſimam veri ſupputationem*, *nulli unquam errori obnoxiam.* Harum rerum ſcintillæ, & radii, lucent in creaturis: penes ſolum Deum eædem reſident; atque ex vivo illo & perenni Fonte omnis perfectionis hauriuntur: eodemque clauſo mox obſcurantur, & extinguuntur.

Ibid. Hoc in ſe ſpectatum, luce clarius. Tenebras offundit haud leves, quod addatur, *Ipſi eſt Errans*, & *errare Faciens.* Cl. *Cocc.* hæc inferri putat *ad probandam dependentiam omnium* a Deo *in virtute*, ut *Vſ.* 16. in *prudentia* ἡγεμονικῇ. *Vſ.* 17. in *Majeſtate* &c. &c. Alii alios concepere nexus, quos non exequar, quia nemo propius ad *ſcopum* acceſſit, qui eſt, *Vias Dei imperſcrutabiles eſſe*, & præſertim *Juſtitiæ* & *Sanctitati ejus* parum videri convenire. *Concurſus* Dei *ad malum morale*, quin imo *præcurſus*, hoc in genere difficultatum, principem facile locum occupat. Non potuit nodoſiſſimus ille Nodus hic omitti, eumque in *hemiſtichio* hocce necti exiſtimem. Utique nihil eſt, quod & *Errantem*, & *errare facientem* a Deo *creari*, exponatur. Nihil *Hieronymi*. *Ipſe novit* & *decipientem* & *qui decipitur.* Nihil, quod *Bold.* ad *errorem moralem* excludendum, *Errare* hic ſumat pro *deturbari de faſtigio rerum*, & *dignitate* ſua *excidere.* Nihil, quod R. *Levi* ſubtilitate *Philoſophica* inducat *materiam peccantem*, *quæ ordinem haud ſervet* &c. &c. Nihil denique, quod Cl. *Cler.* pro לו *ipſi* legendum cenſeat לא *non*; vertens, *Non eſt errans*, *aut qui in errorem inducat apud eum.* Addit Vir Doctiſſ. *Alter ſenſus plane alienus ab hoc loco*, *ubi ſermo eſt de Divina ſapientia*, *cui nulla eſt cum errore aut impoſtura conjunctio.* Diſputat dein adverſus *Merc.* qui de *divinitus immiſſa in peccatores efficacia erroris* locum hunc explicuerat; Deo *peccatum non tantum permittente*, *ſed* & *ad illud impellente ac pertrahente*; *ita tamen ut neutiquam Auctor fiat mali.* Conſimilia, ſed commodius enunciata, habent *Belgæ*, *Cocc.* &c. a quibus diverſiſſimum abire Cl. *Cler.* nil mirum. Id tantum miror, tam frigidum ſenſum ſub calida emendatione nobis offerri, quaſi negaretur, *apud Deum eſſe qui erret*, *aut qui errare faciat.* Mirandum quoque, quod abſolute *Sapientiam Dei* hic *laudari* inſinuet, indeque inferat *alienum* eſſe *ſenſum vulgarem*: quum appareat agi de *ſapientia Numinis in mundo gubernando*, *eaque tam profunda*, *abſtruſa*, *imperveſtigabili*, ut omnem *rationem humanam* non tantum ſuperſcandat, ſed & confundat, atque conturbet. Quod Cl. *Schmid.* quoque de *impulſu divino ad errorem*, quem *Merc.* urſit, pronunciet, *Sane non pie*! melius omiſ-

17 Qui abducit Conſiliarios ſpoliationem: & Judices ad inſaniam redigit.

18 Coërcitionem Regum diſſolvit; & ſemicinctium alligat lumbis eorum.

19 Qui

17 מוליך יועצים שולל ושפטים יהולל :

18 מוסר מלכים פתח ויאסר אזור במתניהם :

19 מוליך

ſum eſſet; ſi enim non *ſono* ducamur, ſed *rem* ipſam penſitemus, *mittere in errorem*, *& permittere efficaciter*, *certoque ſub eventu*, *ut quis ſeducat alios*, quæ duo hic agnoſcit Vir Doctus, a *Merceri impellere* parum aut nihil differunt. Concludo, eos qui hinc *mollem* aliquam *ſententiam* exſculpere ſatagunt, *ſuam* nobis, non *Jobi mentem* ingerere; quam *duriorem* eſſe debere omnia arguunt.

Verſ. 17. Eandem incudem tundi, manifeſtum. Agitur de *Prudentia* ἡγεμονικῇ Viris Principibus *ſubducta*, atque adeo *excuſſa* Divinitus, unde maximæ rerum converſiones & confuſiones in Regnis & Rebuspublicis exiſtere ſoleant. Ad ſcopum huncce fertur, quod Cl. *Cocc.* annotavit; atque inprimis hoc; *Qui vel parum vidit in Regnorum & Rerum publicarum adminiſtratione*, *is profecto fatebitur per hominum ſtultitiam*, (*aliquando & furorem*,) *Deique providentiam*, *agi & regi mundum*. Eodem pertinere dicas illud *Merceri*; *Rectores*, *qui jus dicunt*, *& penes quos ſunt rerum gubernacula*, *ſtultos facit*, *& mente captos inſtituat*. Conſpectus ad mentem *Jobi* ſubulceratam, commotioremque, mirifice quadrans. Cum ea minus conſiſtit, quod alii hæc trahant ad *pœnas improbis judicibus & conſiliariis inflictas*. Sic *Jobus* ſuiſmet ſe telis conficeret, & reſcinderet, quod *Vſ.* 6. affirmaverat.

Ibid. Ad *infelices exitus optimorum conſiliorum*, *judiciorum*, ac *moderaminum* non male etiam relatum a multis, poſt *Vulgat. Adducit conſiliarios in ſtultum finem*; *& judices in ſtuporem*. Erud. *Vavaſſ.* & *de Pined.* de hoc ſenſu adeantur; in quo adblanditur imago luculentiſſima, quam *de Pined.* offert de *ſapientia Conſiliariorum* & *Judicum vinculis impedita*, *ut Deus eam triumphet* quaſi, *& traducat ante currum providentiæ ſuæ*, *quem trahunt ſapientia*, *potentia*, *conſilium*, *& intelligentia*. Commendat figuram vox bellica שׁולל, a שׁלל *ſpolio* ducta, ut vel *ſpoliatum* ſignet, vel *ſpoliationem* ipſam. Hinc magnifice dictum, *Abducens conſiliarios ſpoliationem* &c. i. e. *Eos qui victoriam ſibi ſolertiſſimis ſuis conſiliis promittebant*, *optato exitu dejiciens*, *& tanquam victos ante currum trahens.* Haberemus hoc pacto illuſtre ſpecimen *imperſcrutabilis* plane *providentiæ*; ad *ſcopum* quoque *Jobi* ſponte rediens: ſi enim *optime proviſa*, & *conſulta*, *peſſime cadunt*, & contra *ſtultitiæ* & *improbitatis plena conſilia vincunt*; revera *Deus Rebus humanis illudere* videtur, ita ut de *Juſtitia*, & *Bonitate* alicujus *cauſæ*, *Judicium* ferri nequeat.

Verſ. 18. Splendida orationis lumina; quæ tamen aliquid obſcuritatis relinquunt, ob horum Emblematum late patentem uſum. Stringam præcipuas ſententias. 1. *Merc.* dat, *vinculum Regum ſolvit*; *& ligat cingulum ad lumbos eorum*: h. e. *Imperium Regibus adimit*, *& eorum renes fune conſtringit*, *ut captivorum* &c. Accipit מוסר ut מוֹסֵר, vel מוֹסֵרָה *vinculum*, exponitque de *jugo cervicibus* populorum *impoſito*. 2. Alii, eodem plane ſenſu, maluerunt, cum *Vulgat. Balthеum Regum diſſolvit*; *& præcingit fune renes eorum*. Volunt alludi ad *inſigne Regium* & *Militare*; ut ex *Imperatoribus* & *Ducibus exercituum* dicantur facti *viles ſervi*. Confer *Erud. de Pined. Bolduc. Vavaſſ.* 3. *Belgæ*, aliique præclari interpretes, ultimum hemiſtichium ad bonum invertunt, ut ſit *vinculum Regum reſolvit*, i. e. Vim imperii; itemque *revincit*, *balthеum*, vel *cingulum*, *lumbis eorum alligans*. Ita אזור *Decus* adfert, & *potentiam Eſaj.* 11: 5. Item אזר *cingere*, *accingere*, *præcingere*, *Eſaj.* 45: 1, 5. &c. Non multum hinc abeſt, quod 4. dedit *Cocc.* reſtringens hoc *generale* ad *ſeditiones*, & *motus bellicos*, adverſus Regem *a ſubditis excitatos*, abjecta ejus reverentia: *ab eodemque compreſſos.*

19 מוליך כהנים שולל ואיתנים יסלף׃

19 Qui abducit Sacerdotes ſpoliationem; & perenni vigore præditos agit præcipites.

20 מסיר

20 Re-

ſos fortitudine & vi bellica. In vicinia verſatur 5. Cl. *Cler.* qui prius membrum ad *Diſcinctos Reges* applicat, poſterius ad *Accinctos*; ut ſenſus ſit, *Deum, cum vult, Reges adigere ad deponendum cingulum, & pacem faciendam*; itemque, contra efficere, *ut arma capere, & bella gerere neceſſe habeant.* Agmen cogat 6. Cl. *Schmid.* nihil hic *lætum bonumve inferi* concedens; nec מוסר pro *vinculo, baltheove* admittens, quum ſemper *Diſciplinam, Caſtigationemne* alibi ſonet. Reddit ergo, *Diſciplinam Regum ſolvit, & ligat cingulum in lumbis eorum.* Illam *Diſciplinam* interpretatur *optimam, prudentiſſimam, ordinatiſſimam, pulchro nexu cohærentem rationem regnandi, prudentiamque politicam, quæ indiſſolubilis* fore videbatur; quam tamen Deus facile *ſolvat, diſſipetque, Regna evertens, Regeſque de ſolio dejiciens.* In ultimo colo *cingulum* pro *fune*, aut *vinculis captivi* ſumi, prorſus inconveniens autumat; quia *captivi non vinciuntur circa lumbos, ſed circa manus pedeſque.* Subſtituit *cingulum proficiſcentium*, ut vel *abductio in captivitatem*, vel *ejectio ſaltem e regno* indicetur. Ego *captivos circa lumbos non vinciri* haud concesſerim, præſertim *quum longo agmine colligati ad inſtar pecudum trahuntur*, una cum reliquis impedimentis exercitus. Sic tandem revolvimur ad primum *Merceri* adſpectum; niſi quod מוסר non ſit *vinculum, jugumve tyrannicum*, ſed *diſciplina vinciens*, & *optimis legibus continens*, ac *coërcens* ſubjectos. Pro *fune captivi*, poſſet commodius adhuc aſſumi *cingulum*, ſive *ſemicinctium ſervi.* Non extat quidem peculiaris hæc notio in Sacris; ſed eam *Hebræis* cognitam fuiſſe quis negare auſit, in tanta inopia Linguæ, quæ pauciſſimis in locis τῷ אזור nobis conſervavit? Certe *Arabes* ſuum ازار tam late extendere, patet ex *Lex. Gol.* ubi etiam notare dicitur *ſubligaculum*, ſive *feminale.* Alia *forma* مئزار ſcribitur, מאזר, quod pro *Linteo* ſive *ſemicinctio miniſtrantis* reperio *Joh.* 13: 4. apud *Interp. Arab.* Idem intendiſſe creditur *Chald.* קמור *Zonam* reddens. Hinc planiſſume habemus *Reges virtute & ſapientia conſpicuos ad ſervorum vilitatem detruſos*; quod cum ſerie, & ſcopo, ita conſpirat, ut in eo pedem figere auſim. Scilicet non nuda Exempla proponuntur *potentiæ Divinæ*, in *Regibus de ſolio deturbandis*; multo minus de *Tyrannis* ſermo eſt: ſed *Optimorum* quoque *Regum funeſtiſſimus caſus* adducitur in Argumentum *providentiæ* ſupra captum noſtrum ſubvectæ; & *Bonis* ſæpe *maxima mala immittentis.* In יאסר, מוסר, & אזור elegantiam *Paronomaſiæ* captatam, recte ſubmonuit Cl. *Schmid.* Verbum פתח in *diſſoluta & disjecta poteſtate* occurret infra *Cap.* 30: 11. ac proinde genio Linguæ omni ex parte litatum.

Verſ. 19. Ad *ſcopum* ſæpiuſcule nunc inculcatum recta feruntur miſerrimi caſus Virorum, quos Religio & ſapientia cœleſtis ſacroſanctos reddit. כהנים eſſe *Viros principes*, in *ordine Eccleſiaſtico* non tantum, ſed & *Politico*, nemo ignorat. Doct. *Merc.* poſterius nexui convenientius cenſet. Similiter *Pagn. Piſc. Genev. Belg. Deod. Jun. Cler.* &c. *Cocc.* utramque vim amplectitur. *Schmid.* ſolam priorem; quia Noſter *Ordines* omnes percurrens non potuit non diſtinctum locum aſſignare *ſacrorum Antiſtitibus.* Ei lubens ſubſcribo; quia alter ille *Ordo*, nomine *Conſiliariorum Judicumque* comprehenſus. Minus probo, quod idem Vir *Doctiſſ.* שולל vertat, *ut ſtultum*; cum quo ſtat Cl. *Cler. Ducit principes inſtar inſani.* Ad *Vſ.* 17. vidimus *ſpoliationem*, vel *ſpoliatum*, hac voce denotari. Semel adhuc extat *Mich.* 1: 8. ubi *ſpoliatus* magis congruere exiſtimatur. Sed reddas licet, *Ibam ſpoliatio & nudus.* Eſt figura qua ſummus gradus *exſpoliationis* exprimitur.

20 Removens labium Veracibus; & guſtum Senatorum aufert.

21 Ef-

20 מסיר שפה לנאמנים וטעם זקנים יקח׃

21 שופך

tur. *Merc.* ad *literam* nunc intelligendum autumat, quod *Vſ.* 17. *figurate* fuerat poſitum, ut *principibus ſua celſitudo non prodeſſe* dicatur, *quo minus nudi ſpoliatique in prædam abducantur.* Improprie *Cocc.* de *Decore ademto Reipub. & Eccleſiæ proceribus, quando populum in officio erga Deum, & Regem ſuum, continere non poſſunt.* Laudat dein *Deodatum*, dantem, *Tanquam captos bello in triumpho ducit, poſtquam eos vicit regno ſuo renitentes.*, ex *Col.* 2: 15. Sic de *malis Antiſtitibus* cogitandum eſſet, quum mens *Jobi* potius feratur ad *Bonos*, & revera *ſacroſanctos*, atque *inviolabiles*, quos *violari* permittat Dei *providentia* noſtris ratiocinatiunculis ſuperior. In שולל tamen *imago traductionis in triumpho* arridet, eamque ad *Vſ.* 17. jam commendavi. *Improprie* hinc exiſtit *Dignitas ſacroſancta ſub pedibus profanorum hominum*, Deo rem admoderante, *conculcata cum contemtu Religionis & virtutis*; quorſum prima meditatio *Coccejи* tendebat. *Proprium* & *literalem* uſum ſi malis, habebis *ſacris inſulis venerandos viros, in ſervitutem fœdam abreptos, non ſine ludibrio Numinis, cui conſecrati erant.* Confer in hunc ſenſum, quæ Erud. de *Pined.* attulit; itemque *Vavaſſ.* & *Bolduc.*

Ibid. Grandiſonum, *Et viros perennes in lubrico præcipites agit.* Quam varie capiatur τὸ איתן non perſequar. *Originem* a יתן وتن *perenni vena fluxit* produxi *Origin. Lib.* 1. *Cap.* 8. ubi *p.* 250. 251. hunc locum quoque attigi. In medio tunc relinquebam, ad quem *Ordinem* hi *perenniſſimi viri* eſſent referendi. Nunc ſeries nos noſtra dubitare non patitur, quin *Doctores potiſſimum*, & *uberes veritatis Fontes*, itemque *fundamenta*, hoc titulo inſigniantur. Et hos tamen, quos *Divina providentia* utique *inviolatos* præſtare deberet, ſecundum noſtras ratiunculas, ſæpe in *lubrico* maxime & *præcipiti poſitos* videmus, quaſi non ob aliud *in altum* eſſent *ſublati*, quam ut *lapſu graviore ruerent.* סלף diverſiſſime exponitur, *ſupplantare, Evertere, proſternere, intricare, detorquere.* Hinc alii *generatim* eliciunt *gravem ruinam.* Cl. *Schmid. detorſionem doctrinæ ad falſa & impia*, inſtar *Bileami.* Hoc alienius a ſcopo. Cl. *Cocc.* ad *auctoritatem detractam* refert, *ſic ut intricati de uno labyrintho in alium delabantur.* Hoc cum *Origine* ſatis congruit, nam סלף proprie fuiſſe videtur ὀλισθαίνειν, ἀπολισθαίνειν, *lapſante greſſu cadere*, aut *præcipitem ire in lubrico.* Preſſius adhuc dicas, τοῖς איתנים *Veritatem ipſam*, quæ eſt אמונה *firmitas greſſuum nunquam lapſans*, ſub pedibus *reddi lubricam*; quum Deo placet *rebus humanis illudere*; atque *necopinatis eventibus theatrum* orbis terrarum *miſcere.* Hoc varie ad *Scopum*, quem fixi, poſſet accommodari: ſed deſino, & dicam verbulo, aliquid *proverbiale* me hic ſubodorari, quemadmodum & *Exod.* 23: 8. *proverbium* manifeſto elucet; *Munus* יסלף דברי צדיקים *in lubrico præcipitare facit verba Juſtorum*, vel *veraciſſimorum.* Non eſt idem cum noſtro, ſed ei lucem adfundit; quatenus oppoſita ſunt *Labi in lubrico*, & *habere firmitatem rigidam rectamque.* Ad eam rationem, איתנים *perennia Fundamenta veritatis & religionis* tanquam *in lubrico & præcipiti* ita *impellit* Deus, ut ſibi ipſis *excidiſſe*, atque *ſuamet ſub firmitate ruinam traxiſſe* videantur. Eſt ὀξύμωρον, quod in *ipſum* quoque *Jobum*, ejuſque *ſtupendum* plane *fatum*, apprime quadrat: ut ſane hiſce exemplis ſuum ſimul caſum depingere cum voluiſſe, non eſt quod ambigatur.

Verſ. 20. Opportune ſubſeruntur נאמנים quibus ineſt אמונה *veritas*, quibuſque tanquam *Fidis Doctoribus* ſimul & *Ductoribus credendum.* His datur שפה *Labium. Eloquentia*, & *præpollens Suada*, quam Deus dicitur הסיר au-

21 שׁוֹפֵךְ בּוּז עַל־נְדִיבִים וּמְזִיחַ אֲפִיקִים רִפָּה׃

21 Effundens contumeliam in Sanctiſſimos; & cingulum Promtiſſimorum relaxat.

22 מְגַלֶּה

22 Re-

auferre, quum *ipſos mœroribus & calamitatibus* ita *perturbat*, ac *confundit*, ut ne *præſentiam* quidem *animi* inveniant, nedum *præſtantiam* in dicendo, aptam ad injuſtas ſuſpiciones, criminationes, calumnias, a ſe depellendas; cauſamve oppreſſæ veritatis defendendam; vincente interim & triumphante *mendacio*. Supra *Cap.* 5: 16. inſinuatum fuerat Noſtro, *improbitas occludet os ſuum.* Confer & *Cap.* 8: 20, 21. Ea dicta tacite redarguentur, ſi hanc latitudinem ſumamus. A נאם nonnulli derivarant *Eloquentes*; quos *Merc.* aliique merito rejecerunt. Cl. *Cler.* eandem notionem arceſſivit a נעם *Amœnus fuit*, ע mutato in א. Id paucis perſuadebit. Non *Eloquentes* tantum hic deſcribuntur, quorum *facundia* per *Labium* ſatis expreſſa; ſed etiam *Firmi in veritate docenda & propugnanda viri*, quos נאמנים rite appellari poſſe, nemo *Hebraice* ſciens negabit. In eundem ſenſum exeunt & illa, *Guſtumque ſeniorum aufert.* Obſervetur טעם *Guſtum* proprie, dein *Judicium*, cum *Labio* pulchre conſiſtere; & ut hoc *externam*, ita illud *internam* reſpicere *facultatem.* Utriuſque *confuſio* & *præpeditio* decenter expreſſa.

Verſ. 21. Grandes grandium perſonarum Characteres, quos figere arduum. In genere נדיבים *principes*, & אפיקים *Fortes*, vel *Robuſtos*, ſonare volunt plurimi; ab אפק in *Hithpah. Corroborare ſe*, ut vulgo exponitur: quaſi ſenſus eſſet, *Bellatores fortiſſimos ſuum deficere robur, volente Deo, ut cum ignominia & turpitudine diſcingantur victi.* Ita fere Cl. *Schmid. Cler.* aliique complures. Fateor נדב ſæpe *impetum voluntarium* ad *pugnam capeſſendam* deſignare, tum apud *Hebræos*, tum apud *Arabes*; ſed vix putem illud nunc intendiſſe Noſtrum. Magis placet, quod *Merc.* & bona pars *Interp.* cogitarint de *Munificentia*, & *Liberalitate ingenua hominum nobiliorum*, quam in נדב ineſſe nemo ignorat. Cum eo pulchre concineret אפיק *torrens*, tranſlatus ad *Divitem largo flumine donorum alios inundantem.* Cl. *Cocc.* noſtrum אפיקים reddit *promtos* & *alacres*; atque vocem utramque revocat ad *rad.* פוק per א ſervile. Id doctius, ſolidiuſque, quam prima fronte videtur. *Arabia* nempe ſervat فاق & افق pro *excelluit nobilitate, liberalitate,* & *munificentia.* Unde orta vis, & qui conſpiret cum אפק, in *Originibus* diſquiretur. Hinc ſenſus emergit haud abludens a ſcopo; *Eos qui munificentia & promtiſſima liberalitate perpetuum honorem meruerant, ſæpe contemtos jacere, & fortunis non tantum ſuis, ſed & benemeritis veluti ſpoliari.* Huc applicari poſſet מזיח *cingulum laxatum*, i. e. *decus, ornamentum*, & *inſigne* virtutis, *detractum* alicui. Ita fere *Eſaj.* 23: 10. אין מזח עוד *Non amplius cingulum eſt.* Omnis *gloria* & *dignitas* tibi *derepta.* Nec aliter *Pſ.* 109: 19. *ſit ei maledictio in veſtimentum quo induat ſe*, & למזח תמיד יחגרה *pro cingulo ea perpetim cingat ſe.* Ὀξύμωρον. *Omnis ejus gloria & dignitas, qua amictus accinctuſque procedat, ſit vilitas maledictionis publicæ plena.* Quam vellem plura nobis loca ad manum eſſent, ut de *Origine* & *indole* geminæ formæ מְזִיחַ & מֵזַח certius judicium ferri poſſet. Radix vulgo ſtatuitur מזח; ſed veriſimilius eſt a זוח utrumque fluxiſſe, ejuſque *Part. Hiph.* In *Dial. Syr.* זוחא offert *apparatum*, *pompamque ſuperbiorem*; unde in *Lex. Iſa Bar Ali* exponitur

22 Revelans profundiſſima ex horrida mihi caligine : & in lucem educit umbram mortis.

22 מגלה עמקות מני־חשך ויצא לאור צלמות׃

23 Ex-

23 משגיא

tur تبجيل المحفل *magnificentiam præferre in celebritate.* Anſa hujus *Originis* alibi illuſtrandæ debetur Cl. *Crom.*

Ibid. Hic adſpectus eo pulcrior, quod ſuam quoque ſortem ſic delinearit Noſter, qui *detracto cingulo meritorum, omni contumelia perfuſus jacebat.* Licet ampliorem adhuc ſenſum concipere; ad quem mihi præivit Cl. *Cocc.* Nempe נדיב notat *hominem ingenua virtutis indole præditum, libera, & liberali, voluntate effuſum ad honeſta & laudabilia quæque.* Eſt ergo *Epitheton* viri *Sancti*, *officia omnia religionis voluntario motu impleatis.* Confer *Eſaj.* 32: 5. *Pſ.* 110: 3. Alterum אפיק hujus *ſanctiſſimi ſtudii ſummum gradum* inferre poteſt, quatenus فاق & افق eſt *virtute præcelluit.* Ex *Camuſo* habe; افق بالغ النهاية في الكرم او في العلم او في الفصاحة وجميع الفضايل وهو آفق وافيق وهي بهاء *Radix* אפק *eſt ſummum gradum attigit in munifica liberalitate, aut eruditione, aut eloquentia, reliquiſque item virtutibus præſtantiſſimis; diciturque talis Vir* אופק & אפיק; *fœminæ addendum He.* Eadem vis regnat in فاق, cujus *Part.* فايق in *Camuſo* complectitur الخيار من كل شي *Lectiſſimum cujuſcumque rei*; cum *Plur. fr.* فوقاء *Excellentiſſimi virtute, doctrina, & eloquentia viri.* His jam *virtute*, & *pietate præcellentibus viris* datur מזיח *cingulum*, quod Cl. *Cocc.* eſt ſymbolum *promtitudinis* & *fortitudinis* in officiis exequendis. Hoc *laxatur*, quum *dona* illa ipſis *adimuntur*; ex ejuſdem mente. Commodius fuerit, ſi *Cingulum* capiamus pro *dignitate*, & *ornamentis*, qua *honorum* in *Rep.* vel *Eccleſia*; qua *meritorum*, quibus antea præfulgebant. His omnibus ſi cum contemtu publico excidant, *laxatum detractumque* ipſis *Cingulum* lectiſſima phraſi dicetur. Hoc *ſcopum* recta ferire, non eſt quod repetam. Poſſet etiam *Cingulum bellicum* ita applicari, ut qui pro *virtute fortiſſime ſtabant*, ac *pugnabant*, quaſi *exauctorati*, & *ſub jugum miſſi* inducantur; quum *improbitas vincit* ac *triumphat.* Id ferme eodem redit. Exempla vidit & ſtupuit omne ævum.

Verſ. 22. Verba clara quidem; ſed ſenſu nihil obſcurius. Apud Erud. *de Pined.* quinque opiniones extant, quarum 1. *lumen revelationis occultiſſima pandens* reſpicit. 2. *conſpirationes*, & *fraudulenta molimina* aularum detecta. 3. *Miſeros* & *adflictos læta luce* gratiæ *colluſtratos.* 4. Ipſius Dei *arcana conſilia de homine in extrema pericula conjiciendo*, quæ ad tempus *preſſa*, *proferat*, & *declaret.* 5. *Omniſcientiam* Numinis, qua *cuncta nuda* & *aperta* ejus oculis ſole clarioribus &c. &c. Ultimum. quod a *primo* non multum differt, ut ſimpliciſſimum commendat; idemque placuerat *Mercero*, *Generale* facienti dictum, *Nihil eſſe tam occultum quod non reveletur.* Id ſeriem minus rotundam quum reddat, 6. viſum Cl. *Schmidio* hæc referre ad *homines contemtos*, & *abjectos*, *quos ex tenebris in lucem honoris & potentiæ provehat* Deus. Id cum *tertia* aliquam adfinitatem habet: ut *quartæ* vicina eſt 7. ſententia Cl. *Cocc.* qui propoſita *generali abſtruſorum detectione*, obſervat, *eam ad judicium* Dei *ſpecialius pertinere*; *quæ res Jobum maxime urgebat.* Citat dein *Pſ.* 90: 6. *poſuiſti ignorata noſtra* peccata *in lumine vultus tui.*

23 משגיא לגוים ויאבדם. שטח לגוים וינחם׃

23 Excreſcere faciens gentes, & eaſdem diſperdit: expandens gentes, & eas in angulum removet.

24 מסיר

24 Au-

tui. Item 2 *Sam.* 12: 12. 1 *Cor.* 4: 5. & confert quæ mox Noſter *Cap.* 13: 23, 26, 27. promet. *Occulta Cordis* intelligit, a Deo *eruta, ad homines confundendos* & *puniendos.* Junge, quæ *quarto loco* recenſui, *occulta* Dei *decreta, ad hominem gravibus judiciis* & *periculis exercendum,* & habebis aliquid haud alienum a filo diſputationis. Durum tamen, ut ea *decreta* צלמות *umbræ mortis* nomine adficiantur, quod melius quadrat in ipſas *calamitates* & *miſerias* ex *Orco* quaſi *excitatas,* & *immiſſas* in hominem; quas & *profunda* poſſe appellari vel *Pſ.* 130: 1. dubitare non patietur. Prius ſic notum ex *Pſ.* 23: 4. in *valle umbræ mortis.* Item *Pſ.* 44: 20. *cooperuiſti nos umbra mortis.* Ipſius *Orci tenebris* quaſi *ac terroribus nos involviſti.* Adde *Pſ.* 107: 10, 14. &c. Nec non שערי צלמות *Portas umbræ mortis Job.* 38: 17. Grande cum primis *Cap.* 16: 16. *ſuper palpebris meis umbra mortis. Nubes* veluti *denſiſſima mœroris morte ipſa gravioris.* &c. Pari paſſu fere incedit cum eo חשך *caligo horrens*; ut *Cap.* 3: 4. ſupra, & 10: 21. Hinc tandem ſenſum elicio tragicum vere & grandiſonum, *Revelans profunda Caſuum,* & *calamitatum* inauditarum *ex media caligine, ita ut ipſam* velut *umbram mortis educat in lucem, terriſque incubare faciat.* Id reliquæ orationi tum præcedenti, tum ſubſequenti, aptiſſime interſertum. Morari quem poſſet τὸ *Revelans,* tanquam minus huic interpretationi accommodum; cui ſcrupulum eximet *Eſaj.* 23: 1. *ex terra Chittæorum* נגלה למו *Revelatum eſt illis, malum* ſcilicet, vel *Judicium Dei.* Clar. *Vitr.* nonnihil ambigit: ſed dubitationem ejus dirimit *Eſech.* 16: 57. *Antequam* תגלה *revelaretur malum tuum*; i. e. *prodiret, emicaret.* Confer & *Jer.* 1: 14. Ineſt vis *necopinato orientis, ſummaque celeritate ſe diffundentis calamitatis.*

Verſ. 23. Cohærentia nunc manifeſta. Inſinuatur, ut Doct. *Merc.* obſervavit, *de totis gentibus,* quod *in viris eminentibus* præceſſerat, *Deum neutiquam illis parcere; ſed perdere populos quum vult, & quos vult,* poſtquam *eos auxerat,* & *propagarat; ut homines ad ejus judicia tremant.* Addidit *ob peccata*; ſed eo nil opus: quum *Jobus* hic non ſpectet *pœnas quarum Juſtitia in oculos incurrat*; ſed *Fata Fortunaſque* nunc *orientium,* nunc *occidentium,* populorum; quos *Caſus* ad exactiſſimam illam normam, quam urſerant Amici, revocare non ſit. *Creſcente* ſcilicet, & *florente* tota *natione,* ad *impios* quoque haud dubie perveniunt iſtæ benedictiones Dei. Contra *eadem eradicata* & *everſa,* multi etiam *pii* ruinis iſtis involvuntur. Concinna eſt in hunc *ſcopum* Cl. *Cocc.* explanatio; *Amplificat gentes, fœcunditate matrum, pace, conſervatione ſanitatis.* Contra, *perdit morbis, mortalitate ac peſtilentia, bello, fame.* Item, *pandit gentes, quum eas diffundit per amplas regiones, quas poſſideant; cum dominatu in alios.* Contra, *ducit eas, quum ex ſedibus ſuis eas in exilium ejicit, ut* ינחם *uſurpatur* 2 *Reg.* 18: 11. Miretur quis, cur in Catalogo nil niſi *caſus triſtes* adferente, compareat *Beneficium*; aut *alternatio fortunarum* ponatur, quum reliqui verſiculi tantummodo in *malum* tendant. Sed difficultas nulla, quum hoc *Beneficium* præſtruatur, ad *Cataſtrophen* aggravandam. Idem in reliquis obſerves licet, in quibus *Decus* & *Dignitas* excellentium perſonarum præmittitur, ad *Caſum* tanto *triſtiorem* reddendum. Male tamen ratiocinarer, ſi calculus conſtaret vel Cl. *Schmidio,* ultimum Colon *in bonum* ſumenti, ita ut שטח ſit *expandere,* & נחה *ducere ductu felici* conſiliorum, negotiorumque; vel Cl. *Cler.* id ita invertenti, *Spargit nationes* e patria, *eaſque reducit.* Idem viſum fuerat *Ab. Eſræ* & *R. Levi*; nec diffiteor aliquid ambiguitatis utrique verbo ſubeſſe. Sed de *bono uſu* τῦ שטח dubitatum non fuiſſet, ſi *Arabica Dial.* ad manum fuiſſet; in qua سطح eſt *ſternere æqualiter,* & *humi ex-*

24 Auferens cor capitum populi terra; & errare eos facit in vaſtitudine invia.

24 מסיר לב ראשי עם־הארץ ויתעם בתהו לא־דרך׃

25 Palpant tenebras, & non-lucem: & oberrare facit eos ut temulentum.

25 ימששו־חשך ולא־אור ויתעם כשכור׃

pandere; idem quod بسط, & مهد; quæ frequentari amant *metaph.* in *ſedibus commodis*, *lateque ſuſis gentium*, ac *populorum* Ita a *Gjauhario* tanquam ſignata formula adducitur سطح الله الارض שטח אללה אלארץ *Expandit Deus terram*; pro *commodis* & *amplis ſedibus porrexit ad inhabitandum.* Similiter dices, *Expandit Deus nationes:* quod pro *ſpargere in exilium* haud admitteret *Arabia.* De נחה *in malum* ſumto dubitare non ſinit 2 *Reg.* 18: 11. accedente & *Arabum* uſu, quo انتحى ſignificat ſpeciatim, *removit*, *abduxit*, *e medio ſuſtulit*, *ut in angulum ſecederet*; quod שטח לו pulchre opponitur.

Verſ. 24. Subduntur *Cauſæ everſionum* illarum, quibus *florentiſſimæ* etiam *nationes* occidunt: *Cor ademtum capitibus* populi; *eorumque Error in vaſto invioque inani.* Prius membrum referri poſſet ad *ſapientiam*, *prudentiam*, *fortitudinem*, aliaſque virtutes, *Rectoribus* occulto Dei judicio ſubductas; ſuccedente *vitiorum* contrario *agmine:* niſi malis cum Cl. *Cocc. Tranſverſa agit Corda capitum populi*, ut *Deut.* 17: 17. *Ne tranſverſum agatur cor ejus.* Sic מסיר eſſet a *recta* & *regia via* virtutis &c. &c. *declinare faciens cor* Rectorum populi *in omne genus vitiorum*, *Libidinum*, & *Cupiditatum*, ut *ambitionis*, *ſuperbiæ*, *invidiæ*, *avaritiæ* &c. &c. quibus dum ſe dedunt, *oberrant* ſane per תהו *vaſtum inane*, לא דרך *invium*, & *in perniciem abducturum.* Doct. *Merc.* poſterius colon *allegorice* deſignare putat *rationes incommodas*, & *vias perniciosas*, *quibus & ſe*, *& populum*, *in exitium adducant.* Eadem mens *Cocc.* quæ cum meo adſpectu haud pugnat. Suſpicabar aliquando תהו ipſam *Everſionem Reip.* pingere unde *emergi* nequeat, ex *Eſaj.* 34: 11. & *Pſ.* 107: 40. ubi reperies priorem partem *Vſ.* 21. cum hoc *hemiſtichio* connexam. Ex *Jobo* mutuatum *Pſalten* concedo; ſed non neceſſe eſt, ut eodem plane ſenſu dixerit, quod diverſimode poteſt applicari. Cl. *Cler.* nimis *literæ* addictus, refert *ad Arabes per deſerta vagantes*; *Vſ.* ſeq. tamen *allegoriam* & ipſe agnoſcens. Alluſum, haud negarim, quum *Arabiæ deſertum vaſtiſſimum* nomine תהו ſpeciatim venire monuerim ad *Cap.* 6: 18. Figuratum ſenſum non dimittendum eſſe docet *Adagium* a Cl. *Gol.* prolatum *p.* 145.

يسرون في تيه بغير منار

Vagantur in vaſto inani ſine Pharo, vel *ſigno viam monſtrante.* Aliquid lucis *priori* explicationi addit تيه pro *ſuperbia*, *faſtu*, *ambitione*; verbumque تاه *vagari attonitum* ut *in deſerto*; item, *ambitione*, *ſuperbia*, *aliave qua inſania agi.* Confer elegans ſcomma in *Judæum*, *Hiſt. Dyn. p.* 394. 395.

يتيه كانه بعد لم يخرج من التيه *Vanus oberrat ac ſi necdum e Deſerto egreſſus eſſet.*

Verſ. 25. Ad quamcunque manum e bivio ſuperiore deflectas, obſequentem habebis verſiculum huncce. Si *everſionem Reip.* teneamus, hic deſcribetur *deſperatio ſumma*, & *confuſio titubantium*, *cadentium*, *in tenebriſque ruentium ſine ulla luce*, *aut ſpe*, *liberationis.* Ita fere Cl. *Cocc.* Si ſumamus *ſtulta* & *prava conſilia*, quadrabunt potius *tenebræ mentis omni luce prudentiæ penitus extincta*; quorſum *Merc. Schmid.* aliique tendunt. Sed juvabit, vim phraſeos ſignatiſſimæ in priori membro

enu

enucleaſſe. *Pagn.* dederat *palpant tenebras*, & *non-lucem.* Id incommodius viſum, peperit variantes conatus variorum, qui ſubſtituunt, vel, *ſine luce*; vel, *ubi non eſt lux*; vel, & *non eſt lux*; vel plenius, & *non* eſt ipſis *lux.* Mihi ſublimius & figuratius videtur prius, per ὑφὲν, & *non-lucem*; id *quod nihil minus* eſt *quam lux*; ſed *ipſiſſima caligo.* Negabant Viri Docti *lucem palpari*; ſed qui *tenebras palpabiles* agnoſcunt, *non-lucem* hoc ſenſu *palpari* haud negabunt. ענין אחר במלות ישנות *Unum gemina phraſi expreſſum.* Talia multa cum לא enotarunt Doctiſſ. interp. Inſtar omnium ſit *Eſaj.* 30: 3. *Ægyptii* אדם ולא־אל *Homo*, & *non-Deus*; nihil minus quam Deus: *Eorumque equi* בשר ולא־רוח *Caro* & *non-ſpiritus.* Nihil minus. *Ipſiſſima inertia*, aut *imbecillitas*, in agendo, juvandove. Ad hanc elegantiorem normam לא־אור plus adhuc complectitur, quam חשך *horrentes tenebræ*, quæ etiam tum exiſtunt, cum aliquid adhuc lucis vel adeſt, vel redibit; quum *Non-lux* hoc quicquid eſt vel *rei*, vel *ſpei*, excludat, atque extinguat. Confer quæ ad *Cap.* 5: 14. dedimus.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Verſ. 1. הן־כל ראתה עיני שמעה אזני ותבן לה׃

2 כדעתכם ידעתי גם־אני לא־נפל אנכי מכם׃

3 אולם

Verſ. Ecce omnia vidit oculus meus: audivit auris mea, & intellexit ſibi

3 Quantum ſcire veſtrum, ſcio & ego: non cado ego a vobis.

3 Enim-

Verſ. 1. Decentiſſime collecta, & concluſa oratio, acrius perſtrictis iniquis cenſoribus, majores ſumit animos; atque in novum Apologiæ vehementioris impetum exardeſcit. Nempe id quod *Cap.* 9: 33. poſtulatum fuerat, nunc animoſius adhuc liberiuſque urgetur; atque a Noſtro *in congreſſum cum Numine* γυμνῇ τῇ κεφαλῇ *deſcenditur*, non ſine gravi exceſſu. Eum tamen miſerrimæ circumſtantiæ vel excuſent; vel levent; quemadmodum virtutis, & conſcientiæ immaculatæ luculentum teſtimonium audacior hæc tum provocatio, tum expoſtulatio, præbere poteſt.

Ibid. Nihil in verbis non liquidum. כל rectius *omnia iſta*, quam *omnia alia*, quæ mallet Cl. *Schmid.* & latiore adhuc ſenſu *Cler.* Inculcat nempe Noſter ſe omnium illorum caſuum exempla *ſuiſmet oculis vidiſſe*; itemque *alia ab aliis*, *aure ſedula*, & viarum Dei *haud incurioſa*, excepiſſe, *altoque pectore demiſiſſe.* Huc ſpectat ותבן לה & *intellexit ſibi.* Minus elegans *Merceri*, & *intellexit illud.* Confer *Cap.* 12: 11. *Aurem* pro *Revelatione* peculiari poſitam ſuſpicatur Erud. *de Pined.* Sed ita infringeretur aculeus, quo Amici punguntur *Vulgaria* tantum promentes; quin ignorantes quodammodo quæ *Viſu* & *auditu*, contra ipſorum Hypotheſin, quivis explorata ſibi habere poteſt, & debet; Deum *occultis*, & *humanæ ſapientiæ imperviis rationibus*, *Univerſum hocce gubernare.*

Verſ. 2. Non placet, quod Cl. *Cler.* ex latiore illo uſu τοῦ כל, & hic eliciat, *Quæ vos Arabes noſtis*, *etiam ego novi.* Salſum quid re-

3 Enimvero Ego ad Omnipotentem inſtruam ſermonem; & diſceptare adverſus Deum lubet.

4 At vero vos eſtis incruſtatores fuci; conſutores Nihili vos omnes.

. 5 Quis

3 אולם אני אל־שדי אדבר והוכח אל־אל אחפץ׃

4 ואולם אתם טפלי־שקר רפאי אלל כלכם׃

5 מי־

requiritur, *ut ſcire veſtrum, ſcio & ego.* Ita ſe confert, ut tacite præferat; in quem ſenſum & ſequens formula tendit, *Ibid.* explicita.

Verſ. 3. Paululum laboratur in nexu. Commodiſſimus ille Doct. *Belgarum*, *Noſtrum negare ſe amplius cum Amicis diſputare velle; ſed potius cum ipſo Deo agere* &c. Diverſus hinc Cl. *Cocc.* qui *objectionem Amicorum* interſeri putat, *At enim ego ad Omnipotentem loquor* &c. *Hoc eſt quod mihi crimini datis; & ob quod me cenſetis reprehendendum* &c. Ingenioſum, ſed minus molle, ac ſimplex. Adde *objectionem* iſtam ſuperius jam & *motam*, & *remotam* fuiſſe; atque aperte Noſtrum declaraſſe, nil optatius ſibi contingere poſſe, quam ut cauſam ſuam diſceptare & diſcutere poſſet ſub oculis Dei. Hoc ab Amicis irriſum, nunc denuo urguet; & rectiſſime dictum, quin ex puriſſima conſcientia profectum, infert. Propterea, paucis interjectis, quæ Amicorum *reprehenſionem* potius, quam *refutationem*, continent, pedem propius cum Deo confert, atque cauſæ ſuæ defenſionem coram Tribunali ſummo ſuſcipit. Alia huc facientia dabit Cl. *Schmid.* qui *generalem conſpectum* hujus *Cap.* ſat feliciter exhibuit, ad *Vſ.* 1. in eo, *quod ſocios reprehendat* Noſter, *tanquam qui inepte de Deo, & pro Deo diſputent; ac proinde malle ipſos tacere; ſaltem cum ipſis diutius diſputare nolle, ſed potius cum ipſo Deo agere.* Verbum אדבר *judiciale* eſſe ſupra aliquoties viſum. אחפץ *volo*, *cupio*, proprie *inclinatus ſum*, adfert *lubentiam*, & *voluntatem promtam* ac *pronam.*

Verſ. 4. Præmittitur increpatio Amicorum, tanquam qui *ſtatum quæſtionis* penitus turbaſſent; & partim *calumniis*, partim *argumentis vanis*, miſerias innocentis oneraſſent. *At vero*, malim, quam *etenim*, vel *Nam.* טפלי שקר proprie *Incruſtatores*, *Linitores fuci*, ut videtur. Quadrat hic uſus *Pſ.* 119: 69. Quin & *Job.* 14: 17. Utrobique Cl. *Crom.* aliquid tentavit ex uſibus verbi طفل, quod in 2. *conj.* exponitur, *Elaboravit*, *cum cura inſtituit* ſermonem. Item, *importunus* ac *moleſtus fuit viſitatione multa.* Prius hic, poſterius *infra* convenire autumat. Ultima notio alterius eſt *Originis.* Prior a *Linendo* ducta eſſe poſſet, de quo tamen mihi necdum liquet: quum in *Camuſo* tantum extet طفّل الكلام تدبيره *Sermonem ſuum* טפל *ſtudioſe concinnavit.* Ita & plurimi interpretes dederunt, *Concinnatores mendacii*, alii *conſarcinatores*; ut *Schmid.* nec non *Cocc.* poſt *Merc.* qui טפל ait eſſe *annectere*, *aſſuere.* Probatum vellem, non dictum. Alii *conglutinatores*, quod ad *Linitores* propius iterum accederet. *Linendi* vim quoque redolet طفال טפול pro الطين اليابس *lutum aridum*, & طُفِّلَ تطفيلا اصابه التراب *Paſſ.* טֻפַּל cum *infin.* הטפיל *pulvere oblitus fuit*, in *Camuſo.* שקר *mendacium* proprie fuiſſe *fucum*, ſive *rubrum colorem*, in *Clav. Dial.* proditum.

Ibid. Non ſperno רפאי אליל *Medentes nihili*, ſive *Medici vani*; quod *vaniſſimæ* eſſent eorum *conſolationes*, ita *Merc.* & reliqui ferme *interp.* niſi quod *Schmid.* adjunxerit *Correctionem* & *Emendationem.* Merito diſplicuit *Rambanis* acumen, *Medicos idoli* hinc ex-

5 מי־יתן החרש תחרישון ותהי לכם לחכמה׃

6 שמעו־נא תוכחתי ורבות שפתי הקשיבו׃

7 הלאל תדברו עולה ולו תדברו רמיה׃

8 הפניו

5 Quis det ut in totum conticeſcatis? quod quidem vobis erit pro ſapientia.

6 Audite, age, coargutionem meam: & contentiones labiorum meorum purgata aure admittite.

7 An pro Deo diſputabitis iniquitatem? & pro ipſo ſtruetis fallaciam?

8 An

extundentis, *cui fruſtra collyria illinantur nihil profectura ad viſum.* Simile quid venditum forte *Hieron. Cultores perverſorum dogmatum* exhibenti; quod enim *de Pined.* ſuſpicetur *Curatores* potius legendum, ut ה׳ רפא expreſſius referat, ſpecioſius quam certius. Ejuſdem ſubtilitatis cenſet Cl. *Schmid.* quod & *Cocc.* noſter אליל faciat *objectum curationis.* Id ex παραλληλίᾳ utriuſque coli ſatis tamen plauſibile: quin altero illo aptius & fortius, quum ſic taxentur Amici continuata metaphora, ut *Nihili*, τοῦ μηδενὸς *Medicatores*, qui quod in ſe *falſum*, *ægrumque* veluti, conquiſitis *linimentis* voluerint *ſolidum* & *ſanum* reddere. Amat *Arabia* tales figuras, exhibens *Pingue* & *Macrum*, pro *ſolido* & *vano*; itemque *ægrum* & *morbidum ſermonem*, pro *falſo*. Diverſo adſpectu *Haririus Conſ.* 2. *p.* 92. dixit

اساة القول المريض

Medentes ſermonis ægroti, pro *Magiſtris eloquentiæ*, qui *vitia* & *morbos* ab imperitioribus Linguæ adfrictos, ſanare poſſunt. Nihil tamen impedit, quo minus eadem formula in contrariam mentem convertatur, pro *magiſtris Emplaſtrariis*, qui *vitioſæ ſententiæ aliquid pigmenti* aut *coloris* illinere ſolent. Talia a ſerie dependent. Quid ſi *Proprietatem* aſſumamus thematis רפא *ſanavit*, quæ eſt *conſuit*, *conſarcinavit*? ſic *conſutores Nihili* exirent, noto *Græcis Latiniſque*, floſculo, in κατίύω, ῥάπτω, *ſarcinare* & *ſuere dolos*. Blanditur; & tamen Cl. *Cocceji* imaginem aliquid grandius ſpirare judicarem.

Verſ. 5. Aculeatiſſimum dictum: quod ex *Prov.* 17: 28. omnes *Interp.* recte illuſtratum dederunt. Optime quoque obſervatum a *Bold.* reſpici *Cap.* 11: 3. *Jactantias tuas ſodales ſilentio tranſmittant* &c. Imo vero, infert & retorquet Noſter, *utinam* vos *potius ora comprimeretis*; ut *hoc* ſaltem vobis *in ſapientiæ particulam imputare poſſem.* Gemellum eſt *Cap.* 21: 2. *Audite ſedulo ſermonem meum; & hoc erit pro conſolationibus veſtris.*

Verſ. 6. Longius quam par eſt, progreditur Doct. *Merc.* quum תכחת *diſceptationem*, & *lites* refert ad *Orationem*, *qua cauſam ſuam acturus eſt apud Dominum:* nam iſti *diſceptationi Vſ.* 18. incipienti, *audientia* petitur *Vſ.* 17. Cl. *Cocc.* ſic connectit, *Evincam quod falſitatem componatis; meque ſimul a criminatione defendam. Prius* תוכחה Ἔλεγχον *dicit. Alterum* רבות *contentiones.* Paulo latiore nexu Cl. *Schmid.* utitur, *redargui* tantum & *objurgari* cenſens *Amicos*, *quod pro Deo iniqua proferant*, *ejuſque perſonam acceptent.* Placet; quum ſequentia illuc manu ducant, & *Vſ* 13. *Caſtigationem* תוכחת hancce finiri appareat. Quænam copula ibi ſit tenenda, deinceps diſcutietur. Ceterum leviſſimæ conjecturæ loco haberi velim, quod a רִבוֹת cum *Dageſch forti* mentem pepulit: ſi enim Radix ſit רבב, cujus origo *ſpiſſus fuit*, emergeret hic, *ſpiſſitudines labiorum meorum*, a *ſingulari* deperdito רֹב *ſpiſſitudo*, quod cum רַב *multitudo ſpiſſa* cognationem habet. Objecta fuerat Noſtro *Cap.* 11: 2. רב דברים *Multitudo ſpiſſa verborum*; quem aculeum nunc *Ironice* retorqueret, petens ut *purgata aure ſpiſſitudines*

8 An perſonam ejus acceptabitis; an pro Deo litigabitis contentioſe?

8 הפניו תישאון אם־־־־לאל תריבון׃

9 An

9 הטוב

nes labiorum ſuorum admitterent, quas ipſis *coarguendis* adhiberet. Fatendum tamen ריבות melius conſiſtere cum תוכחת; eamque formam commendari per Lectionem ſine *Dageſh* רִבוֹת quæ in bonis *Exempl.* comparet.

Verſ. 7. Non tam *refutatio*, quam *caſtigatio* ſuſcipitur Amicorum, quod *Majeſtatis Divinæ fulgore præſtricti, haud ſecus ac Judices iniqui, innocentem abſque cauſæ cognitione legitima condemnaſſent; quin imo pro cauſa Dei iniqua ratiocinia, & doloſa argumenta* inſtituiſſent. Hoc vocibus עולה & רמיה pulcherrime expreſſum. Prior infert *iniquitatem* in *judicio*, a *propenſione lancis ad alteram partem.* Poſterior רמיה *fallaciam qua quis ſupplantatur & evertitur.* Utrumque a cenſoribus hiſce commiſſum; ut plus vice ſimplici oſtendimus. Cl. *Cocc.* hunc nexum ſubtilius texuit, *ex ambiguo*, quaſi præter *injuſtam dicam inſonti ſcriptam Amico*, etiam *Deo ipſi injuſtitiam attribuiſſent* in ſuis diſputationibus: quando contenderant *Deum pios non tam graviter adfligere poſſe, quam impios, quum revera Pii plerumque gravius adfliguntur.* Vicinum eſt, quoad ultimam partem, quod *Piſc.* & *Belg.* annotant. Id meo judicio cum *Hypotheſi Jobi* non ſatis convenit, urgentis utique *injuſtitiæ ſpeciem in eo, quod Pii adfliguntur, impii autem floreant.* Longius a ſcopo abit *Schmidius*, *injuſtitiam ab Amicis Deo adſcriptam* ita capiens, *quod ex eorum argumentatione ſequeretur Deum multos ſincere juſtos, & inprimis Jobum, pro injuſtis habere, quod contra ipſius promiſſiones in Chriſto eſſet, per quas juſti cenſentur, etiamſi abſolute juſti non ſint.* Illam Viri *Doctiſſ.* diſtinctionem ſæpiuſcule ſeponere coacti fuimus; quoniam *Jobus* nunquam *Juſtitiam* ſibi *imputatam* ex fide in *Meſſiam* hac in cauſa allegaſſet. Et qui, quæſo, eam hic mentem habere potuiſſet Noſter? quum ſic in ſemet ſua tela converteret, ſeque a Deo *juſtum cenſeri* agnoſceret. Atqui *contrarium* plane *ſibi immerenti* a Deo *obvenire* tanto cum fervore & diſputavit, & diſputaturus eſt. Nil aliud ergo relinquitur, quam quod propoſui, עולה eſſe *iniquum judicium* de *Jobo*, *ex acceptione perſonæ eminentioris profectum*; *abſque ullo cauſæ examine.* Cui additur רמיה *impulſio* vel *dejectio in fraudem*; *aſtutia doloſa & pernicioſa ad alium evertendum*, & *adfligendum*; quatenus ex illa *præjudicata opinione*, vel ex illo *ſtudio partium*, *fraudulenta ratiocinia* erant *inſtituta*, ad *Jobum* vel *improbitatis*, vel *Hypocriſeos* ſaltem, convincendum. Noſter, quoad generalem conſpectum, eſt *Merc.* cum *Hieron.* cujus libera quidem, ſed concinna tamen eſt verſio, *Numquid Deus indiget veſtro mendacio, ut pro illo loquamini dolos?* Ad gratam *varietatem* prius תדברו ſumerem pro *diſputabitis*, uſu *Judiciali* noſtri thematis: poſterius *ſtruetis*; ex *Origine* alibi deducenda.

Verſ. 8. Taxantur duo Amicorum vitia, quæ *ſtudium partium* & *doloſam* illam *aſtutiam ratiocinandi* pepererint, & ſimul inde enaſcantur. Primum eſt, *Accipere perſonam Dei.* Alterum, *Deo patrocinari* velle, ejuſque *cauſam defendere.* Prius committitur, *quum Eminentiam Dei præ homine ita ſuſpicimus, ut ſtatim quicquid Deus illi fecerit, Juſtiſſime & pro meritis ei factum pronunciemus.* Notabilis προσωποληψία, ad quam proclives admodum mortales; unde multa judicandi temeritas, ubi judicia Dei extraordinario modo in aliquem incumbunt. Solide *Cocc. In primo membro facit amicos ſedere tanquam Judices inter ſe & Deum; atque eos judicare ſecundum perſonam potiorem, non ex perſpectione cauſæ.* Poſterius peccatur, *quum quis honorem ſummi Numinis haud ſecus ac patronus tuendum ſuſcipit.* Id valet ריב לאל *Litigare Deo*, *contendere pro Deo*, *ut Defenſor jurium Ejus.* Non ignotus ille *fallax* non minus, quam *fal-*

9 הטוב כי־יחקר אתכם.אם־כהתל באנוש תהתלו בו׃

10 הוכח יוכיח אתכם אם־בסתר פנים תשאון׃

11 הלא

9 An bonum erit, quum diſcutiet vobiſcum? num ſicut illuditur homini, ita ipſum illudetis?

10 Omnino coarguet vos, etiamſi ſub velo ſpecioſo perſonam acceperitis.

11 Non-

falſus, *Zelus*, quo *adfectui* ſuo *ſerviunt* homines, dum *veritati* ſe *ſervire*, *Deique cauſam agere*, ſibi ipſis perſuadent, aliiſque perſuaſiſſimum eſſe volunt. Ille *peregrinus ignis* tanta hæcce certamina adverſus inſontiſſimum *Jobum* accenderat; in quibus *Sanctitatis & Juſtitiæ Divinæ*, per eum imminutæ, *vindices acerrimos gerere ex officio*, *& obligatione religioſiſſima*, *ſibi videbantur.*

Verſ. 9. Gravia eſſe crimina hæc, quicquid pietatis ſpeciem mentiantur, ſeverius a Deo punienda, porro inculcatur. יחקר אתכם reddi poteſt, *ſcrutabitur vos*; poteſt & *ſcrutinium aget vobiſcum.* Referri ſolet ad *Examen cordis*, *ſincerene*, *an per fraudem talia protulerint.* Latius paulo *Merc.* *Hujus facti diſcuſſionem & propiorem inſpectionem* intelligit. Sed *ubi*, & *quando diſcuſſio* iſta fieret? Innui dixerim *Scrutinium ſolennius Judicis ſupremi*, *cuncta ſub examen vocaturi*, *quamvis nunc ad vitia connivere videatur.* Pulcher locus ad fidem *Jobi* declarandam, qua *Scrutinium* cuique *Mortali ſubeundum coram Verendo Tribunali* profitetur. Cl. *Schmid.* traxit ad *extraordinariam* illam *apparitionem*, qua in fine Libri hujus conteſtationes *Jobi* & *Amicorum* diremit Deus. An ergo Noſter hoc vel præſagiebat, vel expectare poterat? Omnino יחקר אתכם *Scrutinium inſtituet vobiſcum*, ſic abſolute poſitum, exigit *Comparitionem ad Tribunal ſupremum*, partim in morte, partim in ultimo illo die. Huc ducit acris interrogatio הטוב *An bonum*? nempe *erit vobis*? *Non bene cedet vobis. Periculum eſt ne in manus Dei vivi incidatis*, qui προσωποληψίαν, & perverſum Zelum abominatur. Neſcio qui Cl. *Schmidio* placere potuerit, *Num gratum erit ipſi*, *quod ita pro eo contendatis*? Dilutum quoque Cl. *Cler.* illud, *ſed bene ſe habet*, *quod vos penitus novit.* Ne Lingua quidem id patiatur. Alia adhuc alieniora apud *Doct. de Pined.* proſtant, quibus immorari haud neceſſe:

Ibid. Lumen & robur addit gravis ſententia, quam *Apoſtolus* ad *Gal.* 6: 7. in non abſimili ſerie poluit. Θεὸς οὐ μυκτηρίζεται; *quod quis ſeminaverit*, *metet.* Ex hoc loco tranſſumtum ſuſpicari licet. *Deus ſe deludi non patitur*, *nec ratiociniis aſtutis*, *nec ſpecioſis prætextibus*, *nec aliis artibus quibus humani judices ludificantur.* Vides ergo *terrorem ſupremi Tribunalis admoveri*, *ad quod ipſius Numinis defenſio injuſta juſtam auferet condemnationem.* Plura cuique hic promta.

Verſ. 10. Judicii illius ſeveritas inculcatur; quo *occultiſſima*, & *fucatiſſima* quæque *nudabuntur*, atque *in publico coarguentur.* Paulo obſcurius eſt בסתר *in occulto*, quod *Mercero* eſt *occulte* & *per hypocriſin*; quin imo *contra conſcientiam.* Id improbans *Schmid.* ſubſtituit *per ignorantiam*; quaſi diceret Noſter, *Non excuſabit vos*, *ſi maxime per ignorantiam accipiatis perſonam.* Mox tamen ſubdit, *Etiamſi occultiſſime* &c. *Non tam craſſe & clare*, *ut nunc.* Alia reperias apud de *Pined.* ut, *dum mihi occulta peccata affingitis:* vel, *in occultis cordis mei*, *ſoli Deo cognitis*, *non vobis.* Ipſe in *paraphraſin* inſeruit *incertas & occultas criminationes*, itemque, *ſtultum & ruſticum pudorem*, *quo præpediti*, *innocentiam Jobi adverſus Numen defendere auſi non fuerant.* Hæc paulo longius arceſſita. Suſpicor *colluſionem*, vel *conſpirationem clandeſtinam* deſignari. Videbantur ſane tres cenſores in *Jobi* condemnationem conſenſiſſe, ac conſpiraſſe. Id pulcre formula בסתר *in latibulo*; *in ſecreto*, exprimi potuit. Sic mane

11 Nonne majeſtas ejus perterret vos? & pavor ejus vos obruit?

12 Sententiæ veſtræ memorabiles ſunt ſimillimæ cineris: profecto dorſa veſtra ſunt dorſa luti.

13 Con-

11 הלא שאתו תבעת אתכם ופחדו יפל עליכם:

12 זכרניכם משלי־אפר לגבי־חמר גביכם:

13 החרישו

nebit vis vulgatior ✠ אם, *Redarguet vos in publico, ſi latenter, & ex conſpiratione, ex factione, perſonam acceptaveritis.* Si quis malit cum *Schmidio*, *etiamſi*, offero סתר pro *velo, velamento, prætextu ſpecioſo*, ex *Origine* verbi, quæ *velationem* adfert: *Omnino redarguet vos, etſi ſub ſpecioſo velamento perſonam accipiatis.* Nempe *prætextu zeli pro cauſa Dei.* Utrumque habet anſam ſic ſatis commodam, quæ me ancipitem diſtinet, remque aliorum arbitrio permittere jubet.

Verſ. 11. Fluctuant ſententiæ circa cohæſionem. Doct. *Merc.* verba facit *monentis*, *An non Majeſtas ejus vos deberet terrere; quo minus ita temere & de eo loqueremini?* Similiter *Genev. Piſc. Belg.* &c. Alii *comminantis* eſſe putant; quod *Erud. de Pined.* ſic exequitur in *Paraphr. Vos itaque ingens Dei ſupplicium formidare jubeo; nam ſtatim atque ille magnificentiam & celſitatem Majeſtatis ſuæ conſpicuam fecerit, animo & corpore contremiſcetis: cælitus enim in vos jaculabitur divinos terrores, cadetque tandem in verticem veſtrum ſeveriſſima ultio.* Huc & *Rabbini* illi tendebant, quibus שאת eſt *incendii elatio*, ſive *flamma Gehennæ:* nec non *Chald:* qui in *Elatione* invenit *Elevationem ſuper ſolio judicii.* Ad *Verſ.* 9. dedi, quod hunc conſpectum commendare queat. Aſſenſum tamen a me impetrat Cl. *Cocc. Tenendum, Jobum hoc verſu non terrere Amicos, ſed ut præpoſtere territos metu Eminentiæ Dei, accuſare.* In vicinia habitat *Cl. Schmid.* quin idem aliis modo verbis reddit. *Cauſa* videlicet *proſopolepſiæ*, *injuſtæ* æque ac *ignaviæ*, enotatur, *Eminentia*, & *terribilis Majeſtas perſonæ*, una cum ejuſdem *Effectu* in *obnoxia & meticuloſa condemnatione innocentis.* Quid ſi diſſidia hæc in concordiam revocem, leni flexu? *Nimirum Eminentia ejus perterret vos; & pavor ejus incidit in vos.* Id ita enunciatum proxime ſiſtit *cauſam proſopolepſiæ*, & *timoris injuſti:* quum *juſtius* Deum *timere* deberent, ut citra *Perſonarum acceptionem judicaturum*, atque crimen illud, vel pro ſua ipſius cauſa conceptum, ſevere puniturum. Hic alter eſſe poſſet ſenſus, ad initium *Verſ.* 10. reflexus; qui tamen ſi ſubtilior alicui videatur, quo minus lituram ſubeat haud intercedo.

Verſ. 12. Et hic miræ undæ. 1. *Merc.* autumat eſſe *Antitheſin præc. Verſ.* quaſi *immenſæ Majeſtati* ſubjungeretur *humana vilitas*; *quæ tam temere non deberet loqui de Deo.* Ita autem ſenſum evolvit: *Quicquid in vobis memorabile, opes, dignitas, potentia, ſplendor, fama, vita; nihil aliud eſt quam cinis, in cineremque redigendum.* Huc plerique *Rabbinorum* præiverant; atque *Doct. Belg.* calculum meruit; illuc concedente & *Vavaſſore.* 2. Ad *pœnam* Amicorum *ſpeciatim* ab aliis trahitur, quorum mentionem etiam fecit *Merc. Quod cito & funditus eſſent perituri, qui tam temere de Deo loquerentur.* Erud. *de Pined.* illuſtri imagine hunc ſenſum conveſtit, *Tacti ergo fulmine iræ Divinæ, nihil de veſtra gloria remanebit, præter cinerem tenuiſſimum, qui meritiſſimi veſtri ſupplicii mortales ſemper admoneat: eſt enim* cinis *ſupplicii ſymbolum ac monumentum.* Addit tres alias expoſitiones, haud multum tamen diverſas, de *memoria peritura*, de *igne gehennæ*, de *morte ignobili*, quibus non inſiſtam; quicquid enim eſt horum conatuum, ἔξω τῶν ἐλαιῶν fertur. 3. R. *Perizol.* cum eoque *Deod.* & *Cocc.* referunt ad *Ratiocinia* & *Argumenta vana*, *quibus uſi fuerint Amici*, in quam mentem nervoſe datum a Cl. *Cocc. Memoriæ veſtræ* ſunt *ſententiæ cineris: in umbones teſtaceos umbones veſtri.* זכרנים Ei ſunt ἀπομνημονεύματα, μελετήματα, *dicta memoriæ infixa.* Ad *ſententias cineris* notat, *Cineres carere igneo Calore, & vivida effi-*

efficacia; adeo ut eorum verba more cineris ſparſi Jobum adſecerint. גבים *umbones* vertit, ex *Job.* 15: 26. qui *teſtacei* dicantur, quia *fragilia* erant *argumenta.* Sub hac claſſe comparet & *Bolduc.* cui זכרנים ſunt *inſtrumenta ſcripturarum ad lites pertinentia*, quæ *comburi & in cineres redigi mereantur.* גבים *Eminentiæ*, *ſuperbiæ*, *ſupercilia*, vel *terga luto & dedecore* omni *fœdanda.* Hæc ille ſuo more luxurioſius. 4. Cl. *Schmid.* cuncta cenſet referenda ad *ignaviam & timiditatem* Amicorum, quæ *conſtantiam & animi magnitudinem*, quam præſtare debuiſſent, in cauſa hac rite cognoſcenda, infregerit. זכרנים *Memorias* ſumit pro *fortitudine*, per quam *fama & memoria* paretur. גבים *dorſa* trahit ad *conſtantiam.* Cum *cinere & luto ſimilitudinem* inſtitutam opinatur, non tantum ob *infirmitatem*, ſed etiam ad *Originem* ſimul, & *corruptionem hominis* indicandam, propter quam in *cinerem & lutum redire* cogatur. Poſterius haud ex ſolido lucet. Prius longe petitum, & durius utique, quam *Cocceji dicta memoriæ infixa*, de quibus quærebat Vir Doct. *ubinam ſimilis tropus monſtraretur*? Atqui ipſe non abſimiliter verbum זכר acceperat *Cap.* 4: 7. pro *dicere ex recordatione* vel *memoria.* Subjunxi ibidem uſum *Arabum* ſub ذكر, *commemorare.* Hinc ذُكْرٌ זְכֶר non tantum *Memoriam* ſignat, ſed etiam *commemorationem*, præſertim de *Deo & rebus Divinis*, quæ vis hic apprime quadraret. . Licet tamen longius adhuc ה' זכרון extendere *ad omnia quæ quis commemorat*, aut ut *memorabile* ad cauſam ſuam vincendam *expromit.* Hæc poteſtas aptari poſſet Cl. *Clerici* ſententiæ, qui 5. huncce conſpectum exhibuit; *Memoriæ veſtræ ſummopere labiles ſunt, tanquam ſi in cinere, mox ventis turbando, veſtra omnia eſſent ſcripta; & tribunalia veſtra tumulis luteis ſimilia.* i. e. *Suggeſta e quibus jus mihi dicitis*, me cenſuris veſtris notando, *contemno, & pro tumulis luteis habeo*, judicia veſtra nihili faciens. Egregius conatus; cui favent proverbia, *in aqua, in vento ſcribere*, quin εἰς τέφραν γράφειν ὅρκον *in cinere ſcribere jusjurandum.* Facile tamen apparet *commemorationes* hic multo aptiores eſſe, quam ipſam *memoriam*, ſive *facultatem recordandi.* Inde hæc *facies* loci prodiret, *Commemorationes veſtras vel ventulus turbet, diſſipetque, utpote in cinere ſcriptas, eique ſimiles: & tribunalia veſtra in tumulos luti ſunt; quorum* nempe *auctoritatem*, judicia, deciſiones, *evertere* promtum.

Ibid. Hoc jam, quoad ſenſum, cum *tertia* expoſitione, cui palmam defero, concinit. In ea dubium, volueritne Noſter משלי אפר *ſententias cineris*, quod *Cocc.* dedit, an *ſimilitudines cineris*, ut plerique habent, hoc eſt, *quam ſimillimæ cineribus* argumentationes. Poſterius *Arabiſmum* reſipere monuit Cl. *Crom.* laudata quoque ſummi *Hotting.* auctoritate ad formulam ſimilem *Job.* 41: 24. Addo æque in *Plur.* quam in *Sing.* proferri, ut *Alcor. Sur.* 6. ما من دابة في الارض ولا طاير يطير بجناحيه الا امم امثالكم *Nulla in terris animalia, nullæ volucres alis præditæ, quin gentes ſint, ſimilitudines veſtrum.* i. e. *vobis quam ſimillimæ.* Ad eundem modum هذه وامثاله *Hæc & ſimillima ei*, in frequenti & quotidiano uſu; ut vix ambigendum eſſe videatur. Et tamen prius plus ponderis habere haud abnuam. Acumen quoque ſubtilius ſubeſſe dixerim; quum enim משלים *Sententias graves, & illuſtres figuras* ſibi promiſiſſe viderentur Amici, *Jobo* convincendo, eas non ſine ſale appellare potuit *ſententias cinereas.* Quodcunque eligatur, illuſtrari poteſt ex uſu رماد *Cineris* apud *Arabes*, quem indicavi ad *Florileg. ſentent.* poſt *Rudim. Erpen. p.* 166. Alterum גבים figere & finire arduum. In quam diverſas *formas*, *facieſque*, ſe induat ſub manibus *Interp.* ex iis quæ ſtrinximus elucet. Plurimi *Dorſa* dant. *Inepte*, judicio Cl. *Crom.* Hæſit Vir Doct. in *Dorſis proprie* dictis, quum *improprie* ſumta, quam *aptiſſima* ſint; ſic enim pingunt *Robora*, *præſidia*, *propugnacula.* Nil tritius in figurato

13 Conticeſcite *ergo* a me, & loquar Ego: & tranſeat ſuper me quod tandem cumque.

14 Super quocumque tandem eventu tollam carnem meam in dentibus meis; & animam meam ponam in volis meis.

15 Ec-

13 החרישו ממני ואדברה־אני ויעבר עלי מה׃

14 על־מה אשא בשרי בשני ונפשי אשים בכפי׃

15 הן־

ſermone *Arabum*. In *Hiſt. Tam. p.* 14. لتكون لنا ظهرا وملاذا *ut ſit nobis Dorſum, & perfugium*. Agnoſcunt quoque *Arabes* ظهر المجن *Dorſum clypei*, ut infra *Cap.* 15: 16 dabitur. Sic *umbones* defendere ſe poſſent; niſi quod duriuſculum *dorſa*, pro *clypeorum dorſis* abſolute poni. *Eminentiæ* quas habent Doct. *Belg.* faciſſime etiam ad hanc mentem ſe præberent, idque voluit forte Ill. *Grot.* reddens, *Arces veſtræ erunt ut tumuli lutei*. Non procul quoque abludunt *verba grandia* & *turgida*, quæ *Codurc.* deſignari autumat. Præterea *Dorſa*, ut ſtylo *Arabiæ* maxime conſona. *Haririus Conſ.* 9. ليشتد ظهره عند الخصام *ut corroboretur Dorſum ejus in litigando.* i. e. *ut habeat validum, præſidium & robur.* Malim quoque *Dorſa luti*, quam *teſtæ*, vel *teſtacea*. ל *Emphaticum* ſignantius putem, quam *Dativi*. Sic tandem *Dorſa luti* erunt, non tam quæ *facile infringas*, quam quæ *ſponte diffluant* & *corruant*.

Verſ. 13. Increpatione Amicorum finita redditur ad id quod *Vſ.* 5. poſtulatum: & quum nil niſi *verba* hactenus protulerint, jubet eos *perpetuum* potius *ſilentium tenere*, ne ampliùs *abſurdis* illis *ratiocinits* fatigetur. Huc tendit conciſior locutio, *Conticete a me: me miſſo facto: nec cenſuris me veſtris* amplius *vexate*. Alii nexus, quos pluſculos dabit Cl. *Schmid.* nil niſi *nodi in ſcirpo*. Eadem mente additum, *Et loquar Ego*. Oſtendit, ſe *Cauſam*, *innocentiamque ſuam*, *libere non minus*, *quam ſtrenue*, *vel adverſus Deum*, *eſſe defenſurum*: *quicquid tandem ſibi propterea evenire poſſet mali*, *periculive*. Hoc admirabili brevitate ita expreſſum; *Et tranſeat ſuper me quidquid* fuerit. Coactius paulo *Hieron.* *Quodcunque mihi mens ſuggeſſerit*: nec tamen eum *in tenebris palpaſſe* dixerim cum Cl. *Clerico*, nam יעבר ſumſit de *cogitationibus per mentem tranſeuntibus*, *indeque cum querimonia erumpentibus*. Conſulatur in hunc ſenſum *Erud. de Pined.* Id mallem ſane, quam longius juſculum Viri Docti, *Et in me tranſeat* onus quærendi *quid* ſit dicendum. Non video etiam quid vigoris habeat illud Cl. *Schmid.* *ut tranſeat præter me* ſaltem *aliquid*: i. e. *ut dolor meus vel paullulum levetur*, *atque tranſeat a me*. Cum genio Linguæ id conſtare qui queat, nullus video. Prior ſenſus unice & Linguæ, & adfectui, quo ſemet de novo animat Noſter, reſpondet. Nil communius quam עבר על in *Malis invadentibus*, & *penitus obruentibus*. Optime *Cocc.* *Et invadat me quidvis.* מה abrupte, pro *quodcunque fuerit*, enotarunt *Rabbini*, *Merc.* &c. ex 2 *Sam.* 18: 23. Gemellum 2 *Sam.* 18: 12. שמרו־מי *Cavete quiſquis fuerit*. Subeſt gravis *Reticentia*. Non tamen *deſperantis* vox, ſed *celſos animos gerentis*, quos qui non ſemper ſibi præſentes ſiſtit, non video quid magni in *Jobo* commentando emoliri unquam queat. Noſtri ſunt *Doct. Belg. Piſc. Merc. Deod. Paga. Vatabl. Tigur.* quin & *Bold.* atque *Vavaſſ.*

Verſ. 14. Scopulum Interpretum dicere mihi liceat hunc verſum; ad quem tamen eos adhæſiſſe non eſt quod miremur, quum uſus plane incognitus *partic.* על totam ſententiam regat. Vertunt unanimi conſenſu על מה *ſuper quid*, *quare tollo carnem meam dentibus meis*.

15 הן־יקטלני לא איחל אך־דרכי
אל־פניו אוכיח :

16 גם־

15 Ecce occidet me; nullus ſperem: verum tamen vias meas in faciem ejus arguam.

16 Quin

meis &c? vel, ut alii, *tollam*? vel denique, *tollerem*? Magni autem multique multorum fluctus. 1. *Merc.* præ impatientia dictum cenſet, *Quodnam tantum eſt ſcelus meum*, O ſocii, *propter quod ita graviter adfligar*, *ut præ atrocitate doloris carnem meam putridam*, *&* *corroſam*, *dentibus tollere cogar*; *meque ipſum quaſi lacerare*? Addit etiam *ad Deum* directam cenſeri poſſe vocem hanc. Subſcribunt fere *Piſc. Belg. Genev.* Itemque *Vulgat.* cum *Vavaſſ. Grot. Druſ. Cler.* qui laudant *Homericam* phraſin *Cor ſuum edere*, & *ſummum gradum doloris* & *mœroris* ſemet *abſumentis* hic indicari putant. 2. Erud. *de Pined.* ſtatuit commodiſſimum eſſe ſenſum, *Quorſum*, O ſocii, *exiſtimatis me velle*, *deſperantis inſtar*, *aut furore correpti*, *mihi ipſi mortem conſciſcere*? *longe abſum ab illa rabie.* Similiter *Codurc.* Duriſſimum potius id dixerim; ut & adfinem opinionem, quæ 3. hæcce trahit *ad tacitum Jobi ſecum colloquium*; *quaſi Tentatorem his verbis repuliſſet*, *ſtimulantem*, *ut manus ſibi ipſi inferret*. 4. Argutiſſimum eſt, quod R. *Perizol.* *Tollere carnem ſuam dentibus* exponat *eo macilentiæ eſſe redactum*, *ut quicquid ſuperſit facile dentibus levare & auferre ſit.* Ei vicinus R. *Levi*, qui ex *Job.* 19: 15. locum explicat & illuſtrat. Utrumque laudavit, & argutia adhuc ſuperavit *Bolduc.* adducto *proverbio*, Ἄνδρος γέροντος γνάθοι βακτηρία, quod δὶς διὰ πασῶν diſſonat. 5. Miſſis aliis quæ apud *de Pined.* extant, pergo ad Cl. *Cocc.* qui admodum mollem & remiſſam hinc elicit ſententiam, qua negaret *Jobus*, ſe eum eſſe, qui ſe *præſentiſſimo periculo*, & *Numinis indignationi* exponere velit: ac proinde non eſſe quod Amici παῤῥησίαν ejus reprimant. Nexum concipit cum *Vſ.* 13. huncce, *ut Taciturni* ſocii *ſinant ipſum loqui* ſuo *periculo*: *ſe enim cauſam non dicere*, *quominus id mali*, *quod ex illa* παῤῥησία *provenire queat*, *ſuper ipſum tranſeat. Sed non eſſe veriſimile*, *ſe in prævíſum malum & periculum ſua ſponte ruiturum*; *id enim tantundem fore*, *ac ſi dentibus propriis ſuam carnem laceraret.* Sed quomodo negaret *periculum ſe gravius incurrere nolle*, qui modo dixerat vel *graviſſima* quæque *ſe ſubire paratum*, in formula, *invadat me quidvis.* Alium adhuc ſenſum tentat Cl. Interp. cui commodior locus dabitur ad *Vſ.* ſeq. Videamus 6. quid Cl. *Schmid.* in medium tulerit. *Cur memet ipſum lacerarem dentes collidens*, *&* *linguam ac labra mordens*, *quin indignatione* & *impatientia memet conſumens*? *Loquar potius ut aliquid dolorum tranſeat*, *&* *levationis nonnihil percipiam.* Ita fere *Luth.* & R. *Salom.* Ejuſdem interpretamenti mentio facta in *not. Belg.* Sed præterquam quod nexus a Cl. *Schmid.* indicatus admitti nequeat, nihil meo judicio alienius a natura geminæ phraſeos, *Tollere carnem dentibus*, & *ponere animam in manibus*, quæ non inferunt *impatientiam indignabundam*, & ſemet *lacerantem*, atque *adfligentem*, ſed *audaciam animoſiſſimam*, & *projectam* veluti *ad quævis pericula.* Sic 1 *Sam.* 28: 21. *Poſui animam meam in manibus meis*, eſt, *præſentiſſimo vitæ periculo me expoſui & objeci.* Eadem vis *Pſ.* 119: 109. Figura illuſtranda ex 1 *Sam.* 25: 29. ut ſit, *projicere velle animam ſuam quaſi funda*, *&* *rotatam mittere in media pericula.* παραβάλλεσθαι ψυχήν. Idem venuſte & graviter expreſſum formula proverbiali, *Tollere carnem ſuam ſuiſmet dentibus*, quod eſt, *audaciſſimo impetu ruere in mediam* quaſi *mortem.* Adagium *Arabibus* protritum

لحم على وضم *Caro ſuper ligno lanionis*, pro *iis qui expoſiti ſunt periculis*, *plagis*, *mortibus*, *carnificinæ omni.* Hinc anſa ſumta ad *audaciam projectiſſimam* figurandam, qua quis dicitur *ſuam ipſius carnem*, *dentibus* velut *ſublatam*, periculis, plagis, mortibus, *offerre.*

Ibid. Hunc ſenſum nemo non inveniſſet, ſi על מה *ſuper quid*, rite intellectum fuiſſet. Id nunc valet, *ſuper quicquid fuerit*: i.e. *nulla ratione habita graviſſimorum periculorum. Non obſtante vel præſentiſſimo ac diriſſimo exitu.* Ita מה vidimus *Vſ. præc.* quod eadem amplitudine haud dubie retentum fuiſſet a Do-

16 Quin id ipſum mihi ſaluti erit: quoniam non ad faciem ejus hypocrita veniet.

16 גם־הוא־לי לישועה כי־לא־ לפניו חנף יבוא׃

17 Au-

17 שמעו

ctiſſ. interp. ſi in promtu habuiſſent τὸ על pro *non obſtante*, *nulla ratione habita*. Hunc uſum adſtructum dedi *Cap.* 10: 7. ut jam celſum ſane ſenſum *Jobo* reddere auſim, *ſuper quocunque eventu*, *&* *tum corporis*, *tum animæ malo*, *mihi ulterius adhuc forte infligendo*, *verba cum Deo facere decrevi*, *atque ſub oculis ipſius meam innocentiam demonſtrabo*.

Verſ. 15. Cum hoc filo pulchre cohæret, *Ecce occidet me*; *nil ſpero*: *attamen vias meas in faciem ei demonſtrabo*. Cave *deſperationis* vocem facias, quæ Viri *ſpem vivam*, *immotamque*, declarat, ut *Vſ.* ſeq. pateſcet. Multi Veteres & Recentiores, *ſpecie* territi, pro לא *Non*, legunt לו, *in ipſo ſperabo etiamſi occiderit me*. Ita cum *Vulg.* non Pontificii tantum commentatores, ſed & *Merc. Schmid.* aliique; ad auctoritatem *Maſoreth.* provocantes. Ad textum retinendum eodem ſenſu plurimi, *Ecce ſi occideret me*, *nonne ſperarem*? Hoc a nonnullis tractum ad *ſpem reſtitutionis in integrum*: quin Cl. *Cler.* hic *occidere* valet *letali morbo adfligere*. Neutrum ſatis congruit cum partic. אך *Attamen*, *verumtamen*, *nihilominus*, quæ exigit gravius aliquid in priore membro. Cum aſſeveratione R. *Levi*, *Ecce occidet me*, *non ſpero me convaliturum*: *deſperatus* eſt *morbus meus*. Cl. *Cocc.* ad nexum cum *Vſ. præc.* ſubtilius, *Ecce occidit me*; *non ſpero amplius*: *ergo non committam ut me graviori periculo animæ*, & *ſalutis ipſius*, *exponam*. Ad *Vſ. præc. num.* 5. conatus hicce referatur. Maluit tamen, *Ecce occidat me*, *non ſperem* amplius, *tamen vias meas coram facie ejus demonſtrarem*. Mentem τοῦ τόπου obſcuriuſcule expreſſam, hanc eſſe putem, *ne tum quidem quum omnis ſpes vitæ inciſa erit*, *per mortem jam jam imminentem*, *quicquam remittam de ſtudio vias meas coram facie ejus examinandi*, *&* *conſcientiam excutiendi ſub luce Sanctiſſimi vultus ejus*: *atque ipſe me condemnabo ſi lux illa redarguet vias meas*; *ſin ſecus*, *ſolabitur ſe &* *lætabitur cor meum*. Non abſimilia extant apud *de Pin.* & *Vavaſſ.* quin *Bolduc.* eo progreditur, ut ad *ſolam ſui ipſius condemnationem* hæc pertinere arbitretur, *ut etiamſi Deus ipſum occideret*, *eum tamen juſtum* eſſe fateretur. Hæc pia in ſe, & bona, ſed nimis placida pro Adfectu, quo nunc ardet Noſter, qui exigit *periculoſum* non minus, quam *animoſum*, cum ſummo Numine *congreſſum*, quo *vias ſuas in faciem ejus argueret puras*, *rectas*, *nihil tale commeritas*. Hanc eſſe vim τοῦ הוכיח vel ex *Vſ.* 3. patet; ubi nemo dubitet quin *cauſæ juſtæ defenſionem* intenderit Noſter. Habet quoque Emphaſin אל פניו *In faciem ejus*, quod majus quid ſpirat, quam *ad faciem*, vel *in conſpectu ejus*. Confer *Cap.* 1: 11. unde repetas velim illud *in os*, quod ibi quidem *invidioſe* poſitum adfert *contumaciam*, hic vero *confidentiam* tantum ſignat; quam tamen *nimiam* fuiſſe non eſt quod negetur: quin *nimium* illud veram nos mentem *Jobi* tetigiſſe evincit. Sic ergo locum conceperim. *Ecce occidet me*, *non eſt quod ſperem*: *verumtamen vias meas* &c. &c. Bifariam: vel *generalius* ratione *ſtatus conclamati* & *deſperati*, *in quo jacebat* Noſter; vel *ſpecialius*, ratione *audaciſſimi conatus*, *quo ad Tribunal Numinis prope acceſſurus*, *Eique litem intentaturus*, *præſentiſſimum ſupplicii atrocioris periculum incurrere*, atque *Fulmen Tonantis provocare velle* videbatur. Hoc ſenſu *Occidat* etiam non male quadraret. Hujus naturæ *Votum* vidimus *Cap.* 6: 8, 9. 10. Obſervandum, verbo קטל ineſſe gravem ſignificatum *exſcindendi*, *radicituſque ſternendi* arborem: unde omnino de *graviore genere exſcidii* cogitandum videtur. Thema illuſtrabitur ad *Cap.* 24: 14.

Verſ. 16. Impetum *Jobi* in primo membro remollit interpretatio Doct. *Merc.* quaſi diceret, *Nec diffido de mea cauſa*, *quia ipſe mihi ſalutaris &* *ſervator in media morte*: *qui me in hoc tam acerbo dolore non deſerit*; *ſed etiamnum tuetur &* *ſervat*. Alii maluerunt *ipſe erit ſaluti*; & quidem bipartito: vel, *bonum exitum mihi concedens in diſceptatione mea*, *at-*

que

17 שמעו שמוע מלתי ואחותי באזניכם :

17 Audite ſedulo ſermonem meum; & demonſtrationem meam in auribus veſtris.

18 הנה־

18 Ec-

que adeo in hac ipſa vita: vel, *per mortem me immittens in beatitudinem.* Hoc poſtremum contra *Merc.* urget Cl. *Cocc.* Utrumque, & *præſens Merceri*, & *Futurum Cocceji*, jungendum cenſet Cl. *Schmid.* non quaſi *liberationem e malis præſentibus* ſibi promitteret: ſed quod *Deum* profiteatur *ſalutem ſuam*, tum *hic* per ſpem fidemque, tum *poſtea* in fruitione ejus beata. Grandior & Liquidior erit ſententia ſi reddatur, *Etiam hoc ipſum mihi erit in ſalutem*; nempe *ſi occidat me.* Hoc *Cap.* 6: 9, 10. heroico affectu elatum hic repetit; niſi quod talem *Mortem Divinitus inflictam*, ſibi in *ſalutem*, *vitam*, *gaudiique materiam*, ceſſuram, celſiore adhuc ſpiritu pronunciet. Sub hoc conſpectu omnia comprehenduntur, quæ aliquid momenti hic ferunt; ac præſertim ex eo elucet Viri *fides invicta*, ac *ſpes viva*, quam de *meliore*, *maliſque omnibus exemta vita*, fovebat. Nimis fidenter Cl. *Cler.* ad *Vſ. præc. In hoc libro*, inquit, *nullum eſt veſtigium ſpei poſt mortem*, *quicquid aliter vulgo ſentiant.* Quid mirum *nulla* reperiri *veſtigia* ab iis, qui, non ſine partium ſtudio forte, ea vel prætervident, vel delent? Quod non ſæpius tales *ſcintillulæ* proſiliant ſpei in *beatam æternitatem defixæ* nil eſt quod miremur, ſi ad *triſte* illud *nubilum* attendamus, quo mens *Jobi* gravata, & oppreſſa, erigere ſemet vix poterat: nedum ut perpetua vitæ Futuræ cogitatione calamitates acerbiſſimas leniret.

Ibid. Minus concinnum כי *adverſative* ſumtum, *ſed non veniet ante faciem ejus Hypocrita.* Paulo languidior quoque eſt ſenſus, *Neque enim in conſpectum ejus venit*, vel *veniet*, *hypocrita*; pro *non audebit ſe coram Deo ſiſtere: ego vero id facere intrepidus ſuſtineo*; *ergo non ſum hypocrita*; *ſed id nomen in vos potius competit*, *qui non auderetis coram eo venire.* Ita ferme Doct. *Merc.* cum retorſione in Amicos. Alii maluerunt, *non admittetur ad conſpectum ejus Hypocrita* quod Cl. *Cocc.* amplexus eſt, cui *venire coram Deo* eſt *admitti in domum Dei*, *adſpectumque Ejus in cœlis*, &c. Cl. *Schmid.* accepit de *acceſſu fiduciali in juſtificatione per fidem petenda & expectanda*, *qui acceſſus viſionem beatificam non excludat*, *ſed omnino includat.* Vide levicula res quid faciat. Omnis hæc, & alia aliorum, fluctuatio orta ex eo quod in 3. *perſ.* enunciatam ſententiam, non directe converterint ad 1. Loquentis, qui *rationem* hic reddit *ſtringentiſſimam*, quare *hoc ipſum*, *mortem* θεήλατον *oppetere*, *ceſſurum eſſet in ſalutem*; nempe *Quia non veniret ad Faciem ejus Hypocrita*, ſed *Integer vitæ*, *ſceleriſque purus cum ipſo conteſtaretur*, *Eique* tandem, *ut cordium ac Renum exploratori*, *haud dubie innocentiam ſuam approbaret.* Ergo בוא לפניו *venire ad Faciem ejus*, nihil aliud eſt, quam *ſe ad ſolium ejus ſiſtere*, *ibique cauſam ſuam agere.* Hanc mentem ipſe *Jobus* adfirmat *Cap.* 23: 3. *utinam ſcirem ubi eum invenire poſſem*; *venirem ad ſedem ejus. Inſtituerem ad Faciem ejus Judicium*; *& Os meum implerem Demonſtrationibus* &c. O incredibilem vim Innocentiæ, tantam confidentiam inſpirantis! Habes *Ibid. Vſ.* 7. eundem flexum 3. *perſ.* mox ad 1. redeuntis. *Ibi Rectus in diſceptationem veniret cum ipſo*; *& in purum putum liberarem me a meo Judice.* Genus loquendi Tragicum indicavi ad *Cap.* 10: 16. Exempla copioſiora dabunt *Eurip. Alceſt.* 690. 719. 736. 1090. 1094. 1128. *Æſch. Sept.* ad *Theb.* 657. &c. Ex *Arabibus* unum alterumve non diſplicebit. Germanum eſt in *Diw. Hudeil.*

ولو جاريتني لمدي بعيد
تجرد لا الف ولا عثور ✿

Si curſu mecum contendas, ad metam diſtantem;
Emicabit neutiquam tardipes, nec lapſator.

18 Ecce, age, inſtruo ut aciem judicium; ſcio me juſtum eſſe; *vel* fore.

19 Quis ille qui litiget adverſus me? nam nunc ſane ſiluero, & expirabo.

20 Tan-

18 הנה־נא ערכתי משפט ידעתי כי־אני אצדק׃

19 מי־הוא יריב עמדי כי־עתה אחריש ואגוע׃

20 אך־

Item in *Hamaſa.*

فلئن بقيت لارحلن بغزوة

تحوي الغنايم او يموت كريم ۞

Si ſuperſim, profecto expeditionem ingrediar
Quæ convehat prædas: aut occumbet Nobilis.

Ubi *Taurizius* يعني بالكريم نفسه وذلك من عادتهم. *Intendit per Nobilem, ſemet ipſum; & hic flexus Arabibus ſolennis.*

Verſ. 17. Recte a Cl. *Schmid.* oſtenſum, non eſſe *invitationem ad novam diſputationem audiendam*, ſed nunc tandem pergi ad id quod. *Vſ.* 3. ſe dixerat facturum. Propior tamen nexus pendet a *Vſ.* 13. ubi quum *ſe Locuturum* dixiſſet, *cum Deoque diſceptaturum*, repentino velut æſtu, ex alto cordis conſurgente, abripitur, magnitudine & mole ſui conatus ipſe quodammodo conterritus, ad eumque fortiter ſuſtinendum ſemet de novo animans conſcientiæ integerrimæ teſtimonio, vel ſub diriſſimo *exitio* felicem tamen *exitum* promittentis. In voce אחוה, a חוה, agnoſco cum Cl. *Cocc. indicationem claram, perſpicuam, minime ambiguam.* Vulgo creditur eſſe *Aramæum* potius, quam *Hebræum.* Lucem fœneratur haud pœnitendam ex *Arabum* وحي, per *metatheſin*, ut pro צוה eſt وصي *injunxit* &c. Hæc alias. Trifariam & ſumitur, & ſumi poteſt, באזניכם.

1. *Et Indicatio mea in auribus veſtris* ſit, ingrediatur. Ut *Merc. Deod.* &c. 2. *Et indicationem meam auribus veſtris* audite, excipite; ut *Vulg. Belg. Cocc. Cler.* &c. 3. *Et indicationem meam in auribus veſtris*, i. e. *in veſtro cœtu, veſtraque præſentia ſuſcipiendam*, cujus vos ſitis tum *Auditores*, tum *teſtes.* Sic *Gen.* 23: 13. *Et locutus eſt ad Ephronem* באזני עם הארץ *in auribus populi.* Iterum *Vſ.* 16. & alibi. Addas 4. licet, *indicationem quam in aures veſtras inſonabo*; ex formula eleganti *Loqui, Legere in aures alicujus*, quam reperies *Gen.* 50: 4. *Exod.* 24: 7. Item *narrare in aures. Exod.* 10: 2. *deponere in aures Exod.* 17: 14. Difficilis optio. Ego duo ultima, ut adfinia, jungerem. Illuc & Cl. *Schmid.* inclinat.

Verſ. 18. Non reſpondet vigori Actionis hujus quod Doct. *Merc.* dat, *ſi inſtruxero judicium.* Optime *Belgæ*, *Ecce nunc, judicium ordine inſtruxi.* Metaph. eſt ab *acie ordinata.* Malim tamen cum Cl. *Schmid.* in *præſenti*, *Ecce, age, inſtruo Judicium, & cum Deo pedem propius confero.* In *ſeq.* אצדק *Merc. Belg.* &c. *ſcio quod juſtus ero*, i. e. *Talis inveniar ab ipſo Deo.* Similiter *Cocc. Quod cauſam obtinebo.* Improbat Cl. *Schmid.* & *præſentis* ſignificationem heic quoque urguet, *ſcio quod ego juſtus ſim.* Addit rationem, *Notum eſſe quod Jobus potius contendat ſe juſtum eſſe, quam Juſtificationem expectet.* Ratiocinatio claudicat, nam cur *tanto* nunc *molimine Judicium inſtruit? niſi ut qui ſe juſtum eſſe ſciebat, etiam Deo talem ſeſe probaret.* Nec tamen directe *Juſtificationem* illam intendi putem, quæ *malis & miſeriis* quoque ipſum abſolveret: ſcopus enim nihil aliud nec poſtulat, nec admittit, quam quod *Juſtitiam cauſæ* eſſet *evicturus, in conſpectu Dei*, atque ita demonſtraturus, ſe *immerito* tantis calamitatibus oppreſſum jacere.

Verſ. 19.

20 אך־שתים אל־תעש עמדי אז
מפניך לא אסתר׃
21 כפך מעלי הרחק ואימתך אל־
תבעתני׃
22 ויקרא

20 Tantummodo duo ne facias
mecum: tunc a facie Tua non ab-
ſcondam me.
21 Volam tuam a me procul a-
moveto: & terror tuus ne me per-
cellat.
22 Tum

Verſ. 19. Animoſiſſima provocatio, quæ non Amicos tangit, quos tacere juſſerat; nec alios homines, quippe a quibus vix meliora judicia expectare poterat; ſed ipſum καρδιογνώστην, quem honoris cauſa non nominat, ſed *Vſ.* ſeq. directius compellat. *Quis ille qui contendat mecum*? Eſtne in terris non tantum, verum vel maxime in cœlis, qui *dicam improbitatis mihi impingat*, non ex *calumnia*, ſed ex *vero crimine*? Hanc poteſtatem in verbo יריב nunc reſidere, res ipſa arguit. Idem intendit Cl. *Schmid.* quum ait ſignificari *contradictionem*, & *oppoſiti defenſionem*, quod eſt, *Jobum eſſe injuſtum.* Etiam *convictionem* jungit, addens, *ita ut contrarium adverſus me obtineat.* Et *Merc.* cum *contentione convictionem* complexus fuerat. Idem Cl. *Clerico* viſum, cui *contendere* eſt *Reum peragere*, & *damnare.* Ego ſubſiſterem in gradu primo *Reum agendi*, & quidem *ex vero*, ut dixi, *crimine*; quæ diſtinctio quorſum pertineat, mox pateſcet. Paulo dilutius Cl. *Cocc. Si quis eſt qui mihi velit actionem intendere, is nunc adſit: Nunc enim adhuc loquor. Mox obticeſcam & animam exhalabo, ut reſpondere non poſſim. Mors enim imminet mihi.*

Ibid. Ultimum Colon eodem nexu, quem Cl. *Cocc.* tenuit, accepiſſe quoſdam *Hebræos*, notatum a Doct. *Merc.* qui *ſubtilius* id cenſet. Eſt hæc *ſubtilitas* R. *Periz.* & *Nachman.* quam & mihi minus placere fateor, varias ob rationes; quas compendia quærens, haud urgebo. Unam tangam, quæ nil moræ feret, quod אחריש *Silebo*, omnino hic valeat *obmuteſcam*, *memet ſilentio perpetuo tradens*, ac *damnans.* Hoc ipſum obſtat quoque *Mercero*, ita exponenti; *Jam enim non poſſum me continere, quin loquar*; *alioqui moriendum mihi ſit*, &c. &c. Sic foret, *nunc enim tacebo*, & *expirabo*; i. e. *ſi tacuero*, *ſuffocabor.* Hoc Doct. *Belg.* amplexi; habetque ſenſum longe commodiorem, quam quod aliis placitum, *Nunc enim taceo & exſpiro.* Officit tamen, quod omnino *obmuteſcam* videatur requiri, vi illa *ſemet condemnantis.* Hanc feliciter attigit Cl. *Schmid.* ſenſu ſic conſtituto, *Nam ſi quis me contrarii*, h. e. *injuſtitiæ*, *convicerit*, *ſpondeo me taciturum*, & *mortem libenter a Deo toleraturum: nec repugnabo quo minus mihi tanquam impio hactenus, mortem inferat.* Conſimiliter Cl. *Cler. Si quis me* reum *peregerit*, *tacebo*, & *me mortem commeritum agnoſcam.* Reponi poſſet, non multum eſſe, ſi *convictus*, & *peractus reus*, *ſilentium promitteret.* Hoc ſcrupulo non gravatur, quod ſupra propoſui, diſtinguens inter *Reum agere*, & *peragere:* unde hæcce facies loci prodit: *Quis ille qui mecum contendat*, veri criminis nomine? *Sane nunc obmuteſcam*, & *exſpirabo.* Si quis ſit, *qui me reum agere poſſit*, ſit vel ipſe Deus, *ab hoc ipſo momento memet tradam ſilentio*, *in eoque abjecta omni defenſione mei expirabo.* כי עתה *Sane nunc*, *Cap.* 8: 6 eodem fere ſenſu. Nimis in univerſa hac contentione ſui ſimilis Noſter, in exceſſu ſcilicet ſuo perſeverans, chordamque magis ac magis intendens. Eſt interim *innocentiæ nullius* ſibi *criminis conſciæ luculentiſſimum* & in hiſce *teſtimonium*, quæ Deum ipſum provocare ſuſtinebat, ad veri nominis crimina ſibi impingenda, indeque Actionem inſtituendam.

Verſ. 20. Ex compellatione hac directa liquet ſub מי הוא *Vſ.* præced. *Numen* comprehenſum fuiſſe. Oſtendit enim ſe ne Maximum quidem illum Adverſarium refugere, ſi modo *Manum plagis gravem*, & *terrorem Majeſtatis inacceſſæ*, amoverit. In phraſi לא אסתר *Non abſcondar*, quæ vim reciprocam hic exerit, pro *non abſcondam memet*, ineſt-

22 Tum voca, & ego reſpondebo: aut ego loquar, & Tu refuta me.

23 Quantum eſt mihi iniquitatum & peccatorum? prævaricationem meam, & peccatum meum, fac me cognoſcere.

24 Qua-

22 וקרא ואנכי אענה או אדבר והשיבני :

23 כמה לי עונות וחטאות פשעי וחטאתי הודיעני :

24 למה

iſeſt λιτίτης, ut ſit, *aperto & erecto capite procedam.* Senſit *Merc.* apponens, *Intrepide comparebo.*

Verſ. 21. Ad *Cap.* 9: 34. nonnulla jam diſcuſſa, quæ huc pertinent; unde liquebit, hic eſſe כף, quod ibi שבט, & rectiſſime exponi *Manum verberantem.* Solide a *Merc. Cocc. Schmid.* refutata criſis *Jarchii* כף in *malum* ſumi haud concedentis, qui propterea ex *Cap.* 33: 7. ubi אכפי legitur, malebat *coactionem ſeveram.* Cl. *Cocc.* & ibi *palmam* ſive *depalmationem:* quo de infra diſpicietur. Ad vim Linguæ obſervo, יד eſſe *totam manum* cum *brachio*, cujus כף eſt pars illa inferior, quæ a *carpo* incipiens, *ſe flecti & curvari patitur ope digitorum.* Plena phraſis eſt כף יד qua & *palma* & *vola manus* poteſt ſignari. Ex hoc fonte etiam dicitur כף רגל *palma pedis*, illa *inferior* & *interior* pars, quæ *flexuram* recipit. Hinc nemini dubium, quin, ut יד ancipitem uſum exerit, ita כף in malum æque ac bonum ſe porrigat. Cl. *Cocc. palmam* hic dat *colaphos inferentem.* Mallem *volam gravi nexu opprimentem*, & *præfocantem*, *ad inſtar Luctatoris.* Sed hæc forte ſubtiliora, quam par eſt; & ut יד, ita כף *plagam* convertiſſe ſuffecerit; abſque ut de *habitu* manus percutientis ſolliciti ſimus.

Verſ. 22. Supremum gradum hic habemus immodici fervoris, quo *Jobus* in defenſionem innocentiæ oppreſſæ ſe abripi paſſus eſt. Nempe optionem quaſi defert Numini, velitne in hac cauſa *Actoris*, an *Defenſoris perſonam* ſuſtinere. Si *Actoris*, ſe *reſpondere paratum* profitetur: alias ſemet *Actorem* ferens, poſtulat *reſponſionem* & *defenſionem* a parte Dei. *Nimiam* hanc *confidentiam* quis negei? ſed ea excuſanda, ex fontibus & cauſis ſæpiuſcule commemoratis. Cl. *Cler.* credit *Libri ſcriptorem* hæc *hyperbolice* adauxiſſe pro more ד משלים *parabolas tradentium.* Mihi vero *hæc*, & *alia loca* conſimilia, manifeſto ſunt indicio *Jobum* ipſum hocce nobis monumentum conſignaſſe; quia nemo tam *ardentes affectus* concipere potuit, niſi qui eoſdem ſubiit, & expertus fuit. Verba קרא *vocandi*, & ענה *reſpondendi* eſſe *Judicialia* omnes, Interpretes hic agnoſcunt. Vide *Cap.* 5: 1. & 12: 5. דבר ſæpiuſcule etiam ſic habuimus; ut *Vſ.* 3. 13. hujus *Cap.*

Verſ. 23. Actoris perſonam ſuſcipit Noſter; Deum rogans quænam ergo ſint *Crimina* illa, ob quæ tam atrocem in modum plectatur, & *Exemplum* conſtituatur *Publicum* juſtitiæ & ſeveritatis Divinæ. Huc ſpectat ille *Catalogus Delictorum*, quem ſibi, tanquam in *Libello*, *conſignari*, & *inſinuari* petit. Non ſine *commotione* & *ironia* quadam ponitur ה׳ כמה *Quotnam*? quaſi diceret: Enimvero *ingens* debet eſſe *Catalogus* ille, qui tot tantaſque plagas in caput meum e cœlo devocavit, quum tamen *nullius gravioris criminis mihi conſcius* ſim. Sane *talia Delicta* eſſe intelligenda, quæ cum *gratia* & *ſincera* in Deum *pietate* conſiſtere nequeant, nemo dubitet, quod tamen magis ex *vi* orationis, quam ex *proprietate* verborum colligendum. Addo *talia* etiam hic intendi, quæ

pœnam

24 למה־פניך תסתיר ותחשבני לאויב לך׃

24 Quare faciem Tuam velo abſcondis? & reputas me in hoſtem Tibi?

25 העלה נדף תערוץ ואת־קש יבש תרדף׃

25 Num folium excuſſum violenter agitabis? & ſtipulam aridam perſequeris?

26 כי־תכתב עלי מררות ותורישני עונות נעורי׃

26 Quoniam ſcribis ſuper me amarores; & hæredem me facis pravitatum pueritiæ meæ.

27 ותשם

27 Et

pœnam judicialem vel *Exemplarem* mereantur; in *qualia* nonnunquam inciderunt pientiſſimi Numinis cultores. His omnibus ſe immunem fert Noſter; neque ex vano; quantumvis limites eum ſupergreſſum haud negem. כמה *Quotnam*, vel *Quantum*? habere *vim minuendi*, diſcas ex *Pſ.* 119: 84. Jam *minuere* in tali ſenſu eſt *negare*; prout & in *Pſalmo* illo, *Quotnam ſunt dies ſervi tui*? ſpecies *negationis* eſt, pro *paucos*, atque *adeo nullos*, *mihi concedis dies* lucis, ac recreationis; qui me uſque & uſque inimicis infeſtandum tradidiſti. Bona, & ad rem facientia, dabit Erud. *de Pined.* Noſter quoque eſt Cl. *Schmid.* Hos conſuli & conferri velim.

Verſ. 24. Ad phraſin *Cur abſcondis faciem tuam*? obſervat Cl. *Cocc.* eſſe *Abominantis* & *averſantis*: additque, etiam *Regem* vel *Judicem* qui amplius *ſecum agi* non vult a Reo, *ſe ex conſpectu abducere*, ad ſignificandum *fruſtra gratiam implorari*. Laudat dein acumen Erud. *de Pined.* qui reſpexit ad morem Judicialem *cortina obducta ſententiam de Reis ferendi.* Hæc aliquid roboris & præſidii acquirere poſſent, per *genuinam vim* verbi סתר, quæ adfert *obductionem veli*, vel *abſconſionem ſub velo.* Quicquid ſit, id certiſſimum, hac locutione indicari *ſubductionem gratiæ*, cum *negatione acceſſus ad thronum Dei*, in quem ſenſum notiſſima extant loca. *Reputare pro inimico* eſt pro *hoſte*, & *perduelli*, *graviſſimis pœnis adficere*, & *ad exemplum improborum eradicare probum Numinis cultorem.*

Verſ. 25. Grandes figuræ, quarum ſenſus non omnibus idem. 1. Nonnulli *folium excuſſum*, & *ſtipulam aridam* retulere ad *ſenectutem aridam* & *enectam*, quam ita *perſequi* & *prægravare* non deberet Deus. 2. *Fragilitatem* & *miſeriam naturæ humanæ* poſt Doct. *Merc.* malunt plurimi; quaſi idem plane foret argumentum, quod *Cap.* 14. ulterius deducetur. 3. Cl. *Schmid.* ex *Vſ. ſeq.* preſſius refert ad *communem miſeriam vitæ humanæ ob peccata infirmitatis*, ſeu *juventutis:* quaſi innueretur, *Deum videri poſſe duplici caſtigatione peccata infirmitatis adficere*, *ſi folium*, jam *impulſum*, violenter *exagitet* &c. Idem voluiſſe putem Cl. *Cocc.* cujus commentatio hic paulo obſcurior: uti quum ait hoc *Vſ.* contineri *ſeparationem a vita*, & *Jobum* ſe comparare *folio decuſſo*, quod non poteſt iterum *arbori*, unde *vitam* habuerat, *uniri*, ſed *in terram prolapſum areſcit*; quale *folium* inſuper *quatere* non conveniat. Vel non intelligo hæc, vel intelligitur per *ſeparationem a vita*, *communis mortalitas*, *ob peccatum introducta:* per quam inſtar *folii decidui* & *ſtipulæ arentis* properamus ad ultimam illam conſumtionem mortis. Sic Emblemata noſtra pulchre concinunt cum *Vſ.* 28. עלה נדף *folium excuſſum* reddere malim, quam *decuſſum*; quamvis tenue ſit diſcrimen. Proprietas nempe thematis نـدف infert *jactationem*, & *impulſionem* conjunctas, ut quum *ſub vento vehementiore folia* non tam *decutiuntur*, quam per aërem *excutiuntur*, & *diſſipantur.* Sic *Folium excuſſum*, & *per aërem rotatum*, excellentem præbet imaginem *miſeri mortalis*, *triſtes* peccati *ſequelas quotidie experientis in vita*, *ventis ordinariis* perpetim *obnoxia*; quam proinde non conveniat *turbinibus* & *tempeſtatibus extraordinariis exagitari*, ſi nulla cauſa talium

Judiciorum Deo ſcelerum vindici præbeatur. Sic plenior panditur conſpectus; quem & *ſtipulæ aridæ*, ab omni aura *impulſæ*, applicare promtum. ערץ *Exagitare violentius*, & רדף *Perſequi*, *a tergo premere & urgere gravius*, quilibet cernit quadrare in *turbines ſæviores folium*, *ſtipulamve*, *diſpellentes*, & *conterentes*. Doctiſſ. de *Pined. ſtipulam aridam* nimio vexat acumine; in *Folio* magis ſobrius ſolidusque. Ejus tum *Commentar.* tum *paraphraſin* contuliſſe operæ pretium erit.

Verſ. 26. Aliquid profundioris mentis in gemino membro. Prius vulgo redditur, *Quoniam ſcribis contra me amariſſima*, vel *amaritudines*. Id Doct. *Merc.* valet, *acerba & atrocia in me decernis*, *dum me ita graviter adfligis*. Addit *metaph.* eſſe a *Judice ſententiam perſcribente*. Dein adducit opinionem *Hebræorum*, qui *Crimina* & *rebelliones* notari volunt, quas a *Jobo* commiſſas diligenter *ſcripſerit* & *annotarit* Deus, omiſſis ejus bene factis; quaſque nunc e *ſcripto* proferat ad eum condemnandum. Id merito rejiciens, mox tamen ex parte admittit, cum *acerbis decretis* copulans *crimina*, quæ *decretis* occaſionem dent. Mirum! quum in eo ſit Noſter, ut *Crimina admiſſa* acerrime neget. Erud. *de Pined.* quatuor ponit *Amaritudines*, 1. *pœnas acerbas*. 2. *peccata irritantia*. 3. *indignationem amarulentam* Dei. 4. *Mortem amarulentiæ plenam*. Has omnes ideas in *Paraphraſin* non optimo conſilio intexuit. Si *Scribere* hic eſt *decernere*, *Amarores* nil aliud ſignificare poſſunt, quam *plagas amarulentiſſimas innocenti inflictas*, quas *Piſc.*, *Belg. Cocc.* aliique tenent. Huic ſententiæ rationes quaſdam leviores oppoſuit Cl. *Schmid.* quæ me ab ea non retraherent, niſi *gravior figura*, quam vir ille Doctiſſ. adfert, me in ejus partes pertraheret. Ei *ſcribis ſuper me amaritudines* eſt *inſcribis ſtylo*, & *inſculpis* quaſi, ita ut *deleri* non poſſint: h. e. ut *nullam* habeant *intermiſſionem*, ſed *continuentur* & *durent*. Addit, *non abſimile eſſe*, *quamvis aliud ſit*, *quod Deus dicatur aliquem ſuper manum ſuam ſcripſiſſe*, *ad conſtantiam memoriæ ſignificandam*. Reſpicit locum inſignem *Eſaj.* 49: 16. *ambabus palmis inſculpſi te*; quem tamen *abſimilem ſatis* alii forte judicabunt. Saltem ſi nihil aliud ad manum eſſet, quod *pulchram* hanc *expoſitionem* firmaret, iſta collatione parum moverer. Omnino alluſum, admiſſa hac figura, ad *Notas ignominiæ publicæ*, *noxiorum* vel *tergis*, vel *frontium*, *impreſſas*, & *inſcriptas*. Hoc *Græcis* γράφειν ϛίγματα, ἐγγράφειν &c. *ſtigmata inſcribere*; unde *inſcriptos vultus* elegantiſſime *Plin.* dat ſervis, *inexpiabili literarum nota per ſummam oris contumeliam notatis & inuſtis*, ut *Val. M.* loquitur *L.* 6: 8, 7. Id *ſcripto vultu notas tolerare* vocat *Auſon.* Hæc & alia *Lipſ. Elect.* 2: 15. copioſius: quibus addas velim quæ in *Lib. de Def. p.* 176 congeſſi ad illuſtrationem *Deut.* 28: 61. *omnem plagam graviſſimam ſignabit ſuper te Dominus.* Sic a primaria notione verbi עלם locum illum vertendum eſſe *Ibid.* oſtendi, alluſione ad *ſtigmata* hæcce *ignominioſa*, quæ *Servis*, & *noxiis capitibus*, *inſcribebantur*. Dirum illud & atrox nunc intendiſſe Noſtrum, vix ambigi poterit, ſi redeatur ad *Cap.* 10: 15. & 11: 15. Vero tamen & priorem interpretationem; nec judicia contemnam vel præferentium eandem; quia revera luculentum fundit ſenſum *ſententiæ irrevocabiliter decretæ*, *perſcriptæ*, *promulgatæ ſuper Jobum*; non enim reſpicitur ad *Librum decreti æterni*, ſed ad *ſententiam pro Tribunali ſcriptam*, *pronunciatamque*, tanquam *in Caput noxium*, in quod *Exemplum* ſit *ſtatuendum*. Sic *Arabibus* كتاب כתוב *Scriptum* pro حكم *Sententia Judiciali* protritum: ut exputare nequeam quid viderit Cl. *Crom.* quum ait, *ſignificationem ſcribendi hic nullum parere ſenſum.* Sic ſolemus, quando aliud quid commendatum volumus: prout Vir *Doctiſſ.* hic adfert كتّب *congregavit diſpoſuitque in turmas* equitem, & كتيبة *Exercitus*, *cohors equitum:* quaſi eſſet, *congregas & diſponis contra me amaritudines*, turmatim videlicet invaſuras, ut *Cap.* 19: 12. Eſt conatus doctus quidem ille, ſed minus aptus ſedi noſtræ. Sciendum inſuper, a *Scribendo* & illas notiones fluxiſſe; quatenus *exercitus ſcribitur*, ſive *conſcribitur*; itemque *deſcribitur*, id eſt *diſponitur* & *ordinatur*. Sic *ſcribis ſuper me amaritudines* valeret, *tanquam exercitum colligis*. Hoc quamvis alibi pulchre ſederet, hic tamen minus commodum: nec-

cum.

27 ותשם בסד רגלי ותשמר כל־
ארחותי על־שרשי רגלי תתחקה׃

28 והוא

27 Et ponis in cippo pedes meos; cuſtodiaque includis omnes vias meas: ſuper radicibus pedum meorum notas ſculpis.

28 At

cum utro tandem cumque eorum, quæ exhibuimus, comparandum.

Ibid. Sepoſitum merito a *Merc.* *Exhæredas me peccatis pueritiæ*, vel *depauperas:* cui vicinum illud *Vulgati*, *conſumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ.* Verum quidem eſt, הוריש nonnunquam vertendum venire, *expulit ex hæreditate*; ſed *ſtructura* parum favet, niſi *Arabiſmum* adſciſcas, per quem עונות in *Nomin.* ſic ordinari poſſet, *Et expellunt me poſſeſſionibus meis iniquitates pueritiæ.* Sed vel ſic languidior manet ſenſus. Grandius, *Et hæreditare me facis iniquitates pueritiæ.* Hoc duplicem ex natura Linguæ recipit adſpectum. 1. *Facis me hæredem earum.* 2. *Eas facis hæredes meos*, *ut me ſuo velut jure occupent*, ac *poſſideant.* Prius bene enucleatum a Cl. *Schmid.* q. d. *facis mihi pœnam peccatorum infantiæ obtingere quaſi hæreditatem durabilem & perpetuam.* Non etiam alienum, quod ad *malum hæreditarium ex corruptione naturæ oriundum* reſpici autumet. Eodem collineat Cl. *Cocc.* ad *malitiam infanti a teneris unguiculis adhærentem* hæc extendens, *quam dignam eſſe ira Dei agnoſcant Viri ſancti.* Illuc ſane adſcendendum, patet ex ſcopo, qui eſt, evincere ſe *immerentem plecti.* Hac de cauſa nunc commemorat *crimina quæ imputare non ſoleat Deus ſecundum rationes fœderis gratiæ*, *ad pœnam* a fidelibus propterea *ſumendam.* Nimis utique dilutum, ut *peccata juventutis* vel *pueritiæ* ad *minuendum* poſita credantur, qualia *diſſimulari* & *ſub venia tranſmitti* par ſit. Dilutiora quoque, & duriora paulo, quæ hic dat Doct. *Merc.* præſertim illa, *Nec ſatis habes aſſumere peccata ſenectutis*, *aut juventutis*, *vel adoleſcentiæ*, *ſed*, *ſi & ea ſatis non ſint ad me pro animi tui voto puniendum*, *adjungis inſuper veterrimas offenſas*, *quibus te jam inde a puero offendi*, *quas jam remiſiſſe te oportuerat e memoria tua oblitteratas*, & *quæ mihi prope memoria exciderunt.* Talibus argumentis cauſam ſuam parum ſuſtinuiſſet Noſter; qui nimis ſane ſibi indulgens, nihil aliud in ſe vel *culpandum* vel *puniendum* nunc agnoſcit, quam quod vi fœderis gratiæ omnibus ex æquo fidelibus eſt remiſſum, nec in *materiam Judiciorum* ipſis imputari ſoleat. Senſum ergo hunc eſſe dixerim. *Qui adoleſcens*, *juvenis*, *vir*, *ſenex*, *ſincerum Tibi cultum præſtiti*, *cur* tandem *nunc ut Noxium caput exſcindor*? *Credo equidem ob corruptionem naturæ*, *quæ puero naſcenti inhæſit*; *quamvis per gratiam fœderis id malum mihi non ſolum remiſſum cenſuerim*, *verum etiam in me poſtea edomitum ſit*, *ſubactumque.* Sentis quod *Actoris* & *Poſtulatoris* perſonæ haud diſconveniat. Diſcere hinc licet, ætatis *robur* non tantum, ſed & *florem* primum, a Noſtro conſecratum fuiſſe *Religioni*, ac pietati, intactæ ab omni macula, delictive gravioris conſcientia: quod ipſum tantam ei fiduciam cum Deo diſputandi inſpiravit. Eundem ſenſum poſterior quoque conſpectus præbebit; ſi is forte magis adblandiretur: *Facis ut pravitates pueritiæ meæ me hæreditario jure veluti invadant*, & *onere maledictionis obruant.* Grandior ſic exiſteret figura, & ſententia forte adhuc uberior. ſed ἐπέχω; remque in medio relinquo. *Bolducii* conatus, *Et poſſidere facis me*, tanquam *iniquitates*, *pueritias meas*, coactior, quam ut in cenſum venire poſſit.

Verſ. 27. Magna opinionum diſtractio. *Prima* & *vulgatiſſima* eſt, ad *pœnam*, & *ſevera exempla vindictæ* hæc pertinere. *Secunda*, notari *exactiſſimam diligentiam*, *qua* Deus *Jobi vias obſervare ſolitus ſit*; & *tranſgreſſiones punire*, quæ *gratioſæ conniventiæ*, & *indulgentiæ*, opponatur. *Tertia*, in bonum *allegoriam* hanc exponit, quaſi *ſe innocentiſſimum eſſe* probaret Noſter ex eo, quod Deus *ipſi præceptorum ſuorum vincula & repagula circumdediſſet*, *ne ab officio unquam diſcedere vel auderet*, *vel poſſet.* Poſterius admodum contortum eſſe nemo non ſentit; refutatumque a Doct. *de Pined.* Media ratio placuit *Hieron.* itemque *Coccejo*, qui cenſet *Cauſam ad-*

flictionis Vſ. 25. propoſitæ ſubjungi geminam; *peccata juventutis* nempe *Vſ.* 26 & *quotidianam converſationem Vſ.* 27 quam Deus *accuratiſſime obſervet*, ut noſcat *qua eatur*, & *quousque*, & *quot ponantur veſtigia*: quæ *obſervatio* Deum *moveat ad compedes*, *anguſtiamque*, & tot *mala injicienda*. Similiter fere *Vavaſſ. Pulcherrimus locus ex quo intelligitur, quam accurate & ſevere agat nobiſcum Deus, ſpeculator omnium actorum, criminumque vindex.* Idem adſpectus arriſit Cl. *Guſſ.* ſub voce סד, ubi accedit *Ab. Eſræ* vertenti, *Et poſuiſti in calce pedes meos*, ut *veſtigia* nempe mox notari poſſint. Hæc acute quidem cogitata, ſed a ſcopo aliena; nam ſic *Jobus* ex parte ſaltem ſeſe *ſontem* agnoſceret, quum ſe *inſontem penitus*, pro *noxio* plecti, & *infamibus ſuppliciis mactari*, conqueratur. Cl. *Cler.* cum *Vſ.* 28 nexuit, *quaſi ſe in lignum diceret* Noſter, *quem ſumma Dei Majeſtas ſic obſervaret, & inſectaretur.* Id etiam a ſcopo deflectit. Apparet *primæ* ſententiæ accedendum eſſe, ſi non noſtram, ſed *Jobi* mentem volumus. Necdum tamen res in vado; quum ad ſingulas iterum phraſes fluctus oriantur.

Ibid. Durum, quod in priori colo *Ab. Eſra* cum *Chald.* ἅπαξ λεγόμενον סד reducat ad cognatum סיד, *Calx*, ut *ponere pedes in calce*, ſit, *eos in calcem intingere*, ut *greſſus & veſtigia* appareant. A *Mercero* aliiſque omnibus ſpretum, revocavit Cl. *Guſſ.* ut *Dialectis* haud indigeri efficeret ſcilicet: quum ex *Syriaca* firmaſſet *Merc.* notionem *compedis* aut *cippi*; ut *Hott.* ex *Arab.* سدّ. Inde شيد *gypſus*, *Calx*, multum diſtat. Pro *Compede*, *cippo*, *nervo*, unanimi conſenſione reliqui cum *Judæi*, tum *Chriſtiani*, ſtant; quibus fidem adſtruit سدّ סדד apud *Arabes* ſervatum ſignificatione *obſtruendi*, & quidem *obice graviore*, & *inſuperabili.* Id a Clar. *Hott.* & *Opit.* jam obſervatum, neſcio cur ſeponatur a Doct. *Crom.* ad شدّ *conſtrinxit* potius reducente; quum alterum illud ſit fortius. Hinc ergo سد *obſtructio & oppilatio per magnam molem facta*; & *ipſum* illud *obſtaculum* quod *tranſitum*, *exitumve*, *præcludit penitus.* Varias Gloſſas ſub hac voce apud Cl. *Golium* extantes hinc explanare pronum; quippe quæ omnes redeant ad *Obicem vias*, *exituſve*, *præcludentem*. Quid jam promtius? quam in *Voce pedibus addito* cogitare *Nervum*, *Cippumve* illum, *quo pedes furum* ſolebant *vinciri*, ut *quadrupedes* quaſi *conſtricti* jacerent. Hunc ſenſum poſt *Merc.* illuſtrarunt *de Pined.* & *Bolduc.* quibus lubens aſſentior, quia hic recenſeri videntur *Pœnarum exempla noxiis infligi ſolita*; quod vel maxime *Jobi* conſtantiam concuſſiſſe, acerbiſſimaſque has querelas concitaſſe, ſæpe inculcatum. Idem ergo nunc סד quod ſupra סוגר *Collare vinculum*, *Cataſta*: de qua *Cap.* 11: 10. & 12: 14. Alluſum quoque putatur a *de Pin. Schmidio* aliiſque, ad *mala*, & *ulcera pedum*, quibus tanquam *Compedibus* conſtrictus tenebatur; quod naturæ *Emblematis* ſic ſatis convenire videtur.

Ibid. Alterum membrum non de *Obſervatione greſſuum* capiendum; ſed continuata *allegoria*, de *cuſtodia* per *obices* & *repagula*; ut rectiſſime obſervatum a *Merc.* ex *Cap.* 7: 12. ubi משמר talem vim exerit. Figuram clariore adhuc luce adfecit *Erud. de Pined.* collato *Thren.* 3: 5, 6, 7, 10. Tantundem proin, *Cuſtodis omnes vias meas*, ac, *Cuſtodia rigidiore omnes ex tuis tenes obſeſſos*, & *obſtructos*, ne ullo pacto *ex* his infinitis *miſeriis elabi* detur. Eodem tendit R. *Levi* תשמר in 3. *fœm.* referens ad סד *Cippum*, quod tamen, ut & תתחקה illuc ab eodem relatum, nimis durum & ego autumarem. Adiſis Cl. *Schmid* qui סד *maſculinum* pronuncians, *Analogiam* magis conſulere potuit, quam *Exempla*, quum non occurrat, niſi in *parall. cap.* 33. *Arabes maſc.* enunciant סד سدّ, *fœmin.* סדה سدّة *porta*, proprie *obſtaculum.* Item *Oppilatio* & *obſtructio omnis*, *exitum negans*: ut apud *Avicenn.* سدّة حجارية *obſtructio lapidoſa &c. &c.*

Ibid. Creſ-

Ibid. Creſcit difficultas ad verbum rarius תתחקה. *Pagn.* ſecutus *Ralbagum in* 3. *perſ.* dedit, *& ſuper radices pedum meorum impreſſus eſt* cippus ille. In 2. *perſ.* Alii, *imprimis temet*, & *inſculpis* quaſi; *me adfligendo.* Ita & *Merc.* non enucleans ſatis vim locutionis, quam *Doct. Belg.* tractam cenſent, ab *inſtando*, & *inſtantiſſime premendo*, ut quaſi *veſtigia veſtigiis terantur.* Cl. *Cocc.* nimis profecto tenuiter, *Ad radices pedum meorum facis tibi notam*, i. e. *annotas omnia veſtigia mea.* Novo exemplo Cl. *Schmid. ſuper radices pedum meorum te circumducis:* qui *falſum* vocans *principium* reliquorum interpretum, חקח cum חקק *ſculpſit* conferentium: ex *diligenti conſideratione locorum* 1 *Reg.* 6: 35. *Eſech.* 8: 10. *Circumducendi* vim ſibi placere oſtendit. Mihi iſta notio non tantum precaria, ſed & valde incommoda videtur. Mitto loca citata: & rogo quid lucis aut gratiæ habeat illud *circumducis te?* Vir Doctus id explicat, *Circumdas per te ipſum pedes meos & veſtigia eorum, quibus inſiſtunt, ut loco ſe movere non poſſint.* Addit, per *Radices pedum illam partem notari, per quam homo ſtans terræ adfixus eſt, ſicut arbor per radices cohæret cum terra. Has jam radices ipſum Deum dici ita circumdare & tenere, ut a terra avelli nequeant.* Hæc applicat deinde ad morbos *Jobi* qui ipſum uni velut loco adfigebant; atque adeo ad *pedes tumoribus & ulceribus graves.* Ego *Radices pedum* ad iſtam ſubtilitatem adhibitas non perſuadeor; ut nec, *Circumducere ſe ad radices pedum* alicujus, poni poſſe pro *aliquem immobilem reddere, & pedibus captum.* Cl. *Cler.* aliquid ſimile alia ratione hinc exſculpſit, *Radices pedum meorum circumſcribis* i. e. *vetas me progredi extra certum ambitum, quem in pulvere ſignas.* Eſt conjectura plauſibilis, accedens ad id, quod *Belgis* viſum fuit. Deſidero tamen adhuc gravius quid; quod *Radicibus pedum*, id eſt *plantis*, *cum cruciatu acerbo infligatur.* Hoc bifariam inveniri poſſet. 1. Ut Deus dicatur *iſtum nervum tam vehementer pedibus adſtrinxiſſe, ut inde graviſſimi dolores extiterint*, qui *Radicibus* ipſis *pedum* quaſi *impreſſi* fuerint & *inſculpti.* Hoc intendiſſe putem Doct. *Merc.* & R. *Salom.* Id ſaltem voluit Cl. *Guſſ.* qui ſub בנה Radici חקה tribuit vim *Cælandi*, quum *eminent figuræ*; unde hic adfert *impreſſionem firmiſſimam* Eandem vim intendere debuit R. *Levi*, in 3. *fæm.* verbum noſtrum cum סר *Cippo* connectens. Ita χαράττειν pro *altius infigere dolores*; qui cothurno Tragico efficiunt αὔλακας & ἄλοκας, *ſulcos*, unde porro αὐλακίζειν & ἀλοκίζειν *ſulcare*, pro *lacerare*, *laniare* unguibus &c. Sed 2. figuratius adhuc aliquid ſubeſſe ſuſpicor, ad quod præluſit mihi *Nachmani.* a חק *ſtatutum*, *decretum*, reddens: *Ponis decretum ſuper radicibus pedum.* Intellige *Pœnam atrociorem decreto Judicis inflictam.* Id prima fronte alienius. Sed forte incipiet placere, ſi attendamus ad *pœnas ignominioſas ſervorum*, *noxiorumve*, hic alludi; inter quas & nunc, & olim, *verbera plantis pedum incuſſa*, in caput dejecto Nebuloni, *Nervo* interim quadrupedem eum *conſtringente.* Ad hoc *ſervile ſupplicium* pingendum aptiſſima eſt imago noſtra, *ſuper Radicibus pedum meorum ſententias tuas ſculpis*, *ſignas*, *imprimis*, *admota mihi fuſtigatione inclementi*, & *diriſſima*, *ſub qua video inſonti miſero miſerrime fore exhalandum.* Habes figuram *ex Ancipiti* multo illuſtriſſimam, quæ geminam vim radicis חקק, in *ſculpendo*, & *ſtatuendo*, vel *decernendo*, decenter conjungit. Dubitari tamen poſſet, quamvis חק *ſtatutum* cum משפט *Judicium* unam intret ſedem, an ut poſterius, ita & prius, uſum *Pœnæ* divinitus *ſtatutæ*, & *decretæ*, induxerit. Si iſte ſcrupulus moretur, licebit ſubſiſtere in *priori adſpectu*, qui adfert *Plagas Radicibus pedum altius impreſſas*, & *quaſi inſculptas*; & quidem *cum ignominia publici ſupplicii*, ad exemplum & terrorem delinquentium. Suppoſui cum reliquis *Interpr.* excepto *Schmid.* חקה idem eſſe quod חקק, & התחקה poſitum pro תתחוקק, quod ex *Dialecto Arabum*, uſuque *radicis* حقي ulterius commendari poſſet, qua *dolores & tormina ventris* &c. ſignantur; a χαράττεσθαι, ut videtur. Sed hæc alias. Adfectui inflammato *Jobi*, atrox hocce *Schema* reſpondet planiſſume. Ultra conjecturam tamen hæc valere nolim; quam Alii adductis aliunde præſidiis firmabunt.

 Ibid. Si-

28 At ipſe tanquam putredine veteraſcit; ut veſtem abſumit eum tinea.

28 והוא כרקב יבלה כבגד

אכלו עש׃

Ibid. Si tamen nimis forte Tragica videatur figura *Faſtigationis in Nervo*; cui etiam nonnihil officit medium membrum; poſſet ſenſu latiore סד accipi pro *obſtructione*, ſive *anguſtia* undique *oppilata*; quam Deus dicatur *cuſtodia arctiſſima clauſiſſe*; ubi inter *ſpinoſa* & *ſcrupoſa verſans luctanſque* Noſter, *Radices pedum diſcerptas* ac *dilaniatas* habebat. Hoc *Græce* efferri poſſet τὰς ῥίζας τῶν ποδῶν μου χαράσσεις, *ſcindis*, & *laceras*. Ita hoc verbo uſus *Pind. Pyth.* 1: 55.

——— στρωμνὰ δὲ χαράσ-
σοισ᾽ ἅπαν νῶτον ποτικεκλιμένον κεντεῖ

—— —— *Lectus vero ſcul-
pens, totum dorſum acclinatum pungit.*

Ubi *Schol.* χαράσσοισα, ἐπιξύουσα, ἐπινύσσουσα. ὁ δὲ νοῦς, τὸ ὑπεστρωμένον ἔδαφος κεντρῶδες, καὶ ἐπιξύει τὸ τοῦ Τυφῶνος νῶτον. *Sculpens* eſt *radens & compungens. Senſus eſt: ſolum ſubſtratum eſſe acutum, & radere tergum Typhonis.* Hanc imaginem *viæ aſperæ*, *obſeptæ*, *occluſæ* undique, habes *Thren.* 3: 5, 6, 7. 10, 11. ubi notanter, *vias meas fecit rebelles* i. e. *aſperrimas*; *& dilaceravit me*; *pedes* videlicet & *corpus pungens*, ac *lanians*. Adde *Job.* 19: 8. & *Hoſ.* 2: 8. *Allegoria* hæc *Arabibus* per eſt familiaris; unum promo ſpecimen ex *Diw. Hud.* in deſcriptione *Hominis adverſa fortuna preſſi*, ubi inter alia, *Anni contraxere in arctum ejus greſſus*, فالهنسان

معا دام ومنكوب

Plantæque ſimul ſanguinant & claudicant. Confer *Cubile glarea inſtratum Conſ.* 3. *Harir. p.* 137. & *ſcrupis calceari p.* 140. 141.

Verſ 28. Quem deſignet הוא, *ipſe*, ambigitur. *Jun.* & *Trem.* traxerunt ad אדם *Cap.* 14: 1. *Vatabl. Merc.* aliique retrahunt ad *Vſ.* 25. ut ſit, *illud folium propulſum.* Addit tamen *Merc. illud corpus*, ut *Piſc. iſta caro* placebat. *Doct. Belg* referunt ad *ipſum Jobum* qui *ſemet digito monſtrarit.* Similiter *Cocc.* δεικτικῶς *Homo*; vel, *ſe ipſum indigitat.* Cl. *Schmid.* ad *Radices pedum* reduxit, ſenſu tenui & coacto, quaſi eſſet; *Quum tamen quævis* earum radicum *ſicut putredo veteraſcat.* Mos Tragicus a 1. ad 3. *perſ.* & viciſſim, tranſeundi, litem dirimet. *Eurip. Alceſt.* 690.

Μὴ θνῆσχ᾽ ὑπὲρ τοῦδ᾽ ἀνδρός, οὐδ᾽ ἐγὼ πρὸ σοῦ

Ne moriaris pro hoc viro, neque ego pro te.

Ibid. Vſ. 719.

Εἴθ᾽ ἀνδρὸς ἔλθοις τοῦδέ γ᾽ εἰς χρείαν ποτέ

Utinam Hoc Viro indigeas aliquando.

Id eſt, *Me.* Iterum *Vſ.* 736.

—— οὐ γὰρ τῷδ᾽ ἔτ᾽ εἰς ταυτὸ στέγος

Non enim Huic ibitis ſub unum tectum.

Ubi *Barnes.* recte vertit *Mecum*, monens τῷδε poſitum pro ἐμοὶ, *Mihi*, δεικτικῶς. Item *Vſ.* 1090.

Οὐκ ἔστιν ἥτις τῷδε συγκλιθήσεται

Nulla eſt quæ cum Hoc cubitura ſit.

Id eſt, *Mecum*, ut *Scholiaſtes* ibi quoque ſubmonet. Sequens כרקב Cl. *Cocc.* dat, *ut putredine veteraſcit.* Eleganter. Fortius quidem, quod *Merc. Schmid.* & reliqui habent, *ſicut putredo*, i. e. *ut putridum quid*; quin figuratius adhuc, *ut putredo ipſa*; *nihil aliud quam mera putredo reputandus.* Prius tamen neſcio qua vi blandiore me retinet. Adfixum in אכלו refertur a pleriſque ad *veſtem*, ut ſit, *& tanquam veſtis quam conſumit tinea.* Maluit Cl. *Schmid.* & *ſicut veſtem comedat illam tinea*, iterum *Radicem pedum* reſpiciens. Limpidius ei ſtructura hæc fluxiſſet, ſi הוא *ipſi Jobo* applicuiſſet. Hinc jam ad *Cap.* 4: 19. *nota quinta*, propoſui. *Et ut veſtem, depaſcitur eum ti-*

tinea. Ibidem ſub hac imagine oſtendi comprehenſam eſſe, *Lentam*, *moleſtam*, *gravem*, *omni hora*, *omni momento incumbentem vim mortalitatis*, *quæ hominem*, *etiam dum corroboratur*, *deterit*, & *depaſcitur*, *tanquam ſuometin ſinu.* Si ſic *Emblema* hoc adſpiciamus, כרקב commodius dabitur *ſicut putredine*; ut רקב cum עש conſtituat *cauſas exedentes*, ad exemplum *Hoſ.* 5: 12. *Ero ut* עש *Tinea Ephraimo*; & כרקב *ut putredo Domui Judæ.* Suſpicor רקב *putreſcere* in *Ligno*, & *oſſibus*, ex *Origine* ſua valuiſſe *Corrodi*, *erodi*, & quidem a *vermibus* qui νύξουσι *pungunt*, *forant*, & *forando exedunt.* Certe רקם eſt νύζειν, quod ad *puncturas* & *picturas veſtium Phrygiarum* tranſlatum, ut רקב ad *puncturas corrumpentes* inclinavit. Literæ ב & ם ut unius organi, facile inter ſe permutantur. Fallit tamen forte conjectura hæc: quam recipi nolim, niſi major firmitas ei accedat. Id tamen ſat evidens רקב non tam *putredinem*, vel *Rem putridam* ſonare, quam *vim corrumpentem*, & *erodentem.* Sic *Hab.* 3: 16. *venit* רקב *in oſſa mea.* i. e. *Vis lenta tabe erodens* & *conſumens.* Item *Prov.* 14: 30. *Job.* 41: 19. עץ רקבון *Lignum putredinis*; vel potius *roſione foratum* & *exeſum.* Sic completiſſima naſcitur imago, *Et ipſe ſicut eroſione putrida atteritur*; & *ut veſtem comedit eum Tinea.* Recte obſervatum, *Et ille*, tantundem eſſe ac, *At ille*; *quum tamen ille*: Nempe in tam miſeram conditionem ſit natus, *ut etiam cum maxime viget*, *floret*, *nitet*, *inſtar veſtis ſpecioſæ*, *vermem erodentem in ſinu gerat*, *ejuſque perpetuis ictibus conteratur.* *Ergo par non eſt*, *ut Extraordinariis* Idem *plagis conficiatur.* In hanc conſequentiam *Cap. ſequens* novo impetu directum.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Verſ. 1. אדם ילוד אשה קצר ימים ושבע־רגז׃

2 כציץ

Verſ. 1. Homo, natus mulieris, brevis eſt dierum; & ſatur trepidi tumultus.

2 Ut

Verſ. 1. Graviſſimis iterum verbis, ſententiiſque, ingreditur *Jobus* in *Deſcriptionem miſeriæ*, quæ *vitam* noſtram *meram conſtituit mortem*, & *onus haud ferendum*, etiamſi *nullis plagis pœniſque extraordinariis aggravetur.* Urguet quoque denuo *momentaneam* eſſe hanc *vitam*, quae ubi fugerit, *revocari* nequeat; *longa* & *perpetua nocte* Functos *detentura*; quæ ſpem reditus & inſtaurationis non tantum adimat; ſed omnem quoque communionem cum hujus ſeculi rebus penitus extinguat. Hæc *Tragice* ſimul & *criminoſe* exaggerantur, non tam Ratione, quam Adfectu, loquente: ut accidere neceſſe fuit illi, qui Deum *in judicium vocare* ſuſtinuerat. Colligas hinc, eos quoque non tam *rationem* ſequi, quam *adfectum*, qui ex hiſce dictis conficere volunt, *animarum immortalitatem*, & *Reſurrectionem mortuorum*, iſtis adhuc temporibus incognitam fuiſſe. Iſti præjudicatæ opinioni ad hoc Caput potiſſimum occurrendum erit, quum multa in eo proſtare haud negem, quæ illuc tendere videantur, ſi a nexu & ſcopo abſtrahantur. *Nexus* exigit perpetuam criminationem: *Scopus* eſt, vincere, *durius tractari hominem quam par eſt*; *ſi ejus miſerrima mortalitas*

non-

2 Ut flos emicat, & excoquitur: fugitque ut umbra, & non ſubſiſtit.

3 Etiam ſuper hunc apertos vibras oculos; & me adducis in judicium Tecum.

4 Quis

2 כציץ יצא וימל ויברח כצל ולא יעמוד :

3 אף־על־זה פקחת עיניך ואתי תביא במשפט עמך :

4 מי־

novis oneribus prematur. Sentis, credo, inter tales tragœdias mirum non eſſe, ſi altiſſimum de *Reſurrectione mortuorum* & *vita æterna* ſilentium agatur: cujus *fides* ſi has *conteſtationes* non admittat, omnes *querelas acerbiores fidelium* eadem conſequentia onerari neceſſe erit. Ceterum *tranſitus in novum* hoc *Caput* admodum concinnus; ex quo evidentiſſimum eſt, in *præc.* הוא *ſemet* ita Noſtrum deſignaſſe, ut ſimul communem *mortalitatem* ſignificaverit: quod enim Cl. *Schmid.* a *pedibus*, ad *totius hominis miſeriam pergi* dicat, frigidum eſt & inconcinnum. Reliqua Viri *Doctiſſ.* bene ſe habent, ad quem remitto. De רגז redeatur ad *Cap.* 3: *vſ.* 17.

Verſ. 2. Pulchræ imagines. Harum *altera* offert *floridam* quidem illam, ſed *evanidam*, & *deciduam ſpeciem*, cui *breviſſimam* natura dedit *horam*. Minus *luminoſa*, ut ſic dicam, *altera*, exhibet *obſcuram* non minus, quam *vanam*, *fugacem*, *momentaneam leviſſimæ ſpeciei apparitionem*. Hæc copioſe deduci poſſent, ad *Humanæ vitæ miſeram conditionem* vivis coloribus pingendam. Sed ad talia digredi haud licet. In priori emblemate ציץ *Flos* nomen habet a *nitore vibrante*. יצא *exit* proprie *emicat*. ימל aliis eſt *fut.* in *Kal.* a נמל, idem cum מול, ut ſit, *ſucciditur*, *decerpitur*: aliis *fut.* in *Niph.* a poſteriori illa *Radice*, per *Anomal.* pro יִמּוֹל. Cl. *Cocc.* in *Lex.* ſub נמל ait eſſe in *fut. Niph.* tanquam a מלל, quod eadem tunc poteſtate veniret cum מול. Mihi iſtud *carpitur* nonnihil ſuſpectum fit ex eo, quod pro *areſcere*, & *marceſcere*, poſitum velint Doctiſſ. *Interp.* Ita ad exemplum *Merceri* Cl. *Schmidius*; *ſuccidi flos dicitur non tantum ab homine, ſed etiam ab æſtu.* Fateor *emarcidam areſactionem* hic requiri, qua *flos ſua* velut *ſponte conſumitur* & *decidit*: ſed eam verbo *ſuccidendi* expreſſam parum veriſimile. Cogitet aliquis de *falce mortis*, *quæ vigentes* cum maxime *flores metat*; ſed nec hoc voluiſſe *Jobum* facile perſentiſcas, ſi conferas *Eſaj.* 40: 6. Omnia erunt plana & liquida ſi a مَلَّ, מלל, unde אמלל *Languidus*, *exhauſtus viribus*, aſſumamus, *Elangueſcit*, *excoquitur*, *exhauſto ad lentum ignem ſucco* & *vigore ſponte deficit* & *emoritur*. Poſterior figura *Umbræ fugientis* a Cl. *Schmid.* trahitur ad *occaſum ſolis*, & *umbras nocturnas*; autumatque Vir Doctus male a Cl. *Cocc.* huc adductam *Umbram gnomonis quæ contra ſolem vertatur*; *quæque minimo lucis interventu actutum evaneſcit*, *ac nulla eſt*. Reſpicit ὁ πάνυ partim *inconſtantiam* & *levem mobilitatem umbræ*; partim *rapidiſſimam* ejus *fugam*, *qua ictu oculi citius intercepta evaneſcit.* Hæc recta feriunt; quibus adjungas velim *fallacem* & *vanam ſpeciem*, qua procul *aliquid* apparens, ubi acceſſeris *Nihil* deprenditur. *Eurip. Med.* 1224.

τὰ θνητὰ δ' οὐ νῦν πρῶτον ἡγοῦμαι σκιάν.

Mortalia non nunc primitus Umbram arbitror.

Luculentis dein verſibus ſimilitudinem proſequitur. Celebre in hunc ſenſum σκιᾶς ὄναρ *Umbræ ſomnium* a *Pindaro dithyrambice* formatum. Nec ignota formula proverbialis, qua καπνοῦ σκιὰ *Fumi umbra* pro *vaniſſima ſpecie* adhibetur. Grande quoque εἴδωλον σκιᾶς *Simulacrum umbræ* ab *Æſchylo* in *Agam.* 848. poſitum, in *vanis* & *ſpem ludentibus amicis*. Nec ablu-

4 מי־יתן טהור מטמא לא
אחד :

5 אם־

4 Quis dabit mundum ex immundo? ne unus quidem.

5 Uti-

abludit quod *Eurip. Androm.* 745 σκιᾷ ἀντίστοιχον *Umbræ ſimillimum* appellet eum, cui *nullæ vires*; quamvis ibi ſimul reſpiciatur ad *Umbras* ſive *Manes vita functorum*, quibus ex eodem hoc fonte id denominationis adhæſit. Confer *Pſ.* 144. 5, 6. ubi צל עבר eſt vel *præteriens* vel *prætereuntis umbra.*

Verſ. 3. Paululum a ſcopo deflectit *Merc.* quaſi inferretur *nimis vilem & abjectum* eſſe *hominem*, quam ut Deus *oculum ſuper ipſo aperiat.* Longius abiit *Bold.* aliique apud *de Pined.* quaſi ad *favorem & gratiam hæc pertinerent.* Rectius *Deod. Cocc. Schmid.* quin & de *Pined.* agnoſcunt urgeri potius *miſeriam hominis*, quæ *plagis* non deberet *prægravari*. Hoc ſupra erat, *folium excuſſum exagitare.* Ut autem ibi cum interrogatione, ita & hic *Merc. Schmid. Cler. Etiam ſuper hunc aperis oculos*; &c. quod ferri poteſt: ſed major ſtomachus in verſione *Belg.* & *Cocc.* aſſeverationem indignantem præferente. Pro *aperis oculos*, Cl. *Cocc.* dedit *acuis.* Cernebat nempe plus exprimi quam *apertionem*, & *oculos acutos* ac *intentos* ubique indicari. Veram vim Linguæ reddere conatus fui per *Apertos vibras oculos*, quia פקח proprie non eſt *acuere*, ſed *aciem vibrantem aperire*, ſimilitudine deſumta a *flore* ex *calyce ſuo promicante.* Hoc *Origines* pandent. *Vibrans* hicce *oculus* haud dubie eſt *acerrimi cenſoris & vindicis*; qui *benignius* ad errata hominis tam ærumnoſi deberet *connivere. Clementiam* illam *conniventem* venuſte vocant *Hebræi* חוס *contractionem oculi, non acutum cernentis.* Patet vis argumenti, *etiam Talem inclementer*, & *rigidiſſime tractas*; *meque in Judicium tecum trahis*, *graviſſimas mihi pœnas infligens.* Cl. *Cocc.* poſtremum אתי *me* criminoſius dictum cenſet, quaſi quereretur, *ſe ſingulariter captum*, *ut in ipſius perſona peccata ceterorum piorum quaſi judicentur* & *damnentur*; *quum tamen nihilo ſit fortior*, *quam reliqua multitudo hominum*, *imo umbrarum.* Aliquid ſubeſſe τῷ אתי haud negem. Eo tendere uſque non auſim. Crediderim *Me* intuliſſe Noſtrum, ut inſinuaret & *Talem ſe ratione communis mortalitatis*, *ſupra quam æquum gravari*; & *ſe longe alia ut ſinceriſſimum & ardentiſſimum Numinis cultorem expectaſſe.* Sentis indignantis eſſe τὸ *Me:* quod neſcio quibus fidiculis torſit Cl. *Cler.* hinc eliciens, *Jobum non reputaſſe homini mentem eſſe immortalem*; *& corpus reſurrecturum.* Quid? an cum illa *fide*, nunquam quiſquam conqueſtus eſt de *nimio* Dei *in ſe rigore*; ſeque *longe alia ex ejus cultu ſibi promiſiſſe*, *quam tela omni acerbitate tincta*? Duras enimvero *Fidelium* conditiones, ſi ad hanc regulam eorum querelæ erunt examinandæ. Idem Vir Doct. *Judicium ultimum* noſtro ignotum fuiſſe, hinc exſculpere potuit.

Verſ. 4. Magna & mira ſententiarum divortia. 1. *Chald. Quis dabit purum ex homine peccatis polluto niſi Deus*, *qui unus remittere poteſt peccata*? ſic לא אחד eſſet *interrogative* εἰ μὴ εἷς ὁ Θεὸς, *Marc.* 2: 7. ubi ab *Ill. Grot.* laudatur hæc *Paraphraſis*, quam tamen in *Comm.* ad h. l. neglexit, ut alienam. 2. *Vulgat.* etiam per *interr. Nonne tu qui ſolus es*? Hoc nimis jam cœtui ſuo deditus *Erud.* de *Pined.* vocat *illuminare* ſenſum; quo innuatur, *Neminem eſſe purum præter unum Deum*, & ſimul præcinatur *immaculata conceptio*, tum *Chriſti*, tum *Beatæ Virginis.* Cordatiores *Bolduc.* & *Vavaſſ.* in noſtra fere caſtra concedentes. 3. Nimis coactum quoque appellare non vereor illud Cl. *Cocc.* conamen, *Quis dabit mundum ex immundo? An non unus*? nempe *Mediator*, *qui unus faciat purificationem*, *& Juſtitiam per fidem*, *ac Sanctificationem donet impuris peccatoribus.* Ni *ſcopus* regat & figat interpretationem, *jaculamur* equidem, ſed ἄλιον βέλος ἔκφυγε χειρός. Idem dixerim 4. de altero tentamine Cl. *Cocc.* abſque *Interr. Non unus:* quaſi dicat Noſter; *ſi me adfligis in jus vocatum præ ceteris*, *ut in meo capite damnes peccatum*; *in aliiſque exerceas miſericordiam*, *tanquam per meum*, *ceu ſuccidaneæ victimæ*, *interitum purificatis*; *quomodo fieri poteſt*, *ut* unus *homo merus ſuo ſupplicio omnes aut multos* ex fœdis reddat puros?

 quum

quum & ipſe fœdus *ſit*, *& quod non habet aliis tribuere non poſſit.* Viam huic *Paradoxo* jam paraverat magnus *Interp.* ad *Vſ. præc.* quod paucis opiner ridere potuiſſe. Longius quoque petitum 5. hocce *Deod. Quis poteſt mundum quid elicere ex immundo*? *Nullus* i. e. *Non efficies* O Deus *ut qui ſum Origine corruptus*, *Judiciis tuis ſeveris inveniar purus & juſtus.* Propius accedit 6. *Merc. Quid hominem punis ob peccata*, *ad quæ ſuapte natura proclivis eſt*, *quæque vitare nequit Origine immundus.* Addit, *Jobum*, *ſui oblitum*, *innuere*, *non debere Deum hominem punire ob peccatum ad quod ex ſeſe pronus eſt*, *ob naturæ corruptionem.* Hæc incommodius dicta; neque enim tam *ſui oblitus* fuit noſter, ut quæ ſoli *Hypocritæ* prætexunt, ſua fecerit. Jam vero ita abſolute *corruptionem naturæ* non opponit Dei *plagis* & *pœnis*, tanquam *gravibus* nimis, niſi *Caro mera, meram ſpirans contumaciam.* Sed commodius ſenſit haud dubie *Vir Doctiſſ.* & nihil aliud intendit quam quod Ill. *Grot.* expreſſit, *ſeveris nimis Dei judiciis objici communem humanæ naturæ infirmitatem.* Intelligeſis *infirmitatem invito* Fideli *adhærentem*; quam *Gratia* Dei *fregit* quidem, & *ſubegit*, ſed cum qua tamen *Carne Spiritui* perpetuo eſt luctandum. Hæc *infirmitas*, haud minima pars *miſeriæ*, non excuſat ſane, nec levat *tranſgreſſiones* Fidelium, atque propterea ne hoc quidem voluit Noſter; ſed nunquam ipſis a Deo imputatur in *Materiam Judiciorum pœnalium*, quæ ad *Exempla publica juſtitiæ Divinæ* infliguntur; ſi de cetero *Cor Rectum*, *ſincerumque*, ab ipſis præſtetur. Sic ſane *Miſera* illa & *Miſerabilis immunditiès peccati Originalis*, quam hic doceri non Noſtri tantum Doctores, ſed & Pontificii multi agnoſcunt, appoſite a *Jobo* huic conteſtationi inſeritur; quippe qui Eam non *foverit* unquam in ſe, ſed *acerrimo Sanctificationis ſtudio* magis magiſque ſuperare, atque in totum extirpare, ſemper conatus fuerit. Infert hinc, non jam *ſui oblitus*, ſed *meditatus*, & *bene gnarus* quid argumenti inferat, non convenire nec *Bonitati*, nec *Æquitati*, nec *Juſtitiæ Divinæ*, ut qui ſe omnis *puritatis ſtudioſiſſimum* Deo probarit, ob *impuritatem invito adhærentem*, quæ a Matre hauſta, in medullas ipſas ſeſe induerit inde ab utero, quamque lubens *exutam* & *depoſitam* vellet, tanquam Noxium & conſceleratum caput tantis ſuppliciis adficiatur; quippe qui Deum teſtem citare audeat, ſe *illam immunditiem* non blando in ſinu nutriviſſe; ſed ut *Miſeriam* multo *maximam* ſemper abhorruiſſe, ac proinde non *ira* Dei & *indignatione*, ſed potius *commiſeratione talem* proſequendum fuiſſe. Hoc ad rem facere; quin filo diſputationis unice reſpondere, nemo neget. Cl. *Schmid.* plane Meus; ſi ſummam rei ſpectes. Cl. *Cler.* nimis nudum præbet latus, quum ait *neminem oſtenſurum hic agi de infantibus*, *aut fœtibus*, *qui ſunt intra uterum maternum*, *quique iram Dei ſibi contrahere non potuerunt*, *ſed de viris adultis &c. ac proinde nihil aliud hic ſignificari quam ex hominibus peccatoribus non naſci homines qui nunquam peccent*, *cum pervenerint ad eam ætatem in quam cadit peccatum.* Hoccine jam eſt ne *unum* quidem *ex immundo dari poſſe mundum*? Atqui α. Hoc calculo admiſſo, *omnes omnino homines immundi*, *dabunt mundos*, & *nullo vitio infectos*, *ſi modo non pertingant ad adultam ætatem.* β. De *infantiæ labe* ſimul & *crimine* agi patet ex *Cap.* 13:26. γ. Ni de ea infectione ſermo ſit, argumentum nervo carebit: & non *Viri Sancti*, ſed *Hypocritæ* erit diſputatio hæc. δ. Denique ſibi ipſi aperte contradicet tunc *Jobus*, quippe qui toties provocarit ad *Sanctitatem* & *virtutem*, *nullo vitio contaminatam*, quam *inde ab adulta ætate* Deo approbarit. Idemne nunc *Jobus* nobis inducetur, adeo ſui diſſimilis, ut *a ſummo* ad *imum* decidat, & ſe in *infantia* quidem *purum*, ſed *impurum factum*, poſtquam *vitiorum capax eſſe* cœperit, profiteatur; & iſtic loci profiteatur, ubi ſe *inſontiſſimum* eſſe, ſub ipſis oculis Dei pervincere conatur? Non *Eliphazus cap. ſeq.* non Amici reliqui: non *Elihu* denique, *Jobum*, *fortia* & *magnifica ſonantem* ita intellexerunt: ſed probe perſpexerunt, eum nihil aliud *Culpæ*, vel *apertæ*, vel *occultæ*, in ſe agnoſcere, quam quod etiam *Juſtiſſimis* & *Sanctiſſimis* per *Originem maculatam* inhæret, quodque non niſi cum morte deponetur.

Ibid. Longiuſcule evectus ſum in vindiciis loci illuſtris, ad Doctrinam de *Corrupta Origine omnium hominum* firmandam. Sine ea *Jobus* a contradictione liberari non poſſet. Addo ſine ea ne *Hypocriſin* quidem, nec *improbam contumaciam*; quam cenſores ei impegerunt, ab ipſo poſſe defendi. Ut autem genuina mens eluceat, reſumendum ultimum colon לא אחד, quod nonnihil nodi nectit, quum vertatur ab aliis *Non unus*, *non quiſquam*,

5 אם־חרוצים ימיו מספר־חדשיו
אתך חקו עשית ולא יעבר׃

5 Utique deciſi dies ejus: numerus menſium ejus Tecum: terminos ejus ſtatuiſti; & non tranſibit.

6 שעה

6 Re-

quam, *nemo*; *dabit* nempe *mundum ex immundo*; ut feratur ad *parentes:* ab aliis, *ne unus* quidem *mundus exiſtet*; ut pertineat ad *natos.* LXX. liberius, nec ſatis commode, τίς γὰρ καθαρὸς ἔσται ἀπὸ ῥύπου; ἀλλ' οὐθεὶς. Continuant ex *Vſ. ſeq.* ἐὰν καὶ μία ἡμέρα ὁ βίος αὐτοῦ ἐπὶ τῆς γῆς. Hoc Patribus anſam præbuit nimis lubricam. *Auguſtin.* ad *Pſ.* 50: tanquam a *Jobo* conſignatum adducit, *Nemo mundus in conſpectu tuo*, *nec infans cujus eſt unius diei vita ſuper terram.* Similiter & alii. Doctrina certa; probatio manca. Ne LXX. quidem ſic interſtinxiſſe, ſed blandam ſpeciem Exſcriptores pellexiſſe poſtmodum, crediderim: nam attendenti liquebit iſta verba omnino requiri ad ſenſum *Vſ.* 5. complendum, & cum *Vſ.* 6. copulandum. Nihil aliud ergo admitterem intra fines *Vſ.* 4. quam ἀλλ' οὐθεὶς, vel ut in *Alexandr. Cod.* οὐδὲ εἷς. Iſta conſtruendi ratio & *Rabbinis* placuit, qui ferme habent, *Ne unus quidem inter illos*, *qui mundus naſcatur.* Vim ſententiæ magis ſecuti ſunt, quam legem ſyntaxeos, quæ poſt, *Quis dabit mundum* &c? non videtur pati *Ne unus quidem*, iſtoc ſenſu, ſed *ne unum quidem* exigere. Hoc tamen *inepte dictum fore* cenſet Cl. *Schmid.* tendens pro *Ne unus quidem dabit mundum ex immundo.* Bona eſt ſententia; ſed cur altera illa *mala* & *inepta* pronuncietur, nullus video. Utique מי *Quis*, valet, *quis mortalis*, *quis parens*, *dabit ex immundo*, qualis ipſe, *mundum* fœtum? *ne unicum* quidem. Hoc cum *Ne unicus* paria fere trahit momenta; nec forte inepte quis contenderet, *Jobum* pro adfectu ſuo magis *Natos* ſpectaſſe, quam *Parentes* in iſto אחד. Pendeo; remque in medio relinquo; quum eodem plane redeatur. Quid ſi aliud quid inſit, quod lancem dicam? mentemne? fortius impellat? *Quis dabit*, *quis præſtabit*, *quis univerſa vitæ ratione exhibebit*, *mundum ex immundo*? *Ne unicus* quidem *id efficiet.* Proponendum duxi, quod genius linguæ ferre poteſt, quin imo, quod eximium quid præfert, נתן *Dare*, pro *exhibere*, & *præſtare.* Latior ſic fiet conſpectus: *Quis* ילוד אשה *Natus mulieris dabit* i.e. *præſtabit mundum ex immundo*? ſive *Fœtum* ſpectes, ſive *in lucem Editum*, ſive *Puerum*, ſive *Adultum*, ſive adeo *Virum conſummatiſſimum*, & *Juſtitiæ* ac *Sanctitatis ſtudio flagrantiſſimum*? Ne *unicus* quidem hoc *præſtitit*, aut *præſtabit* unquam. Ergo non eſt quod iſta *labes* invito adhærens mihi objiciatur, vel ab Amicis, vel a Te, O cordium explorator! quo minus me ſincerum Tui cultorem & eſſe, & fuiſſe, ad extremum vitæ halitum defendam. Fallor, aut uberiorem dedi ſententiam, alia doctrina non minus controverſa, quam ſuperior, cumulatam, qua *perfectam*, & *ab omni* omnino *labe intactam Sanctitatem hiſce in terris poſſideri* poſſe negatur; quantumvis ad eam velis remiſque ſit adſpirandum. Et hoc ſibi cordi curæque fuiſſe ſimul a Noſtro ſic opportuniſſime inſinuaretur.

Verſ. 5. Inſignis & hic contextus, ad *Jobi Theologiam* propius cognoſcendam. In eo conſignantur duo *Capita Fidei*, primum eſt, *Mortem per peccatum introiiſſe*, & *ex Lapſu*, ac *corruptione*, *Mortalitatis miſeriam* eſſe *derivandam.* Alterum, non *generatim* tantum *humanis*, ſed *ſpeciatim* cuilibet *homini certum*, *immotumque*, vitæ *terminum* eſſe *præſtitutum.* Hæc duo quum hic infero, videbor nonnullis idem illud committere, quod in aliis carpo, & Doctrinæ inter nos receptæ velificari. Agnoſco equidem nil inſidioſius ſurrepere vel circumſpectiſſimis Virorum: neque in totum forte evitari poſſe blandum illud ſuis favendi ſtudium. Ita tamen me animatum & profiteor, & præſtabo, ut nil niſi ſcopo ac ſerie invitante, quin cogente, protuliſſe arguar. *Primum*, quod poſui, in *nexu* evidenter continetur, qui alias hiabit. *Poſterius* conficitur, non vi verborum ſolum, ſed etiam argumentationis, quæ nimis laxa erit, niſi per hæc principia adſtringatur. Utrumque diſtinctius exponam.

Ibid. Quod

6 Remove ergo aciem oculi ab illo, & remiſſionis quid habeat; ut ſaltem ſicut mercenarius acquieſcat diei ſuo.

6 שעה מעליו ויחדל עד־ירצה כשכיר יומו׃

7 Nam

7 כי

Ibid. Quod ad *prius*, in oculos incurrit *fatalem moriendi neceſſitatem* proxime connecti cum *Hominis impuritate*, ex eaque ut *ſequelam miſeram* derivari. Accedit, eam *Neceſſitatem* hic poni, & urgeri, tanquam *Sententiam* a Deo *pronunciatam*, *Decretumque judicis mulctam gravem imponentis*; quam *mulctam* denuo *aggravari* haud par ſit. Hoc intendiſſe Noſtrum nemo ambiget, qui ſuperius filum e manibus non amiſit. Eum in finem *judicialia* quoque *verba* capta; ut חרוצים *Deciſi*, & חקים *Decreta*, totique periodo multum rigoris ac ſeveritatis pœnalis additum. πάθος quo ardet Noſter hoc facile ſuggerit. Certe Cl. *Cocc.* etiam in *Vſ.* 5, 6. *Judicium* ineſſe ſtatuit *de homine impuro ſemel pronunciatum, excludens aliud judicium, nempe novum, gravius, extraordinarium* de quo *Vſ.* 3. erat conqueſtus; nec reliquos interpretes, quamvis tam diſerte non monuerint, id fugiſſe crediderim; quum utique agnoſcant *inſtantiam* Noſtri *audaciorem*, qua a malis ſuis relevari non tam orat, quam poſtulat.

Ibid. Hinc *poſterius* quoque per ſe pateſcit, atque *fixum immotumque* vitæ *terminum* hic intelligendum eſſe, ſi verba nondum vicerint, Res ipſa pervictum dare poteſt. Sane *decretum Judicis certos* ſemper *fines* adfert, nec *pœna* per illud *injuncta* in *incerto* & *dubio* poteſt relinqui; ſed exactiſſima ſemper ratione *præfinitur*. Hoc ergo eſt חרוצים ימיו *Dies ejus* judicialiter *deciſi*, quin *ſeverius præciſiusque determinati*. Ill. *Grot.* retulit ad *contractionem veteris termini*, quod friget in hac ardenti diſputatione, nec reſpondet gravitati חרוץ *ſententiam decretoriam* & *irrevocabilem* inferentis, *Eſaj.* 10: 23. & 28 22. & *Dan.* 9: 26 &c. Seq. colon, *Et Numerus menſium ejus Tecum*, æque preſſe figit & finit; nec negligenda Emphaſis ſub אתך *Tecum*, tanquam *Penes te decretus*, & *ſignatus*; *tibique ſoli* propterea *notus*. Tertio חקים *ſtatuta* non ſimpliciter hic ſunt *termini præſtituti*, quamvis hi ſufficerent alias; ſed fortius, cum reſpectu ad *judicem ſtatuentem*, ut *Zeph.* 2: 2. *Ante quam pariat ſtatutum*. עשה pro *conſtituere* pertritum. Denique in לא יעבר *non tranſibit*, *Fati rigida, inflexibilis, irrevocabilisque neceſſitas*, ne *momento* quidem *proroganda*, palam elucet. Hæc omnia *præciſiſſime* a *Jobo* intenta, *præciſa*, ut ſic dicam, & *præfractior* ejus *conteſtatio cum Deo*, tanquam *ſevero* nimis, dubitare haud patitur.

Ibid. Verbulum adhuc de periodo tornanda. *Merc.* cum *Vſ.* 3. & 5. ſic copulat; *ſi ergo præfiniti dies ejus*; ſi inquam *numerus menſium ejus Tecum*: ſi, inquam, *ſtatuta ejus feciſti. Recede ab eo & ceſſet a ſua adflictione.* Non *ſuſpenſam* ſed *certam* haud dubie conditionem intelligit; quam *Doct. Belg.* per *Quandoquidem*. Cl. *Cocc.* per *ſi quidem* reddere maluerunt. Ab his ita diſſentit Cl *Schmid.* ut vere conſentiat, dans, *Cum definiti ſint dies ejus*. Si אם *conditionale* teneas, non video quicquam aliud poſſe admitti. Sed eſt aliud אם ad *aſſeverationem*, quod etiam non male quadraret. *Profecto deciſi ejus dies. Numerus menſium ejus Tecum* &c. Sic quidem limpidiuſcule fluent verba noſtri *Vſ.* Sed tunc *Vſ.* ſeq. requiretur *proinde*, vel *ergo*, ad ſeriem juvandam. Optionem in medio relinquo.

Verſ. 6. Eſſe vel *concluſionem* argumenti præcedentis, vel *illationem* inde ſubſumtam, non eſt quod repetam. Circa phraſes notetur שעה מעליו eſſe *Aciem averte de ſuper illo*: nempe *acrem* illam & *vibrantem aciem* quam *Vſ.* 3. vidimus. Ulterius cave extendas cum *Merc.* In *præp.* על utrobique reſidet Emphaſis *aciei ſuper aliquem defixæ*. Se-

quens.

7 כי יש לעץ תקוה אם־יכרת ועוד

יחליף ויונקתו לא תחדל:

8 אם־

7 Nam Arbori ſpes eſt, ſi excidatur, denuo ut repullulaſcat; ſugenſque ejus ſurculus non ceſſabit.

8 Quod

quens יחדל male a *Rabb.* quibuſdam reductum ad חלד *ævum*, quaſi inde per *tranſpoſitionem* eſſet, *ævumque agat ſuum*. Rectius alii, *ut ceſſet*; quod tamen diverſiſſime exponunt. De *ceſſatione moleſtiarum* de *Pined.* poſt *Vulg. Jarch. Nachm. Periz.* Itemque *Doct. Belg.* At *Piſc.* maluit, *ut deſinat*, quem ſecutus *Cocc.* parentheſi incluſit *ut deſinat eſſe. De Pined.* hunc quoque ſenſum propoſuit, *Dimitte me*; *nam quieſcam ego & ceſſabo*, *etiam te non urgente: per me ipſum conſumendus.* &c. Idem placuit *Schmid.* & *Cler.* habetque ſane quod illiciat. Talem ſententiam *Cap.* 10: 20. vidimus eodem in verbo. Prius tamen nunc præferrem, ob colon ſequens.

Ibid. Nec illud quidem ſat liquidum. *Merc. Donec perfecerit ut mercenarius diem ſuum.* Addit ad vim ꝰ רצה exprimendam, *donec tanquam læto animo optet mortem.* Vicinus *Cocc. Dum abſolvat:* pro iſto uſu citans *Lev.* 26: 34. 43. 2 *Chron.* 36. 21. *Eſaj.* 40. 2. Interim monet, eſſe proprie *Acquieſcere*, στέργειν; & *Mercenarium* hic dici στέργειν *diem abſolutum*, *in eoque acquieſcere.* Non multum hinc abſunt *Schmid. Guſſ. Cler.* omniſque *Rabbinorum* atque *Hebraizantium*, ut eos *de Pined.* vocat, chorus; cum quo & *Vulgat.* videtur concinere, *Donec optata veniat*, *ſicut mercenarii*, *dies ejus.* Judicat tamen *Doct. Jeſuita* concinnius fore; *ut ſicut mercenarius* aliquid *otii*, *feriarum*, & *remiſſionis* percipit; ita & mihi *relaxatione* aliqua *frui* liceat. Sic יום *Dies optata* eſt *vita jucundior:* quod paulo coactius. Longe etiam petitum, quamvis ſpecioſum, illud *Codurci*, quo יום pro יום טוב *die feſto*, capitur, nec non pro *die mortis.* Inde argutam elicit ſententiam: *Donec ei adlubeſcat dies mortis*, *ut mercenario adlubeſcit dies feſtus.* Tentemus & nos. יום mihi eſt *dies laboris*, ſive *dies vitæ.* עד valet, *ut ſaltem*, vel clarius, *Eo uſque ſaltem ut*; in quod *donec* ſponte ſe reſolvit, currente oratione; ut apud *Græcos* ἕως ἄν. Limpida hinc ſententia. *Vibrantem de ſuper eo aciem averte*, nec ultra prius illud rigidiſſimum ſtatutum ſeverus ei cenſor & judex inſtes; *& relaxationem habeat*; non in totum quidem; ſed eo *ſaltem uſque ut tanquam mercenarius acquieſcat ſuo diei.* Hoc eſt: *ut ſaltem non graviorem agat diem vitæ*, *quam Mercenarius*, *cui inter continuos labores aliquid reſpirationis a Dominis conceditur.* Eodem collineat *Vavaſſorius*; *Qui operariis inſtat* ἐργοδιώκτης *ſi quo deflectat oculos*, *ceſſant operarii*, *ac ſe laboribus quodammodo furantur.* Gravis & inſignis tropus, רצה יומו *Reconciliari diei ſuo*, *diem ſuum pati poſſe*, *eumque* quodammodo *gratum habere: non deſpondere animum ſub ejus moleſtiis ac laboribus.* Plenius percipietur interior hæc vis ex *Arab.* رضي *conciliari*, *gratum habere*, *contentum eſſe.* Hujus oppoſitum سخط *cum indignatione ſuccenſuit*; *non contentus fuit*, *ſed ut ingratum & intolerandum quid horruit* vel *averſatus eſt.* Hinc figurate dicas, *ſuccenſuit diei ſuo*; *eum tædio aut deſperatione fractus pati nequivit.* Contra, *conciliatus eſt diei ſuo*, *eumque acceptum habuit.* Ne *Latium* quidem refugit *Succenſere ſorti ſuæ*; & viciſſim, *in gratiam redire cum ſorte ſua*; pro *eam pati poſſe*, *nec amplius animum deſpondere.* Cl. *Vitr.* ad *Eſaj.* 40: 2. locum quoque noſtrum ſub examen revocavit, cum reliquis ſupra adductis pro notione *abſolvendi*, majoremque ibi emphaſin requiri cenſet, nempe, *ſe re aliqua perfecte exſolvere cum complacentia vel ſua*, *vel alterius*, *cujus intereſt.* Hinc elicit pro noſtro textu, *Mercenarium* dici *acceptum habere diem ſuum*, *ubi ſe opere illius Diei exſolvit cum complacentia ſua & aliorum*, *gaviſus ſe laboris terminum attigiſſe.*

Pro *priore* ſenſu nihil commodius excogitari queat. *Poſteriorem* tamen, quem exigua mutatione admittere poſſet pulchra hæc expoſitio, grandius quid adferre cenſeo; & offero decens *Schema*, *eo uſque ut cum die ſuo in gratiam redire queat; neque vitam omnibus diris devovere cogatur.* Reliquas formulas quas Cl. *Vitr.* ibidem attigit, nunc exequi haud vacat. Confer quæ ad *Cap* 7: 1, 2.

Verſ. 7. In Argumentum hoc inſiſtitur, non ſine exaggeratione, *Vitam* tam *brevem*, *rigideque præfinitam*, eſſe quoque *irrevocabilem*, atque *ſemel mortuo ſpem reviviſcendi penitus* eſſe *inciſam.* Hoc illuſtratur *duplici ſimilitudine*, vel potius *collatione ex diſſimili*, deſumta ab *Arboribus.* Prima hoc *Vſ.* continetur, quæ *Arbori ſucciſæ*, & *ſub ictibus ſecurium procumbenti*, tribuit *ſpem*, & *ſolidam expectationem*, denuo *pullulandi*, novamque *ſubolem ſummittendi.* Hæc eſt *Mortis immaturæ*, vel *fati violenti*, imago. Altera *Vſ.* 8, 9. exhibet *Arborem ſua ſponte emorientem præ graviſenio* veluti, cui tamen in *Radice effœta* aliquid ſæpe *vigoris* & *ſucci* relinquitur, unde haud raro *regerminet*, & tanquam *reſurgat.* Hoc *diſſimile* ad *Mortem maturam* pertinere palam eſt. Gemino hocce adſpectu *Hominis conditionem miſeram* exaggerat Noſter, eamque *tali ſpe* non *gaudere* urguet. Hoc quum parum conſtare poſſe videretur cum *Fide Reſurrectionis*, anſam præbuit textum torquendi, quaſi per *Ironiam* hæc dicta eſſent, *ſcilicet*, *quum arbores reviviſcant*, *Homo non reſurgeret*! Id merito a *Merc.* reliquisque prudentioribus rejectum. Rejiculum item, quod *Bolduc:* aliter adhuc *Ironiæ* locum quærat; *par non eſſe ut quum Arbores ſucciſæ revireſcant*, *Jobus maneat novæ ſobolis*, *lætioriſque fortunæ*, *expers.* Haud dubie ſeria eſt oratio, ex qua alii *impietatis dicam* Noſtro ſcripſere: alii ad *ignorantiam* hujus *Articuli*, iſtis temporibus, legitimam & validiſſimam eſſe concluſionem contenderunt: quum alias *Jobus* talia ne cogitare quidem, nedum proferre potuiſſet. Newſpecioſe equidem, ſed vereor ne & nimis cupide, poſtremum illud concluditur a Viris doctrina, ingenio, judicio critico, valentibus. Monuere quidem magna inter Commentatores Nomina, *Jobum* hic *de Curſu Naturæ tantum agere*, *deque præſentis ſeculi ordinaria conditione*, ſecundum quam *reviviſcendi ſpes* omnis eſt *præciſa*, & *extincta*, ubi ſemel *occubitum* eſt. Doct. *Merc.* hoc ſolide demonſtravit; cui ſuccinunt *de Pined. Vavaſſ. Codurc. Cocc. Schmid.* quin & *Ill. Grot.* ad *Vſ.* 14. infra. Inſtatur tamen, & dicitur, plane fieri non poſſe, ut ſi Noſter *Reſurrectionem* crediđiſſet, nullam omnino *reſtrictionem* adhibuiſſet; quum jam *abſolute*, citra temperamentum vel minimum, haſce *ſimilitudines* premat. Non aliter utique locuti, quos reſurrectionis nullam habuiſſe ideam, certiſſimum. *Horat.* Od. 7. L. 4. *Redeunt jam gramina campis*, *Arboribuſque comæ: Nos ubi decidimus*, *quo pius Æneas* &c. *pulvis & umbra ſumus* &c. Item *Moſch. id.* 3. *Pedo Albinov: El.* 2: 113. &c. &c. Ad nodum huncce reſolvendum, *ſcopus* ſimul, ſimul *Adſectus* concitatior *Jobi*, rite attendendus. Hos *cardines* qui negligit, nihil in hiſce cernit. Tenendum, inquam, *Jobum* hic *Actoris* gerere *perſonam*, qui *Deo Litem intendit*, ob *graviſſimas* & *intolerabiles*, quibus vexabatur, *plagas*, per quas *vita* ei *vitalis* non erat, ſed ipſa *Morte* durior. *Hac* de cauſa *relaxationis* aliquid ſibi dari poſtulat; quum per *Moriendi neceſſitatem*, *cum miſeriis* ei *adnexis*, ſatis *pœnarum* habeat exantlandum. An jam in *tali impetu* diſputandi ulla *reſtrictio*, ulla *ſpes melioris vitæ*, quadraſſet? An non eo ipſo *omnis ille æſtus* ſemet compreſſiſſet, & refutaſſet? Sed, inquis, *id facere debuiſſet Jobus.* Recte vero. Hoc tamen tantundem ac ſi dicas, *non debuiſſet imbecillis eſſe*, *nec tentationi* uſque & uſque *inſtanti cedere*, nec *murmurare*; nec *diem Natalem devovere*; nec *Amicorum inclementibus judiciis irritari*, nec *Deum provocare*; nec *provocationi huic ratiocinia conquirere.*

Ibid. Eſt adhuc aliud quid, quod ſilentio tramitti nequit. Obſervavit nempe Cl. *Cocc.* oppoſitum videri hunc locum *Bildado Cap.* 8: 19. *Pium cum Arbore tranſplantata* conferenti. Accedere non poſſumus ob ea quæ *Ibid.* diſcuſſa. Nec tamen *oppoſitio* ipſa diſpliceret, qua confutetur ſimul *Amicorum pollicitatio*, de *Fortunis inſtaurandis*, atque *in longum tempus propagandis*, *cum nova ſobole* ac *poſteritate.* De eo aliquid ad *Vſ.* 21. Sic evidentius adhuc pateſceret, *Vitæ præſentis* tantum *rationem* a Noſtro *haberi.* Quicquid ſit, *Tragicos adſectus*, & *ſententias grandiores*, iiſdem *accommodatas*, qui attendit, is facile ſentiſcet, ex *Ratiocinationibus exaggeratiſſimis*, atque ἐξογκωμένοις, nihil aliud prudenti interpreti exſculpendum, quam quod certo certius ineſt, ad Pathos expingendum; argutiis, & ſequelis omnibus omiſſis.

Ibid. Scru-

8 אם־יזקין בארץ שרשו ובעפר ימות גזעו׃

9 מריח מים יפריח ועשה קציר כמו־נטע׃

10 וגבר

8 Quod ſi ſenuerit in terra radix ejus; & in pulvere emortuus fuerit truncus ejus.

9 Ab odore aquarum germinabit; & faciet Ramum tanquam novellam plantationem.

10 Aſt

Ibid. Scrupulum ullum relictum haud metuo. Nec tamen poſſum quin moneam, phraſes ipſas amiciſſime in hunc ſenſum conſpirare. יש תקוה ſignat *ſpem præſentem*, cujus *Fundus*, & *Radix* apparet. Non ergo *Arbor* hic *fingenda* penitus *exciſa*, & aliquot jam annis, ſeculiſve *mortua*; ſed *acciſa*, & *ſecuribus dejecta.* Hæc עוד יחליף *Adhuc*, *denuo*, *ſuccedentes emittet ſurculos:* ut اخلف *Nova germina emiſit* Arbor exareſcens. Vides *vitam continuatam*, *ſeque perenni vigore propagantem denuo.* Nempe יונקת *ſugens propago* ejus, *tenellus ſurculus*, a Matre ſucciſa *repullulans*, *non* יחדל *ceſſat*, proprie, *non flacceſcit*, non *languidus jacet*, ſed *vegetus ſurgit*, atque *in novam arborem excreſcit.* Omnia hæc nihil commune habent cum *Reſurrectione ſeculi futuri*; unice autem in *ſpem* non *acciſam*, ſed *exciſam*, *ſeculi præſentis*, quadrant.

Verſ. 8. Conſimilis prudentia relucet in altera comparatione. Ea pingit *Mortem* quandam *Arboris effœtæ*, & *grandi ſenio confectæ: quæ aquarum vitalibus auris refecta*, *novum induat vigorem*, *novellisque ramis ſuperbiat.* Applicatio in contrarium, quæ *Vſ.* 10. ſubnectitur, cuique promta. Magno cothurno hic adhibitum יזקין, quo *ſenecta ætas hominis* exprimitur, a *mento pendulo*, ut in *Clav. Dial.* promſi. Hoc pulchre transfertur ad *Arborem* jam *annis gravem* & *enectam:* quod enim Cl. *Schmid. Cler.* aliique *in genere* hæc capiant de *omnibus arboribus*, quibus forte *ſiccitas* incidat, minus convenire videtur. Vim certe vocum ſubnervat *Schmid.* quum יזקין non de *ſenio ætatis*, ſed *infirmitatis* tantum ſumit: item quum ימות *mortuus fuerit*, explicat de *languore ad mortem vergente niſi novæ vires addantur.* Mitto גזע proprie eſſe *truncum ſucciſum*, ut *Eſaj.* 11: 1. nam latius extendi potuiſſe, per abuſum ſaltem, negare non auderem. Nunc tamen *truncum ſine ramis* intelligi, patet ex *Vſ.* 9. ubi *denuo ramos facere* dicitur hic *ſtipes*; cui, præ *ſenio* videlicet, ſponte defluxerat quicquid fuerat *brachiorum* & *comæ*; vel ſaltem cui *rami* jam *intermortui* a Colono *detruncantur*, ut denuo *fruticeſcat*, ſi forte, & *lætius* quaſi *reſurgat.* Erud. *de Pined.* hanc *imaginem* agnovit, & conjectura felici *ſpeciatim* applicandam cenſuit *Lauro*, *cujus*, teſte *Plinio*, *vivaciſſima* eſt *radix*, *ita ut ſi truncus inaruerit*, *reciſa arbor mox lætius frutificet.* Cogitari quoque poſſet de *Palma*, non minus *nobili*, ac *vivaci*, illa *Arabiæ Nutricula*, an *Alumna*? quæ *ſenio*, vel *carie* confecta, *reciſis emortuis ramis*, *redivivum* induit *honorem*, *ſeque ipſa* quodammodo *regignit.* Anſam hinc *fabuloſæ Avi* porrectam, quæ *vera* erat φοίνιξ *phœnix arbor*, ut elegantibus ingeniis ſuboluit*, haud alienum. Apud *Arabes* noſtrum גזע جِذْع pro ساق النخل *Caudice palmæ*, per excellentiam, frequentatur. Id nonnihil momenti huic opinioni addere judicabitur forte. Cl. *Opit.* & *Crom.* vocem hanc illuſtrant ex اجتذع in 8. a جذع *cæcidit ligna de arbore.* Eſt revera eadem Radix cum جذع, & omnino tenendum, *Originem* utriusque eſſe *ſecuit*; unde ſecundario *trajecit* & *permeavit*; quaſi dicas *ſecuit iter*, metaph. nemini non nota.

Verſ.

10 Aſt vir moritur & fatiſcit: exſpiratque homo; & ubi ille?
11 Abeunt

10 וגבר ימות ויחלש ויגוע אדם ואיו :
11 אזלו--

Verſ. 9. Pulcherrime dictum, *ab odore aquæ refloreſcet*, vel *regerminabit*; pro, *ab aura vel tenuiore aquarum*, quam alicunde *attrahet*, aut ſibi *adflari ſentiet*. Sic *odor ignis*, pro *adflatu*, *contactuve exiliore*, ex *Dan.* 3: 27. & *Jud.* 15: 14. & 16: 9. a Doct. *de Pined.* jam adductus. Cl. *Crom.* ad h. l. ait, *neminem, acutæ licet naris, facile odoraturum, quomodo ab odore aquæ arbores creſcere queant, cum aqua nullum bonum odorem in ſe habeat.* Nimis preſſit ideam *odoris*, quum *exhalationem*, & *Auram tenuem* cogitare debuiſſet. *Arabes* ريح vocant omnem *auram ex aliqua re emanantem*, ſive *exhalantem*. Suſpicor alluſum ad palmarum ſingularem plane indolem, quas per *adflatum* quoque *fœcundari*, *adficique*, nota res eſt. Non perducunt *Femellæ* dactylos ſuos ad maturitatem, niſi *flore Maſcularum* conſpergantur. Id quum in magnis palmetis vix *manu* confieri queat, *ars* inventa, qua *odor*, & *aura Maris*, ad *Fœmellam* ventis ſecundis perfertur. Similis eſt ratio *roris*, & *rigationis*, in Arbore æſtus & ſitis patiente, pauxilluloque aquæ ſeſe recreante. Nihil adfirmo. Naturæ miraculum tangendum duxi.

Ibid. Poſtrema ſic extulit *Vulgatus*, *Et faciet comam quaſi cum primum plantatum eſt.* Non *inepte* ſane, ut nonnulli cenſent; ſed *aptiſſime*; quum *Comam* pro *ramis frondoſis* nemo ignoret. Jam vero קציר vel *ſegetem* ſignans, vel *Ramum*, directe dat vel *Segetem Ramorum*, quod Cl. *Cocc.* viſum; vel collective *Ramos*. Poſſes & *Segetem* Arboris interpretari *Ramos cum fructibus*, & *lætis comis*. Ea latitudo voci huic vindicata *Cap.* 5: 5. Alterum נטע judice Cl. *de Dieu* verbum eſt, non Nomen; *quaſi plantaſſet* איש *aliquis*: vel, *quaſi plantatum eſſet*, quod & *Hieron.* videtur ſecutus. Sed rectius LXX. ὡς νεόφυτον; quo exemplo plerique, *ut planta recens*. Maluit Cl. *Schmid. Ramum ſicut plantam*; i. e. *ramos magnos* & *lætos*, qui *prolixitate* & *magnitudine multas plantas exæquant*. Addit & *celeritatem creſcendi*. Magnopere arridet; ut *facere ramos ſicut plantas*, ſit, *repræſentare plantarium quoddam*, *viviradicibus conſitum*, *ſuper trunco redivivo*. Receptior tamen verſio habet quo ſe defendat; quin commendet.

Verſ. 10. Ad *Vſ.* 7. refutati ſunt, qui *Ironiam* induxere. Horum veſtigiis inſiſtens *Bolduc.* aliquid argutius adhuc protulit, quaſi *Ironica Oratione* negaret *Jobus*, fas eſſe ut *vir tam illuſtris*, *ac ipſe erat*, *nunc doloribus & macie confectus abſque prole moriatur.* Aſt *oppoſitionem* inſtitui, per eamque *Apodoſin* nunc confici, luce clarius, ex iis quæ deduximus. In verbis unus modo ſcrupulus, ob *proprietatem* minus exploratam Radicis חליש, quæ in *Lexicis* eſt *infirmari*, *debilitari* &c. Hinc ὕστερον πρότερον nonnulli ſtatuerunt, *At vir moritur & infirmatur.* *Belgæ*, aliique, *Moritur quum infirmatus eſt.* Cl. *Cler.* *Quum ægrotavit, & expiravit.* Aliis, quibus adſtipulatur *Merc.* placuit ad rotundiorem ſtructuram, vim verbi adaugere, ut nunc valeat *ſuccidi*, *exſcindi*; quod & *tranſitive* inſerunt duobus locis *Eſaj.* 14: 12. & *Exod.* 17: 13. Cl. *Cocc.* ibi dat *debilitare*, *ſubigere*; in noſtro autem textu *ſuccumbere*, *vinci*. Apud *Forſt.* reperies vicina *domari*, *ſubigi* &c. Hæc omnia arguunt *Originem* amiſſam; quod enim Cl. *Schmid.* ad priorem ideam utcumque aptandam adſciſcat *Facillime infirmari*, Emplaſtrum eſt non bene hærens. Quæſtio remanet unde *infirmari* ſub hac Radice ſit ſubnatum. Idem de reliquis intellectum eſto. *Domari*, Δαμάζεσθαι, Δάμνασθαι, Δαμῆναι, *Domari*, egregie quadraret, ſi u illo vehementiore, quo *Domari* dicuntur *Græcis Latiniſque* illa, quæ *admota vi inſuperabili ſubiguntur.* Amat præſertim *Græcia* in Δμηθῆναι *morte gravi*; & κηρὶ δαμῆναι *Fato domari*, ejuſque *adamantinis vinculis teneri oppreſſum*, quod noſtro חליש haud dubie concinit. Sed ne ſic quidem *Origo* pateſcit. Unde enim *Domare*? a δέμω, Δέδμηκα, veteris Linguæ ſinu excuſſo. Ab ejuſdem ἔδαμον extitit Δαμάω, δαμάζω &c. quod enim *Etym. M.* δαμάζειν dicat eſſe ὑπὸ
τὸ

11 אזלו־מים מני־ים ונהר יחרב ויבש

12 ואיש שכב ולא־יקום עד־בלתי שמים לא יקיצו ולא יערו משנתם׃

13 מי

11 Abeunt aquæ e mihi mari; fluviuſque exſiccatur, & exareſcit.

12 Sic vir cubat, nec reſurget: donec non fuerint cœli, non expergiſcentur, neque reſuſcitabuntur e ſomno ſuo.

13 Quis

τὸ δέμας ἄζειν, ὅ ἐστι ξηραίνειν, *a ſiccando corpore*, nugatorium eſt. Unde ergo Δέμω in iſta notione? quum alias ſit *Ædifico*, *ſtruo*. A Δέω *Ligare*, *vincire*. Videlicet *Ligat* qui *ſtruit*; alioque flexu *Ligat*, & *vinculis admotis ſubigit*, qui *domat*. An jam dicemus חלש olim *Ligandi* aut *vinciendi proprietatem*, obtinuiſſe? Id, citra auctoritatem *Dialecti*, minus prudenter adfirmaretur. Ex reliquiis *Biblicis* exſculpi tantum poteſt *Rei infirmatio*, & *infractio graviſſima*, *ſpem ſolidandi nullam relinquens*. Ea unde orta haud liquet. Cl. *Guſſ.* ſuſpicatur ex חלה *Ægrum eſſe*, & שאה *vaſtari*. Prius حل eſt πιέζεσθαι, *cum excoriatione atteri*. Poſterius تساي eſt λακίζεσθαι, *Lacerari cum fragore*. Hinc conflatum חלש eſſet *Atteri cum dilaceratione omnium partium*, *& fractis contuſiſque viribus fatiſcere*. Argutius tamen, quam tutius, reputo hoc genus *Originum*: poſſemque ſimiles luſus ad hoc verbum proferre, non minus forte concinnos. Solidius quid veſtigandum reſtat.

Verſ. 11. Comparatio nova: cujus vis & ratio obſcurior. A *diſſimili* & hanc formatam ſtatuit Erud. *de Pined.* laudans LXX. *Chryſ. Auguſt.* &c. quorum mens huc redit, *Fugaciorem* eſſe *vitam*, & *irrevocabiliorem*, quam vel *mare*, vel *fluvius*, quibus *aquæ dilapſæ redeant*, vel *reſarciantur* aliunde. Simile quid obverſatum *Chaldæo* huc *Mare Rubrum*, & *Jordanem* ſiccatum inferenti; plane extra oleas. Confer Cl. *Cler.* qui locum *Chryſoſth.* adduxit, quique *comparationem mutilam* vocat, cujus alterum membrum deſit. Cl. *Cocc.* ne *manca* foret oratio, aliud ei fulcrum ſubdidit, in eundem fere ſenſum; *Abierint aquæ de mari*, tum demum *fluvius arebit & ſiccabitur*. Quaſi dicat, *Fluvius labitur & labetur in omne volubilis ævum*, *Oceano novas ſemper aquas miniſtrante*, *nec unquam deficcando*. Hoc molle nemo dixerit. Multimodis præferrem quod *Mercero* cum pleriſque tum *Rabb.* tum *Noſtrorum*, placuit, a *Simili* collationem factam, ut quemadmodum *Aquæ e mari dilabuntur*, & *fluvius exareſcit*, ita *Homo per mortem dilabi ſine ſpe reditus* dicatur. Fateor tamen dilutius eſſe, quod hic adferri ſolet, de *evaporatione*, vel *eluvione*, per quam *ponti* aut *fluvii minuantur*, *eaſdem numero aquas recepturi nunquam*, etiamſi *ad vim ſuam redeant*. Non putem etiam ad rem facere *Mare a litoribus recedens*, vel *inſulas producens*; quæ Cl. *Schmid.* adfert. Rectius ſe habet quod nomine *Marium*, & *Lacus* comprehendi admittat, præeunte *Piſc. Belg. Grot.* qui *ſeptem maria ad Padum* protulit, & alia huc facientia. Adeantur & *Codurc. Cler.* &c. qui *Stagna* intelligunt. Certe latius patuiſſe nomen ים *Maris* dubitari nequit, quum & ad *Flumina majora* transferatur. Ita *Nilus* plus vice ſimplici in *Alcor.* يم ים *Mare* appellatur. Vide modo *Sur.* 20: 39. *Origo* ſuccenturiatur, de qua alibi. אזל eſt *dilabi* & *abire e loco*, *ſine ſpe reditus*. *Diſparere*. Lucem fœneratur ex ازل & زال. *Origo* tamen ne ibi quidem reperiunda. Grande Schema. Ut *Lacus*, vel *Fluvius*, ſemel *emiſſus*, *dilapſis aquis perpetua ſiccitate extinguitur*, & *deletur* plane, *ne veſtigio* quidem *aquarum manente*; *ita Homo morte confectus*, & *extinctus*, *ne vixiſſe quidem agnoſcitur*, *ſed tanquam in auras evanuiſſe*, vel *in terram ſub-*

 ſe-

13 Quis det in inferno occulas me! abſcondas me donec ſubſidat naſus tuus! ponas terminum mihi, & mei recorderis!

13 מי יתן בשאול תצפנני תסתירני עד־שוב אפך תשית לי חק ותזכרני :

14 Quum

14 אם־

ſediſſe videtur. Iterum cogites velim, *Jobum*, in levamentum infiniti doloris, per imaginationem nube mœroris preſſam, & obſeſſam, congerere quicquid figurarum in Lingua ſua reperiebat, ad conditionis humanæ acerbitatem exaggerandam.

Verſ. 12. Hoc monitum diſcutiet, quicquid ſcrupuli incuti poſſet alicui, ex phraſibus ſane quam nervoſis, quæ tamen nihil aliud ſonant, quam quod alibi Scriptura vocat *intrare Domum æternam*, & *dormire ſomnum perpetuum.* Id *Moſcho Id.* 3. eſt

Εὕδομες εὖ μάλα μακρὸν ἀτέρμονα νήγρετον ὕπνον

Nobis cum ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetua una dormienda.

Ut notis verſiculis *Catulli* utar. Sic loqui poteſt & qui *Reſurrectionis doctrinam* neſcit, & qui eam ſcit, creditque firmiter. Nimis fidenter ſane Cl. *Cler. Hos tempore*, inquit, *mundi finis*, & *reſurrectio mortuorum nondum erant nota.* Itane jam & *Mundi finis*? Equidem R. *Levi*, *Merc. Piſc.* formulam *uſque dum Cœli non erunt*, abſolutam negationem adferre concedunt, qua *Cœlos* nunquam *finem habituros* eſſe inſinuetur; ſed ſimul monent Noſtrum nil aliud velle quam, *Hominem ad hujus ſeculi vitam*, & *conditionem in æternum non fore revocandum.* Id nihil incommodi habet, ſi modo non anſam cavillandi quæramus: nam mos vulgaris loquendi tales phraſes ultra ſcopum intendi, in equuleumque velut mitti, prohibet. Ut tamen argutiis occurreretur, tutius putarunt alii *Cœlos* hic concipere *deſituros*; quaſi *Jobus* negaret *Homines reſurrecturos quamdiu præſens cœlorum ſtatus*, & *ordo rerum humanarum inde dependens duraret.* Ita Doct. *Belgæ*, *Deod. Vaváſſ.* aliique. Cl. *Cocc.* illuc concedens, addit, *Phraſis interim ipſa nihil ex ſe definit, ſitne reſurrecturus homo, nec ne? tantum id definit, hominem non reſurrecturum donec* hoc cœlum *eſt*, & *rotat.* Ulterius progreſſi Alii, diſertis verbis hic *Reſurrectionis beatæ fidem conſignatam* autumant. Hanc veritatem *Orthodoxorum* nomine contra *Cocc.* urget. Cl. *Schmid. Duo importari* ſtatuens, & *Cœlos non futuros aliquando*, & *Homines tunc reſurrecturos.* Doct. *de Pined.* hoc ipſum urſerat ex *verſione Vulg.* quæ dat, *donec atteratur Cœlum* &c. quaſi inculcaret Noſter: *cum Reſurgente homine* & *cœlum Redivivum veluti reſurrecturum*; *multoque pulcrius ac ſplendidius inſtaurandum.* Huic adſpectui favent *vocabula Suſcitari* & *Expergefieri*; nec non *ſomni.* Cavendum tamen ne *blandiſſima ſpecie ludamur.* Quis non ambabus ulnis amplecteretur Oraculum, *Jobi* ore miſſum? ſi mens ejus mœrore obnubilata, tantæ nunc ſerenitatis capax fuiſſet; aut ſi cum *accuſatoria* in Deum *vehementia*, cui Noſter nimis indulget, iſta Expoſitio conſtare poſſet. Provocatur *ad ſimilem Fidei confeſſionem Cap.* 19. ſed ibi aliæ plane circumſtantiæ, diverſuſque ſcopus. Ergo ni velimus *Jobum* uno momento evertere, quicquid hactenus ad miſeriam ſuam exaſperandam coacervavit, aliud ſequendum; ſive *medium* illud *Cocc.* & *Belg.* ſive prius *Merc.* Utique Cl. *Schmid.* fateri coactus, *Jobum* in verbis *Reſuſcitari*, & *Expergefieri*, *præcipue loqui de Reſuſcitatione ad hanc vitam: idque ex ſuperioribus conſtare.* Item concedit, *abſolute negari hominem reſurrecturum*, *ſive ad hanc*, *ſive ad aliam vitam*, *ordinarie* ſcilicet *in hoc mundo agendam.* Hoc qui dat, vix ac ne vix quidem impetrat, ut *de Nobiliore illa* & *æterna vita in Cœlis degenda*, locum quoque explicandum eſſe, concedatur. Judicium meum poſui, aliorum libera ſemper relinquens; & ſuo in ſenſu quem abundare lubens patiar; melioribus calculis accedere paratus.

Verſ. 13. Quam arduus ſit ſenſus, percipias ex niſu ſcandentium, in præcepſque ferme euntium. Tale eſt 1. quod *Jobus* hic optaret ne *Reſuſcitari* quidem *die* illo *Noviſſimo*, ſed potius *in ſepulcro conditus manere*, donec in to-

totum Dei ira adverſus ipſum deſæviiſſet. 2. Crudius adhuc detortum ad *Cruciatus damnatorum tartareos*, *quos a ſe averti cupiat poſt mortem.* Coactum quoque 3. quod *de Pined.* promſit, *ut de neceſſitate moriendi conqueſtus* Noſter, *ſubjungat*, *non futuram ſibi mortem tam horrendam*, *neque tam anxie illam deprecaturum*, *ſi mortuus non multo poſt rediturus eſſet ad vitam.* Per שאול intelligit partim *Limbum*, qui animam, partim *Sepulcrum*, quod corpus tamdiu recipiat. Hæc a *Scopo* aberrant, nam *nec mortem horret Jobus*, *nec eam deprecatur*; ſed ut ex *Cap.* 3. patet *avidiſſime eam ut portum quietis anhelat.* Propius ergo 4. quod longe petitum cenſebat *de Pin.* a *Catenæ Auctore* prolatum, *Mori præoptare* Noſtrum, *quam in tam luctuoſa vita commorari*; *modo effugere ei liceat intolerandam Dei iram.* Huc concedunt fere Recentiores, vario tamen ſenſu & acumine. Nonnulli *veram* & *perpetuam mortem* intelligunt. Alii volunt *mortem* quandam *Extraordinariam* intendi, quæ *ad Tempus* tantum duret, quo elapſo ad præſentem vitam redire detur. Alii denique *Vivi* & *videntis defoſſionem*, *abſconſionem*, & *protectionem* in *inferno*, vel *ſepulcro*, vel *loco ſubterraneo* concipiunt. Nempe anceps eſt vocabulum שאול, quod proprie ſignat *Inviſibilem ſtatum Manium*, ſive *vita Functorum:* qui *Græcis* ᾅδης. Inde ſpeciatim pro *Orco*, ſive *Inferno:* unde anſa præbita ad *profunda terræ*, ejuſque *abditiſſimos* & *obſcuriſſimos receſſus* ſic appellandos. *Sepulcrum* ſtricte dictum quoque notare putant multi, ſed vix probant; niſi quatenus Ἄιδης etiam laxiore uſu *Sepulcrum* ſub ſe complecti poteſt, non directe, ſed ex conſequenti.

Ibid. Ex tribus illis, quas ſub *Num.* 4. propoſui, ſententiis, haud dubie audaciſſima, id eſt maxime Tragica, ultima, quod *Vivus deſcendere optet* Noſter *in* שאול, *Receptaculum mortuorum*, *ut ibi deliteſcat*, *donec ſæva illa Iræ tempeſtas*, *qua nunc dies noctesque perterrebatur*, *præteriiſſet.* Popularis eſt enunciatio; cui cave fidiculas admoveas; per quam inſinuatur immenſa magnitudo doloris, cum quo Miſer colluctabatur; qui vel in *Horridam* illam & *Caliginoſam Regionem mortis Cap.* 10: 21, 22. deſcriptam, abſtrudi *Vivus* geſtiret; ſi modo paululum ipſi reſpirare daretur; tanquam *in Latibulo*, *iræ Divinæ fulminibus exemto.* Id *ex Vulgi opinione* dictum nemo non ſentit; quæ ſtatum Mortuorum concipit miſerum quidem, ſed anxietatibus, ac tormentis nullis obnoxium. Id monuiſſe etiam video Cl. *Schmid.* ex *Eccl.* 9: 5. qui ſtatuit, *Jobum hic precari*, *ut Deus ipſum ibi loci abſcondat*, *ubi nihil videat*, *ſciat*, *ſentiat*, *de rebus hujus mundi*, *adeo ut ſi ira ejus nondum erga adflictum deſævierit in terra*, *ibi tandem tutus lateat: melius namque ipſi fore ſi nihil rerum ſciat*, *quam ſi ſciat cum doloribus.* Poſtrema omiſſa oportuit; nam neſcio quid frigidæ ſuffundunt. Dicere maluiſſem, *Melius namque ipſi fore vivum verſari inter Mortuos*, *inque Regionem horridiſſimam mortuorum recondi*; *quam inter vivos telis Dei confixum jacere*; *& velut vivum*, ac *ſpirans cadaver*, *anxium*, *ac mori fruſtra quærentem*, *trahere ſpiritum.* Nihil grandius hoc tropo, *in inferno Vivum occultari*, quem & *Vavaſſ.* tetigit, quum ait, *Cupit e vita migrare*; *aut in ſepulcrum vivus transferri*, *ut ibi a Deo protegatur & acquieſcat.* Quin & *Merc.* eum indicarat, fluctuans, *Forſan vel vivus defodi optat*, *in inferno*, *ſeu loco ſubterraneo*, *dum dolorem tam gravem effugeret.* Etiam *Bolducio* ſua laus non neganda, ita commentanti, *Mallem in profundiſſimo ſpecu*, *vel abditiſſimis terræ latebris*; *vel etiam in ſepulcro*, *vivus inter mortuos ad tempus deliteſcere* &c. &c. Vereor tamen ne idem vir Doctus minuat iterum vim Schematis, quum de *monumento ſepulcrali* ad literam hic cogitat, quaſi *recondi vellet Jobus in aliquam cavernam rupibus inciſam*, *vel lateritio opere cameratam*, *ut ibi tutus tranquilluſque reſideret*; *inſtar eorum qui imminentia ſibi pericula talibus in locis effugiunt*; *aut etiam ultro vitæ ſanctioris ducendæ gratia in ſpeluncas ſecedunt.* Poſterius redolet cucullum: prius ferri potuiſſet, ſi alluſum dixiſſet: nunc nimis *literam* premens, *Figura ſublimi* excidiſſe videtur. *Literæ* quoque, ultra quam par, inſtitum a Cl. *Schmidio*, reſpectu totius ſententiæ, quum hinc elicit argumentum pro *Reſurrectione mortuorum:* quoniam *ſi Deus aliquem in inferno*, *ſeu ſtatu mortuorum*, *abſcondere poteſt*, *& nihilominus conſervare vivum*, *tandemque reducere*; *quidni & mortuos reſuſcitare?* Non expectaſſem ex hoc contextu illud conſectarium, in quo ſane doceri non putem, *Deum velle aliquem inter mortuos vivum conſervare.* Tragica πάθη ad iſtum modum haud tractanda.

 Ibid. Con-

14 Quum mortuus fuerit vir, an reviviſcet? omnibus diebus militiæ meæ lentus expectabo, donec veniat innovatio mei.

15 Com-

14 אם־ימות גבר היחיה כל־ימי צבאי איחל עד־בוא חליפתי׃

15 תקרא

Ibid. Confirmatur celſior hicce adſpectus ex omnibus verbis. En ſtricturas. צפן eſt *Abdere tanquam in loculo.* הסתיר *velo*, aut *latibulo, tegere.* שוב אף non eſt *avertitur ira*, ſed *revertitur*, *redit Naſus*, h. e. *ſidit*, *ſedatur*, *non amplius æſtuans.* Eſt *metaph.* ab *olla* vel *fluvio*, cujus *tumor reſidit*; & *deferveſcit.* תשית חק eſt vel *poneres terminum*; vel *poneres modum.* Prius ſeſe referret ad *tempus præſtitutum*; *intra quod ira deſæviret*: poſterius ad *menſuram.* Utrumque *Affectui Jobæo* reſponder, qui nunc & *ſine fine*, & *ſine modo*, *iram Dei adverſus ſe laxatam ſævire* innuit. Non probo quod Cl. *Cocc.* *Tempus iræ* ſub V. T. & *Tempus gratiæ* ſub Novo hic reſpiciat. Aſſentire etiam nequeo Cl. *Schmidio*, aliquid novum ſubſumi ſtatuenti, inſerto או *Aut ponas modum mihi*; quaſi *ſecundo loco peteret Jobus*, *ut ſi Deus nolit eum plane abſcondere*, *ita ut nihil ſentiat iræ*, *modice ſaltem adfligat ipſum*, *& tandem deſinat.* Nempe credebat *Vir Doctiſſ.* nihil triſte ac grave ineſſe in illo *Abſcondi in inferno*, ſed læta omnia. Non ex ſenſu *Jobi* ſane; qui hoc ipſum ut *dirum* quid *& concepit*, *& extulit*; tolerabile tamen, quin optabile, ſi cum immenſa mole calamitatum, qua nunc obrutus erat, contenderetur. Vicinum *Promethei vincti* Pathos pinxit *Æſch.* *Vſ.* 153. &c. &c.

Verſ. 14. Et hoc in verſu multi niſus, multi lapſus. 1. *Chald.* detorſit ad *Impium non victurum in Cœlis.* 2. Ad *Reſurrectionis ſpem fidemque* traxerunt multi Veteres, quaſi cum admiratione prolatum eſſet, *Mortuusne reſurget? Reſurget ſane; ac propterea hac ſpe memet ſolabor.* &c. 3. ſub *conditione* Alii, *ſi mortuus homo rurſum viveret*, *morerer* lubens, *atque cunctis diebus*, *quibus nunc dolens*, *& invitus milito*, *expectarem avidus*, donec *veniret immutatio* in bonum, vel *innovatio mea.* 4. Vicina ſententia, quæ *ſub tali conditione* votum *Vſ.* 13. accipit; idque eatenus continuari putat, ut Noſter profiteatur, *ſi Mortem Extraordinariam* ei *ſubire ad Tempus* liceret, *ſe libenter omnia toleraturum*, *donec ad vitam renovaretur & revocaretur.* Confer notas Erud. *Belg.* Eodem tendit Cl. *Cocc.* *Non eſt dubitantis de Reſurrectione mortuorum ad vitam æternam*, *ſed conditionem ſtipulantis ferendæ iræ Dei per tempus*, *ad fructum gratiæ in hac vita* &c. &c. Non multum quoque hinc abeſt *Merc.* niſi quod חליפה ei ſit *immutatio mortis* ſive *mors ipſa*, quum *Belgis* placuerit *immutatio in melius*, & *revocatio ad novam vitam in terris degendam.* Cl. *Cocc.* maluit, *Donec veniret deceſſio mea*, ut cum צבא *ſtatio militaris* congruat, quum חליפה ſit *deceſſio unius cum ſucceſſione alterius.* Anceps, volueritne *deceſſionem ad mortem*, an *ad novam vitam*? 5. Nonnihil diverſa opinio *de Pined.* qui in priore membro concipit *irreparabilem amiſſionem vitæ præſentis*; in poſteriore, *ſpem beatæ reſurrectionis*; hoc ſenſu; *Fieri plane nequit ut mortuus ſemel*, *ad hanc vitam reſurgam: nihil ergo ſupereſt*, *quam ut beatæ Reſurrectionis ſpe memet nunc ſuſtentem* &c. Ei חליפה eſt *immutatio* & *tranſitio ad meliorem ſtatum:* autumatque Noſtrum hic *Fidem iſtam opponere ſiniſtris ſuſpicionibus*, quaſi de *Meliore vita* dubitaſſet. 6. Mirificus eſt, ut ſæpe, *Bolduc.* qui hinc exſculpſit, *ſi* גבר *Vir Nobilis*, (ſe ipſum deſignare putat Noſtrum) *aliquamdiu habitet in* שאול *ſepulcro*; *vel etiam ibi mortem ſubeat*; *bene eſt: nihil refert: an enim & antea vivebat doloribus confectus? Mortuus potius dici merebatur. Igitur optimum mihi fuerit abſcondi in ſepulcro: vel enim ibi moriar*, *totque mortes una complebo: vel ſaltem ibi interim expectabo*, *donec veniat immutatio mea*, *& vires amiſſas recuperem denuo vireſcens.* Nihil in his ſolidi, niſi forte quod de

de חליפה monet, *vireſcentiam*, ſive *novum virorem* & *vigorem* inferente. 7. Omiſſis aliis adhuc conatibus, videamus quid Cl. *Schmid.* ferat: *ſi moritur homo numquid reviviſcet?* Num quid *omnibus diebus ſtationis meæ expectabo* fruſtra? *Donec veniat mutatio mei* ſive *mors.* Duras cernis inſertiones: nec convenire exiſtimem *teneram* quidem illam, ſed *mollem* nimis *deprecationem* medii membri. Simile quid tentatum a Cl. *Cler. Omnibus diebus militiæ meæ* an *expectabo*, *donec mutatio mea veniat?* niſi quod חליפה non *mortem*, ſed *meliorem ſtatum* interpretetur; *notione* illa *militari*, quam ſupra ex *Cocc.* tetigi, quum *ſtatione* aut *pugna feſſis ſuccedunt recentes milites.*

Ibid. Nihil adhuc ſatis firmi ſub pedibus ſentio. 3. & 4. ſententiam reliquis præferrem, ut *ſeriei* & ſcopo aptiores. Eſt tamen in iis quod unguem offendat plus minuſve. His offenſiunculis inſiſtere nimis longum foret. Dabo potius, quod ad illam fere rationem tornatum, mihi ſuccurrit. Nempe concludit nunc Noſter *Poſtulationem* ſuam, & *contentionem* cum Deo, oſtendens ſe *non eſſe ignavum pugnatorem*, qui *parmam abjiciat*, atque *fugam e prælio moliatur*, quod tam *ardentibus votis mortem expetiverit*; *ſuamque ſortem deplorarit:* ſed *contra*, ſe *agmina malorum*, & *excepiſſe pectore forti*, & porro *excipere paratum*, vel *per totum tempus vitæ*, & *militiæ* ſibi impoſitæ, ſi modo mortuo *reviviſcere* daretur, atque *in novo curſu*, Deo hominibuſque *ſinceritatem* ſuam *approbare* poſſet, per *vitam* non *maledictionibus* & *diris cœleſtibus* exagitatam, non *ſuſpicionibus ſiniſtris* contactam, ſed ab his omnibus intactam, & *benedictione* Numinis *comprobatam*, in teſtimonium ſimul, ſimul pignus, gratiæ ſibi Divinitus collatæ, & ulterius poſt hanc vitam conferendæ. Hunc *Adfectum* fervente æſtu diſputationis ex corde, ex ore, *Jobi* ebulliiſſe, nemo mirabitur, quum ubique inſinuarit nihil ſibi in ſuis calamitatibus eſſe intolerabilius, quam quod *tanquam Improbus* ab Amicis non tantum, ſed etiam ab ipſo Deo *tractaretur. Non recuſat* tamen hæcce omnia, quantumvis *acerba*, *infanda*, *omnem humanam patientiam ſupergreſſa*, vel *ad finem uſque vitæ ærumnoſiſſimæ perpeti*, & *exanclare*, *ſi modo reditus ei ad vitam amiſſam pateret*, in qua *maculam* nunc ſibi *inuſtam*, *delere*, atque *Sanctitatis decus ſartum tectum tueri* poſſet. *Omnibus diebus militiæ meæ moleſtiſſimæ*, inquit eum in finem, איחל *lenta* & *tenaci ſpe expectabo*, ſi *viro ſemel mortuo* liceat *reviviſcere.* Sub hac conditione *non detrecto* vel *graviora*, ſi pote, *mala* ſubire; *neque* ullo pacto *defetiſcar*, *donec veniat* חליפתי. *Mutationem mortis*, ſive *diſceſſum e vita*, quicquid *Merc. Schmid.* aliique tendant, ſeries reſpuit. *Deceſſionem a ſtatione moleſta*, cum *remiſſione*, ſive *relaxatione laborum*, quam & *Codurc.* urget, admittere utcumque poſſem; attamen præcipuum tunc ſupplendum manet, *Reſtitutio in integrum*, & *inſtauratio vitæ amiſſæ in melius lætiuſque: ad inſtar arboris denuo vireſcentis* & *vigeſcentis.* In hunc ſenſum ſe dabat ſupra *Vſ.* 7. יחליף, quam vim & hic retinere cuncta ſuadent; ut ſit *Vigor* meus *revireſcens.* Vidit *Bolduc.* & docte illuſtravit ex *Job.* 29: 20. & *Pſ.* 90: 6. Huc collineat quoque, *innovatio mei*, vel *immutatio læta*, quam Doct. *Belg.* aliique dederunt. Pathos Tragicum *Vitæ bis in terris degendæ*, *ad corrigendum*, *quod ſemel male cecidit*, repræſentavit *Eurip. Supplic. Vſ.* 1080.

> Οἴ μοι τί δὴ βροτοῖσιν οὐκ ἔστιν τόδε
> Νέους δὶς εἶναι, καὶ γέροντας αὖ πάλιν.
>
> *Proh fata! cur non eſt datum mortalibus*
> *Duplici juventa, duplici ſenio frui.*

Ill. *Grot.* locum integrum adduxit, indeque haud pœnitendum lumen textui huic infudit, breviter ſenſu ita conſtituto; *ſi alia vita in his terris agenda daretur*, *ſolarer præſentia mala ſpe ſtatus aliquando melioris.* Alio adhuc adſpectu idem pathos poſitum reperio in *Herc. Fur.* 655. ubi *Geminam vitam*, & *Juventutem e ſenio redivivam* ait dandam fuiſſe *Bonis*, ſi Dii prudenter humana curarent; *Malis una* tantum & *ſimplici vita relicta.* Egregius locus, in *Exc. Grotii* admirabiliter converſus. Huic Magno duci auſcultare potius debuiſſet Cl. *Cler.* quam *Paraphraſin* concipere, quæ *Reſurrectionem mortuorum Jobo ignotam* fuiſſe inſinuat. Si inſtes, cur ergo *Jobus illa ſpe* multo *excellentiore ſemet non ſolabatur?* tantundem facis, ac ſi diceres,

 cur

15 Compelles, & ego reſpondebo Tibi: operi manuum tuarum auſtero vultu immines.

15 תקרא ואנכי אענך למעשה ידיך תכסף׃

16 Nam

16 כי־

cur ſe dolori ferendum dedit? cur in ſummo æſtu cruciatuum æſtuantia fudit verba? cur non inconcuſſam inter tot fluctus ſpem ſervavit? Cur denique Deo litem intendit, ad quam ſuſtinendam & vincendam tale ratiocinium Affectus conturbati fuerit adhibendum? Deſino: & obiter tantum indico, nullum Argumentum potentius a *Jobo* potuiſſe excogitari quam hoc ipſum, ad cauſam ſuam diſceptandam, atque in acri hac conteſtatione pervincendam, ſi ullo pacto cauſa illa vincibilis fuiſſet.

Verſ. 15. Senſit id Noſter, atque ab hoc ratiocinio invicto, ut putabat, animos ſumens, ſe erigit quaſi, atque Deum denuo provocat, ut jam *Actorem* viciſſim gerens, vel refutet hæc, vel contra inſurgat. Sic capiendum cenſeo תקרא *vocabis*, *voca Tu nunc*, atque *adverſus me Actionem inſtitue.* ואנכי אענה *Et ego reſpondebo.* Habeo quo *Inſtantias* mihi *movendas removeam*, & *reſutem.* Hanc explicationem Filum orationis exigere videtur, quantumvis *inexcuſabilem audaciam Jobo* attribuat. Sed an non idem rotundis verbis expreſſerat *Cap.* 13: 22. *Voca Tu*, & *Ego* reſpondebo *Tibi.* An non aperte illud jam reſpicitur, atque ad *Conſcientiæ præclaræ victoriam* & *triumphum*, denuo inculcatur? Ad hunc ſenſum proxime acceſſit *Vatabl. Clames, & ego reſpondeam Tibi.* i. e. *Utinam clara voce me compelles, & alloquaris, tibique reſpondere mihi liceret verbis ultro citro factis; utique dicerem Tibi, Opus manuum tuarum deſiderabis* perdere? Paulo aliter adhuc Cl. *Cler. itaque voca me* ad rationem reddendam, *& ego reponam tibi: opus manuum tuarum deſidera* i. e. *in pretio habe.* De ultimo mox. Reliqui Interpretes longius hinc receſſerunt. *Mercer. Vocabis me ad migrandum e vita; & ego libens ſequar* &c. *Drus:* addidit *vocationem ad prandium* vel *cœnam vitæ beatioris.* Ad *Reſurrectionem ultimam* retulit *de Pined.* ad *Tubamque Archangeli.* &c. &c. *Piſc. Belg. Cocc.* ex prægreſſa *conditione*, vel *ſuppoſitione*, ſi denuo *in hanc vitam emergere* daretur, *expectarem* enimvero; donec *vocares me*, & *juberes reſurgere*; *denuoque opus manuum tuarum appeteres.* In אענה notavit Cl. *Cocc. reſpondere ad nomen ut miles.* Cl. *Schmid. ſe ab omnibus diſſentire* profeſſus, ex eo quod *Vſ.* 14. dederat, nunc porro elicit, *ne ſinas me amplius jacere in hac miſeria, ſed jam nunc in hac vita me voca ad te, meque benigno affectu amplectere, ut me recrees: tum ſane ego reſpondeo Tibi, Tuæque miſericordiæ, debita gratiarum actione & obedientia.* Mirum ſibi in tam diluta expoſitione plauſiſſe Virum Doctum. Simile quid protulerat Cl. *de Dieu*, qui periodum a *Vſ.* 14. ad 20. mire elumbavit.

Ibid. Poſterius membrum, cum priore, ſic conceptum a Cl. *de Dieu*; *Voca me* &c. *Opus manuum tuarum concupiſce. Memor ſis me eſſe opificium tuum, & aliquo ſaltem mei deſiderio & amore tenearis.* Adfinis Cl. *Schmid.* qui contra *Pagnin.* & alios *in malum* τὸ *appetere* trahentes, urget, *Rad.* כסף *in Scriptura ſemper in bonam partem uſurpari.* Pone verum: an inde conſequitur nunquam *in malum*, vivente Lingua, fuiſſe adhibitum. Mala concluſio *ex quinque Locis* facta. Eodem jure colligere eſſet, Latinum *petere*, & *appetere*, non eſſe *hoſtile*, quia ſæpe *amicum.* Nil anguſtiorem facit interpretem, quam ex anguſtiis Linguæ Hebrææ hodiernis antiquam ejus indolem metiri. Nimis tamen propere pronunciabat Vir Doct. quum aperte *in malum* ſe præbeat *Pſ.* 17: 12. *Ut Leo* יכסף לטרף *concupiſcit dilacerare.* Melius adhuc dederis, *Appetit, ad dilacerandum*; qua ratione ſatis congrueret illud *Pagnini*, *deſiderabis perdere*? niſi quod *interrogatio* convertenda potius eſſet in *aſſeverationem*, *Opus manuum tuarum appetis*, & perdere diſcupis. Sic erit eadem *Expoſtulatio*; quæ *Cap.* 10: 3, 8. Quod Cl. *Crom.* ut & ego in *Juvenil.* ex كشف *aperte geſſit*

ini-

16 כי־עתה צעדי תספור לא
תשמור על־חטאתי :

16 Nam nunc greſſus meos dinumeras: quod nullius eſt momenti, memori mente ſervas mihi pro peccato.

17 חתם

17 Si-

inimicitias in 3. vel *detexit* tentavimus, non convenit cum uſibus reliquis, & *diſcordiam* parit *Dialectorum*, quarum *concordiæ* conſulendum. Recurri debuiſſet ad كسف, quod ꝫ כסף reſpondet. Hinc ſuſpicor adhuc profundius quid & venuſtius ſubeſſe. Nempe כסף *deſideravit*, *vehementer appetiit*, ſecundum *Originem* ſuam valuit *pallidus*, & *luridus fuit*. Hoc *Arabibus* كسف, de quo alias. Inde *vehemens deſiderium* aſſumtum, quod ferme *pallorem* vel *lurorem* adfert. Notæ formulæ Latinæ *Tabeſcere deſiderio*, itemque *palleſcere*, *impalleſcere*. Non ſpernes figuram *Gen.* 31: 30. *Omnino impalluiſti ad domum patris*, ejuſque *deſiderio tabeſcis* quaſi ac *lureſcis*. Item *Pſ.* 84: 3. *Lureſcit*, *quin conſumitur anima mea ad atria tua.* Qui *bonum* quid huic contextui ineſſe putarunt, etiam hic inveniunt, quod ipſis officiat; nam veriſimile non eſt *Benignum* Dei *adfectum* tam gravi & triſti verbo expreſſum, quod adfert *vultum contractum* & *auſterum.* Sentio qui *colorari* poſſet, ſed revera eſſet *color.* Infero propterea cum aliqua perſuadendi fiducia, *in opus manuum tuarum Auſterum trahis vultum.* Sane كاسف כוסף *Arabibus* eſt *Auſterus vultu*, *Torvus*, quin, quod & *Lurori*, ejuſque cognato *Livori* inditum a Latinis, *invidus*, qui ad alterius læta nimis & proſpera *vultum trahit.* Omnia hæcce ſub hoc verbo comprehenſa, vix dubitabis, ſi replicaveris quæ *Cap.* 10: 3, 4, 5, 6, 7, 8, 13. &c. explicita. Hac *Expoſtulatione animoſa* nimis & *præfracta* & hic uſum Noſtrum, ſequentia declarant, qua *Cap.* 10: 14, 15. objecta, refricantur, & novis coloribus gravantur.

Verſ. 16. Favet expoſitioni meæ nexus ſponte nunc fluens, de quo *de Pined.* *Quomodo hæc cohæreant cum præced. nihil certi habent Interpretes.* Nil mirum quando tot incertæ Hypotheſes. Apud eum quatuor diverſi conatus. Totidem diſſoni apud *Schmid.* Horum omnium gratiam Lectori meo faciam; eo magis quod omnes in id ſaltem conſpirent *ſeveritatem* nimis *rigidam* hic notari. Illud *Auſterum* nempe, quod verbo יכסף graviter expreſſerat Noſter, ulterius iterum deducit, & demonſtrat, illatione facta per כי עתה *Nam nunc*, quæ eſt formula *probantis.* Nemini porro non promtum, quid valeat *Numerare greſſus*, inſtar *ſpeculatoris* videlicet, & *obſervatoris rigidi.* Majus negotium faceſſit *alterum colon.* Id *Vulg.* 1. dedit, *ſed parce peccatis meis:* proprie, *Non obſerves peccatum meum*; ut *de Pined.* monuit. Vicinum eſt apud eundem, *Ne ſerves iram ob peccatum meum. Pagn.* 2. maluit, *Non differs peccatum meum.* Traxit *Mercerum*, qui id exponit, *Non reſervas nec differs ejus punitionem.* Sequitur & *Codurc*dans, *Non comperendinas ſuper peccato meo.* Non reſpondet vehementiæ *Actoris*, ſi vel Linguæ reſponderet. Ita tamen & *Raſchi*, *Ralbag. Periz.* &c. *Ab. Eſra* 3. coactius, *Non ſervas* niſi *peccatum meum.* Cum inſertione minus commoda quoque *Piſcat. Belg.* 4. *Non ſervas* me *propter peccatum meum.* Per *interrogat:* 5. tentatum ab aliis, *Nonne obſervas peccatum meum*? ſubſcriptum a Cl. *Cler.* qui etiam prius membrum ſic extulit, *Annon nunc greſſus meos numeras*? Rotundius Cl. *Cocc.* 6. *Nam nunc*, *dum greſſus meos numeras*, *non obſervatorem agis ſuper peccato meo*? Utcumque ſenſui litatum, Linguæ minus. Cl. *Schmid.* 7. & *annon ſervas*, retines, *peccatum meum*? Eodem tendit Cl. *Guſſ.* in שמר: An ita nunc loqueretur acerrimus ſui defenſor? Idem Erud. *Vavaſſ.* repono, danti 8. *Non ſervabis ſuper peccatum meum*? i. e. *reſervabis pœnam*, & *parces*?

Ibid. Ex omnibus hiſce, meo quidem judicio, nihil ſtare poteſt, præter illud *Cocceji*; quod

17 Sigillata eſt in ſacculo prævaricatio mea: & allinis ad iniquitatem mihi.

18 Et

17 חתם בצרור פשעי ותטפל על־עוני׃

18 ואולם

quod mollius ſic concinnes forte: *Nam nunc greſſus meos numeras: nonne obſervatorem agis ſuper peccato meo*? i. e. *nonne aliquid captas magis, quam invenis, quod in peccatum mihi imputetur*? Duriuſculam tamen, & nimis abruptam eſſe *interrogationem*, nemo non ſentit, quum ſequentia cum *aſſeveratione* enunciéntur. En ergo conjecturam, audaciorem quidem illam, ſed neceſſitate expreſſam. *Nihilum ſervas*, vel *obſervas*, *pro peccato meo*. Cum *ſtomacho* hæc prolata cogites. לא *Nihilum*, illa *ſubſtantiva vi*, quam ſæpiuſcule indicavi, τὸ μηδὲν. Cave arguteris. *Nihilum* vocare potuit Noſter, Adfectu rapiente, quod *parvum*; quod *nullius momenti*; quod *in rationem criminis*, ad tantam utique pœnam, non debuiſſet *induci*. Ita loqui ſolent Litigantes, *culpam*, ſi quæ forte hæreat, *extenuaturi*. Malim tamen *Nihilum* adhuc fortius, *quod non apparet*, *quod ignotum* plane *illi*, *cui quid imputatur*. Ita *loqui*, ita *agere* potuit, dixerim ferme, debuit, qui *Cap.* 13: 23. popoſcerat, *peccatum meum notum fac mihi*. Alia in hunc ſenſum indidem repetantur. *Illud* nunc *ſervare* arguit, vel *obſervare* & *captare* Deum. Utrumque reſpondet; ſed prius prævalet; ut ſit, *ſervas* irato animo, *cuſtodis penes te*, *in ſinuque recondis*; ad vindictam ſeveriſſimam. Interioris eſt elegantiæ על ὑπὲρ *pro*, *vice*, &c. præſertim in *rationibus*, & *æſtimationibus*. Ita *Lev.* 25: 31. *Ædes pagorum* על *pro agro terræ reputabuntur*. Sic & *Arabes* ſuum علي uſurpant.

Verſ. 17. In eandem mentem ſubtexitur, *Signata eſt in ſacculo prævaricatio mea*. Figura eſt paulo abſtruſior. *Merc. Clauſum & ligatum in pera* quaſi *ſcelus meum*, *ne tibi pereat*, *ut aurum*, *argentum*, *alia*, *peræ includuntur*; & *obſignantur*. Ita *Doct. Belg.* & reliqui ferme *Interp.* Aliis, quibuſcum ſentit Cl. *Cler.* placet *metaph.* a *Chartis in faſciculum colligatis*, & *ſigillo munitis*, *ne quid perdatur*. Poſterius magis rideret, ſi *Actoris perſonam* nunc ſuſtineret Deus, cui *Chirographa*, *Teſtimonia*, atque *inſtrumentum* omne *litis* ad manum. Iſtam imaginem Circumſtantiæ non patiuntur; ad quas prior ratio lenior. Affinis figura *Hoſ.* 13: 12. צרור *Ligata* eſt tanquam *in ſacculo iniquitas Ephraimi*; *reconditum ejus peccatum*. Id ab *Archivis*, & *Tabulariis*, in quibus *decreta* aſſervantur, plurimi derivant; noſtrum quoque locum eodem pertinere ſtatuentes. Alii ad *Theſauros pœnarum* volunt reſpici, *in diem iræ repoſitos*. Confer *Deut.* 32: 33. quæque ibi Viri Clariſſ. C. *Vitr.* & H. *Venem.* Vicina ſunt; nec tamen eadem: nam non admittit ſeries noſtra *vim* illam *Criminum graviorum*, cum *pœna* iiſdem *decreta*; quum *Jobus* πῶς κὴ ὅλως in eo ſit, ut *injuriam* ſibi fieri demonſtret. Aliena proinde, quamvis docta, quæ hic promſit *de Pined.* de *Theſauris iræ ad juſtum pondus expenſis & cuique aſſignatis*. Ut ſibi conſtet Noſter, vel aſſentiendum eſt Cl. *Schmid.* hic intelligi tantum *peccata infirmitatis* & *ignorantiæ*, quæ tamen Deus ei *imputarit*, & in ſeveriſſimam vindictam a *longo accumularit*: vel aliter paulo *Sacculus* ille *obſignatus* eſt accipiendus; quem Noſter pro ſuo adfectu deflectere potuit ad *Crimina* ſibi plane *incognita*. Ita vocabula פשע & עון adhibita eſſent per *Conceſſionis* ſpeciem: q. d. *Enimvero Reus peragor*, *plector*, *exſcindor*, *ut Turpis prævaricator*; *quænam ergo & quotnam iſtæ meæ prævaricationes*? *O Tu*! *cujus ad Tribunal accedere ſuſtinui. Meam quidem conſcientiam excutiens*, *nihil invenio. Videlicet apud Te in ſacculo abſcondita* & *obſignata* tenes *delicta* mea, quæ *utinam* mihi *innoteſcerent*! ut *ſaltem ſcirem*, cur tam *dira* in me *exempla edantur*. Sentis *inſtantiam* ſat *acrem*; quæ *Cap.* 13: 23, 24. ad amuſſim reſpondeat. Poſſet adhuc *animoſius* quid elici; ut formula proverbiali *in ſacculo obſignatum* habere *alicujus crimen*, dicatur is qui adverſus aliquem *in pectore fovet* & *coquit iras abditas*, *quarum cauſa* non *extet*, vel

18 ואולם הר־נופל יבול וצור יעתק ממקומו׃

18 At enimvero mons cadens emarceſcit; & veteraſcit e loco ſuo rupes.

19 אבנים

19 Pe-

vel ſaltem *non appareat*. Nec obſtat uſus *Hoſ*. 13: 12. nam ut *fovere abditas iras*, infert *rancorem*; ita nil impedit quominus & *odium ex veris criminibus conceptum*, *altaque mente repoſtum*, ſerie ita ferente, conſignet.

Ibid. Huc tendit verbum תטפל. Variant verſiones, pro varia notione, quam quiſque ferme privam ſibi format in Themate ter tantum occurrente. Ad *ſacculum conſutum* traxere *Jun*. & *Trem*. quaſi proprietas foret *ſuere*. Cl. *Schmid*. maluit *colligare filo circumducto & adſtricto*. Idem placuit Cl. *Cler*. danti, *Et conjunctim ſervas iniquitatem meam*; *in chartis* nempe *vinctis*. Præiverat *Codurc*. Alii latiore ſenſu *conjungis*, *connectis*, *ſuper iniquitatem meam*, *minutatim colligendo*, *& crimina criminibus addendo*, *ut magnus exſiſtat cumulus*. His primaria notio *agglutinare* vel *compingere*. Sic *Merc*. *Piſc*. *Belg*. *de Pined*. *Cocc*. &c. Hinc טפלי שקר *Compactores mendacii*, ſecundum eoſdem *Pſ*. 119: 69. & *Job*. 13: 4. Ex *Rabbinis* nonnulli, *Agglutinas te ſuper iniquitatem meam*, *iiſque adhæres obſervator & vindex*. Spretum merito a *Merc*. & *de Pined*. Rejiculum quoque illud *Vulgati*, *ſed curaſti iniquitatem meam*; quod fruſtra colorare nititur *de Pined*. in eo interim laudandus, quod non nimis obnoxius tentaverit ex uſu *Cap*. 13: 4. *& concinnas atque componis ſuper iniquitatem meam*, *eam amplificando*; *& graviores*, *quam debeam*, *pœnas a me exigendo*. Non abſimiliter *Drus*. *Et adſuis ad iniquitatem meam*. Hoc commodiſſimum cenſerem, ſi conſtaret ſatis de proprietate *ſuendi* vel *ſarcinandi*. Ea tamen conjectura tantum nititur, ut ad *Cap*. 13: 4. inſinuatum. Ibi ad veſtigia in *Dialectis* extantia produxi *incruſtare*, *Linire*, & *Linendo fucare*, *colorare*; unde טפלי שקר proprie eſſent *Linitores fuci*. Hinc foret, *Allinis ad iniquitatem meam*, vel, *ſuper eam*; eodem ſenſu quo *Merc*. *Drus*. *de Pined*. &c. vel & auctiore, ac *plus ſtomachi* ferente; quod quale ſit, reperies *Cap*. 10: 6, 7. *Calumnias adverſus ſe conquiri a Numine*, ad Innocentem *ſpecioſo titulo* perdendum. Audacter profecto, & calide nimis; aſt Interpreti non videndum, quid *dicere debuiſſet* Noſter; ſed quid *dixerit*; atque etiam *crudius*, & *vehementius*, *ex ore* ejus *emiſſa verba*, non *linenda*, nec *lenienda*. *Calumniam* proinde, & *quæſita crimina*, verbo טפל hic expreſſa, vix eſt quod dubitari queat; quicquid tandem de *Origine* ejuſdem conſtituatur.

Ibid. Præterire nequeo conatum Cl. *Crom*. quem attigi *Cap*. 13: 4. is ex uſu verbi طفل in 2. *Conj*. dat, *viſitas importune iniquitatem meam*. Quod ad ſenſum, convenit cum *Rabbinico* illo, *agglutinas te obſervator & vindex*: ſed diſconvenit *vehementiæ* orationis. Obſtat præterea, quod طفل *importune viſitavit*, uſurpatur in *paraſitis* & *conviviorum Muſcis*, ut patet ex 5. تطفل *venit ad convivium non invitatus*. Increbuit a *Tophailo* quodam, ut *Schol*. *Haririi* ad *Conſ*. 16. docet, qui *ſemet ipſum ad Nuptias vocare* ſolebat. Idem a Cl. *Golio* annotatum. Nullus itaque nunc locus iſti uſui *jocoſo*, & *Proverbiali*, cujus *Origo* recentior; & quæ etiam nihil commune habet cum *Cap*. 13: 4. Non omne quod *Arabia* fert, æque aptum. Hæc veritati debebam, de cetero ſtudiis *Viri Doctiſſ*. meritiſque præclaris impenſe favens; ab eoque profeciſſe me agnoſcens.

Verſ. 18. Ab *expoſtulatione* reditur ad *comploratienem mortalitatis irreparabiliter conſumentis*, ac *delentis Univerſum genus*. Hoc non una *ſimilitudine* illuſtratur & exaggeratur; in quarum nexu & ſenſu hæretur. 1. Nonnulli ceperunt ut *votum moriendi*, vel potius *Querelam de morte prorogata*; quo nihil hic alienius. 2. Ad *ſpem reſtitutionis* arceſſitius adhuc tractum a Cl. *de Dieu*, *Contingunt ſæpe inſpe-*

19 Petras comminuunt aquæ, proluunt effuſiones earum pulverem terræ; ſic hominis expectationem feciſti perire.

20 Va-

19 אבנים שחקו מים תשטף ספיחיה עפר־ארץ ותקות אנוש האבדת׃

20 התקפהו

ſperata, & impoſſibilia facta. Montes cadunt; rupes moventur ſede; lapides aquarum guttis cavantur; & quod non niſi diluvio fieri poſſe videbatur aquarum, id ipſe pulvis interdum præſtat; inundat quæ e terra naſcuntur. Tu ergo qui hæc facis inſperata, ſpem hominis eluderes? &c. &c. Merum ſentis frigus; quod vereor ne Cl. *Schmid.* auxerit 3. hunc dans conſpectum, *Ecce omnium rerum, etiam difficillimarum, ſpes tamen aliqua eſt. Ergone Tu facies ut homo nullam habeat ſpem?* Quid audio? an *ſpes montis* in eo *ſita*, ut *cadat*, ut *diffluat*? &c. Sed videtur Vir *Doctiſſ.* voluiſſe *nihil non tempore fieri vel in bonum, vel in malum. Proinde par non eſſe ut homo ſine ſpe reſtitutionis jaceat tamdiu adflictus.* Hæc hiant, & *diſſimillima*, ſane fiunt; ut totum illud *ex diſſimili* quod hic captarunt R. *Salom. Nachman.* aliique alia adhuc via, nimis eſt coactum. Cl. *Cler.* 4. cenſet *hæc ſpectare Dei potentiam, quæ quum tanta efficiat, conſumatque res tam durabiles, mirum non eſſe ſi minus firma intereant.* Id minus hic quadrare ſentiens ſubjungit, משל *figuratæ orationis nexum ſubtilius quærere ſupervacuum eſſe; quia in hujuſmodi ſcriptionibus ejuſdem ratio non ſemper habetur.* Siluiſſe mallem. Melius procedit 5. quod *Merc.* exhibet, de *morte hominis irreparabili*; niſi quod & ipſe tandem deflectat ad aliquid minus aptum nexui, *ſi montes ſtabiles; ſi rupes immotæ; ſi lapides præduri; ſi terræ quoque, alluvione aquarum conſumuntur irreparabiliter: cur non & homo, infirmior natura, interibit, idque ſine ſpe inſtaurationis?* Sequebar olim; quod melior necdum via pateret. Similia ferme habent *Doct. Belg.* in *not.* quorum verſio, iſtud *ſi* omittens, eſt nervoſa valde, & rotunda, in certiſſimam hancce mentem *Jobi: Irreparabilem* eſſe *occaſum Hominis*, ejuſque *fatalem* illam *ruinam*, haud ſecus ac *Montis collapſi, Rupis a radicibus revulſæ; Lapidum a fluctu exeſorum: quia & Terræ, alluvionibus attritæ,* & *abſorptæ.* Horum nihil, ubi ſemel corruit, aut abſumtum eſt, inſtaurari ſe patitur; ad quam *ſimilitudinem trigeminam*, vel & *quadrigeminam*, *nulla* plane *ſpes reviviſcendi relicta* ei qui ſemel *occubuit*, & יחליש κνεὶ ἰδμῆθα ut *Vſ.* 14. vidimus. Eſt ergo *Amplificatio* illius *Vſ.* & *continuatio Vſ.* 11, 12. quæ ad finem uſque capitis pertexitur. Cl. *Cocc.* ex parte noſter eſt, quum hic ſtatuit argui *ſeveritatem Dei* ex eo, *quod Homo molliſſimus, inſtar duriſſimarum rerum, vehementi, & aſſiduo conatu abſumatur a Deo.* Videtur tamen *plagas* hujus *vitæ* magis reſpexiſſe, quam *gravem* illam *mortis ruinam*, in quam nunc acies *Jobi* defixa.

Ibid. Ad clariorem lucem obſervo, in priori figura הר נופל יבול *Mons cadens diffluit, diſſolvitur*, proprie *emarceſcit*, alluſum ad uſus ſignatos verborum נפל *Cadere*, & נבל *emarcidum eſſe*; quorum prius pro *occumbere morti* tritiſſimum; poſterius נבלה *cadaver emarcidum* & *putridum* ex ſe propagavit. Latinas tantum ideas conſulenti alienius videri poſſet, quod *Mons* dicatur *emarceſcere*: ſed ſciendum נבל proprie notare, omni *ſucco* ac *vigore conſumto dilabi*, ac *perire*. Apud *Græcos* quoque, καταῤῥεῖ dicuntur *omnia quæ collapſa diffluunt.* Imago vere Orientalis, *Mons collapſus, ſuaque ſub ruina ulterius dilabens, abſque ut reſurgere queat, ullisve molitionibus denuo excitari*; traductus ad Hominem, *irreparabili ruina mortis oppreſſum.* Comparatio ipſa *intra fines naturæ conſiſtere* jubet: quod moneo, ne quis iterum *Reſurrectionem futuri ſeculi ignoratam* a Noſtro cavilletur.

Ibid. Anceps, ſitne יעתק *convellitur*, an *veteraſcit petra e loco ſuo*, nam radix עתק utramque notionem amplectitur. Prius ubique expreſſum cernas. Suſpicor utrumque nunc intentum; ut ſit, *Convulſa veteraſcit*, atque abo-

aboletur, ut *ne veſtigium* quidem ſui *relinquat*; nedum ut a lapſu reſurgat. Nihil plenius ad ſcopum, adfectumque Noſtri, cujus mœrorem infinitum hæc *Schemata*, vere *Tragica*, præbent introſpiciendum. Si σύλληψις minus placeat, eodem te reducet hæc verrendi ratio, quam *prægnantem* vocant, *Et petra veteraſcit e loco ſuo*, ſupple, *mota*, aut *revulſa*. Exemplorum extat ſeges.

Verſ. 19. Gemina iterum comparatio in eundem ſcopum collineans. Prima eſt, *Lapides comminuunt aquæ.* Plerique dictum putant ut illud, *Gutta cavat lapidem:* quod, pro diverſa hypotheſi, diverſimode accommodatur. Iſti *proverbio* parum opportuna ſeries, quæ *vim* requirit & *violentiam*, *diluvii* inſtar *ſubruentem*, & *aſportantem*, *ſine ſpe reſtaurationis.* Agitur omnino de *vaſti ponderis lapidibus & ſaxis*, *alluvione ita exeſis*, *ut ſub pondere ſuo concidant*, *atque in profundum ſubſidant*, *nunquam emerſura.* Habes imaginem *Mortis*, *alluvione ſua genus humanum comminuentis, & conſumentis*; *abſque ut cuiquam vel evadere*, *vel emergere*, *detur.* שחק eſt *conterere in pulverem*, & quidem *cum vehementia*, *ut* aliquid *complanetur*, & *ſolo æquetur.* Confer *Pſ.* 18: 43. Id ſummo cum delectu hic poſitum agnoſcere eſt.

Ibid. Majores fluctus ad ſequens membrum exiſtunt. 1. Doct. *Belg.* cum pleriſque ſtruunt, *inundat ſponte nata ſua pulvis terræ.* Id Cl. *Cocc.* eſt, *lætam faciem terræ mutare ſterili ſabulo.* Hoc connexuit cum ſeq. *Vſ. Sic tu hominis faciem a pulchritudine ſua in deformitatem mutas.* 2. Quid Cl. *de Dieu* ſimili adſpectu placuerit, reperies ad *Vſ.* 18. 3. Cl. *Schmid.* mirum tropum finxit, *Pulvis terræ extendit* inundationis inſtar *ſponte naſcentia ſua.* Mirabilem quoque confinxit ſenſum; *ſi fiat nonnunquam*, *ut nulla detur ſementis*, *nec meſſis ſperari poſſit*, *ſupereſt tamen adhuc aliqua ſpes*; *quod ipſa terra abundanter prolatura ſit ſponte naſcentia ſua*, *unde homines vivant.* Nollem Vir *Doctiſſ.* ſuæ iſti filiolæ oſculum, cum palma, dediſſet. Commodius 4. Cl. *Clerico* viſum, *inundas proventum pulveris terræ*; ad quod extundendum legit ספיחי העפר ארץ. Infelix criſis; qua *He Emphaticum* in *Regimine* ſtare cogitur, quod pro *adfixo* bene ſederat. Non felix quoque conatus, quo idem Vir Doct. *Spem hominis perditam* trahit ad *terræ fructus*, *qui ſint ſpes agricolarum.* 5. *Merceri* judicio ספיחים jam non ſunt *ſponte naſcentia* terræ; ſed *decidua aquarum*, earumve *ſtillicidia*, ſeu *collectiones*, *quæ* tandem, *invicem junctæ*, *faciant inundationem qua omnia verrantur.* Exiſtimat nempe a ספח *adjunxit*, non tantum fuiſſe ספיחים in *deciduis meſſium ſponte enaſcentibus*, ſed etiam in *deciduis* ſeu *collectaneis aquarum*, *guttatim coëuntium*, *granorum inſtar.* Hinc Doct. *Piſcatori* anſa 6. præbita vertendi, *inundas guttis ejus pulverem terræ.* Tetigerat hoc ipſum *Merc.* Utrumque merito diſplicuit; quis enim digerat *ſtillicidia*, & *guttas*, *quæ inundent* mox, *diluviemque inferant*? Originatio etiam arceſſita. Idem dicendum de 7. ſententia *Kimchii*, per *metatheſin* a סחף *verrit*, *verrente fluxu abſtulit*, vocem noſtram derivantis, quamvis alias opportuniſſimam eſſe notionem nemo inficias iverit. Certe *Genev.* ac *Deodat.* eam adſciſcere non dubitarunt. *Ab. Eſra* quoque, vi ſententiæ ductus, ספיחיה per גליה *Fluctus ejus*, expreſſit. Similiter LXX. Κύματα habent; & *Vulg. alluvionem.* A plurimis tamen, quod hi *fluctus* parum cohærere viderentur cum *terræ Naſcentibus*, adhæſum certiori huic, ut putabant, notioni. Quanto cum incommodo, percipias ex explicatione Cl. *Cocc.* quæ ſola aliquid tolerabile offert. Sane *terræ faciem ex læta in ſterilem immutari* nemo ſic deſcripſerit, ut *ſponte nata ejus ſabulo obruta* dicat. Quid ponderis habent illa *Sponte nata*? &c. &c. Non agitur etiam de *ſterilitate*, ſed de *irreparabili ruina terræ*, cujus ne *ſaxa* quidem ab *aquis* omnia *invadentibus* & *atterentibus tuta.* Vide ergo 8. an accedere poſſis Cl. *Guſſetio*, in voce עפר, novum hunc conſpectum præbenti. *At interim tamen*, *monte in cadendo diffluente*, *rupe e loco ſuo migrante*, *lapidibus aqua attritis*, *tu poſtea inundationis inſtar copioſe operies pulverem terræ productionibus ejus ſpontaneis. Spem autem hominis perdidiſti.* Tribus argumentis interpretationem hanc fulcit Vir *Doctiſſ.* Primum eſt, quod *Sponte Naſcentia ſint objectum minus notabile deſolationis*; *quum renovatio terræ in iiſ-*

 dem

20 Validus prægravas eum in perpetuum, & abit: mutans faciem ejus, ſane expellis eum

21 In-

20 תתקפהו לנצח ויהלך מְשַׁנֶּה פָּנָיו וַתְּשַׁלְּחֵהוּ׃

21 יכבדו

dem merito conſtituatur, quippe quæ ab illis inchoetur. Alterum, quod *ſpes hominis perdita, requirat terræ ſpem non perditam, etiam in graviſſimis caſibus.* Tertium, quod ואולם ſit *adverſativum.* Recte vero; ſed cum *Vſ.* 14. nectendum. Doleo vicem excellentium ingeniorum, ſic ſemet fruſtra fatigantium; ob male jactam *Hypotheſin*, de *Lingua Hebræa ſuis radiis lucente, ad inſtar ſolis.* Quantum incommodi adhæreat huic expoſitioni non exequar. Sex ad minimum ſcrupulis urgetur. Sed videamus 9. quid *Bolducius* in medium dederit, eandem *Renovationem terræ* adhuc grandius & figuratius inducens. Vult nempe *Jobum viribus exhauſtum ſeſe comparare Monti, Rupi, Lapidibuſque, qui ex ſe quidem ſteriles, ſed aquis attriti, in pulveremque diluti, reddantur fœcundi; ita ut gramina, & alia ſponte naſcentia abundanter producant.* Verbum תִּשְׁטֹף *intranſitive* nectit cum עפר, ut ſit, *Pulvis terræ inundabit*, i. e. *abundabit, luxuriabit ſponte naſcentibus ſuis.* Ad eam rationem nunc *peteret Jobus, ut & ſibi miſere adflicto refici, & fœcundari*, daretur, *ad propagationem generis & familiæ.* Simile quid reperias apud *Jarchium*, qui etiam *Vſ. præc.* יבול *emarceſcit* converterat in *proventum feret*, quaſi a יְבוּל. Hæc refutare nihil attinet. Ponam 10. quod jam olim propoſui, ex uſu Radicis سفح ספח in *Dial. Arab. Fudit, effudit.* Inde *ſponte Naſcentia*, quaſi *Fuſa, profuſa* a terra matre. Sed quidni in alia ſerie? *Fuſa aquarum, Eluviones.* Sic ſine *Metatheſi*, ex ipſa *Origine* ſ ספח, habes ſenſum, qui *num.* 7. comparebat. Conſtructio hæc eſt. ספיחיה ſe refert ad מים *aquas*, ſolenni *Arabiſmo*, quo *adſ. ſing. fæm.* reſpondet *plurali maſc.* Similiter הִשְׁטֹף *Inundat*, pro *inundant fuſa earum*, cum *plur: maſc.* iterum *ſing. fæm.* conjuncto. Exempla nonnulla dedi in *Animadvſ. Juvenil.* Plura alibi præſtabo. Per עפר ארץ non intelligo *ſuperficiem, quæ immiſſa inundatione radatur*, ſed *corpus ipſum terræ* per *eluviones detritum, & irreparabiliter abſumtum.* שטף non eſt ſimpliciter *inundare*, ſed *aquæ fluxu ſulcare & terere.* Hinc *abluere, proluere, gravi aquarum impetu obruere.* Cuncta hæc ſtringo tantum. Vis ſimilitudinis tandem huc redit; *ut Terra alluvionibus irreparabiliter atteritur, abſumitur, abſorbetur; ita Terræ incolas, Mortis torrente impetu, ac diluvie, verri, vehi, ſorberi, ſine ulla ſpe vitæ reparandæ, atque a communi illa clade vindicandæ.* Geminum germanum eſt *Pſ.* 90: 5. זרמתם *Inundas eos*, ac velut *aqua torrente rapis ad mortem.* Hanc eſſe genuinam *Jobi* mentem, non eſt quod pluribus arguam, quum univerſa ſeries illuc feratur.

Ibid. Solide obſervatum a *Pagn. Merc. Cocc.* aliiſque, poſterius *Et* valere *ſic.* Hoc ſi omnes tenuiſſent, in tam devia itum non fuiſſet. Nullus *interrogationi* locus, qua uſi *Bold. de Dieu. Schmid.* Languet quoque *copulandi* vis, quam *Cler.* retinuit, quaſi ageretur *de ſpe agricolarum*, & *meſſe.* Omnino *ſpes hominis* eſt *ſpes reviviſcendi*; ut *Vſ.* 7. dictum fuerat, *Arbori eſſe ſpem.* Quamvis autem *Et* per *ſic* reddiderim, ſciendum tamen ſignantius adhuc cenſeri apud Orientales in *Proverbiis*, & *comparationibus*: & non eſſe plane idem quod præmiſſo *ut*, Latinis eſt *ſic.* Eſt potius, *Eodem modo*; comparatis abſolute poſitis; *Mons cadens marceſcit: petra mota loco veteraſcit &c. Eodem plane modo ſpem hominis perdidiſti; omnemque ei expectationem vitæ recidivæ amputaſti.*

Verſ. 20. In hanc mentem graviſſimis figuris pergitur, *prævales ei in æternum* &c. Cl. *Schmid.* cum *interrog.* extulit, *Ergone premes eum perpetuo, donec e vita abeat?* &c. quaſi

eſſet

21 יכבדו בניו ולא ידע ויצערו ולא־יבין למו׃

22 אך בשרו עליו יכאב ונפשו עליו תאבל׃

21 Invaleſcunt filii ejus, & non cognoſcit: evileſcunt, nec intelligit ad eos quæ pertinent.

22 Tantummodo caro ipſius ſuper ipſo luret: & vita ipſius ſuper ipſo emarcida luget.

eſſet *deprecatio præſentium malorum.* Idem viſum *Bolducio*, ſed citra *interrog.* Alii ceperunt pro *voto mortis*, & *liberationis ex hac miſeria*; ut ſit, *prævaleas ei in æternum* &c. Horum nihil quadrat. Minus adhuc *Vulgati illud*, *Roboraſti eum paululum*, *ut in perpetuum tranſiret.* Ingenue *Vavaſſ.* & *de Pined.* fatentur *Hebræum* potius adferre, *Fortior eo eris in æternum: prævalebis ei* &c. Hoc ad *mala* hujus *vitæ jugiter prementia* revocat *de Pin.* quem ſecutus *Cocc.* Ad *mortis vim inſuperabilem* ſecundo filo applicuit *Merc.* qua ſemel *victus*, *ſtratus*, *ſopitus*, *reviviſcere nequeat*, *juxta naturam.* Utrumque amplecti licet; ita tamen ut poſterius maxime intendatur. תקף eſt graviſſimum verbum, quod per *vincere*, *prævalere*, &c. declaratur. Ex *Dial. Arab.* quæ ثقف ſervat, diſcimus, primariam vim eſſe στυφελίζειν *invicta duritie ſuperare* aliquid, vel *domare.* Confer חלש ad *Vſ.* 14. Alterum הלך *ire*, valet *perire*, *abire*, *abſque ſpe redeundi.* Sic هلك βαίνειν, οἴχεσθαι, & alia complura. לנצח *in perpetuum*, *in æternum*, cohæret cum תתקף, & infert idem quod *Vſ.* 12. datum. Proprie eſt, *in purum putum.* Redi ad *Cap.* 4:21. משנה פניו *Mutans faciem ejus*, ex mente *de Pined.* referri poſſet *ad varietatem adfectuum & perturbationum*, *qua homo ſubinde diverſos vultus ſumere cogitur.* Calculum addit *Cocc.* Melius, quod *de Pined.* adjecit de *Habitu moribundi aut defuncti.* Solide *Merc.* *Vultum ejus ex nitido reddis pallentem luridumque.* Ego & *Morbos pallentes*, & *Luridam* atque *horridam mortis faciem*, complecterer, cum *diſſolutione* & *putredine*, ſub qua *e terra viventium expulſi jacemus.* Huc fertur illud *emittis*, *expellis eum.* Nempe tanquam *impurum* & *fœtidum* quid. Opportune laudatum a *de Pined. Num.* 5: 2. ubi de *ejectione ignominioſa leproſi extra caſtra.* Simul alluſum ad *projectionem cadaveris.* Mœſtus mœſta pingit Noſter; & paratragœdiatur pro adfectu ſæviente.

Verſ. 21. Certum, deſcribi hic *abſciſſionem e terra viventium*, *quæ* ſimul *omnem cognitionem*, ac *communionem*, *rerum hujus vitæ abſcindat*, in perpetuum. Sic *Merc. Belg.* aliique; a quibus ſeceſſionem facere non debuiſſet Cl. *Schmid.* dilutam inducens interrogationem, & ad *vivum hominem* hæc referens; in hanc mentem: *Ergone facies ut homo præ adflictionibus ſuis*, *nec ex liberis gaudium ſentire*, *nec in ærumnis eos juvare poſſit*? Alia coactiora reperias apud *de Pined.* Nimis arguta quoque *Cocceji* illa *prænotio fortunæ liberorum vivis Parentibus negata.* Omnino prius tenendum. Addo, occurri tacitæ objectioni, ut videtur, quæ moveri poſſet adverſus Tragicam hanc deſcriptionem Leti irreparabiliter conſumentis. Nempe *in poſteris* utique *vitam mortalibus propagari.* Ita ſane vanitas humana ratiocinatur, ſed eam hic refutat & deridet Noſter, nihil inde utilitatis ac ſolatii ad mortuos redundare oſtendens; qui & *Bona* & *Mala poſteritatis ſuæ* planiſſume ignorent. Duo verba כבד *Gravis fuit*, & צער *Exilis fuit*, diverſimode a Doctis *Interpr.* expoſita, pro diverſis uſibus. Nihil impedit, quo minus omnia complectamur; quin vis ſententiæ id poſtulat. Ergo יכבדו ſignat *Multitudinem*, *divitias*, *opes*, *gloriam.* יצערו contraria omnia infert.

Verſ. 22. Pathetica ſententia; quæ exercitos habet Interpretes. 1. ſeriem ſequens *Merc.* per *Proſopœiam* refert ad *Mortuum*, cujus *caro in ſepulcro doleat*, *dum a vermibus corrodi-*

roditur; *& anima lugeat*, *quod e corpore exierit*, *idque reliquerit eſcam vermibus.* Hoc genus *Hebræi* vocant מליצה נמרצה *Rhetoricam vehementem*; in quam *Ab. Eſra* & R. *Salom.* etiam inclinant. Poſterior adſperſit ex ingenio *Thalmudico*, *tam moleſtum eſſe vermem mortuo*, *quam acus eſt vivæ carni.* 2. Adfinis *Chald. Paraphraſis*, quæ duplex. Prima, *carnem mortui dolere inter vermes*; *animam autem*, *quod judicio ſiſtatur.* Altera, *Carnem mortui dolere antequam claudatur ſuper eum* גוללא *Lapis ſepulchralis*: (Male *Feretrum* ab aliis vertitur.) *& Animam ſeptem diebus ſuper ipſum lugere in domo ſepulcri.* Talia commenta quum nón poſſent non diſplicere cordatioribus; quumque *Merc.* interpretatio etiam difficultate carere non videretur, aliud quæſitum. Cogitatum ergo 3. de *moribundis quos dolor & metus mortis imminentis non ſinant familiæ ſuæ cura tangi*, *Liberorumve* vel *Bonis*, vel *Malis rebus*, *adfici.* Huc concedit *Erud. de Pined.* Aliis 4. commodius viſum ad *Miſeriam* totius *vitæ* hæc referre; quibuſcum faciunt *Piſc. Belg. Genev. Cocc. Schmid. Cler.* Utriuſque ſententiæ mentionem quoque fecit *Merc.* in qua laborat nexus. Ad eum expediendum Cl. *Schmid.* interrogatione utitur haud commoda, quaſi ſenſus eſſet, *Num homo ne ex liberis quidem percipiet gaudium*, *aut juvare eos poterit miſeros*? *ſed tantummodo in corpore & anima dolores experietur*? Cl. *Cler.* ait agi de *dolore hominis ante mortem*, *de ſobole ſua ſolliciti*, *cujus ſortem ignorat.* Cl. *Cocc.* argutiore ſenſu, *parentes nihil cauſæ dixerint*, *ſi poſſit adſlictio illorum liberis prodeſſe*; *aut in ipſis finiri*, *ne tranſeat ad liberos. Nihil horum ſcire datur. Ipſi interim miſeri ſunt*, *dum vivunt*; *corpore & anima.* Cl. *Guſſ.* עליו reddendum putat *Propter hoc*, ut *Hominis Caro* & *Anima* dicantur *dolere* dum vivit, quod *futuram liberorum ſortem ignoret.* Sic ille ſub *Rad.* עלה, non admittens τὸ עליו pro *in ipſo*, vel *ſuper ipſo.* Omnia hæc arguunt magnas anguſtias; in quas deventum ob *Carnis poſt mortem dolentis*, magiſque adhuc, *Animæ lugentis*, *duram* nimis *figuram*, quam periculo non vacare exiſtimabatur. Abuſus ſane *Codurc.* quum appoſuit, Ἕκαστος ἴδιον φορτίον βαστάσει; & *pœnas poſt mortem exantlandas*, in *purgatorio* videlicet, hinc elicit; addito mirifico diſcrimine inter *damnatos*, & *animas in purgatorium relegatas*; quod *ad poſteriores nullus ſenſus pertingat miſeriarum alienarum*; quum *priores etiam aliorum cauſa torqueantur*; ut *Dives de Fratribus anxius erat. Luc.* 16. Doleo talia viris cetera non indoctis excidere poſſe.

Ibid. Quid ergo? dicemuſne cum Cl. *Drus. Animam* hic eſſe *Corpus* ipſum, ſive *cadaver*? Sic Magnos Interp. in *Pſ.* 16. *Animam in* שאול *non deſerendam*, de *Cadavere* explicuiſſe notum. Sed nunquam probabitur נפש hunc uſum induiſſe: nam loca Legis, ubi de *Anima mortui* agitur, *unde pollutio contrahatur*, aliam habent relationem. Dicemuſne *animam lugentem* induci *poſt fata*, quod *deſiderio tangatur ſui corporis*, atque ejus *ſorti* quodammodo *indoleat*? Id cum ſaniore Doctrina non quidem omnino pugnaret; ſed ab hoc loco eſt alienius. τὸ עליו etiam aliud exigit, ut mox pateſcet. Nempe ad veteris Linguæ ancoram omnis hæc fluctuatio ceſſare poterit; ſecundum quam נפש ψυχὴ haud dubie notat *Halitum oris*, & *vitam animalem*, quæ inde pendet. Ea cum בשר *Carne*, rite juncta. Adhibita autem magno cum delectu verba כאב *mœruit*, & אבל *luxit*; quorum prius ex *Origine* valet *luridum eſſe*: alterum *marcere*, μαραίνεσθ. Jam ajo nihil gravius nihilque decentius, poſſe excogitari ulla in Lingua, quam quod *Jobus* hic extulit, ad *luctuoſam conditionem mortis pingendam.* Primum membrum, *Tantummodo Caro ejus ſuper ipſo mœret*, proprie eſſet, *Lureſcit*, *lurida tabe abſumitur.* עליו *ſuper ipſo* interiore pollet elegantia; quam non attigerunt, quibus *Caro ſuper ipſum*, valet, *qua veſtitus* eſt. Hoc quia minus quadrabat in *ſeq.* colo, anſam dedit Cl. *Guſſ.* in *neutro* exponendi, *propter hoc.* Alii volebant *propter ſemet ipſum.* Plerique hinc collegerunt de *Vivo* agi, quia עליו ex nexu referendum ad אדם *hominem* ex *Vſ.* 19, 20. aliter exponi nequeat nunc, quam *in ipſo*, dum *ei adeſt* & *caro* hæc, & *anima*, necdum per mortem diremtæ. Vid. *not. Belg.*

nec

nec non *Cocc.* qui habet, *Apud ipſum*. *Cler.* inſeruit, dum *adeſt ei* caro, & *præſens* eſt anima. *Schmid.* alieniſſime *ſuper ipſum*, pro *propter peccata ſuâ*; *quæ nimis rigide puniat Deus.* Proxime ad verum *Merc.* *In ipſo*; nec tamen vel commode, vel dilucide ſatis. *Mihi Super ipſo* eſt, *dum ita mortuus jacet*; *ſuper homine, quem mortis ſæva illa & indomita vis oppreſſit, Lurida mœret caro, & perpetua ſemet tabe conſumit.* Non debuiſſet *Doct. Merc.* de *vermibus* hic cogitare: quia *roſio* iſta & *depaſtio* non multum durat. At Noſter per omnia ſecula cogitationem ſuam dimittit, quorum longiſſimo curſu volvente hoc dictum in *Mortuos* & competit, & expetit; *Luret mœretque ſuper iis caro ipſorum*; *in tetrum pulverem & putrorem converſa.* Prius *Luret* proprie, poſterius *Mœret* improprie; ut *Agri*, *Arbores*, alia dicuntur *mœrere*, quum *ſiderantur*, & *exareſcunt.* Appoſitiſſima Σόλληψις. Eandem in poſteriori membro facile etiam agnoſcere eſt, ex *Marcendi* proprietate ſub אבל; unde reddo, *& Vita ejus ſuper ipſo lugens marceſcit*, vel *emarcida luget.* Commodiſſime ad genium Linguæ ſuæ exprimere potuiſſent *Græci*, καὶ ἡ ψυχὴ αὐτοῦ ἐπ' αὐτῷ μαραίνεται, nam verbum illud utrique uſui aptum. Minus opportunum, quo uſi LXX. πενθεῖν, quamvis nec illud ſublimior ſtylus abnuat pro *Vigore abſumto marcere.*

Ibid. Habes *picturam* pluſquam *Tragicam Mortis*, quemadmodum ea Noſtro in hac *Conteſtatione* cum Deo debuit obverſari, in quam conſtipavit quicquid formidoloſum, acerbum, dirum, ferale, in ferali illa ac fatali naturæ diſſolutione, quæ omnibus irrevocabiliter eſt ſubeunda. Arctiſſima cohærentia cum *Vſ.* præcedenti: quid enim *Poſteritatis* vel *florentes res opeſque*, vel *adflictæ*, ad illum qui *totus in pulverem extabeſcit*, atque *in perpetuum extinguitur*? Enervata ſimul objectio, *ibid.* indicata. Nec omnino rejiculum forte quod apud *Merc.* enotatur nomine quorundam, qui hæc putabant *oppoſita promiſſionibus ſociorum*, *de augenda poſteritate*; vel & *delenda* &c. Pronior eſſem in hanc opinionem, ſi adverſus Amicos Actio eſſet inſtituta. Nunc eam in medio relictam malim.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Verſ. 1. ויען אליפז התימני ויאמר׃

2 החכם יענה דעת־רוח וימלא קדים בטנו׃

3 הוכח

Verſ. 1. Et reſpondit Eliphaſus Themanita, ac dixit:

2 Num ſapiens reſpondebit ſcientiam venti? & implebit Euro ventrem ſuum?

3 Ad

Verſ. 1. Huc uſque *Primus orbis* acrium certaminum. Ea, ut fit, animos utrimque magis ac magis irritarunt; & non tantum *Jobum* provexerunt ad immodeſtiorem ſui defenſitationem, verum etiam Amicos impulerunt ad vehementiam plus quam cenſoriam; quam in hoc *ſecundo orbe oppugnationis* adverſus Noſtrum deſtringent, telis jam non oblique, ſed directe, in eum, tanquam *improbitatis manifeſtum*, intortis. Primas iterum partes & hic ſibi vindicat *Eliphaſus*; tonitrua & fulmina miſcens; quæ graviores mox procellas trahent, quibus, ad illius exemplum, a ſociis detonabitur. Oeconomia capitis illuſtrationis haud indiget. In nexu quoque evolvendo non laborabitur. Cuncta ad *ſcopum*

3 Argutando ſermone qui haud prodeſt; verbiſque in quibus nihil utile.

3 הוכח בדבר לא יסכון ומלים לא יועיל בם׃

4 Quin Tu infringis Reverentiam; & minuis precationem coram Deo.

4 אף־־־אתה תפר יראה ותגרע שיחה לפני־־אל׃

5 Sa-

5 כי־־

pum recta feruntur, Meritiſſimo jure in *Jobum* nunc expetere, quicquid irarum cœleſtium, dirarumque, *Improbis* denunciatum.

Verſ. 2. Acerbus *Sarcaſmus*. *An ſapiens reſpondebit ſcientiam venti*? Reſpicitur ad *Cap.* 12: 2, 3. & 13: 2, 6. atque per *Ironiam* nunc *Sapientis* titulus Noſtro datur. *Scientia venti*, pro *ventoſa*, i. e. *inanitatis*, *ſuperbiæ*, & *vehementiæ plena*, pulchre negatur proflari debere a חכם πυκινῷ *ſolido*, *ſolide compacto*, quippe quem tangere nequeant, nedum inflare, folles inſipientiæ. In eandem figuram tendit *venter vento Orientali impletus*. קדים *Eurus* non *vehemens* tantum, ſed & *ſubtilis* ac *noxius*, velut *halitu flammeo fructus urens*, ut docte ex *Colum:* annotatum a *de Pined.* quem hic conſuluiſſe non pigebit. Monuerat quoque *Merc.* a quo non erat, cur diſſideret *Schmid.* quaſi hic tantum *Vanitas* notaretur, ut in *Vſ.* 4. *Perniciofitas*. Idem Vir Doctus neſcio quid λεπτολογεῖ, quum *Ventrem* a *Merc.* aliiſque per *Mentem* explicitum, mavult ſtrictius retinere, quia *venter* eſt *ſermonis inſtrumentum*, ad quem proferendum, pulmones ventum concipere debeant; ut *ventrem Euro implere* nil aliud ſit quam *ſermones vanos habere*. Sed unde quæſo *Sermones Vani*? an non ex *Animo tumido* atque *inflato*? Ergo fieri nequit ut *Venter* iſte *internus* non conjungatur cum *externo*; de quo ſiluere reliqui Interpretes, quia *figura* ipſa eundem ſupponit. Ita mox *Vſ.* 35. hujus *Cap.* *Venter parans fraudem*, aliudne quam *Mens*, ejuſque *interior ſinus* ac *receſſus*? Nemo tamen neget ad proprie dictum *Ventrem* alludi, quum *gravidus* inducatur, malumque ſibi ſuum *parturiens*. Similiter *gravidum ventrem* & hic tenendum crediderim, nam *implere* pro *gravidare* tritum. Pro *utero* ſubſtituas licet *utrem vento impletum*; qua figura aliter paulo uſus *Elihu* *Cap.* 32: 19. &c. Sed hæc tam adfinia ut unum idemque *Schema* conſtituere cenſeri debeant; quum & *Elihu* ſe *gravidum verbis*, & *parturientem*, haud dubie dicere voluerit. Ceterum in *Vento Orientali* ſuſpicatur Cl. *Cler.* reſpici ad *Philoſophiam inanem Orientalium*, cui *addictum Jobum* innueretur. Cognatum quid *Eſaj.* 2: 6. מלאו מקדם *Pleni ſunt præ Oriente*, vel, ut alii, *ex Oriente*: ubi Cl. *Vitr.* conſulendus; unde *uterum*, *utremque* ſimul, *gravidum*, & ibi comprehendi percipietur. Sed ſufficit *Ventus Orientalis*, pro *ſubtili*, *noxia*, *vehementi*, & *turbinis* inſtar *pergente ratiocinatione*. Ad hanc formam cuſum proverbium,

ريحٌ لاقت اعصارا

Ventus ejus obvium habuit Turbinem; quum *Vehemens vehementiori*, aut *ſuperbus ſuperbiori*, concedere cogitur.

Verſ. 3. Ad ſtructuram verbulo teneatur, הוכח *Arguere* tripliciter poſſe capi; vel, *Arguetne*? vel, per *ell.* ל *Ad arguendum*; vel ב omiſſo, *Arguendo*. Hoc & mollius mihi, & uberius, quum ſic declaretur, quo pacto *ſcientia ventoſiſſima ſinu cordis concepta effletur*, & *effundatur*. Verbum יועיל ſolet referri ad חכם, ut ſit, *quibus nil proficiat*. Nonnulli indicarant יועיל *imperſonaliter* poſitum, pro *utilitate*. Id ſpretum, quia non ſatis intellectum: nam revera grandius quid & figuratius hinc exiſtit: *Arguendo ſermonibus in quibus non ineſt.* יועיל *id quod proficiat*. Græce dixeris οἷς ὠφελήσει οὐκ ἔνι, pro οἷς οὐδὲν ὄφελος. Amant *Hebræi*, & *Arabes*, *verba* tranſdere in con-

5 כי־יאלף עונך פיך ותבחר לשון ערומים :

5 Sane os tuum docet iniquitatem tuam; & eligis Linguam aſtutorum.

6 ירשיעך

6 Im-

conditionem *nominis*. *Jer.* 2: 8. אחרי לא יועילו הלכו *poſt non proficiunt ambulant*. i. e. *poſt idola*. Ibid. *Vſ.* 11. *Populus commutavit Gloriam ſuam* בלוא יועיל *pro non proficit:* i. e. *pro idolo noxio*, ac *peſtilenti*. Eadem ratione & hic intelligas licet *ſermones pernicioſos*, qui *Religionem minuant*, atque *opiniones peſtilentes ferant*.

Verſ. 4. Diſertius hoc ipſum notatur, atque minoribus amputatis, in Religionis partibus capitaliſſimis urgetur; quæ ſunt *Reverentia ſummi Numinis*, & *ejuſdem veneratio per preces* &c. Cl. *Cocc.* cum *Interr.* effert, *Etiamne tu aboleres timorem*? Movit credo magnum *Interp.* incommodius illud *Merceri*, *Quanto magis*, *cum tu irritum facis timorem.* Satis plenum quoque haud putem *Pagnini*, & *Schmidii*, *Etiam tu.* Omnino dandum cum *Doct. Belg. Quin tu*; quod vehementiam accuſatoris fortius exprimit. יראה φόβος *Timor*, pro *Religione* ſive *Reverentia Numinis* abſolute, gravitate cothurni, adſcitum quoque a *Græcis* & *Latinis*. הפר *irritum facere*, *abolere*, quid ſonet ex *Origine Rad.* פרר, haud ſatis mihi compertum. Ex conjectura quorundam *rumpere*, *infringere*, retinui, donec certius quid adfulgeat. Sequens colon ita a Cl. *Cocc.* converſum, *Et traheres loquelam coram Deo*? quaſi *indicium timoris depoſiti* adderetur, in *confidentia loquendi coram Deo.* Supponitur *Originem* verbi גרע *minuit*, eſſe in *trahendo*; de quo ad *Vſ.* 8. plura. Vox שיחה etiam per *querimoniam* vel *nugationem* tunc verti poſſe cenſet ὁ πάνυ, qui שיחה pro *precibus* vix admittit; atque etiam ſcrupulum movet ex eo, quod גרע pro *minuere* poſtulet מן: cum *accuſat:* autem valeat *in totum tollere* ſive *detrahere*; quod quidem *nimis atrox* eſſet. Equidem non video quare; nam *duriora* mox *verba* volabunt. Dubito tamen an non *querelas* convenientius reddas, ſive *preces querulas* & *ſummiſſas*. Forte adhuc commodius quid per *Originem* Radicis שוח cum tempore exprometur. Loca *Pſ.* 102: 1. & 142: 3. *Comprecationis* vim ſatis ſtabiliunt, ſive jam proprietas ſita fuerit in *effundendo*, ſive in *ſubſidendo*; de quo alibi. Has conſequentias a cenſore arreptas ſtatuit *Merc.* ex eo quod *probum* & *improbum juxta conſumi* dixiſſet. Id a Cl. *Cler.* aſſumtum, cum mirifico conſectario, *hæc omnia oſtendere*, *non cogitaſſe eos*, *qui in hoc libro diſceptant*, *de præmiis aut pœnis alterius vitæ*. Contrarium plane ex hoc ipſo loco collegiſſet Vir Doctus, ſi æquior in cauſa Arbiter ſedere voluiſſet. Statim id ſentias, ſi attendas ad *Judæorum* opinionem, qui *Jobum* hic perſtringi cenſent tanquam *abnegatorem providentiæ*, & *reſurrectionis futuræ*. Jam ſi cenſura in eum propterea ſtringitur, neceſſario conſequitur, oppoſitas veritates, ut nunc ab *Eliphazo*, ita antea a *Jobo* quoque, creditas fuiſſe. In eo tamen errant *Judæi*, quod *Jobum providentiam negaſſe* ex *criminatione hac* pro certo concludant; quum *Eliphazus* haud dubie conſequentiam aggravet. Ea interim ſatis ſpecioſe necti poterat, ex Tragica illa capitis præced. declamatione, & expoſtulatione cum Deo: in qua proinde Reſurrectionis veſtigium nullum agnovit *Eliphazus*; quod obiter notandum duxi, ad confirmationem eorum quæ *Vſ.* 12. *Ibid.* diſcuſſi.

Verſ. 5. Ambiguitas ſtructuræ diſtinet Viros Doctos; verti quippe poteſt *Nam docet iniquitas tua Os tuum:* itemque, *Docet iniquitatem tuam.* Prius amplexus poſt *Vulg. de Pin.* ut *os* & *Lingua* hic inducantur *tanquam cordis diſcipuli.* Jucunda imago traxit & *Cocc.* qui hinc quoque nexum adjecit, quod *Peccato Doctore & informatore loqui timorem Dei minuat.* R. *Salom.* & *Piſc.* idem dederunt. Poſterius ſequitur *Merc.* ita connectens, *ajo te*

ſol-

6 Improbum te pronunciat os tuum, & non ego: & labia tua teſtantur contra te.	6 ירשיעך פיך ולא־אני ושפתיך יענו־בך׃
7 An primus homo natus es? & ante colles es progenitus?	7 הראישון אדם תולד ולפני גבעות חוללת׃
8 An	8 הבסוד

ſolvere timorem Dei, *quia hanc iniquitatem tuam ſatis docet os tuum*, *tuuſque ſermo*. Id languidius. Vehemens *Eliphazi* adfectus rapit ipſum, ut autumo, ad confutandam illam confidentiam, qua *Cap.* 14: 19. dixerat Noſter, *Quis eſt qui litem intendat mihi*? & *Vſ.* 22, 23. *Quotnam mihi iniquitates*? &c. aliaque in eandem mentem. Ex abrupto hinc, *os ſane tuum docet iniquitatem tuam.* Non eſt quod *teſtes* conquiramus, te *Injuſtum* & *improbum* eſſe. Ex *Vſ.* ſeq. clara res eſt. Alterum quoque membrum eodem pertinet; quod nimis argute inverſum, *Atqui eligere debueras linguam callidorum & ſapientum.* Rectius plerique, *Et eligis linguam verſutorum.* In malum habes idem hocce vocabulum ערום *Cap.* 5: 11. In תבחר alluſum, & retortum, quod *Cap.* 9: 15. extat; quaſi diceret; *Nimis palam ſane eligis*, *& tuam facis*, *veteratoriam Linguam Hypocritarum*; *qui crimina pingere & incruſtare ſolent*; *cum Deoque contendere*, *undique conquiſitis ratiociniis.*

Verſ. 6. In eandem vehementiam ſubnexum, *Condemnat te os tuum*; *non Ego.* Nonnullis placet *Condemnet*; quod dilutum. Fortius adhuc erit; *Reum peragit*, *improbum pronunciat te*, *os tuum.* Nempe hæc non pertinent ad *præſentem criminationem*, quod *reverentiam Dei aboleverit*; ut vulgo exiſtimatur; ſed ad Univerſam *Cauſam*; *improbuſne* eſſet Noſter, an *probus*? & retunditur illa vox toties ſeſe *Juſtum* aſſerentis. Eodem tendit, *Labia tua reſpondent contra te.* Forenſem uſum *Teſtimonii dicendi* uno ore omnes hic inſinuarunt. Senſus huc redit, *Non ego*, *non ſocii*, *te improbum pronunciamus*, *ſed tuum ipſius os*: *Diſertiſſimum teſtimonium ferentibus*, & *ſubſignantibus*, *Tuiſmet labiis*, de *contumacia*, *ſuperbia*, & *arrogantia incredibili*, qua te *Hominem* eſſe & *miſerum peccatorem*, oblitus eſſe videris.

Verſ. 7. Huc telum illud acerrimum collineat, *An* ראשון אדם *natus es*? Anceps. 1. *Primus Adamus* nonnulli. 2. *Chald. Prior Adamo*, πρῶτος τοῦ Ἀδάμ. 3. Alii *primus hominum.* 4. Alii *primus homo*, appellative: quod אדם ראשון ex norma Linguæ ſtatuendum fuiſſet. 5. Per flexum non inconcinnum alii, *An primus natus es homo*? 6. Grandius quid tentatum a *Schmid. An æternus*, *tu qui homo es*, *natus es*? ראשון πρῶτος inter *Æterni Numinis* titulos. Audaciuſcule id de *Filio Dei* intelligi poſſe ſubjungit, quaſi rogaretur, *eſſetne æternus Dei Filius*, & *eſſentialis Patris Sapientia*? Cl. *Coccejo* idem adriſerat, qui adduxit ex *Joh.* 1: 30. πρῶτός μου & myſterium illud ὑπαινικτῶς per *Eliphazum* innuit. Præfert tamen, ut ſimplicius, *Numquid primus hominum naſcebaris*? *Num is qui primus hominum fuit*, *non fuit*, *ſed Tu*? *ut a Deo primam hauſeris ſcientiam*: *utque ſervaveris primam integritatem naturæ.* Huic explicationi & ego primas defero: niſi quod animi pendeam, ſitne potius πρῶτος τοῦ Ἀδάμ, non *appellative*, ſed *proprie* ſumto *Adamo.* Certe fieri vix poteſt, ut ad *Adami* nomen non alluſum ſit, ubi adſcenditur ad Mundi Originem & natales. Alluſionem & *Coccejo* obverſatam patet. Sic אדם ſimul *Adamum*, ſimul *Adamidas* ſignaret. Hoc duplicem admittit adſpectum: nempe, *primus Adamidarum Adamus*, quo *Cocceji* meditatio fertur: vel &, *prior Adamo & Adamidis omnibus.* Illuc ſequens colon ducere videtur, *Et ante colles efformatus fuiſti*? quamvis haud diffitear, per *gradationem* quoque rem expediri poſſe; ut *Et* pro *Aut* capiatur. Strictius tamen retento *Et*, ultra *Adamum* recurramus neceſſe eſt; quando *prior Adamo*, *Adamidiſque*, erit *Homo alterius Naturæ & Originis*, quam univerſum genus humanum, cum ſuo progenitore: qui Deo mundum producenti jam

8 הבסוד אלוה תשמע ותגרע אליך חכמה׃
9 מה־ידעת ולא נדע תבין ולא־עמנו הוא׃
10 גם־

8 An in ſecreto Dei Auditor fuiſti? & traxiſti ad te ſapientiam?
9 Quid noviſti, quod non noverimus? intelligis, quod non nobiſcum ſit?
10 Etiam

jam tum adfuerit, eique ut *conſiliarius* aſſederit.

Verſ. 8. Huic *ironiæ* audaci ſubſervit & illud, *An in ſecreto Dei audiviſti*? An tu non *Terræ filius*, ſed *nobilioris* & *ſublimioris* forte *Originis*, in *cœlo* ipſo *profeminatus*, *Cœleſtibus arcanis*, & *conſiliis interfuiſti*? iiſque *Auditor adſtitiſti*? Exquiſita phraſis שמע בסוד, quæ ſingularem Emphaſin poſſidet, percipiendam ex cognata עמד בסוד *Stetit in ſecreto*, *Jer.* 23: 18, 22. pro *Sanctioribus conſiliis interfuit*; vel *adſtitit* ut *miniſter*. Grandius & dignius adhuc aliquid ſubeſſe exiſtimem noſtræ formulæ, ut *Audire in ſecreto Dei* abſolute valeat *Conſiliarium intimum Dei agere*; *communicatis ſecretiſſimis* quoque & *arcaniſſimis conſiliorum*. Hoc ſimiliter ex *Jer.* 22: 18. colligere eſt, *Quis ſtetit in ſecreto Domini*, *& vidit*, *audivitque verbum ejus*? *quis* inquam *purgata aure excepit verbum ejus*, *& audivit*? Nempe, ut *conſiliarius*, & *Aſſeſſor ſecretioris ac ſanctioris conſilii*. Cl. *Schmid.* pro ſua Hypotheſi hic confert *Joh.* 8: 26. & 16: 13. *Audire* referens ad *ſapientiæ Divinæ communionem* & *communicationem æternam*. Eo uſque *Ironiam* ſuam intendiſſe *Eliphazum* haud crediderim. *Schema* ſat *vehemens*, ut rogetur Noſter, *Aſſederitne Deo conſiliarius intimus*, *quum Mundum condere moliretur*?

Ibid. Minus expeditum ſequens תגרע, ad quod decem, & ultra, conatus. Præcipuos libabo. 1. *Merc.* ex 2. *maſc.* cum pleriſque, *detraxiſti ad te ſapientiam*, *ceteris hominibus ademtam* quaſi, & *ſubductam*. Huc revocari poſſunt quæ *R. Salom. Pagn.* aliique, ratione nonnihil variante, prodiderunt. 2. in 3. *fæm. Aben Eſra*, *An indiga tui eſt ſapientia*? vel, *an ſapientia Dei exigua*, *ſi ad tuam conferatur*? Hoc & *Vulg.* expreſſerat, *Et inferior te erit ejus ſapientia*? Confer *de Pined.* qui & de ſuo aliquid ſubnectit minus accommodum, quaſi ſerio adfirmaretur, *Sapientiam Jobo præcluſam*, & *occultatam*. 3. Aliter adhuc *Tigur. Vatabl. &c. An diminuetur ad te ſapientia*, *an in te ſolo habitat*, *neque ultra te terminos ſuos extendit*, *tecum moritura*? Argute. 4. Argutius quoque illud Cl. *Schmid. Num emanat ad te ſapientia*? quaſi ad *Emanationem* & *Originem divinam* iterum reſpiceretur. Significationem iſtam exſculpit ex *Cap.* 36: 27. Hinc non multum abit, quod ad formam loquendi, Cl. *Cler.* 5. dans, *Et minuta ad te ſapientia*? i. e. *tecum communicata*. 6. Cl. *Cocc.* themati גרע ſubjiciens, ex conjectura, primariam vim *Trahendi*, ut *Vſ.* 4. tactum, inde elicuit, *Et attrahis*, *paulatim pertrahis*, *ad te ſapientiam*? Hoc a *Doct. Belg.* quoque expreſſum fuerat. Idem ex uſu *Arabum* ſub جرع nova figura auctum dedi in *Animad. juven. An tu ſorpſiſti & hauſiſti ad te ſapientiam*? Nempe a *Trahendo* facilis tranſitus ad *attrahere*, *ſorbere*, *in ſe reſorbere*. Inde propagari potuit *ſubtrahere*, *diminuere*, quatenus opponitur *augendi* & *addendi* notionibus. Fateor tamen hæc mihi nondum ita liquida eſſe, ut liquido iis animo acquieſcere poſſim. Ea *Originibus* examinanda reſervo. Nunc quidem inclinarem nonnihil in *Ab. Eſræ* ſententiam; ut חכמה abſolute ſit *ſapientia Dei*, *quæ* תגרע *Indigens fuerit*, אל *ad Jobum* tanquam *conſiliarium*. Dixi olim גרע אל *Deficere ad aliquem*, nunquam eſſe *indigere alicujus*; ſed *Locutionum prægnantium claſſi* ſi & hanc inſeramus, nullus erit ſcrupulus: ut *Dei ſapientia quaſi in ſe defecta* concipiatur *ad Jobum reſpiciens*, *eumque conſiliarium adſciſcens*. Nil definio.

Verſ. 9. Ab *Ironia* reditur ad *Serium*. Nihil obſcuri. Unum tantum moneo, ad ele-

 gan-

10 Etiam canus, etiam decrepitus, inter nos eſt; grandis præ patre tuo dierum.

11 Anne parum præ te conſolationes Dei: & verbum leniſſime tecum habitum?

12 Quid

10 גם־־־שב גם־־־ישיש בנו כביר מאביך ימים׃

11 המעט ממך תנחומות אל ודבר לאט עמך׃

12 מה־־

gantiorem uſum ‡ עמנו *Nobiſcum*, eundem quoque *Arabibus* eſſe pertritum, ſub مع *cum*, & عند *penes* vel *apud*: ut *penes nos*, vel *nobiſcum*, deſignet *cognitionem penitus comprehenſam.*

Verſ. 10. Cum fœnore ſuus *Jobo* redditur aculeus, quo *Cap* 12: 12. ſocios pupugerat. Brevioribus autem hic eſſe licebit, ob ea quæ ibi diſcuſſa. Ad vim verborum paucis teneatur שב eſſe *Senem qui canis incipit ſpargi*, ut شيب *Arabibus* ſignat *primam canitiem* proprie; a *miſcendo*. Alterum ישיש notat *ſenem decrepitum*. Fugitiva *Origo* revocari poſſe videtur ex وش, unde per *geminationem* وشوش, eſt *confuſius* & *impeditius loqui*, a primaria notione *ſtrepitus rei aridæ*. Hinc ad *decrepitam ſenectutem* proclivis metaphora. Ad כביר annotatum ab *Ab. Eſra*, in *Lingua* [*Kedarena* uſurpari pro גדול *Magno*. Ita eſt; & كبر a كبر omnem *magnitudinem* complectitur: ſed addere potuiſſet, ſpeciatim in *ætate provectiore* frequentari. Ita dicunt شيخ كبير *Senex grandis*, *grandævus*. & كبر in *Camuſo* eſt طعن في السن *provectioris ætatis factus fuit.* Alia olim dedi; quæ non repeto.

Verſ. 11. Minus appoſitum illud *Cocceji*, *Tantuſne es, ut non ſufficiant tibi conſolationes, quas Deus toti piorum gregi indulſit, ut colloquium Dei depoſcas?* Longius adhuc abit, quod *conſolationes Dei* trahantur ad *Præmia* & *beneficia Dei* olim *impertita*; iterumve *impertienda*, ſi reſipiſcat. Hæc & alia invenies apud *de Pined.* & *Vavaſſ.* laborantes in LXX. cum *Vulg.* iiſdemque cum *Hebræo* conciliandis. Omnino *Conſolationes Dei* ab *Eliphazo* oratorie vocantur tum *ſua* ipſius, tum *ſociorum*, *monita promiſſionibus miſta*, quibus *jacentem* & *emendare*, & *erigere*, hactenus conati fuerant. Conſentiunt *Merc. Belg. Schmid.* Nec diſſentiunt, quibus אל hic erat אלה quaſi *conſolationes iſtorum*, vel *iſtæ*, quibuſcum facit *Pagn.* Id exilius. Aliis *conſolationes Dei*, ut *montes Dei* &c. ſed in omnibus illis phraſibus, peculiaris relatio ad Deum: & Emphaſis, inde redundans, haud quaquam negligenda. Ut hic. *Conſolationes ex Deo*, ejuſque verbo, *hauſtæ*, & *ſecundum Deum adhibitæ.* Huc tandem & *Cocc.* inclinat.

Ibid. Mire torquet, & torquetur, alterum colon, ob rarius לָאַט, quod ad cognatum לָט med. *Vaw* revocatum a pleriſque. Hinc datum, *Et an aliquid abſconditum apud te?* Id *Mercero* valet, *Eſtne aliquid Divinum penes te reconditum, præ quo Divinas noſtras conſolationes contemnas?* Receptum a *Doct. Belg.* Aliis viſum, *Eſtne aliquid deceptionis* aut *mendacii tecum?* vel enunciative potius, *Imo verbum mendacii penes te eſt.* Id captatum ex uſu vocis לטים pro *incantamentis Exod.* 7: 22. a *Periz.* cujus veſtigiis inſiſtens *Schmid.* exhibet, *Et verbum ementitus eſt tecum?* Deus nempe. Nil durius. Nec commoda ſatis reliqua interpretamenta, quæ ex *Merc. de Pined.* aliiſque, repeti velim. Mihi unice arridet, quod poſt *Jarch.* tenet *Cocc. Et verbum*

bum

12 מה־־יקחך לבך ומה־־ירזמון עיניך׃

12 Quid te rapit cor tuum? & quid fremitum volvunt oculi tui?

13 כי־־

13 Quod

bum quod clementer agit tecum; ut *thema* ſit אטט *lenis fuit*. Inde אַט *Lente*, *leniter*, pro באט, 1 *Reg*. 21: 7. & לאט 2 *Sam*. 18: 5. pro *Clementer*. Cum *He Emphat*. לָאַט. Hinc *ad Lenitudinem verbum*, perelegantì ſtructura, pro *leniſſime* & *clementer dictum*: non *pro meritis*, ſed *ex tenero adfectu*; quo te, veterem ſodalem, complexi fuimus. Apud *Arabes* لط אטט valet *Teneriore amoris* vel *commiſerationis adſectu ductus fuit*, a notione primigenia *Lenioris murmuris*, quale eſt *aquarum placido cum ſuſurro labentium*; unde illuſtrabis *Eſaj*. 8: 6. vel *ventris ſtridulum ſonum reddentis*. Hinc anſa data *intimæ commiſerationi*, quam verbo σπλαγχνίζεσθαι ſignant Sacræ Literæ, a *viſceribus commotis* & *murmurantibus*. Hæc *origo* ſi patuiſſet, nemini ſcrupulus manere potuiſſet circa לאט cum תנחומות *conſolationibus* rite connexum, ex *teneriore adfectu* videlicet *profectis*. Dices *aſperas* fuiſſe *cenſuras Amicorum*. Verum. Nec tamen ipſis, ut fit, idem viſum: ſed *clementer* nimis *tractatum* Eum, qui, ut *improbus*, omnibus diris, & execrationibus, onerari merebatur. Hanc ergo *nimiam clementiam ſplendida* deinceps *bile largiter penſabunt*.

Verſ. 12. Superbiam, contumaciam, & ſpiritus indomitos *Jobi* perſtringi, palam eſt; eumque in ſenſum a pleriſque recte acceptum prius, *Quid te rapit cor tuum*? Ad poſterius, ירזמון major hæſitatio. Nil propius erat, quam ut verbum nuſpiam alibi proſtans, conferretur cum adfini רמז, quod *Chald. Syr.* & *Arab*. eſt *Nuere*, *nutum dare*, præſertim *oculo*, ac *ſupercilio*. Inde plurimis placuit, *Quid nutant & nictant oculi tui*, *more elatorum*, *alios ex alto deſpicientium*? Cl. *Cocc*. paulo aliter, *Quo collimant oculi tui*? Quaſi diceret, *Neſcis quo rapiare*, *& quo temere ruas*. Non infeliciter *Schmid*. *Quare produnt adfectum oculi tui*? Interpretatur de *Irato oculo*, ſemet *contrahente* & *torvum tuente*, *inter crebros nutus*. Simile quid expreſſum a *Vulg*. *Quaſi magna cogitans attonitos habes oculos*? Hi non tam ſunt *Nictantes*, quam *torvo* & *feroci obtutu defixi oculi*, notante *de Pined*. Rem hactenus incertiorem dirimere poterit Thema ex *Arabia* reductum, quæ non tantum ſervat رمز רמז *Nictavit oculo*, aut *labio*; ſed etiam رزم רזם ſub aliis notionibus; quas hic exhibuiſſe e re fuerit. *Gjeuhari* الرازم من الابل المبارك علي الارض الذي لا يقوم من الهزال والاعيا وقد رزمت الناقة رزوما ورزاما قامت من الاعياء والهزال ولم تحرك فهي رازم ويقال للثابت القايم علي الارض رزم قال الشاعر مثل الحادر الرزم والارزام صوت الرعد ورزمة السحاب والسباع اصواتها والرزيم الزيير قال ولاسودهن علي الطريق رزيم *Part*. רוזם *dicitur de camelo procumbente ſu-*

13 Quod identidem adverſus Deum laxes ſpiritum tuum: & emittas ex ore tuo verba.

14 Quid mortalis ut purus ſit? & ut Juſtus ſit, natus mulieris?

15 Ec-

13 כִּי־תָשִׁיב אֶל־אֵל רוּחֶךָ וְהֹצֵאתָ מִפִּיךָ מִלִּין׃

14 מָה־אֱנוֹשׁ כִּי־יִזְכֶּה וְכִי יִצְדַּק יְלוּד אִשָּׁה׃

15 הֵן

per terram, nec amplius ſtare valente præ macie, vel laſſitudine. Item רזם *in eodem ita ſtante præ iiſdem, vel macie, vel laſſitudine, ut ſe movere nequeat, cum part:* רוזם. *Item ruzem dicitur qui firmo & ſtabili gradu adſtat. Tale illud Poëtæ, ut compactus corpore, firmoque greſſu perſtans elephas. In inf.* 4. ארזום *fragorem tonitrui deſignat; &* רזמה *tum nubium, tum ferarum, notat murmura earum.* רזים *pro Rugitu, in illo, Et leonibus earum in via rugitus eſt.* Non mirabere hinc in XI. *conj.* monente eodem *Lexicographo* extitiſſe

ارزام الرجل اذا غضب

Vehementius iratus fuit vir: nam vel a *fremitu* & *murmure feræ*, vel a *nube murmurante*, promtiſſima eſt tranſlatio. Notari cum primis velim, مرزمات מרזמות apud *Poëtas* appellitari *Nubes fragore multo faetas* & *tempeſtatem cæco murmure minantes.* In *Diw. Hudeil.*

ودفعة من مرزم الشغايق

Et impetus fuſus a murmurante
Fiſſarum imbre & fulmine nubium.

Hinc excellens mihi imago ſeſe offert *Oculorum truci ſupercilio minantium.* Sic Ὀφρύων στυγνὸν νέφος, *Eurip.* in *Hipp. Vſ.* 173. *Superciliorum triſtis nubes*: & σύννεφης cui *triſtis ſeveritas nubilat oculum*; qui dicitur συννεφεῖ ὄμματα, *Electr.* 1078. Ad eam formam *Horat.* dixit, *Deme ſupercilio nubem.* Similiter *Æſch.* 7. ad *Theb.* 235. pingit, ὑπὲρ ὀμμάτων κρημναμέναν νεφέλαν *ſupra oculos ſuſpenſam nubem*, ad *graviſſimum mœrorem* cum *deſperatione* ſignificandum. Ejuſdem cothurnus in *Prom. Vinct. Vſ.* 144. dat φοβερὰ δ' ὁμίχλη πλήρης δακρύων *horridam caliginem lacrymarum plenam*, quæ ὄσσοις προσῇξε *oculis irruit*, & *inſedit.* Graviſſime quoque *Eurip. Med.* 107. Ἐξαιρόμενον νέφος οἰμωγῆς *elevans ſe nubes ejulatus*, *quæ mox majore furore incandeſcet.* Ad iſtud *Schema Tragicum* hic habebimus *oculos attonitos* non tantum, ſed & *attonantes*, ut ſic dicam, & *truci* ac *nubiloſo ſupercilio terrentes.* Reſtat aliud quid, in *Originibus* exequendum, ubi omnes has notiones, quas ex *Gjauhario* produxi, oſtendam eſſe *ſecundarias*, a *primaria compactionis denſioris*, ſive *congeſtionis in ſarcinam*, quod nobis eſt **pakken / oppakken** / unde exiſteret ad Linguæ veterem verumque genium, *Quid pangunt*, & *conſtipant oculi tui nubes*, *fremitum*, *minas*, *murmura*, *in Deum*, *in homines*, *volventes*?

Verſ. 13. Imagini huic pulchre conſonant, quæ mox annexa. רוח *Spiritus*, nempe hic deſignat *adfectum* vel *iræ*, ut *Schmid.* vel *ſuperbiæ*, ut *Merc.* vel utrumque potius. Aliquid ſcrupuli exiſtit ad הוֹצֵאת, quod in 2 *fæm.* enunciatum ſuſpicatur *Cocc.* ad *impotentiam muliebrem* indicandam. Addit ex *Dial. Chald.* hanc formam potuiſſe adſciſci; qualia ſane in hoc Libro paſſim occurrunt; ut מִלִּין in hoc ipſo *Vſ.* pro מלים. *Schmid.* poſt *Buxt.* maluit 3. *fæm.* etiam תשיב pro 3. *fæm. fut.* capiens, in hunc ſenſum. *Nam reſpondit adverſus Deum ira tua; & eduxit ex ore tuo ſermones.* Vehementius quid præfert, *Nam convertis adverſus Deum ſpiritum tuum; & eduxiſti ex ore tuo ſermones.* Poſſis תשוב adhuc fortius dare, *reciprocas*, *identidem obvertis. Refundis* ut *Cocc.* Circa הוצאת perpendi vellim, an potius ſit *infin. fæminina flexione*, pro

15 הן בקדשיו לא יאמין ושמים
לא־זכו בעיניו׃
16 אף כי־נתעב ונאלח איש־
שתה כמים עולה׃
17 אחוך

15 Ecce ſanctis ſuis haud fidit: & cœli non ſunt limpidi in oculis ejus.
16 Jam vero abominabilis, & acore corruptus! vir bibens, ut aquam, iniquitatem.
17 De-

pro הוֹצֵא; unde הוֹצֵאת & הוֹצֵאת *regalariter* pro *Educere*. Grammatici id genus revocant ad *Thau parag.* quum revera ſit *Thau fœmin.* Jam *infinitivus* hic mirifice quadrat pro *præſenti* vel *præter. Et educere*, pro, *& educis, emittis*, ad *perſeverantiam* ſimul *contumaciæ* illius inculcandam.

Verſ. 14. Ut nimios *Jobi* ſpiritus reprimeret, ad oraculum recurrit, quod *Cap.* 4: 17. 18. produxerat. Ex iis quæ ibi in medium allata, elucere poterit, quid in hac Argumentatione *Eliphazi* ad rem faciat; & quid inde deviet. Ad rem facit, quod *Jobum* nimis *fortia & magnifica* de *Juſtitia & ſanctitate* ſua *ſonantem*, deducat ad *fontem turbatum corruptionis humanæ*; unde *ſanctiſſimis* quoque *operibus* multa *labes* adhæreſcat; ita ut *Nemo mortalis ſe purum*, aut *juſtum*, *prædicare* queat. A re alienum eſt, quod iterum hinc inferre voluiſſe videatur, *Jobum* nil habere quod conqueratur, quin imo *juſtiſſimas luere pœnas hypocriſeos*, & *improbitatis*. Hanc conſequentiam ſi tollas, manebit Doctrina certiſſima, Cœleſti nixa oraculo, de *Labe Originali*, quæ *gloriationem* omnem vel *puritatis*, vel *Juſtitiæ* inde naſcentis, etiam *Sanctiſſimis adimat.* Prius זכה *puritatem intaminatam virtutis* deſignare autumem. Poſterius צדק ita *Juſtitiam inhærentem* conſignat, ut ſimul adferat δικαίωμα & *Jus* coram Tribunali ſummi Judicis ſtandi, poſtulandique. Non intellexit hoc diſcrimen *Schmid.* adverſus *Cocc.* diſputans, hic non agi de *juſtitia imputata ex fide.* Recte vero, ſed an inde conſequitur צדק idem plane eſſe cum זכה? & an non is, qui *purum* ſe *Deo præſtaret* ab omni *Labe*, & *Crimine*, eo ipſo ſaltem id *Juris* poſſideret, ut *Innocentiam* ſuam *teſtaretur*, atque a juſto judice *pœnam* nullam expectaret? Hoc illud eſt, quod *Eliphazus* nimio adfectu contra *Jobum* evectus, non ſatis diſcrevit. *Jobus* ſe *immerito ſuppliciis graviſſimis ſubjacere* contendebat, *cum Deoque* propterea *expoſtulat*, *ad Jus ſuum provocans.* Negat Cenſor ulli Mortali vel *Juſtitiam* conſtare, vel *Jus*, ad Tribunal illud ſanctiſſimum. Optime! ſi rem ſpectes in *genere*. Eadem *Jobi* profeſſio *Cap.* 9: 2, 3. ſed *in ſpecie*, h. e. *in Juſtitia Cauſæ* utique *Homini Jus* quoque *ſuum* comitatur, & præſto eſt, vel ad ſupremum illud ſolium Majeſtatis infinitæ, ut ſe *Immerentem pati & plecti* proteſtetur. Interim ut *Jobus* in eo ipſo urgendo modum exceſſit, ita fieri vix potuit ut adverſarii ejus non in contrarium exceſſum abirent. Cl. *Schmid.* hic inſerens *Præ Deo* purus, & juſtus; nimis ſententiæ tenax eſt, quæ ad *Cap.* 4: 17. examinata.

Verſ. 15. Nonnihil in verbis Oraculi reddendis variatum monui *Cap.* 4: 17. In *quo*, & *cur* id factum, Ibid. occupavi. Nunc ad ultimum colon reſtat expendendum, num *Cœli haud limpidi in oculis Dei*, ſub figura ponantur *Cœleſtium ſpirituum*, quod *Merc.* cum pleriſque tenet: an quod *Schmid.* tendit, ſine tropo, *Æther puriſſimus*, & *limpidum ac pellucidum corpus cœlorum* deſignetur. Ad poſterius hoc inclinare quoque video *Coccejum*, ob *Cap.* 25: 5. Eadem mens *de Pin. Vavaſſ. Bold.* Id nec ego excluſerim, ſed ſenſui ſublimiori, de *Angelis*, ſubſternendum arbitrarer; ut ſic *Divinæ puritatis infinitus ſplendor*, ex *Cœlorum* gemino adſpectu, geminato jubare fulgeſcat.

Verſ. 16. Particulæ אף כי per *quanto magis*, & *quanto minus* ſolent reddi, pro diverſa ſtructura. *Piſc. Belg.* aliique, *Quanto magis abominandus eſt, & fœtidus, vir, bibens iniquitatem, ut aquam?* Id rotundum quidem, ſed & dilutius paulo. *Merc. Cocc. Schmid. Cler. Quanto minus abominabilis & fœtidus?* nem-

17 Demonſtrabo tibi, auſculta mihi: & quod vidi id enarrabo tibi.

17 אחוך שמע־־־לי וזה־־־חזיתי ואספרה :

18 Quod

18 אשר־־

nempe *Juſtus ſit* &c. Omnino נתעב & נאלח per ſe ſtant; neque ſupplendum, *eſt*, quo vis ſententiæ imminuitur nonnihil: de cetero idem manebit ſenſus, etiamſi cum *Vulg. Pagn. de Pin. Guſ.* &c. dederis, *Quanto magis abominabilis* &c? nempe, *non erit purus in oculis Dei.* Simile quid vidimus ad *Cap.* 4: 19. ubi dixi utrumque ſimul eſſe complectendum, & *Jam vero!* quod voculæ iſtæ ſignant, cum *Reticentia* enunciari, quæ in utramque partem propoſitionis feratur.

Ibid. Graviſſimis verbis Corruptio communis generis humani expreſſa. Primum eſt, נתעב *Abominandus*, quod ad *impurum fontem naturæ*, unde omnis *abominatio* ſcaturit, traductum quoque *Pſ.* 14: 1. Alterum נאלח, aliis ex ſenſu *fœtidus*, aliis *inſulſus*, aliis aliud, plenius innoteſcere cœpit ex *Dial. Arab.* unde jam Cl. *Cocc.* in *Lex.* produxit إِلتَخَ *Aceſcere.* Idem ſubmonuit Cl. *Crom.* Intellige *Acorem fermenteſcentem*, quem ſacræ Literæ frequentant pro Emblemate aptiſſimo *infectionis Univerſalis, quæ maſſam generis noſtri pervaſit.* Eadem vis obtinet *Pſ.* 14:3. & 53: 4. Nemini utique *Fermentum in maſſa* ignotum. Vim hanc in *Originibus* omni dubitationi exemtam dabo. Ultimum, *Bibere iniquitatem, ut aquam*, expingit *delectationem in peccato, cum ſiti ejuſdem perpetua.* Talis *homo* a natura, cujus *labem*, & *tabem* medullis intime hærentem, hic nudare voluit *Eliphaſus*, coloribus nonnihil diverſis a *Cap.* 4: 19. ob rationes cuique obvias, quod nempe hæc jam *ſcopo* ejus magis ſubſervirent, ad *Jobum impuritatis*, & *injuſtitiæ* convincendum. Cave tamen איש *virum*, ad *Jobum*, cum nonnullis, reſtringas, quaſi illius *improbitas* ſpeciatim notaretur. Nullum iſti opinioni præſidium in *Cap.* 34: 6. Aliæ ibi circumſtantiæ, quæ ſolum *Jobum* taxari evincunt. Noſtra ſeries exigit generalem conſpectum omnis in univerſum generis humani, æque ac *Cap.* 4: 19. Ne dicere quidem ſuſtineo cum Cl. *Cocc.* ad *Virilem ætatem* hanc *Viri* appellationem directe pertinere, *excluſa pueritia*, quæ in priori magis membro, intenderetur. Utrumque membrum ad omnem ætatem ſeſe extendere debet, ſi ſuum *Eliphaſo* argumentum conſtabit; quod eſt, *Jobum non habere quod de Juſtitia & ſanctitate ſua glorietur, indeque ſibi jus arroget cum Deo litigandi: quum gravis macula omnibus mortalibus adhæreſcat, quæ ipſos impuros coram Deo, pœniſque omnibus dignos, reddat.* Bona profecto doctrina, non omnino male etiam applicata, quatenus *nimios ſpiritus* ſumſerat *Jobus*; atque *Labem* illam *extenuarat*, ſui defenſandi ſtudio; cupiens *crimina ſibi ſua indicari*, quin *ſe culpa omni vacuum* conteſtans, & contendens. Sed *Jobus* intellexerat *crimina malitiæ*, ob quæ tanquam *Hypocrita*, aut *improbus*, gravioris pœnæ debitor eſſet. Hoc non diſtinguens Cenſor, arcum huncce ita tetendit, ut eum ferme rupiſſe, hoc eſt, parum, aut nihil, adverſus *Jobum* eviciſſe, reperiatur.

Verſ. 17. Hactenus *Jobum vanitatis, ſuperbiæ, contumaciæque* in Deum *ferocis*, *reum peragere* voluit diſputator; ad *omnis humilitatis & ſummiſſionis principium ſermone* tandem ejus *defluente*, *Corruptionem Naturæ*, quaſi eam vel improbe abnegaſſet Noſter, vel ſtupide ſaltem ignoraſſet. Hinc jam arrepto impetu, tonare incipit, & fulminare, adverſus caput innocens, eique continua declamatione ante oculos proponit, quid cum ſodalibus improbitatis, & merito nunc patiatur, & ulterius expectandum habeat. Præmittitur exordium tribus *vſ.* comprehenſum, in quo nihil aliud ſe prolaturum ait, quam quod ex propria experientia habeat compertum, & in auctoritate veterum ſapientum ſit fundatum. אחוך *Indicabo, demonſtrabo tibi*, non ſine aculeo reſpondet *Cap.* 13. 17. *Audite demonſtrationem in meam.* זה nonnullis *relativum*, aliis *demonſtrat.* ſubau-

18 אשר־חכמים יגידו ולא כחדו מאבותם׃

19 להם לבדם נתנה הארץ ולא־עבר זר בתוכם׃

20 כל־ימי רשע הוא מתחולל ומספר שנים נצפנו לעריץ׃

21 קול־

18 Quod ſapientes denunciarunt *jam:* & non celarunt a patribus eorum *acceptum.*

19 Quibus ſolis tradita fuit terra: & non graſſatus eſt alienus per medium eorum.

20 Omnibus diebus improbi, ipſe ſibi parturit: & numerus annorum reconditi ſunt violento.

21 So-

ſubaudito אשר, *Et hoc* quod *vidi.* Sequens ו creditur πλεονάζειν; quo recepto vertendum tamen eſſet *ſane enarrabo tibi.* Sed vide an commodius ſic orationem, data opera inciſam, evolvere ſit; *Ego demonſtrabo tibi*; *audi me*; *& quidem hoc ipſum* quod *vidi*; *& enarrabo tibi.*

Verſ. 18. Conciſior ſtructura iterum aliquid nodi injecit. מאבותם *a patribus ſuis*, refertur a *Merc. Cocc.* & aliis, ad יגידו *Annunciarunt a patribus ipſorum* acceptum, *nec celarunt*; ut ſit tranſpoſitio verborum. *Schmid.* ſerici preſſius inhærens ultima dat, *& non celarunt* ſapientes *ex patribus eorum.* Addit, *non omnes patres illorum etiam erant ſapientes, ſed quidam tantum illorum.* Otioſa ſubtilitas. Non video etiam cur idem *Vir Doct.* noſtrum hocce nonnihil diverſum velit ab eo quod *Eliphazus* vidit. Vertendum cenſeo, *Hoc* ipſum inquam *quod ſapientes ob oculos poſuerunt*; *neque ſuppreſſerunt ex patribus ipſorum* acceptum, hauſtum, conſtantique doctrina traditum, ac commendatum. In כחד eſt λιτότης, & *non ſupprimere* valet *publice profiteri*, & *omnibus inculcatum ire*, ut recte monuerunt Interpr.

Verſ. 19. Inſertio haud facilis. Plerique *ad auctoritatem patrum commendandam* hæc addita volunt, qui *ſimul* fuerint *viri principes*; & *ſapientiſſime rexerint* ſuos; ita ut *nulli peregrini eos vexarint*, vel *turbarint.* Ita fere *Merc. Piſc. Belg. Vavaſſ. de Pined.* &c. Subtilius *Cocc. Additur*, inquit, *argumentum probabile, quod eorum obſervatio & experientia minime ſit fallax, quia non fuerunt ſub tyrannide malorum, neque in turbis bellicis; ita ut per peregrinos aliquid vitii aut corruptelæ trahere potuerint.* Tale quid obverſatum iis, qui hic alludi putant ad *populum Iſraelis in terra promiſſa ſedentem*, penes quem *puritas* doctrinæ, & *traditio* intemerata. Cl. *Schmid.* recurrit ad *Patriarchas diſperſioni Babylonicæ exemtos*; *quorum exemplo* jam tum *conſtiterit*, Deum *pios remunerari ac tueri: impios* vero *a ſe abigere, & punire.* Cl. *Cler.* retulit ad *Joktanidas Arabiæ Felicis ſeſſores*; *quos memoraverit Eliphaſus, ad oſtendendum ſe non peregrinam doctrinam prolaturum, ſed quæ primis Arabiæ conditoribus debebatur, & forte etiam Semo, a quo oriundi erant. Gen.* 10. Ingenioſa eſt Conjectura, cui phraſes mire favent. Etenim illud לבדם *ſolis ipſis data terra*, digito quaſi monſtrat *beatiorem* quendam *ſinum* ac *receſſum*, ſingulari Dei providentia inſeſſum. Dein, *non tranſivit peregrinus per medium eorum*, ejuſdem *ſecluſiſſimæ ſedis* conſpectum oculis ſubjicit, ſecundum ea quæ alibi late proſecutus ſum. Inſinuatum ſimul putem, quod Cl. *Cocc.* volebat, *nullum peregrinum contagionis* quicquam *invexiſſe in puriſſimam* illam *patrum doctrinam*, ac *traditionem:* nam עבר *tranſire*, pro *graſſari cum contagione* venuſte ſe præbet. Quo minus aſſentiar Cl. *Schmidio* obſtat, quod ſi *quietam Terræ poſſeſſionem, in argumentum probitatis Divinitus remunerandæ, hic proponere voluiſſet Eliphaſus, ad dictum Jobi Cap.* 9: 23. *refutandum*, pluribus verſiculis iſtud *opus providentiæ* celebraſſet, atque congeſtis figuris exornaſſet. Nunc obiter tantum inſertus hicce character *gentis ſecluſioris*, aliud poſtulare videtur.

21 Sonor pavorum in auribus ejus: in ipſa pace vaſtator incurſat eum.

22 Non

21 קול־פחדים באזניו בשלום שודד יבואנו׃

22 לא־

Verſ. 20. Exordio commodo ſubnectitur Oratio magnifice elaborata, luminibuſque & figuris denſa: in qua enarrat jam *Eliphazus*, quid & Majorum auctoritate, & Experientia exploratiſſimum habeat: *Improbos non poſſe non miſeros fieri, atque meritiſſimas pœnas certo certius eos manere, ad exemplum, & terrorem publicum, iiſdem infligendas a Sancto & Juſto Numine, quod ut virtutem amat, ita vitium odio internecivo proſequitur.* Doctrina ipſa nil ſanius, ſolidiuſque; ſed applicatione & conſequentia nil imprudentius: quum hinc cogere, & efficere, velit diſputator, tum *improbos omnes in hac vita Deum ultorem criminum experiri, per publica judicia*: tum *Jobum huic gregi haud dubie propterea accenſendum.*

Ibid. Grandis imago in verbo מִתְחוֹלֵל. Reddi ſolet, *diſcruciat ſe*, exponiturque de *doloribus* & *angoribus conſcientiæ*, quæ *ipſa* ſui *carnifex*, *ſurdo verbere* intus in ſemet ſævit. Vide *Merc. Cocc. Schmid.* &c. &c. Additur, *Metaph.* eſſe a *muliere parturiente* cujus *tormenta* dicta חִיל. Uber ſenſus. Vide tamen an uberius futurum ſit, *Omnibus diebus improbi, ipſe ſibi* malum *parturit*, & *multo cum dolore excludit.* Id molliorem ſimul ingreſſum præſtat orationi huic, quæ in eadem imagine clauditur *Vſ.* 35. In conſtructione tamen aliquid ſcabri remanet, quod lævigabitur, ſi יְמֵי *dies* capiamus pro *diebus malis*, *miſeriſque*, ut ſæpe. Hinc eſſet, *omnes dies improbi ipſe ſibi parturit.* Sententia digniſſima, quæ præmittatur longiori huic excurſui, quo *Inforlunatiſſimi improborum dies atris coloribus pinguntur, quos ipſe videlicet ſibi paret, formet, & multos inter niſus conſcientiæ luctantis pariat.* Non abſimile eſt illud *Apoſtoli*, *Quum dicent pax & ſecuritas, tum dies ille obruet eos tanquam dolor partus parturientem.* Supponitur *improbus* necdum *plane dolens*, ſed *doloris materiam in ventre* velut *fovens*, & *geſtans*, ſuo tempore *erupturam.*

Ibid. Major obſcuritas in altero membro. *Merc. Cocc.* aliique complures, ſic connectunt cum *omnibus diebus*, ut ſubſumatur, & *numero annorum* qui *reconditi ſunt* i. e. *decreti*, *violento*, *ipſe ſemet diſcruciat.* Cum *Vſ.* ſeq. conjunxit R. *Levi*, *Numero iſto annorum, vox pavorum eſt* &c. Utrumque durius. *Ab. Eſra, Ramban. Periz. Piſc. Belg.* maluerunt, *Et numerus annorum reconditus eſt violento*, pro, *& anni pauci proſperitatis iiſdem a Deo ſunt decreti.* Languidius adhuc *Cler. Ignotum violento quamdiu vitam ſit producturus.* Similia fere dant de *Pined.* & *Vavaſſ.* cum *Vulg.* Fortius quid tentatum a *Schmid.* Et quod ad *numerum annorum*, *occultati* hi *ſunt violento.* i. e. *obſcurati*, *tenebris dolorum & miſeriarum involuti.* Id cum genio Linguæ haud congruit; ut nec *Grotii* illud, *quam diu durat numerus annorum ejus*, *abſcondit ſe* timens. Mihi vix dubium quin נִצְפַּן hic valeat θησαυρίζεται, ex uſu illo ſignatiſſimo, qui *Cap.* 21. 19. etiam compareat: itemque *Cap.* 24. 1. ubi שָׁנִים *Annos* pro *calamitatibus*, & *longis miſeriis*, ex *Arabum* uſu peculiari, adhibitos eſſe oſtendetur. Hinc prono alveo decurrit limpidus hicce ſenſus, *Et Numerus annorum pro theſauro reconditi ſunt violento.* Quum מִסְפַּר *Numerus* ad *paucitatem* pertinet, poſtponi ſolet: ut *Job.* 16. 22. Num. 9. 20. *Gen.* 34. 30. &c. *Multitudinem* infert præpoſitum. Ita *Job.* 36. 26. מִסְפַּר שָׁנָיו *Numerus annorum ejus*; pro *multis* & *innumeris*. *Græcis* ſimiliter *Latiniſque* anceps eſt *Numerus*, non *paucitatem* tantum, ſed & *copiam* ſignans. *Numerus annorum* נִצְפְּנוּ, per *Zeugma*; vel potius, *Numerus reconditi ſunt*, collectiva poteſtate. *Theſauri iræ reconditi* ad præc. imaginem amice conſpirant. Confer *Jac.* 5: 3. ubi per gravem σύλληψιν, ἐθησαυρίσατε ἐν ἐσχάταις ἡμέραις, *Theſauros recondidiſtis in ultimos dies*, cum *cumulis lamellæ æruginoſæ*, *cumulos* quoque *iræ cœleſtis* conſignare, alibi indicatum. Ad eam rationem θησαυρίζονται convertere poſ-

22 לא־יאמין שוב מני־חשך וצפו הוא אלי־חרב׃

23 נדד

22 Non ſecurus eſt *uſpiam* effugere mihi e tenebris; quippe qui imminetur *ex ſpecula* ad gladium.

23 Va-

poſſes, uſu reciproco ܐ *Niphal*, quo נצפנו הצריץ *reconduntur violento*, reſolvetur in לעריץ יצפן לו *Violentus ſibimet recondit ut theſaurum.* Id arctius adhuc cum præc. מתחולל *parturit*, *ſibimet parit*, cohæreret.

Verſ. 21. Elegans eſt formula Hebræorum, qua *aures* alicui *tinnire* dicuntur, quum *ſtupendis calamitatibus circumſonant.* Huc alluſum in prima parte *Vſ.* quæ pingit *graviſſimas miſerias undique*, *agmine facto*, *imminentes*; & *claſſicum* veluti *canentes*, ad *impreſſionem faciendam.* Habes ergo *trepidam præſenſionem mali*, indeque oriundam *concuſſionem*, & *exagitationem mentis* nunquam *tranquillæ*; quippe quæ *intus fovet* & *nutrit materiam* perpetui *timoris.* Huc collineat & alterum membrum, quo in *media pace vaſtator ſupervenire* dicitur. Friget, quod Cl. *Schmid.* de *pace aliorum*, *piorum* videlicet, exponat, cui opponatur ſors *impii.* Meliora monere potuiſſet, & vis orationis, & formula ſolennis, *Pax*, *Pax*, *ſine periculo.* Hinc reliqui *Interpr. Tum maxime quum altiſſima pace gaudebit improbus*, *necopinatum ei veniet exitium.* Id ſeponere non auſim; & tamen aliquid figuratius & ſublimius mihi ſuccurrit, quod cum præc. dicto arctius connexum; *in media pace vaſtator eum incurſat*; *ei adeſt.* Eo ſenſu quo Poëta.

> —— —— *Medio de fonte leporum*
> *Surgit amari aliquid, quod in ipſis floribus angat.*

Itemque illud, *Poſt equitem ſedet atra cura.* Eundem adſpectum dedit *Vavaſſ. Media in pace veniet ei in mentem belli*, *vaſtitatis*, *inſidiarum*; ad *Vulg.* exemplum, *Cum pax ſit*, *ille ſemper inſidias ſuſpicabitur.* Ad priorem ſenſum LXX. Ad *Schmidii* mentem *Chald.* *pacem piorum* & *vitam æternam* reſpectans.

Verſ. 22. Minutius eſt, quod ad prius Colon dedit Cl. *Cler. ſi exeundum ei ſit domo nocturno tempore*, *aut ſi per tenebras redeundum*, *timet inſidias* &c. In vicinia *Cocceji* illud, *Quum cubitum it*, *non fidit ſe matutini lucem adſpecturum.* Character Tyranni. Notæ *Dionyſii* ſimiliumque *trepidationes nocturnæ.* Figurate *Merc.* & reliqui omnes, *ſi inciderit in tenebras miſeriarum*, *nullam habet ſpem inde emergendi.* Addit *de Pined. ideo eum valde ſolicitam agere vitam*; *& curare ne cujus ope indigeat.* Nec conditio, nec cautio, placent. לא יאמין rectius nunc dabis, *Non ſecurus eſt redire e* mihi *tenebris*, vel *effugere tenebras.* Hoc eſt, *ad inſtar* מגור מסביב *Ejus quem terrores undique circumvallant*, *nullam ſpem fiduciamque unquam vel ſumet*, *vel fovet*, *ſe non hoc vel illo modo male periturum.* Clarius, *nunquam ſecurus*, *nunquam ſui compos*, *omnia tuta timet*, *& ubique exitium ſibi imminens tremiſcit*; *metu ſuo id ipſum anticipans.*

Ibid. Aliquid grande haud dubie incluſum poſteriori parti; ad quam quot Capita, tot ſenſus. Crucem nempe figit צָפֻן, quod aliis eſt *præt.* aliis *part.* pro צפוי. Ad priorem Analyſin *Piſc. Inſidiæ inſtruuntur*, *ut exponatur gladio*, quod tamen ex *part.* etiam exſculpi poſſet; quaſi, *& inſeſſus ipſe*, pro *inſidetur ei.* Dilutius *de Dieu*, *& ſi obſervent homines*, *ſi quis attendat*, *jam in gladio eſt.* Ad poſteriorem *Merc.* cum plerîſque, *& proſpectus*, vel *ſpectatus*, *expectatus eſt ad gladium.* *Cum* יאמין nexuerunt *Doct. Belg. ſed credit ſe ex inſidiis captatum*, *ad gladium.* Maluit Cl. *Cocc.* notione activa, *& præſtolatur gladium.* Præiverat *Deod.* cum *Tigur. In ſpecula expectans gladium.* Quin & *Vulg.* dederat, *Circumſpectans undique gladium.* Adjecit *Cocc.* vel *quo pereat*, vel *quo ſe defendat.* Ex alia ſignificatione rad. צפה *obtexit*, Cl. *Schmid.* offert, *Ut ſit obtectus* tenebris, & calamitatibus belli, *uſque ad gladium*; *donec gladius illum feriat.* Minus concinnum. Dubitationem dirimet Poëta vetus in *Hamaſa.*

23 Vagabundus ipſe ad panem, ubinam! experitur in culmine ſtare ad manum ejus diem horridæ caliginis.

23 נדד הוא ללחם איה ידע כי־
נכון בידו יום חשך :

24 Ex-

24 יבעתהו

سقاه الردي سيف اذا سل اومضت
اليه ثنايا الموت من كل مرقب ۞

Leti potionem ei fudit gladius, quo ſtricto deſtricti reniduerunt
Ad illum dentes Mortis, ex omni ſpecula.

Monet *Taurizius* eſſe مثل *Parabolam*, ſive *Figuram*, وليس ثم مرقب ولا ايماض *nec vel ſpeculam, vel dentes proprie capiendos.* Nempe *ſpeculam* uſurpat ſublimior ſtylus *Arabum*, quum *diſcriminis* ac *periculi* quid *impendet*, vel *necopinanter opprimit.* Sic *Dentes Mortis ex omni ſpecula renidentes & reſtricti in aliquem, adgladium ſtrictum fortiſſimi pugnatoris*, nil aliud indicant, quum *ictus hoc gladio inflictos, quot vulnera, tot mortes,* ſive *morſus mortis, ferentes.* Apparet hinc reddendum eſſe, *ex alto captatus ipſe ad gladium.* Hoc eſt, *ex Dei ſpecula gladius ei imminet, necopinato in Caput deſcenſurus.* צָפָה eſt *ſpeculari, e ſpecula captare*, atque ita *alicui ex alto imminere.* Videlicet *Vindex* Dei *Gladius impendet cervicibus improborum.* Notum illud *Lyrici.*

Deſtrictus enſis cui ſuper impia
Cervice pendet &c. ———

Conſimilem imaginem & hic adhibitam agnovere *Merc. Grot. de Pined.* &c. Cum ea pulchre concinit quod dedimus; in quo nihil ſcrupuli cuiquam relinquetur, ſi recurramus ad Veterem Linguam, quæ a צָפַן, pro צָפָה, in *part. præt.* dat צָפוּן *Tſaphouw*; pro quo mox ſponte enunciari cœptum צָפֻן *Tſaphou* per quietem ultimæ, quæ jam in ſcriptione quoque neceſſario fuit omittenda.

Verſ. 23. Calamitatibus acerbiſſimis, quas improbus timendas habeat, nominatim accenſetur, *Ejectio ex fortunis, ſedibuſque, ut tanquam mendicabulum oberret panem quærens, nec inveniens.* In *Tragœdiis* ſolenne Schema; quo ipſa Morte aliquid dirius pingitur. Videſis *Sen. Med. Act.* 1: 18. 22. &c. Cl. *Cocc.* traxit, ad *Timorem paupertatis, indeque ortam avaritiam.* Credo ad commodiorem nexum; qui ſane paulo impeditior, ſi cum *Doct. Merc.* ſtatuamus improbum hactenus concipi felicem, ſed metuentem perpetuo, ne fortunis ſuis excidat, in tenebraſque incidat ſeq. colo propoſitas. Mihi hic Character *præſentem* jam, & cum *maxime prementem miſeriam* ſignare videtur, ad quam quodam quaſi *raptu* mentis tranſiri cenſeo, ut qui *Vſ. præc.* conſpectus erat *medias inter epulas deliciaſque cum gladio vindice, cervicibus impendente*; nunc eodem *percuſſus* inducatur, atque *fortunis evolutus*, ut incertis *ſedibus* ac *Laribus*, cum ſumma *fame* & *inopia*, *Vagabundus oberret*, omnibus, ſibique ipſi adeo, *inviſus*, & *execrabilis.*

Ibid. Huc fertur poſterius colon. Nimis tenuis *Merc.* ſenſus, *Tam certo ſibi perſuadet mox affuturum diem horrendarum calamitatum, quam ſi eum præ manibus jam teneret.* Cl. *Cocc.* בידו *præ manu* etiam refert ad *metum futuræ paupertatis.* Cl. *Schmid.* mallet, *per ſuam ipſius manum, ſuiſmet factis, paratum ſibi novit interitum.* Similia habet *Cler.* item *Tigur. de Pined.* Mihi in verbo נכון illuſtrior figura adfulget, ex *Prov.* 4: 19. ubi נכון היום *Firmum diei* uſurpatur pro *meridiei culmine.* Hoc grandi cothurno applicitum ad *Diem tenebrarum*, qui etiam ſuum veluti *meri-*

24 יבעתהו צר ומצוקה תתקפהו
כמלך עתיד לכידור :

כי־ 25

24 Externabunt eum anguſtia & coarctatio; valide opprimcnt eum, ad inſtar regis; deſtinatus eſt ad turbulentiſſimas fortunas.

25 Quo-

ridiem habet, ſuumque *culmen*, quum undique *denſiſſimus horror circumſtat*, *abſque ullo lucis radiolo.* Hoc ſenſu ידע valet *Experiri*, *perſentiſcere.* Nil tritius quam *Experientia graviſſimarum pœnarum* hoc verbo conſignata. בידו *per manum ejus* ſic ſatis accommodum foret, ut *ſuiſmet factis ſibi tantam hanc perniciem creatam experiri* dicatur. Præfero tamen, *inter manum ejus*, vel *in manu ejus*, non *in futurum*, ſed *in præſens*, cum *futuro* tamen ita conjunctum, ut *perpetuitatem* quoque *temporis venturi* ſecum ferat. Apud *Arabes* بين يديه *inter manus*, valet *ante faciem*, *in præſentia*, *in conſpectu.* Id in *Animadv. Juven.* jam monueram; ubi citavi ex 1 *Sam.* 21: 13. בידם *in manibus eorum*, pro *coram ipſis.* Id *Arabes* dicerent بين يديهم. Locus *Alcor. Sur.* 2: 256. يعلم ما بين ايديهم وما خلفهم melius ſic convertetur, *Novit quæ inter manus eorum*, & *quæ poſt tergum:* Ubi prius complectitur *præſentia cum venturis*, poſterius *præterita.* Ad eam ergo rationem, *Experitur quod firmus*, & *ad culmen provectus ſtat*, *in manu ejus*, *dies horridæ caliginis*, *qui nunquam iterum diſcutietur*, *ſed eum perpetuis anxietatibus premet.*

Verſ. 24. Hunc ipſum adſpectum urguet porro *Eliphaſus*, in graviſſimo illo verbo תקף, quod *Cap.* 14: 20. dixi valere ὑφελίζειν *rigida*, *invicta*, *inflexibili vi ſubigere.* Splendida autem *Proſopopœia* hic inducta, in qua turbat vox Monadica כידור. R. *Salom.* quum nihil melius ad manum eſſet, contulit cum כידור *ſcintilla*, quaſi ageretur de *Rege Aſſyriæ cui paratum Topheth.* Nugæ. Alii Magiſtri recurrerunt ad כדור *Eſaj.* 22: 18. & 29: 3. quod *pilam*, *globum*, notare creditur, per *Chaph radicale.* Inde R. *Levi* elicuit *genus ſupplicii*, quo damnatus *in globum conſtringebatur.* Sequitur *Vatab.* itemque *Bolduc.* genio ſuo ad h. l. indulgens, & nimia mira nobis narrans ac pingens, quaſi *Plautus* hoc *ferricernuum* vocaſſet; vertendumque eſſet, *prævalebit ei ſicut Regi parato ad ferricernuum.* Commentum *Ralbagi* merito ſpreverat *Merc.* ut & alterum ejuſdem, de *Haſtiludio*; nec non tertium R. *Saad.* de *circumvolutione Sphæræ Cœleſtis.* A *Rab. Periz.* detorquetur ad *globum ſatellitum*, quo *ſtipatus Rex.* Adfine quod *Chald. Ab. Eſra. Nachmanid.* attulere de *militum globis*, vel & *acie pilata.* Subſcriptum a *Merc.* & reliquis, qui *prælium* ferme dant, vel *aciem in orbem inſtructam.* Specioſe enim vero; nec dubitari ferme poſſet, ſi in duobis locis *Eſajæ* כדור agnoſceret Radicem כדר; ſed a *Boch.* evictum *Chaph* ibi eſſe *ſervile*, & vocem דור *acies*, *pila*, deſcendere a דור. *Rotundus fuit.* Adde quæ in *Obſerv. Philolog.* exhibita ad *Eſaj.* 22: 18. Iſti Vocabulo nihil commune eſt cum כידור; cui miror a Cl. *Guſſ.* vim *pilæ*, & *globi* datam, etiamſi כדור ad דור & ipſe reduxiſſet. An ergo nefas verbum aliquod in medio relinquere? & an ſatius, ut vel invita Minerva aliquid proferatur? utique omnia, quæ adhuc luſtravimus, tam parum firma, quam hocce *Codurci*, qui vocem *Perſicam* eſſe ſuſpicatur, nempe *Cidaris*, ut ſit, *ſicut Rex qui victor Corona donandus eſt.* Plauſibilius, quod *Grot.* & *Capel.* ad *Arab.* كدر *turbidus fuit* reſpexere, unde כידור eſſet *Tumultus bellicus.* Non video, manente ſtructura recep-

25 Quoniam extendit adverſus Deum manum ſuam; & contra omnipotentem ſemet extulit.

26 Cucurrit adverſus illum cum cervice: cum denſitate dorſorum clypeorum ſuorum.

27 Quo-

25 כי־נטה אל־אל ידו ואל־שדי יתגבר׃

26 ירוץ אליו בצואר בעבי גבי מגניו׃

27 כי־

ta, melius quicquam dari poſſe, *invadent eum ut Rex paratus ad tumultum bellicum*, i. e. *formidoloſi Bellatoris more*, *malis turmatim irruentibus*, *ſibique invicem ſuccenturiatis*; quod hic opportune *Cocc.* appoſuit. Sic *Malorum agmina & exercitus* jam ſupra habuimus, atque ad *Cap.* 19: 12. idem *Tropus* recurret. Non poſſum tamen quin alium adhuc conſpectum pandam, ex alia conſtructione redundantem, atque cum uſu ſignatiſſimo *Thematis* كدر inter *Arabes* magis adhuc conjunctum. Habes apud Cl. *Golium*, *Impurus*, *obſcurus*, *turbidusque fuit* liquor, color. *Incommodis & adverſæ fortunis caſibus conturbata fuit vita.* Originem *metaph.* percipias ex *Iſpahan.* in *Vita Salad.* كدر علية بالشوايب والنوايب مشرعة *Conturbata fuit ipſi per turbulenta & fatalia caſuum aquatio ejus*: i. e. *fortuna* ejus *limpida* ἰθολώθη. *Hiſt. Tam. p.* 2. وحاط بما صفا من عيشة الكدر *Et involvit limpidiſſimam ejus vitam lutulenta conturbatio.* θολὸς. θόλωσις. Ajo ergo כידור ex origine ſua ſonare θολὸν, ſive *ſtatum* θολερὸν *turbulentum.* Hinc jam prudentiæ erit dijudicare, prioremne illum mavelis ſenſum *tumultus bellici*, an commodiore ſtructura, & ſenſu uberiore, *Invadent eum ſicut Rex*; *paratus eſt ad turbulentiſſimas fortunas.* Sic עתיד erit, *in perpetuum deſtinatus*, *judicioque Divino addictus*, ut mox *V.* 28. Adde *Deut.* 32. 35. ubi *pœnarum theſauri* improbis *repoſiti* eleganter עתידות *parata* vocantur. כמלך abſolute ſtare, & *Regem præpotentem* ac *formidoloſum* ſonare, admodum veriſimile, ex *Cap.* 18: 14. ubi vertendum, *Invadent eum inſtar Regis Terrores* Confer quæ ibi dabuntur. Etiam contendas velim illud *Prov.* 6: 11. *Et veniet ut Graſſator Inopia tua*; *& paupertas tua ut vir Clypeatus.* Apparet aliquid *Proverbiale* reſidere in, *Graſſatoris*, *Bellatoriſve more invadere.* Eadem ratione, *Regis more invadere* haud indiget additamento, & per ſe plenum fundit ſenſum. Converti quoque poſſet, *Corripient eum inſtar Regis*, *paratum turbulentiſſimis fortunis*, atque *perpetuis miſeriis deſtinatum.*

Verſ. 25. Omnia liquida. Circa verbum התגבר obſervetur tantum ſimilis uſus *Arabum*, quibus تجبر eſt *ſuperbire*, *ferocius & inſolentius ſe gerere*, a جبار גבור *Gigas*, anſa ſumta, quo nomine etiam *contumaciter Improbi* ſignantur. Cl. *Cocc.* annotatio ſic habet, התגבר ſi a גֶּבֶר *vir*, eſt ἀνδρίζεσθαι; ſi a גָּבַר, eſt *ſe ipſum inflare*, *animare*, *& extollere ut ſuperet*, *nam verbum illud notat ſuperare.* Verum. Sed *Origo* adfert *ſolidari*, *ſolidis viribus prævalere*, unde & *Viro* גבר, & *Forti*, aut *Giganti*, גבור nomen inditum. Confer quæ ad *Cap.* 36: 9. & dedi olim, & dabo.

Verſ. 26. Hæc *contumax ſuperbia* illuſtribus figuris declaratur. Prima eſt, *Currere*, *incurrere in Deum cum cervice.* Non ignoro R. *Levi*, *Vatabl. Tigur.* ita phraſin invertere, ut *Deus* ipſe dicatur *currere* in improbi *cervicem*, *eique clypeos ſuos denſos extorquere*: ſed eſt coactum, & male cohærens. *Currere* ergo *cum Cervice in Deum*, valet *erecto collo inſur-*

ſurgere in Deum, *Cœlumque impugnare.* Ita רוץ pro *hoſtiliter incurrere*. *Pſ.* 18: 29. Cl. *Cler.* non *erectam* vult *cervicem*, ſed *pronam*, quia *milites in procurſando caput potius inclinabant clypeo protectum.* Species fraudi fuit: ſed nec *Lingua* patitur צואר abſolute poni pro *Cervice prona*; & *Figuræ* multum inde decreſceret, quum pingatur *Superbia ferox*, *erectis ſemet cervicibus efferens*, *inferenſque*. Similimum *Pſ.* 85: 6. præſertim ſi reddas *Loquuntur cum cervice Durum*, ſive ut *Cocc. rancidum*. Abſolute ſic *Cic.* 3. in *Verr.* 59. *Qui tantis eſſent cervicibus*. Item *Claud.* 1. in *Ruff. Alta cervice vagantur:* & 2. in *Ruff. Magna cervice triumphat*. Ita *Græcis* ὑψαυχενέω & ὑψαυχενίζω. Apud *Arabes* crebra imago: ad quam clariore in luce locandam obſervo, صَوَرٌ צָוָר eſſe iis *vitium colli ad latus inflexi*, & *obſtipi*, *præ ſuperbia vel contumacia*. Id non pugnat cum *Erectione* ejuſdem, ſed eam intendit, & *contumaciorem* reddit. Idem صَيَدٌ vocitatur, unde apud Cl. *Gol.* أَصْيَدُ *Caput præ faſtu attollens*, adde *cum obliquatione in latus*, ex contemtu. *Hamaſa.*

نقيم سالفة العدو
الاصيد ۞

Corrigimus cervicem obliquatam Inimici collum torquentis.

Hoc eſt, *faſtum ejus retundimus*. Ex eadem *Anthol.* habeas & hocce.

في انوفنا واعناقنا
اباء ۞

In naſis & cervicibus noſtris ſuperbia indomita.

ubi *Taurizius* خص الانوف والاعناق بالذكر لان يقال في انف فلان خنزوانة وفي عنقه صور *Nominatim deſignat Naſos & Colla, quia dici ſolet in Naſo ejus faſtus, & in Collo ejus obliquatio obſtipa.* בענקה צור. Hoc quantam adfinitatem habeat cum צָוָר & צַוָּאר quilibet cernit, ad cujus *Originem* alibi plura dabuntur. Obiter addo ענקים *Anakæos* illos celebres a *collo longo*, & *elato*, ὑψαυχένων *Longicollium* nomen indeptos videri; nam أعنق eſt *Longo collo præditus*. An & illuc alluſum, ut *Gigantea audacia* & *contumacia* denotetur?

Ibid. Altera Figura non minus lucis capit ex *Arabia*. In *Proverbium* nempe abivit formula قلب له ظهر المجن *Obvertit ei dorſum clypei* צהר אלמגן, pro *contumaciſſimum ſe geſſit adverſarium*. Extat in *Hamaſa*, ubi *Tauriz.* ad verba Poëtæ, *Quum Amicus me ſiniſtris impetit ſuſpicionibus, obverto ei dorſum clypei*, hæc dedit.

هذا مثل واصله ان المقاتل
يكون ظهر مجنه الي اعدايه
ويستعمل ولا مجن هناك

Eſt Adagium, cujus origo ex eo, quod pugnator dorſum clypei hoſtibus obvertat: dein uſurpatur etiamſi nullus adſit clypeus. Hinc pulchre *Abulphar. Hiſt. Dyn.* 395. الدهر قلب له ظهر المجن *Fortuna ei dorſum clypei obvertit.* Adde *Harir. Conſ.* 23. de *Fortuna* ſive دنيا *vita mundana*

كم مزدهي بغرورها حتى بدا
متمردا ۞
قلبت له ظهر المجن واولغت
فيه المدا ۞

Quos

27 Quoniam obtexit faciem ſuam adipe ſuo: & fecit pinguitudinem ſuper lumbo.	27 כי־כסה פניו בחלבו ויעש פימה עלי־כסל׃
28 Et	28 וישבון

Quot inflatos ejus pellacia, ita ut in Deum rebellarent:
Obverſo excepit dorſo clypei; iiſque cultros adegit!

Admirabiliter hic quadrat עֲבִי *denſitas*, proprie *conſtipatio farta*, quæ ſervata ſub عَبا, quod *Arabes* quoque terunt in *inſtructione & denſatione aciei*, quum *ſtant junctæ umbonibus phalanges*. Forte & illuc ex ancipiti reſpectum, ut *Denſa ſcuta*, *denſe ſtipata* & *compacta* repræſententur. Idem obverſatum Cl. *Coccejo* ex *num. plur.* elicienti *aciem denſam* συνασπισμῶν. Cl. *Cler.* מגניו ad *Deum* putat pertinere, *cujus clypeos & aciem irruat improbus*. Minus recte. Ad גבים porro teneatur, eſſe proprie *convexa*, *gibboſa*. Conferendum quoque حرب احدب *bellum gibboſum* ad *Harir. p.* 23. Rabbinicas argutias in hac *allegoria* enucleanda nil moror. Supprimere nequeo, aliam adhuc faciem recipere noſtrum textum; & ad modum *Apodoſeos* eum poſſe converti, reſumta ex *Vſ.* 24. *proſopopœia Regis*, qui jam dicatur *incurſurus cum cervice, & denſiſſimis clypeorum umbonibus*, in *improbum* illum, *qui Deum impugnare ſuſtinuerat*. Hoc rotundius ſaltem, quam quod tentarat *R. Levi*: atque ob repetitum כי *Vſ.* 27. cui *Vſ.* 28. ut *pœna* ſubnectitur, non omnino incommodum forte cenſeri poſſet. Nil tamen muto; atque in præc. explicatione acquieſco.

Verſ. 27. In cohærentia nonnihil ſcrupuli. Poteſt accipi ut *fons*, & *fomes*, hujus *contumaciæ*, quam *nimia fortunæ indulgentia*, hominem meum *ſaginans*, & *adipoſum* ac *veſanum* reddens, pepererit, & aluerit; quando ſimile foret iſti, *ſaginatus eſt Jeſchurun*, *arvinam duxit*; *recalcitravit*. Poteſt quoque ſumi, ut novus character *improbitatis in Deum ſeſe erigentis*, *per vitam ſecuram*, *laſcivam*, *ventri & ſaginæ deditam*, *ſeque luxurioſe paſcentem*. Addunt *Schmid.* & *Cler.* crimen *rapinæ*; quod facile patior; ſecundum illud, *ex luxuria avaritia exiſtit* &c. Confer *Jac.* 5: 4. 5. Ceterum in verbo כסה teneas velim *Metaph.* a *Veſte*, & *operimento* deductam, ut *facies adipe veſtita*, & undique *operta* atque *involuta* inducatur. *Excæcationem*, quam Erud. *de Pined.* ſimul innui cenſet, haud abnuerim. Sequens פימה nuſpiam alibi repertum, ex ſerie *Arvinam* reddidit *Vulg.* & *Symm.* πιμελήν. LXX. περιστόμιον inconcinnius; a *plur.* פים *ora*, ex פה aliquid utcumque extundentes. Hinc, quæ hallucinationes exſtiterint *Veterum*, videas apud *de Pined.* Cl. *Cler.* mallet περιτόναιον. Ex iiſdem פים adſcitæ a Recentioribus *Duplicationes rugarum*, *in cute diſtenta præ pinguitudine*. Vide *Merc.* & *Cocc.* Nullum exemplum talis derivationis productum vidi. Aliquid ſimile tamen offert פנימה, cum *He parag.* a *plur.* פנים; quod *introrſum* notat, proprie *faciem verſus*. Sic פימה eſſet *ora verſus*, quod tamen non quadrat; neque etiam *He parag.* hic adeſt, ſed *fœmin.* quod *Plur. maſcul.* addi poſſe, nemo dixerit. Cl. *Schmid.* ait, *ſe malle vocem reſiduam dicere ex inuſitata radice, quam iſtoc modo eam torquere.* Addit, textum ſuadere *Rugam ventris præ pinguedine.* Miror, ne nominatum quidem *Boch.* qui *Hieroz.* p. 1. ex *Arabia* vim *pinguitudinis* fugitivam reduxerat, quum فيم ſit *pingueſcere*, *adipe impleri*. Locum laudavit Cl. *Crom.* qui tamen aliquid ſcrupuli movet, eo quod פום iſta notione non potuerit invenire; quodque *facere pinguedinem* minus videatur concinnum. Tentat ergo ipſe, *dum parat Cibos in ignavia*, a فوم *Triticum*, *panis*: & كسل *ignavus fuit*. Bene tamen palmam *Bocharto* adjudicat vir *Doct.* qui

28 ויּשכון ערים נכחדות בתים לא־ ישבו למו אשר התעתדו לגלים׃

28 Et habitabit urbes deletas; domoſque quæ non florebūnt ſibi; quæ deſtinatæ ſunt in tumulos.

29 לא־

29 Non

qui non ignorat *Facere corpus* inter floſculos orationis *Latinæ* cenſeri. Extat autem *Thema* فئم פים *med. Hamz.* pro فام apud Cl. *Gol.* his notionibus, *Explevit ſitim*; *Os herbis plenum habuit* camelus: *Adipe impletum fuit interſtitium ſcapularum* in Camelo. Hæc tria non diſſident, ſed ſuaviter conſpirant, ab *inferciendo* ducta; ut periti ſtatim advertent. Nempe فئام פיום eſt *fartura*, *culcitra*, *ſtratum mollius* وطاء للهوادج *quod pilentis camelinis ſubſternitur.* Hinc illuſtri figura فئم حارك البعير امتلا شحما *fartum fuit interſtitium ſcapularum cameli*, *pro adipe oppletum fuit*: ut in *Camuſo* enotatum. Habeas hinc cum acceſſione lucis & gratiæ, *Et farturam*, *culcitram mollem*, *pinguitudinis fecit ſuper lumbo.* Diceres vernacule, **ſagte kuſſentjes maken op de lendenen.** Schema dignum, quod *Jobo* reponatur; in quo nihil non excellens, & ſublimitate admirabili. Confer *peras*, *manticaſque*, *poſt ſellam camelinam religatas*, pro *Natibus Obeſulis* ad *Harir.* p. 97. 98.

Verſ. 28. Scindunt ſe ſententiæ ad *Allegoriam*, quæ *genium Orientis* unice reſipit. Prima diſſenſio, ſitne *Crimen*, an *Pœna Criminis*. I. Multi autumant continuari *deſcriptionem criminum*; quibus non una mens. 1. Ad *Latronum morem & indolem* tractum a quibuſdam, calculum adjiciente Cl. *Cler.* quaſi notarentur ut *deſerticolæ*, *inter rudera antiquarum urbium habitantes.* 2. *Merc.* ad *vanitatem* & *ſuperbiam* refert, in *reædificandis veteribus ruinis ad nomen propagandum.* 3. *Grot. Cocc. &c.* ad *violentiam* & *rapinam*; quod *ampla* ſibi *patrimonia* compararit improbus *ex aliorum calamitate & everſione.* Hoc poſterius *Cajetano* auctore propoſitum a *de Pined.* qui & duo priora tetigit. Quid incommodi habeant omnia hæc, non perſequar. II. Ad *pœnam* qui pertinere ſtatuunt, iterum diverſi abeunt. 1. *Ab. Eſra*, *Nachman. Schmid.* volunt *exſcidium improbi* denotari, qui *ex ædibus*, *ex ſedibuſque jucundis*, *exterminandus ſit.* 2. Vicinum, quod alii apud *Merc.* & *de Pined.* hæc intelligant de *ſumma inopia impii*, *tecto carentis*; *& in civitatibus dirutis*, *domibuſque ruinoſis*, *ac deſertis*, *latitare coacti.* Non multum diſcrepat 3. quod ab aliis de *conſcientiæ terroribus*, deque *infami expulſione e civitate & domo* productum. Hæc poſtrema, talia ſunt, ut ſe facile *ſubordinari* patiantur, iſta ſerie quam propoſui; & ſi quid ex hiſce eligendum haberem, huc concedere non dubitarem.

Ibid. Neutiquam tamen ſcrupulis liberi hi ſenſus, ſive eos conjungas, ſive & disjungas, ſi *literam* teneas: ſed cuncta ex facili & limpido fluent, ſi *Allegoriam* hic agnoſcas multo ſublimiſſimam, & gravi *Oxymoro* cumulatam. Juxta geminum hoc *Schema*, *Habitare urbes deſolatas*, *&c.* eſt, *Domicilium habere in media deſolatione*, *vaſtitate*, *inopia*; *Regionemque*, ut ſic dicam, *Maledictionis Divinæ* ut *perpetuus Incola inſediſſe.* Magno acumine enunciatum, *Incolet*, *Inhabitabit urbes deſtructas* ſive *deletas:* ubi ſtatim ſentis illud *Oxymoron*, delicias *Arabiæ*, quo pugnantia conſtruuntur, & *Diratio* dicitur *incoli*, atque pro *ſede & habitatione perpetua occupari.* Ad eandem formam adjectum, *Habitabit domos non habitandas ſibi*, *inhabitatas*, *nec unquam incolendas*, quippe *maledictionis fulmine* percuſſas; atque, ut ſubnectitur, *Divinitus deſtinatas in tumulos*, *ruinaſque perennes.* Ut *Allegoriæ* vim, ac rationem, plenius perſpicias; ſciri velim *Regiones*, *Civitates*, *Domos*, *manſiones*, transferri ad *ſtatum*, & *fortunas.* Poeta vetus in *Moallek.*

فبنوا لنا بيتا رفيعا سمكه

Et ædificarunt nobis domum alte faſtigatam.

 Ubi

29 Non diteſcet, neque ſtabit opulentia ejus; & non pangetur in terram proſperitas eorum.

30 Non

29 לא־יעשר ולא־יקום חילו ולא־יטה לארץ מנלם׃

30 לא־

Ubi *Schol.* هذا تمثيل وانما يعني بالبيت الشرف *Hæc eſt parabola, per domum namque innuit Nobilitatem. Ibid.*

ابـاح لنا حصون المجد
دينا ❀

Occupandas nobis dedit arces gloriæ in perpetuam fidem.

Hoc eſt, *perennis nobilitatis, gloriæ*, & *potentiæ*, nos *conſtituit hæredes.* In *Hamaſ.*

لنا جبل يحتله من
نجيره
منيع يرد الطرف وهو
كليل ❀
رسا اصله تحت الثرى
وسما به
الى النجم فرع لا ينال
طويل ❀

Nobis mons eſt in quem clientes recipimus;
Arduus, retundens aciem tuendo feſſam:
Pangitur radix ejus ſub terram, tolliturque
Ad aſtra vertex, longior quam ut attingatur.

Ubi *Tauriz.* الجبل هنا كناية

عن العز والمنعة *Mons hic allegoriam præbet gloriæ & potentiæ.* Talia complura lecta mihi, & notata, quæ promere haud neceſſe, quum Univerſum genus hinc facile innoteſcat. Ut ergo *Habitare Arces, urbes, domos celſas*, eſt *gloria*, & *opulentia*, *florere*; ſic adſcito *Oxymoro*, *Habitare arces domoſque ſubverſas*, eſt *in ignominia* & *inopia jacere.* Ad בתים לא ישבו *Domus quæ non ſedebunt ſibi*, miror *Piſc.* & *Schmid.* deſiderare exempla conſimilis uſus; quum nil tritius ſit ישב לו *ſedere*, in *urbibus*, *domibuſque florentibus*, & *quieta ſede beatis.* Vide modo *Eſaj.* 13: 20. *Babylonia* לא תשב לנצח *non ſedebit in æternum*, i. e. *non habitabitur*, *non incoletur*, ſed *in purum putum diruetur.* Eadem emphaſis *Jer.* 50: 12, 39. quæ loca ſi inſpexeris, diritatem hujus ſcenæ creſcere ſenties, quæ *æternam* adfert *vaſtitatem.* Ei reſpondet התעתדו *paratæ ſunt*, pro *divino judicio addictæ*, cum *devotatione*, ſeu *conſecratione ſolenni.* Languent interpretamenta reliqua. Ad *Cap.* 3: 14. ſpecimina dedi *Oxymororum.* Adde 10: 22. & 11. 20. & 15: 23. ubi habes *Meridiem tenebrarum.* Ex *Haririo p.* 142. notes præterea استبطنا الجوي *pro ventris fomento cruciatum & tormina applicuimus.* Et 144. اكتحلنا السهاد *Pro collyrio oculorum illevimus inſomniam.* In *Iſpah.* poſt *Vit. Salad.* 10. reperies الحقه من عريه ثوبا *Injecit iſti regioni nudationis ſuæ veſtem.* Id eſt, *Regioni iſti intulit horridam nuditatem & vaſtitatem*, *quæ eam ut veſtis totam involverit.* Verbulo monendum reſtat, *Præp.* ו dupliciter capi poſſe, vel pro *Etiam*, vel pro *ſane*, *profecto*, cum

cum *illatione pœnæ*, *malæve ſequelæ*. Sic *Exod.* 12: 15. *Quoniam omnis qui ederit, & exſcindetur anima ejus.* Item *Vſ.* 19. *Lev.* 7: 20, 21. & 18: 29. & 23: 29. &c. &c.

Verſ. 29. *Pœnam* hic inchoant, quibus *præc. Vſ.* ad *crimen* pertinere viſus: nos diras continuari cenſemus. Duplex via interpretationis. Prima, *Non dives erit, neque ſtabit ejus opulentia* &c. Ut ſit *amplificatio* prægreſſæ *devotationis*, atque vel *opulentiſſimæ opes* ad *ſummam inopiam* dicantur recaſuræ; propter maledictionem *improbis* incumbentem; qui non poſſint non tandem ex omnibus ſuis fortunis evolvi, per quas Deum irritarant & impugnarant. Altera, ut amputetur *improbo deſtructo & ſubverſo* omnis *ſpes reſtaurandarum fortunarum:* quando vertendum, *Non diteſcet, neque reſurget opulentia ejus.* Hoc unice placuit Cl. *Schmidio*; & fateor ſatis eſſe ſpecioſum, quamvis non approbem quæſitas nimis rationes quas contra priorem ſententiam infert. Me maxime moveret, quod concitatior & vehementior, quam ante, cenſor hicce, *Jobo* ut *contumaciter improbo*, nunc *præcidere* voluiſſet illud ipſum tenuiſſimum ſolatium, quod Ei antea reliquum fecerat, ſi ſinceram ageret pœnitentiam. Perpende tamen, an qui *improbum* dixerat *Inhabitaturum eſſe ipſam Deſtructionem & Ruinam*, *in cujus centro* ac *meditullio perpetuam ſedem* eſſet *fixurus*, cum gratia, & Emphaſi, addere queat, *non diteſcet* iterum, *neque reſurgent ejus divitiæ* &c. Mihi id languidius videtur; quum contra vibret, & ardeat, prior conſpectus, quo inculcatur non poſſe conſiſtere cum *Juſtitia divina*, ut *Improbus in terris floreat*, *ſtabileſque fortunarum radices agat*: ſed eum neceſſario, poſt brevem felicitatis uſuram, ita debere extirpari, ut nec *Ramus* nec *Radix* ſuperſit. Ad *Cap.* 5. Viri hypotheſin plenius dedimus. Ea ſenſum poſteriorem ſponte includit.

Ibid. Hanc mihi mentem adfirmat ſequens Colon; in quo ut rarum, ita dubium, ac conjecturis obnoxium, מנלם. Mitto eos, qui conflatum voluere מן להם *Ex eo quod ipſis*; vel ex *Chald.* מַן pro מה. Nec laudo Cl. *Cap.* qui מכלם: legendum cenſuit, ſi *conſummatio eorum* reddatur, itemque ככלותך *Eſaj.* 33. 1. pro כנלותך *quum conſummaveris.* Reliqui *Interp.* ex illo loco ſolitario adſcivere quod poterant, & הנלה cum התם *finire*, *perficere*, junctum, per *conſummare*, *abſolvere*, expreſſerunt. Hac anſa מנלם hic *conſummatio eorum* eſt *Mercero*, *quæ non extenderet ſe per terram*; ab *arboribus* deſumta *Metaph.* Secuti, ſub exigua varietate, omnes. *Cocc.* maluit *plenitudo eorum.* A *Schmid.* datur, *incrementum eorum*; qui לא יטה לארץ ad ſuum ſenſum inflectens, in coactum quid & dilutum incidit, quaſi negaretur, *tantum incrementum* iterum *ſumturos improbos*, *ut e locis vaſtatis uſque in terram habitatam ſeſe illud extendere queat.* Atqui ſpes non *increſcendi*, ſed & *ſtandi*, ac *manendi in terra* ipſis denegatur. Alia conſtructione *Codurc.* *neque per terram diffundet plenitudinem ſuam*, ſuſpicans מנלם idiotiſmo hujus Libri pro מלם a מלא deſcendere. Conjectura hac potuiſſemus carere. *Vulg.* dederat, *Neque mittet in terram radicem ſuam.* Melius quam LXX. qui σκιάν. Prius eſſet אצלם: poſterius צלם; quæ longiuſcule abeunt. Produxi olim מנל منال *portio* a נול نال *conſecutus eſt*; *obtinuit:* atque inde etiam *Eſaj.* 33. 1. illuſtrare conatus fui. Ejus *Deriv.* نال & نيل apud Cl. *Gol.* eſt *omne quod quis conſequitur & reportat*; *rebus ad vota fluentibus.* Idem نولة نولة & نيلة נילה apud Eundem. Haud pœnitet conatuum, quamvis rudium: nam נלה ſive נלו & נלי cognationem magnam habet cum נול vel ניל, eſtque hoc genus verborum valde commutabile. Jam illud أنال *aſſecutus eſt*, *obtinuit ſcopum*, *votumque*, tam pulcre quadrat *Eſaj.* 33. 1. ut lectioni iſti nulla amplius lis moveri debeat a Criticis prudentibus;

30 Non recedet ab horrida mihi caligine ; ſugentem ejus ſurculum arefaciet fulmen ; & tolletur flatu oris ejus.

31 Ne

30 לא־יסור מני־חשך יונקתו תיבש

שלהבת ויסור ברוח פיו :

31 אל־

quum & *Arabes* انالي אנלי pro הניל vel אניל facile potuerint adoptare. Cl. *Vitr.* ad *Eſaj.* nonnihil adhæſiſſe videtur ad ſcrupulum a *Capel.* motum, Elementa נל viciniam in *Ling. Orient.* haud pati. Rarus ſane concurſus ; ſed tamen extant exempla ; monente etiam Cl. *Cler.* Idem de נר in primis ſedibus Radicum obſervare licet. Geminum locum *Eſaj.* & *Jobi* idonea luce perfundet hocce Poëtæ in *Hamaſa.*

يبني المكارم ويعمرها حتي

ينال امورا دونها قحم ☼

Ædificat Laudes , eaſdemque inhabitat ; ita ut
Conſequatur Res præſeptas præcipitiis.

Habes ibi ינול, *attinget*, *obtinebit ex votis* ; ad quam rationem ינלה dictum fuiſſe immerito negaretur. Inde מנלה *ſumma votorum*, *culmen proſperitatis.* Ea hic nullam habere dicitur radicem , nullum firmamentum, *ſabulo* videlicet *ſuperſtructa* ; non *rupi pietatis.* Hoc pulcherrime expreſſum per לא־יטה לארץ *non radices aget in terram* ; proprie *non tendet.* Grandis ſtilus *Tendere* , pro *Radices altius figere* , ultro amplectitur. Habes rationem, cur *ſtatura non ſit opulentia improbi*, ſed *uno momento collapſura* ; non jam dicam *radicitus verſa* ; ſed *ſuo ſub pondere ſidens* ; quod *fundamento* omni, & *radice* deſtituatur. Jam manum de tabula : ſcias tamen novas mihi lineas ducendas reſtare, ad *Originem* verbi declarandam ; reliquoſque *Arabum* uſus inter ſe conciliandos ; quos ſub نال media *Vaw* & *Je* ex uno fonte derivarunt.

Verſ. 30. Ne hic quidem omnia omnibus expedita. Haud exputo cur Cl. *Cocc.* annotarit, *Non* capiendum pro *vix* ; ut *vix* ac ne *vix*, *aſſecuturus* id *ſit* improbus. De abſoluta negatione nil remittendum. Aliena ſectatur Cl. *Cler.* reddens, *non recedet e latebris tenebricoſis*, pro *ſemper habitabit in ſpeluncis*, quaſi ageretur de *Latrone.* Etiam minus ſolidum, quod *de Pined.* monuit, *Allegoriam* eſſe *miſtam* ; ideoque nunc *Tenebras* poni, *quæ non conveniant arbori*, *ſed homini* ; quippe *adfflictionem* , *mærorem*, & *anxietatem* deſignantes. Ita ſane & reliqui Interp. *tenebras calamitatum* hic commemorant, ex quibus *non receſſurus ſit* improbus. Rectiſſime ; attamen vel ſic *Tenebræ* ; pro *Horrida* & *tenebroſa tempeſtate*, quidni etiam in *Arborem* quadrent? Iſtam figuram חשך לִבּ ut *Pſ.* 18: 12. ſubeſſe, ſequentia arguunt : nam שלהבת *Flamma* ſignat haud dubie *flammam cœleſtem* vel *venti urentis*, ut LXX. vel *Fulminis* ; quæ *Tragicis* abſolute φλὸξ. pro *Fulmine* etiam venit *Eſech.* 21. 3. & *Cant.* 8. 6. Non excludo equidem *novas* & *ſævas calamitates*, quas viri Doctiſſ. adferunt, ſed eas ex Emblemate noſtro *ictu fulmineo potentius* ſternentes induco. ברוח פיו *Spiritu oris ejus* argute a *Jarchio* expoſitum de *ſpiritu oris in Deum ſuperba loquentis.* Similiter *Cocc. cum flatu ſuo*, vel ut *Calv. per flatum ſuum.* Tetigit & *Merc.* ſed ſepoſuit, ipſe dans, *ſuomet halitu recedet*, *citiſſimam* & *Deo facillimam conſumtionem* improbi intelligens, qui quaſi *ſe ipſum ſit diſſlaturus.* Adfine illud *Cler. tam celeriter peribit* , *quam ſpiritus ore emittitur.* Non videntur hæc ſedi noſtræ congrua, ubi *procella fulminibus gravida* pingitur. Iis itaque accedo, qui *ſpiritum oris ejus* ad *Deum* referunt. Non alienus hinc *Cocc. Schmid.* quoque huc inclinat ; addens tamen, *nonnihil duritiei ineſſe huic interpretationi* ; *quod nimis remotum ſit nomen Dei*, *ex Vſ.* 25. *repetendum.* Tentat proinde , *Et recedet per ven-*

31 אל־־יאמן בשו נתעה כי־־שוא
תהיה תמורתו׃

31 Ne ſecurus ſit in ipſo culmine fortunæ, qui *ea* inebriatus inſanit: nam vanitas eſt: aderit fluctuans ejus viciſſitudo.

32 בלא־

32 Quum

ventum os ejus. Per *os* intelligit *foramen terræ unde ſurculus exeat*. Bonum factum, quod *non contendere ſe pro hac conjectura*, ſubdiderit. Omnino רוח פיו, quum *Tempeſtas divinitus immiſſa* pingatur, *Oris divini ventum* ſignet neceſſe eſt, ut *Cap*. 4: 9. *Pſ*. 18: 16. *Eſaj*. 11: 4. Alias haud diſplicuiſſet *figura* ſatis ſpecioſa, qua *improbus ſui oris ſpiritu*, vel & *vento*, *auferri* diceretur; ſecundum illud *Eſaj*. 33. 11. a *Cocc*. adductum; cui junge *Cap*. 64: 6. *Iniquitas noſtra, ut ventus, aufert nos*. Nempe ex Ancipiti tunc feriret dictum illud, *Recedet ſpiritu oris ſui*; i. e. *Superbia & contumacia, qua* τοῦ *adverſus Deum, convertetur in turbinem, qui ipſum rapiat*. Hoc ad *tempeſtatem* prægreſſam ſe accommodari patitur, atque cum ea ſat pulchre conſiſtere, judicari forte queat.

Verſ. 31. Admirabilis locus; cui aliquid lucis infudiſſe pretium erit. In nexu conſtituendo multa diſſenſio: itemque in ſenſu. *Merc*. אל non *prohibentis* cenſet, ſed *negantis*; capitque pro deſcriptione *ſtuporis*, & *ſecuritatis incredulæ*: ita ut *vanitate*, i. e. *opibus vanis deceptus* improbus, *non credat quod vanitas futura ſit commutatio ſui*: h. e. *omnes illæ fortunæ in vanitatem & nihilum ſint abituræ*. Huc refer quæ de *ſecuritate ſuperba*, *in deſperationem deſitura*, dederunt *de Pined*. & *Vavaſſ*. ad *Vulgat*. Alii *rationem* reddi putant *pœnarum* præcedentium, quod *Vanitati* nimium *fiſus eſſet* improbus. Multum inde diſtat *Admonitio cavendæ hypocriſeos & vanitatis, ad Jobum alioſque pios*; quam *Cocc*. aliique maluerunt, in hanc mentem; *Si quis oberrat ut ovis, aut titubat ut ebrius* נתעה, *caveat ne in vano fiduciam ponat: nam nihilum erit ejus penſatio*. Sed *Admonitioni* vix locus, quum totus defixus ſit *Eliphazus* in *improborum*, quibus *Jobum* annumerabat, *male fida, & necopinato irreparabilem ruinam tractura fortuna*, depingenda. Accommodatior huc *Imprecatio* quam adfert *Schmid*. *Ne fiat unquam, precor, ut impius habeat rationem, aut fundamentum, confidendi vanitati: ſed vanitas ſit permutatio ejus*, ſive *merces*. Cur non potius *Comminationem* adſcivit? ut ſit *fulmen, vibratum in ſecuritatem* improborum, qui ſibi ſtabiles, dum florent, fortunas promittere ſolent; quantumuis *vanitate* ipſa eas eſſe *vaniores* conſtans doceat eventus. Huc collineant Doct. *Belgæ*. Prior *vanitas* iis notat *divitias opeſque*; poſterior *miſeriam & calamitatem*. Jucundam *Antanaclaſin*, iſtoc ſenſu, multimodis præferrem expoſitioni ꝰ שו, quam a שוה tentarunt *Kimch*. & *Nachm*. quaſi eſſet: *Ne credat æqualitati*, i. e. *ne confidat ſe ſemper æqualem fortunam habiturum, Reſque eodem ſtatu manſuras*. Negari tamen nequit, formam iſtam ad שוה commodiſſime reduci; nam ita קו a קוה; צו a צוה; תו a תוה. Apud *Arabes* larga talium meſſis. Si ergo *æqualitas* iſta uberiore ſenſu mactari queat, eam retinendam cenſerem, ut *Analogiæ* congruentiorem. Obſervo itaque, Thema سوي שוה *æquare*, eleganter adhiberi in *ſole culmen Cœli tenente*. Sic *Hiſt. Tam*..409. الشمس في استوايه *Sol in æquatione ſua*; i. e. *in meridie*. Huc ſpectat illud apud Cl. *Gol*. ſub 8. استوي *Contendit adſcenditque* ad cœlum: proprie *æquavit ſe*, vel *æquatus fuit ſol*. Hoc ad *Fortunas* transferri ſolenne eſt; ut in Carmine *Tomanbaji*,

وشمس السعد بشرف المعالي

Et ſol felicitatis in culmine gloriæ.

 Huc

32 Quum nondum dies ejus erit, implebitur: & ramus ejus non erit prominulus.

33 Im-

32 בלא־יומו תמלא וכפתו לא רעננה׃

33 יחמס

Hinc dictum ſuſpicor *Pſ.* 21: 6. הדר תשוה עליו *Gloriam æquas ſuper eo*, pro, *ad culmen Majeſtatis & ſplendoris eam provexiſti, nunquam iterum minuendam, in occaſumve inclinaturam.* Nota in ſacris imago; ſecundum quam שו hic pulcherrime deſignare poteſt *Culmen Felicitatis*; atque inde per *paronomaſiam* venuſtam exiſtet, *Ne credat, ne confidat* vel *ſummo*, & tanquam *æquato, faſtigio fortunarum*; *nam vanitas erit ejus permutatio.* Cl. *Cocc.* hic, & alibi, conjectat שוא *vanitas, temeritas*, deduci a שוה, quatenus *Æqualitas*, τὸ ἰσόσταθμον vel τὸ ἀῤῥεπὲς deſignat: unde τὸ εἰκαῖον *temerarium* exiſtat, *quum animus abſque momento movetur.* Atqui τὸ ἀῤῥεπὲς & ἰσόσταθμον pingunt potius vel *ſuſpenſum*, vel jam *ponderibus juſtis examinatum judicium.* Convenientius, *Temeritatem* ἀπὸ τῆς ῥοπῆς *ab inclinatione*, & *propenſione lancis ſubitaria*, ſic dictam, ut עול *iniquitas* certiſſimam *Originem* invenit ex عال *Propendet lanx.* ῥέπει. Vide jam quo hæc tendant. *Arabibus* سَوْءٌ *ult. Aleph*, שוא, etiam ſignat *vitium, peccatum*. Apud Eoſdem conſervatum verbum ساء, pro *malus, vitioſus fuit.* Hæc ſecundaria. *Primarium* non comparet; quod ſuſpicor eſſe oppoſitum τῇ אמת *firmitati*, ac *veritati*, ut ſit proprie *inſtabilitas vaga* & *vana*. Hanc ideam in שוא nemo non lubens amplexetur: quæ ſi ſatis *firma* eſſet, inſigne decus ſententiæ huic refunderetur. לא יאמן בשו *Ne credat tanquam ſtabili* vel *æquatiſſimæ atque ad ſupremum faſtigium pervectæ felicitati*; *nam vana & vaga inſtabilitas* שוא *eſt ejus permutatio.* Ἄλλαγμα; ἀντάλλαγμα. Poſſes etiam cum Cl. *Cocc.* *Nam nihilum erit ejus penſatio*: ex uſu *Cap.* 28: 17. Scias tamen iſtud *repenſare*, & *vice alterius rei reddere*, ortum eſſe ab *ultro citroque moveri*, quod eſt مار מור. Hinc *Pſ.* 46: 3. בהמר *Quum ultro citroque movebit ſe terra.* Tale eſt illud *Alcor.* يوم تمور السماء مورا *Die quo motitabitur cælum motitatione fluctuante.* Hæc in *Origin.* latius. Hinc verti poſſet cumulatiore adhuc ſenſu, *nam vanitas* שוא, *qualis eſt fortunæ felicitas ſumma* שו, *eſt fluidum & fluctuans quid*: ad verbum, *Vanitatis eſt fluctuare*; *mutari.* Hoc in *Juvenil.* jam propoſitum, unice arridet; & ſperno alterum, *Ibid.* ſubnexum, conatum. Poſſes etiam grandiore ſtructura. *Ne credat* שו *fortunæ* ἐυσταθοῦντι; *nam eſt* שוא ἀσταθμητόν τι: *erit, aderit, ejus* σάλος, & ἀλλαγή; *quippe quæ Euripo mobilior.* Vide quæ ad *Cap.* 20: 18. ſequentur. נתעה in *Præter.* ſumendum, ſuppleto אשר, *Qui dulci fortuna ebrius, inſanit, in Deumque protervus eſt.* Vim geminam haurias ex *Eſai.* 28: 7. & 32: 6. Confer *Hoſ.* 4: 12. ubi etiam *Ebrietas ſpiritualis* attendenda, *ad omnem inſaniam impellens.*

Verſ. 32. Nodus ſcirpo innexus ab iis, qui תמלא dari voluerunt *exſcindetur*, tanquam a מלל; ad יונקת *Vſ.* 30. referentes. Eum non tollit *Merc.* ſeq. כפה tribuens τῷ *implebitur*, pro *exſcindetur*; quod *impleri* dicantur *res*, quarum *finis* & *conſumtio venit.* Id de quibuſdam verum; non de omnibus; nec unquam *Ramum impletum*, pro *conſumto*, admiſit Lingua. Alii ad תמורה vſ. 31. revocarunt; quod placuit *Deod. Piſc. Belg.* quamvis *Merc.* duriuſculum cenſuiſſet. Subſcribit & *Schmid.* intelligens *præmia impietatis ante diem, malis, morbis, morte violenta, improbo repenſa ac perſoluta.* Cl. *Cocc.* tentat ex 2. *maſc.* coactius, *impleberis*, tu pie, *impio*, & *ejus ſubſtantiæ* ma-

33 יחמס כגפן בסרו וישלך כזית
נצתו :

34 כי־־־עדת חנף גלמוד ואש
אכלה אהלי־שחד :

35 הרה

33 Immaturum abjiciet, ut vitis, groſſulum ſuum; & dejiciet, ut oliva, florem ſuum.

34 Nam cœtus hypocritarum erit dura ſilex: & ignis edet tentoria muneris.

35 Con-

manum injicies, ut eo utaris pro arbitrio, vel & eum pro inutili ligno eruas & comburas. Mihi Cl. *Cler.* non infeliciter ſuppleſſe videtur חיתו *Vita ejus implebitur.* Poſſet & *imperſonaliter* dari, ut quum dicimus *Actum eſt*, πέπρακται. *Eurip. Hipp.* 778.

> Φεῦ, φεῦ πέπρακται. βασιλὶς οὐκ ἔτ' ἔστι δὴ
> Γυνή, κρεμαστοῖς ἐν βρόχοις ἠρτημένη.

Sic תמלא *Impletum erit*, videtur σεμνῶς *diram necem* inferre, *fœmin. perſ.* apud *Hebræos* vicem ſubeunte *Neutrius*. Simplicius, quod & *R. Periz.* dedit, *Implebitur dies*; ut, jucundo acumine, *Dies improbi*, fatalis, *impleri ante diem*; atque, *in medio fortunarum curſu*, *ſpes abrumpi longæ* dicantur. Nullus ambigerem, ſi יום eſſet *communis gen.* Vide tamen an non illa *communitas* ſatis evidens fiat per *plur.* ימות, æque ac ימים; quin & per alia vocabula *formæ* פור, quæ *ancipitia* fere eſſe deprehenduntur. Ceterum non eſt *imprecatio*, ut vult Cl. *Schmid.* in *ſubjunctivo* verba efferens, ſed *denunciatio Judicii certo certius ingruituri.*

Ibid. Nil deſidero in verſione recepta, *Et Ramus ejus non vireſcet*; tantum moneo verbum רענן proprie uſurpari in *profuſa laxitate*; unde רענן ut *Epitheton* invaluit *Arborum læte creſcentium*, & *ramis prominulis* ac *propendulis ſuperbientium*. Id *Arabibus* ارعن ארען a رعن רען *prominuit cum laxitate.* Hinc geminata tertia רענן *valde prominuit & propendit.* Hoc in *Arbore* non *virorem* tantum, ſed & *vigorem ſummum* ſupponit. כפה *Manus curvata* trans-

fertur ad *Ramum*, *collective* hic ſumendum. Significantur *Res*, *ſpes*, *opeſque* omnes *Familiæ*, in *Filiis*, in *divitiis*, in reliquis Fortunæ præſidiis, & ornamentis. Subeſt haud dubie λιτότης, ad quam *Vulg.* expreſſit. *Et manus ejus areſcent.* Alluſit ad כף; exiſtimem tamen improprie vel *ramos*, vel *copias* intendi: ut non ſperni mereatur verſio. Rectius tamen LXX. καὶ ὁ ῥάδαμνος αὐτοῦ οὐ μὴ πυκάσῃ; quod *Origini* noſtræ conſonum.

Verſ. 32. Idoneam lucem hic præſtabit proprietas verbi חמס, in *cruditate immatura*, ut alibi probabitur. Inde tranſlatio facta ad *violentiam*, &c. &c. Hinc nonnulli, *violenter rapiet Deus omphacem ejus.* Alii *violenter rapietur omphax.* Cl. *Cocc.* ponit *Imperſonal.* Plenius videtur & rotundius, quod *Merc. Schmid. Cler.* dant, *immature excutiet omphacem ſuum, ut vitis*; & *abjiciet, ſicut oliva, florem ſuum.* Iterum obſerves velim ישלך ſignare nunc *abortivam dejectionem.* Emblemata nil habent, quod non ſua luce cuivis illuceſcat. Si quid profundius & enucleatius deſideres, adeas Comm. Cl. *Vitr.* in *Eſaj.* 18. 6. ubi iidem plane colores. Cl. *Schmid. imprecationem* continuans, non cogitabat hic *Jobææ familiæ & fortunæ* imaginem ante oculos proponi. Id a Cl. *Cler.* rite notatum; quamvis non tantum *ad mortem immaturam & violentam liberorum Jobi* hæc referam, ſed ad *omnium fortunarum*, *conſiliorum*, *rerumque* miſerabilem abortionem; eo qui inſtar *vitis* aut *oleæ* modo floruerat, in *trunci fulguriti* conditionem redacto.

Verſ. 34. Habes nexum faciIlimum, quo quid figuris hiſce intenderit, ipſemet declarat. Non nego tamen ſimul *Epilogum* ineſſe, & *Cauſam* omnium ſuperiorum, quod cum *Merc.* tenent vulgo. Proponitur certiſſima Regula ſanctuarii,, in *Jobo*, ut Cenſor volebat, in aliis improbis,, even-

35 Concipere moleſtiam, & parere vanitatem: & venter eorum parat fraudem.

35 הרה עמל וילד און ובטנם תכין מרמה׃

eventu comprobata, atque deinceps comprobanda. In hunc ſcopum ערת חנף ſumere Poſſes cum Cl. *Schmid.* pro *univerſalitate hypocritarum*, quaſi diceret, *Æquum*, *juſtumque, omnes & ſingulos ad ſolitudinem redigi.* Alii *Cœtum Hypocritæ* exponunt *familiam florentem*, *amplamque clientelam*; qualem habuerat *Jobus.* Id uberius ad ſenſum. *Bolducio* addenti hic *Gymnaſium*, ſive *Scholam propheticam Jobi*, antea *florentiſſimam*, ſua ſine rivali amare permittimus. Quod Cl. *Schmid.* pro ſua ſententia argumentetur ex גלמוד, referendo ſic ad חנף, ſublata diſconvenientia generis, nihil eſt. Nam גלמוד per ſe ſtat, & notat *durum ſilicem*, ex *Origine* liquidiſſima, quam *Cap.* 3. 7. exhibui. Cl. *Cler.* ad h. l. demum vidit, eſſe conflatum ex גלה *migrare*, & מור *locum mutare.* Nil *Apicibus* iſtis *literarum* pellacius; a quibus venandis Docti indoctique juxta haud temperant. In conſtructione expedienda non felix *Merc.* Felicior *Cocc.* τὸ ἔρημον *neutraliter* inferens; ſed ὀξύμωρον, quod ſubeſſe putat, non reperio in ejus explanatione, quæ *diſſipationem multitudinis* & *copiarum* exhibet. Ὀξύμωρον ſi eſſet, *Cœtus ſolitudo* capi deberet, *cum ſolitudine Cœtum inibit*, atque *Infrequentiam vaſtiſſimam frequentabit & inhabitabit quaſi.* Acumini huic indultum ab *Eliphazo*, non dixerim. Sufficit, *Cœtus* ejus *numeroſus*, *florens*, *lætus*, *celeber*, evadet *durus*, *vaſtus*, *horridus ſilex*, *æternæ ſterilitati & ſolitudini damnatus.* Ut *Genium Arabiæ* tibi expreſſum ſcias, en germaniſſimum ex *Ibn Doreid.*

ما خلت ان الدهر يثنيني
علي صرّا لا يرضي بها ضب
الكدي

Haud putaram Fortunam reducturam me
Ad ſaxum durum, quod horreant vel Lacertæ ſaxis ſuetæ.

Hoc eſt, *ad tantam inopiam*, *quantam ne patiuntur quidem viliſſima mendicabula.* Hinc in familiarem uſum aſſumta multa verba *paupertatem ſummam* ſignantia ſub hac imagine; ut ابلط quod *proprie* eſt لصق بالارض البلاط اي الارض الملساء *Adhæſit terræ glabræ*, vel *lapidibus ſtratæ*; apud *Golium* valet, *opibus exutus fuit* &c. Similiter املق *inops evaſit*, كانه صادف ملقة وهي الصخرة الملساء *tanquam ſi redactus eſſet ad ſaxum glabrum & ſterile*, ut docet *Schol. Haririi.* Conf. quoque *Conſ.* 3. *Harir.* a *pag.* 130. ad 145. quæ luculenta deſcriptio *Divitis* & *potentis*, *ad extremam mendicitatem prolapſi*, noſtrum locum egregie illuſtrat.

Ibid. Tentoria muneris a Doct. *Merc.* exponuntur, *conſtructa ex quæſtu illicito ab iis qui rapacitate & injuſtitia rem auxerunt.* Id fortius judicavit, quam *Habitata ab iis qui munera & corruptelas amant*, *injuſti principes*, *& Judices* δωροβόροι; & revera eſt; quamvis cur hæc diſtinguas, nedum divellas, cauſa nulla ſit. Cl. *Cocceji* commentatio paulo ſubtilior, *Munera* hæc extendentis ad omnia *commoda carnis*, & *quæſtum meretricium*, quem *Hypocriſis* miniſtrat. Illuc & *Schmid.* tendit. Mihi nullum dubium, quin *Jobi avaritia*, & *rapacitas*, hic ſpeciatim notentur, cujus *male parta male dilapſa*, vel potius *uno momento collapſa fuerint*, *igne divinitus ſubdito.*

Verſ. 35. Grandes ſententiæ; quarum profundior mens eſt, quam prima fronte apparet. Exiſtimatur, hæc pertinere ad *improbitatem ſuis coloribus depingendam*, ratione *moleſtiæ*, *injuriæ*, & *doli*, quibus graſſatur. *Pœnam* tamen hinc abeſſe non poſſe ſentiens Cl. *Cocc.* medium membrum *parentheſi* incluſit, *Et parit nihilum*; poſterius iterum referens ad *fraudem*, vel *fucum* quo *fraus tegitur*. Paulo plenius *Merc.* qui in primo colo *moleſtiam aliis faceſſitam* concipiens, in ſecundo *vanitatem exitus* agnoſcit, pro *pœna*;

na; in tertio autem *dolum* bifariam exponit, *& quem aliis* ſtruxerant, *& quem ſibi* ipſis arceſſivere. *Schmid.* non *pœnam*, ſed *cauſas pœnarum* præcedentium hic ſubnecti tandem cenſens, illuc verſionem accommodavit, *propter concipere laborem*, *& parere iniquitatem*; *& venter eorum parat dolum.* Dura inſertio; qua carere poſſis, etiamſi ſententiæ ejus accedas, per *Exclamationem*, vel *Epiphonema* addendo: *Concipere moleſtiam*! &c. &c. Quod tunc ſic a ſtilo ſublimi ad ſimplicem reducendum, *En tibi quo redeat improbitas*, *cujus eſt concipere moleſtiam*, *parere iniquitatem*, *& ventre dolum parare.* Fateor adſpectum hunc videri poſſe ſat congruum, & uberem: ſed omnia rite expendenti, minus veriſimile fiet, orationem redire a *pœnis* ad *cauſas pœnarum*, quæ *Vſ.* 25, 26, 27. fuerant expoſitæ, figuris admodum exquiſitis. Cl. *Schmid.* rationem a *Merc.* jam adductam, aliorum ſententiæ officere concedit, ſuæ non item; quæ *cauſam imprecationis Eliphazi in improbos* hic reddi ſtatuat. Atqui nulla hic *imprecatio*, ut vidimus, ſed oratione perpetua detonatur, in improbos, atque a *Criminibus* ad *meritiſſima* eorundem *ſupplicia* deſcenditur. Ergo non in *cauſis*, ſed in *pœnis* ipſis finiendum; vel ſaltem cum *Criminibus* annexa iis *ſupplicia* exprimenda, ut huic vehementi procellæ ordo, juſtuſque conſtet orbis. Ad eum rotundandum reſpici velim *Vſ.* 20. ubi tanquam *Baſis* præmittitur, *improbum ſua ſibi mala parturire*, atque *iræ theſauros accumulare*, dum *ſcelera concipit*, *in ſeque admittit materiem exitii.* Hæc ipſa imago pro *Coronide* reſumitur, atque per *Infinitiva*, En tibi, *concipere ærumnam! & parere Vanitatem*! *Ventre ipſorum fraudem parante:* decentiſſime denuo inculcatur. Hoc adſpectu עמל *ærumna*, & און *Vanitas* ſimul *Crimen*, ſimul *Pœnam* complectuntur, potiſſimumque deſignant *malum in caput Auctoris revolutum*, ut *Pſ.* 7: 15, 16, 17. מרמה eſt *fraus qua quis in perniciem conjicitur.* Jam vero illius *venter* vel maxime *fraudem parat*, *qui ſibi ipſi perniciem creat*, & *accumulat.*

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Verſ. 1. ויען איוב ויאמר׃

2 שמעתי כאלה רבות מנחמי עמל כלכם׃

3 הקץ

Verſ. 1. Et reſpondit Jobus, dixitque.

2 Audivi, ſicut illa, bene multa: conſolatores moleſtiſſimi vos omnes.

3 Num

Verſ. 1. Supra modum irritatus nova *Eliphazi* vehementia Noſter, vehementius quoque in ipſum, & ſocios, invehitur, tanquam qui gladiatorio plane animo in ipſum viam adfectaſſent, atque adeo inſiluiſſent, ſanguinem ipſius hauſturi, vivumque laniaturi. Inde ad Deum converſo impetu, ſortem ſuam lamentatur, quod pro cumulo malorum in manus tam inimicas & violentas incidiſſet: quodque præterea ab ipſo Deo hoſtilem in modum proſtratus, adflictus, confractuſque jaceret; quantumvis Eundem innocentiæ ſuæ Teſtem citare poſſet. In votum deinde erumpit ardentiſſimum, ut Lites tandem haſce, qui unus poterat, decernat: injuſteque oppreſſo, & damnato, ſe vindicem quantocyus præbeat ante, quam miſerum ſpiritum ſub iniquiſſima calamitate, & calumnia, cogeretur exhalare.

Verſ. 2. Vulgaris expoſitio habet, *vera* quidem

3 Num finis erit verbis ventoſis? aut quid proritat te, quod reſpondeas?

3 הקץ לדברי־רוח או מה־ימריצך כי תענה׃

4 Etiam

4 גם

dem eſſe, quæ *Eliphazus* attulerat, *de ſorte maledicta improborum*, ſed & *notiſſima* utique homini non imperito rerum, *qui talia ſæpiſſime audiverat:* ac proinde *vanos*, aut *moleſtos*, eſſe *conſolatores*, omnes ſocios, qui nihil proferant quo animus adflictus erigi, atque ad æquitatem componi queat. Incommoda hujus interpretationis ſentias ex nota Cl. *Cocc.* Obſerva, inquit, *quod ſi Jobus putaſſet eam eſſe mentem Amicorum, ut ipſum impietatis reum agere vellent ideo, quia tot & tanta pateretur, non vocaſſet eos* Conſolatores; *quantumvis ineptos. Hoc enim fuiſſet non* conſolari *ſed* condemnare. *Denique neque hoc aptum illi menti eſſet*, Audivi talia multa, *Vulgaria ſunt iſta.* Concludit Magnus *Interp.* non pro *Impio* damnatum eſſe *Jobum*, nec ab *Eliphazo*, nec a reliquis; ſed ei *pietatem* ſuam relictam: ac proinde noſtrum conqueri tantum de *conſolationum* ſibi adhibitarum *levitate.* Secundum hanc *Hypotheſin Cap.* 22. 5. 6, 7, 8, 9. *Crimina Jobi* conjecturaliter modo indicari autumat. Id *Ibid.* revincetur. Nunc moneo tantum, reliquos Interpretes nobiſcum agnoſcentes *Jobum improbitatis*, primo ſuſpectatum, mox condemnatum a ſociis, difficultates a Cl. *Cocc.* motas non poſſe effugere, manente ſuperiori iſta explicatione. Ea etiam nimis liberalem *Jobo* tribuit conceſſionem, & confeſſionem, *Hypotheſi* ejus parum aptam, qua tetenderat, & ulterius contendet, *improbis cuncta ſuper votis fluere*, *ſine ullo fortunæ refluxu.* Ergo *Audivi talia multa*, non poteſt eſſe aſſentientis. Rogo etiam *ex quibus audiverit?* Vel, inquit *Merc. ex aliis*, vel *ex vobis ipſis qui eadem moleſte inculcatis.* At hæc ſunt diverſi generis; ſi enim prius obtinet, *ex aliis* erit *ex præceptoribus & Doctoribus meis inde a puero*, quod unice verum cenſet *Schmid.* ſin poſterius, *ex vobis* non tam *approbantis* eſt, quam *improbantis*, & ad *cramben recoctam nauſeantis.* Id cum *adſectu Jobi*, & *natura phraſeos* unice mihi videtur conſiſtere; ſecundum illud, *plus millies audivi*, poſſetque haud inconcinne adjungi uſus ille interior verbi Ἀκύειν, *Audire*, qui adfert vel *convicia*, vel *taxationes*; quaſi diceret Noſter, *nimis diu jam aures meæ talibus conviciis cenſuriſque circumſonant.* Ad *importunam in reprehendendo battologiam* hæc pertinere, etiam monuit *de Pined.* eodemque collineat *Codurc.*

Ibid. Dubium omne tollit ſequens מנחמי עמל *Conſolatores moleſtiæ.* Omnes Interp. aliquid grave & ſtomachoſum ſubeſſe agnoſcunt; ut non tantum *vanitatis*, ſed etiam *injuriæ moleſtæ*, nota adficiantur. Quin *Cocc.* ὀξύμωρον ſagaciter olfecit, quaſi παρακλήτορες λυπηροί. Cur ergo mox *Conſolatores* tertio accipit, & urget? quum *Ironice* dictum ſit, cum alluſione ad *Cap.* 15. 11. ubi *Divinas conſolationes* לאט *tenerrimo adſectu a ſe & ſociis* profectas crepaverat *Eliphazus.* Ad id Noſter, *Egregios* enim vero *Conſolatores*, & *Medicatores! qui vulnera mea venenatis: qui* עמל *laborem conduplicatis*; *qui injuriam graviſſimam* mihi infertis; quam vocatis *Conſolationem clementiſſimam.* Merito ergo vos מנחמי עמל *Conſolatores importunæ moleſtiæ & injuriæ* appellarim; quippe qui *verba mordentia* mihi pro *ſolantibus* venditatis. Habes ὀξύμωρον acumine & acrimonia ſimul feriens.

Verſ. 3. Eodem ſtomacho prolatum, *Num finis erit verbis venti?* Retorquetur, quod *Cap:* 15: 2, 3. miſſum fuerat telum. Sequens ימריץ minus liquidum quoad *proprietatem.* Plurimi *Quid corroborat te*, vel *obfirmat te?* Alii argutius *Quid prævalet tibi*, ac *cogit te?* Cl. *Cocc. Quid* παροξύνει, *ſtimulat te?* De hac conjectura conſulas, quæ *Cap.* 6: 25. dedi. Sic foret *Quid irritat te ut reſpondeas?* Illuc tendit Cl. *Caſtel.* ex *Vulg.* adſciſcens, *Quid moleſtum tibi?* Non procul hinc abeſt *Avenar.* a פרץ notione tranſſumta, *Quid facit te prorumpere?* Dixi ad *Cap.* 6. mihi primariam vim videri ſitam in *Validius ſtringendo.* Inde imbre

4 גם אנכי ככם אדברה לו יש נפשכם תחת נפשי אחבירה עליכם במלים ואניעה עליכם במו ראשי׃

5 אאמצכם במו־פי וניד שפתי יחשך׃

6 אם־

4 Etiam ego ſicut vos loqui poſſem, ſi anima veſtra meæ animæ vicem ſubiret: coagmentare poſſem contra vos ſermones; & quaſſare ſuper vos caput meum.

5 Prævalere poſſem vobis ore meo: ita ut comploratio labiorum meorum cohiberetur.

6 Enim-

bre proclivius decurret, quicquid ex hiſce elegeris. In *Originibus* plura.

Verſ. 4. Verba ſat clara: ſenſus paulo obſcurior. Non placet quod Cl. *Cler.* adoptat, לו pro *utinam*, quaſi optaret Noſter *occaſionem par pari referendi* Rectius datum a pleriſque *ſi*, quam vim in לולא *ſi non* facile recognoſcas. Quin *utinam* ſub לו, nihil aliud in *Origine*, quam *ſi*; *O Si!* ἐι. Hoc jam plurimi cum *Interr.* capiunt, *Num ego quoque ut vos loquerer, ſi anima veſtra eſſet pro anima mea? componerem contra vos ſermones? & quaſſarem ſuper vobis caput meum?* Minime vero. Abſit. Ita cum *Doct. Belg. Schmidius*, qui אחבירה paulo argutius expoſuit, incluſo ejus verbali, *Necterem contra vos nexus verbis?* Subtilius adhuc *Cocc. ſociarem me vobis verbis?* Id eſt, *nudis verbis vobis indoleſcerem, atque in triſtitia ſociarer, atque interim re ipſa ſtomacharer?* An ergo *vel verbis indoluerant*? Contrarium ubique & apparet, & a Noſtro ſæpius inculcatum. Sine *Interr.* maluit *Merc.* non *comminando*, quid facturus eſſet, ſed *oſtendendo*, quid facere poſſet. Id & ego ſimpliciſſimum cenſerem in hanc mentem, *Nihil eſſe facilius, ſed & nihil futilius, atque importunius, quam verba coagmentare, & longas texere declamationes contra adflictum, cum oſtentatione ſapientiæ; & ſupercilio Cenſoris.* חבר in *Origine* eſt *coagmentari, conſeri.* Inde החביר במלים pulchre *Coagmentavit ſermones.* Nuſpiam alibi in *Hiph.* proſtat, unde minus promtum de *Phraſeos* natura judicium. Cl. *Cler.* dedit, *Adjungerem me ſermonibus qui contra vos haberentur.* Ego *Coagmentare* cum *contemtu* poſitum arbitror, ut Latinis *conſarcinare ſermones.* Ad *Rhapſodias*, & *cantilenas conſarcinatas* traductum verbum, colligo quoque ex *Incantationis* uſu; qui *Pſ.* 58: 6. & alibi occurrit.

Verſ. 5. Cœptam *Interrog.* continuat *Schmid. Num duriter tractarem vos ore meo; & hoc condolentiam labrorum meorum prohiberet?* Repetit פי *hoc os meum.* Sed parum gratiæ habet *Os prohibens labia.* Omiſſa *Interrog. Merc. Belg. Cocc.* contrarium inferunt, *Imo vero confirmarem vos ore meo, &c.* Sequens membrum *Mercero* eſt, *Et motio labiorum prohiberet* dolorem veſtrum. Ita *Druſ.* & *Grot.* qui docte addit deſumtum videri ab iis, *qui venena excantant.* A *Chirurgis* maluit *Codurc. comprimeret.* At *Coccejus*, *parceret.* i. e. *Comploratio* mea eſſet vere *comploratio*, ſine *felle* & *aculeo: non reſecarem ad vivum*, ſed *parcerem*, & *operirem charitatis mantelo.* Omnes ניד שפתי *motionem labiorum* capiunt pro *condolentia* & *conſolatione.* At *Belgæ* cum *Kimch.* aliiſque, ad *multiloquium* & *garrulitatem* retulerunt, quæ *cohibenda* eſſe dicatur. Calculum adjecit Cl. *Guſſ.* ſub נוד *Conſolationem ſupprimi* abſurdum contendens. Atqui hoc ipſum voluit *Jobus*, ut quam *abſurde* Amici agerent, indicaret. Meo itaque judicio ſic continuatur *Vſ.* præcedens, *poſſem & ego duriter vos tractare ore meo; ita ut comploratio labiorum meorum prohiberetur, cohiberet ſe.* Aculeus ineſt in אאמצכם *Validus inſurgerem in vos ore meo*, quod אמיץ פה *Validus*, aut *ſtrenuus ore*, falſe tangat *Declamatorem magna* vel *fortia ſonantem.* Salſum quoque illud יחשך *comparceret.* Supra

6 Enimvero, ſive loquar, non inhibetur dolor meus; ſive ceſſem, quid a me abit?

7 Profecto nunc quidem ad incitas adegit me: ſideratum deſolaſti cœtum meum.

8 Quod-

6 אם־אדברה לא־יחשך כאבי ואחדלה מה־מני יהלך׃

7 אך־עתה הלאני השמות כל־עדתי׃

8 ותקמטני

Cap. 7: 11. *Non compeſcam os meum: non parcam ori meo.* Item *Prov.* 10: 19. חשך שפתיו *Cohibens* cum parſimonia *labia ſua: comparcens labiis.* An ad hanc rationem? *Et Condolentia parceret labiis*; וניד יחשך שפתי. Non placet: nam ניד proprie eſt *agitatio*, *motitatio*, *tremulus motus.* Inde Cl. *Cler.* elicuit, *Et motus labiorum meorum* vos *Coerceret.* Minus commode ad ſeriem, quin & Linguæ indolem; nam crebro transfertur ad *complorationem condolentis* quæ fit *geſtu*, *nutu*, *voce miſerabili.* Venuſte ergo ſtructum, ניד שפתי *agitatio labiorum meorum*, pro *tremula voce commiſerantis*, יחשך, vel *Neutrali* uſu, *parca foret*: vel *Abſolute*, *parceret*, ſubaudi *affectui.* Utrumque aptum *negationi* ſub figura, ut *parcus Deorum cultor.* Ita φείδεσ parcere ſermoni, eſt *ab eo abſtinere.* Senſus eſt, *Nil facilius eſſe, & proclivius, quam acrem agere Cenſorem; atque Commiſerationem*, ſive *officium labiorum condolentium*, *miſeris ſubtrahere.*

Verſ. 6. Abruptior paulo tranſitus. Cl. *Schmid.* rem non extricat, quum ait *Pertinaciam doloris indicari.* Hoc nemo non agnoſcit: utique & hoc volebat *Merc.* apponens, *Neſcio tandem quo me vertam, aut quid agam, nam nec loquendo, nec tacendo quicquam proficio, aut levor.* Commodius quod addat *Schmid.* inde *contingere ut Amici materiam arripiant criminationis.* Id verum de *Loquela*, de *ſilentio* non item forte. Vide ergo an ſic necti poſſit; *A Deo, ab Amicis, deſertus, quid tandem ago? Eloquarne? an ſilebo? pergamne in expoſtulando cum utriſque, an me in ſilentium tradam? ſi loquar, non inhibebitur Dolor meus; & Dei, & hominum aures occluſas inveniens. Si ceſſem loqui, quid tandem a me abibit? Quid reſpirationis & laxamenti oppreſſus capiet ſpiritus?* Hoc poſterius ſimul innuit, ſe *Loquelam* tamen, & *Liberas querelas*, etiam *nihil levaturas*, haud omiſſurum.

Verſ. 7. Æſtum animi turbati, & quo ſe vertat neſcii, indicat ſingultans, ut ſic dicam, oratio. *Profecto nunc ad incitas adegit me.* &c. Quis? *Dolor meus* ait *Ab. Eſra*, quem *Cocc.* ſecutus, ſenſu paulo languidiore. *Ramban* ſupplet, *Colloquium vobiſcum.* Plurimi, *Deus*; ad quem & *Deſolaſti* a pleriſque poſt *Merc.* reducitur. *Ab. Eſra.* & hoc *dolori* tribuit. *Cocc.* ad *Eliphazum* deflectit, *Enimvero quando me defatigavit* dolor meus, *deſolaſti omnem cœtum meum.* i. e. *efficietur tua oratione, meum cœtum, qui jam propemodum deſolatus eſt, ut hypocritæ, penitus deſolatum iri:* ut dictum *Cap.* 15. 34. Mihi vis verborum maxime in *Deum* quadrare videtur; hoc adſpectu. *Profecto nunc ad incitas adegit me*, Deus, veteribus *Amicis*, in *Inimicos* mihi commutatis, qui me *ut Improbum diris & maledictionibus onerare* non ceſſent. *Nunc me Eradicatum* ſentio, & *vere cum cœtu meo florentiſſimo deſolatum*, *ſideratumque*; qui ex tanta Fortuna, & gloria dejectus, ne *ſodalem* quidem *conſolatorem* reperiam, ſed *omnes meos hoſtili* in me *impetu* videam *conſurgere.* Hoc per *Apoſtrophen* decenter ita enunciatum, *ſideraſti* O Deus *omnem cœtum meum. Jaceo triſte evitandumque Bidental.* Ad *Cap.* 15. 34. alluſum, cum *comploratione ſortis indignæ*, haud negarim. שמם proprie eſt *fulmine* vel *vento urente afflari*, *ſiderari*, de quo alias. *Erud. de Pined.* omnem rudentem movet, ut coloris aliquid inveniat pro *Vulg. Verſ. In nihilum redacti ſunt artus mei omnes.* Eum in finem obſervat עדה *cœtum*, *congregationem*, commodiſſime transferri poſſe ad *humani corporis.*

8 ותקמטני לעד היה ויקם בי

כחשי בפני יענה׃

9 אפו

8 Quodque me quadrupedem conſtrinxeris, in teſtem exiſtit: & ſtat contra me aperta mihi falſitas; in faciem teſtimonium contra me fert.

9 Na-

poris ſtructuram, & *membrorum compagem*; ut hic deſcribatur *corpus Jobi humi ſtratum*, *laceratis membris*, & *artubus luxatis*, *ac divulſis.* Contendit, cum præcedenti *dolore*, & cum ſequentibus *rugis*, melius hoc cohærere, quam *familiam diſſipatam & disjectam.* Idem judicium *Vavaſſ.* & *Bolduc.* qui ſi non ſuæ *Eccleſiæ* hoc gratificari voluiſſent, ſed *Erudito orbi* approbare, exemplum ſaltem *talis Metaph.* ſub voce *Cœtus* producere debuiſſent: non enim quæritur quid *Latinus Interpres* nimio acumine captaverit in עדה, ſed quid Linguæ genius patiatur. Argumentum a ſerie utrimque claudicat. Eo tamen & R. *Levi* adductus, ut עדתי *cœtum meum* per איברי *membra mea* declararet.

Verſ. 8. Divergunt opiniones ad verbum קמט, ſemel tantum recurrens *Cap.* 22. 16. Utrobique haud dubie aliquid *grave* deſignatur; ſed quo *colore*, ac *figura*, divinare licet, non decidere. Receptiſſima verſio 1. eſt, & *Corrugaſti me*, quod *Merc.* ex *Thalmud.* קמטים pro *Rugis*, amplexus eſt, ob *Maciem* mox adjectam. Senſum ſtatuit, *Rugas & Maciem abunde teſtari de magnitudine morbi.* Cl. *Cocc.* in 3. *fœm.* tanquam *imperſonale* expreſſit; *Et quod me corrugavit, is teſtis factus eſt* &c. Aliquid fortius, & ſubtilius ſimul, exſculptum a Doct. *Schmid.* qui putat *Vſ.* 7. enotatos *duos effectus pertinacis adflictionis*, *ſcandalum propriæ carnis*, nempe, & *ſcandalum Amicorum.* Prius hoc *Vſ.* & ſeq. ita evolvit: *Nam id ipſum quod corrugaſti me, fit teſtis contra me, dum caro mea Tentatrix id adverſus me ipſum apprehendit; mihique in faciem dicit; ira ejus diſcerpit me* &c. &c. Argutius cenſeo quam ſolidius: quia vereor ne *Rugæ* iſtæ, quantumvis graventur, *leviores* ſint, quam ut hic quadrare queant. Utique 2. gravius quid captarunt, qui dant *ſuccidiſti me*, prout *Ab. Eſra* & *R. Levi Cap.* 22: 16. vertunt *Exſcinduntur.* Vicinus *Chald.* qui נקפתני *Contudiſti mihi Caput* exhibet. Huic notioni idonea deeſt auctoritas, nam quod ex *Thalm.* adducitur, pro נגזר *decidi*, eſt alterius naturæ. 3. Ab *Aben Eſra* quoque propoſita vis *Ligandi*, *conſtringendi*, quæ ſatis frequens apud *Thalmud.* & in *Paraph. Chald.* Refertur hoc a quibuſdam ad *dolores quibus conſtrictus tenebatur* Noſter. Ill. *Grot.* ait eſſe *Verbum Judiciale*, pro *in jus trahere velut obtorto collo.* Sane ſic fere *Prov.* 5. 22. *Delicta improbi* קמטין ליה *apprehendent ipſum*, ex *Hebr.* ילכדונו. In ſequente membro כחשי pro *macies mea*, Vir Magnus *mentiens in me* reddit, poſt *Symm.* qui κατεψευδόμενος: habet, & *Vulg.* qui *falſiloquus.* At LXX. ἀνέςη ἐν ἐμοί τὸ ψεῦδός μου. Pariliter *Targum.* Id commodius ad Linguam, non æque ad ſenſum. Aptare tamen voluit *Codurc.* totam *pericopam* ita digerens; *Et deprehendiſti me; ipſe teſtis fuit*, & *ſurrexit in me: Mendacium meum vultu meo ſe prodit.* Opinatur *Jobum ſe fateri deprehenſum a Judice ſuo* ἐπ' αὐτοφώρῳ, *ut fur manifeſtarius in flagranti delicto.* Explodit deinde ſignificationem *maciei* ſub כחש, *Pſ.* 109: 24. unde aliqua cum ſpecie adfertur, reddens, *Caro mea negavit ab unguento.* i. e. *lautitias omnes rejecit.* Addit, *eos qui Rugas in* קמט *dederunt*, *totum locum conturbare*, *ut Leviathan mare conturbat.* Hæc calida ſatis; ſed parum cocta. *Jobuſne in flagranti delicto deprenſus*, & *mendacii convictus*; qui ſe toties *innocentiſſimum* teſtatus eſt, & teſtabitur? Non valde plauſibilis quoque interpretatio *Pſ.* 109: 24. quamvis *maciem* ibi notari nec mihi perſuaſum. Cl. *Guſſ.* ſub כזב *metaphorice* dictum autumat, *Caro mea fit mendax ab oleo.* i. e. *quo plus utor oleo, eo plus deficit caro mea*,

quaſi noceat mihi id quod aliis prodeſt. Inde *Mendacium* per *Maciem* heic loci exponit; quo nihil durius. קמט autem eidem viro docto valet *in anguſtum redigere*, ex affini קמץ *collegit in pugillum.* Hæc parum lucis ferunt; noſque incertiores relinquunt quam dudum. Fumum quoque vendit *Ingenioſiſſ. Avenar.* qui ex κάμψις קמט mactat poteſtate *defatigandi*, & quidem *calamitatibus atque ærumnis, ita ut cutis præ iis emacietur, & in rugas contrahatur.* Idem noſtrum כחשי reddit, *Abnegatio mea ſurrexit contra me.* Quid velit, non explicat. Coactius adhuc *Pſ.* 109: 24. vertit, *Caro mea defraudata eſt oleo.* Concedere noluit *Forſtero*, qui dederat, *Caro mea abnegata eſt a pinguitudine*, pro *deſtituta eſt:* heic loci כחשי tenens *mendacium meum*, figurate pro *mendax meus.* Laudandus etiam eſt conatus viri cujuſdam *Rever.* & *Doctiſſ.* ex *Pſ.* 109. hanc ſententiam pulcherrimam elicientis; *Caro mea mentitur præ oleo.* Quantumvis *jejuniis confectus, unctus tamen, & nitens prodeo; ne videar jejunaſſe.* Apparet vim *Maciei* minus certam eſſe; quamvis Cl. *Cocc.* eam *primariam* ſtatuat, unde *abnegare* ut *ſecundarium* deſcendat, quaſi *deducere quod adeſt*, & *detrahere veritati*; vel *facere ut deficiat*, ut ex fonte *Defectus*, & *Macies*, & *Mendacium emanarint.* Similia habet *Doct. Gejer.* in *Pſ.* Sed quidni כחש ibi *figurate* accipiamus? *Et mentitur caro mea, pinguitudine abſumta.* מן *negantis* & *in totum tollentis*, nemo ignorat. *Mentitur* pro *ſuccumbit, fatiſcit, negat officium, functioneſque debitas.* Ita כחש in *Pihel* pro *Abnegare officium*, & *ſpem* Agricolæ *fallere Hoſ.* 9: 2. *Hab.* 3: 17. שמן pro *pinguitudine corporis* uſurpari poſſe, miror a Cl. *Guſſ.* negari, quum שָׁמֵן *pinguis* paſſim ſic veniat, & verbum שמן *Deut.* 32: 15. *Jer.* 5: 28. Si tamen quis *oleum* malit, en æque opportunum quid, *Et Caro mea negat officium, nullo adhibito oleo.* Inter *jejunii macerationes*, ut *oleum*, & *unctio*, a corpore prohiberetur. Jam ut apte dixeris *Caro mea abnegat officium.*, pro *emaciata eſt, collapſis viribus*; ita inepte credo, כחשי *Abnegatio mea*, pro *Macie* acciperetur. Quid quod כָּחַשׁ *Pſ.* 109. forte non *verbum* ſit, ſed *ſubſt.* חַשׁ *ſtipula, fœnum aridum*, ut חֲשַׁשׁ *Jeſ.* 5: 24. & 33: 11.? Inſigni figura inde haberes, *Genua mea nutant præ jejunio; & caro mea ad inſtar Stipulæ, ceſſante oleo.* Καλάμην *ſtipulam* ad *corpus aridum* & *enectum* figurandum nemo ſpernet. Id ſi rite conjectum, *Macies* ad *Morboniam* ex loco noſtro abeat neceſſe eſt, in quo nimis diu *Doct. Interp.* fatigavit; unaque *Rugæ*, quæ ſine hac *Macie* nunquam huc immiſſæ fuiſſent.

Ibid. Quem tandem ex his fluctibus portum capiemus? quum *mendax* aut *falſiloquus* haud reſpondeat *formæ* vocis; *mendacium* vero ipſum huc adaptari nequeat. Utique poterit, ſi modo non ſiniſtram in partem flectatur, quod ad dextram vergit. Nempe כחשי *Mendacium meum*, poſuit Noſter *paſſive; quo Circumvenior, quo illaqueor, quo jus mihi meum palam eripitur*, & *liquidiſſima veritas* cauſæ meæ ab Amicis *abnegatur.* Ita חמסי *violentia mea*, pro *mihi facta*, ſive *injuria mihi illata*, *Gen.* 16: 5. *Jer.* 51: 34. Adde *Jud.* 9: 24. & *Obad.* 9. Licet quoque *paragogicum* facere τὸ י, ita reſolvendum, *Et ſurgit in me mendacium mihi.* Prius malim, quia talia multa apud *Arabes* reperio; ut in *Hamaſa*

تشفي داء مساءتي وسخطي

ſanas noxam maleficii mei, & odii mei. ubi *Tauriz.* يريد مساءتك التي وسخطك علي

Dicere vult, Tuum in me maleficium, tuumque adverſus me odium. Sic ergo, *Mendacium meum*, pro *mihi impactum.* Eſt *formula Judicialis*, qua grandi *Schemate* attribuitur *Mendacio aperto, & cum perjuria conjuncto, fiducia ſtandi, & teſtandi.* Pro *perjuria* & *perfidia* crebrum eſt τὸ כָּחַשׁ, quod eſt *jus alicui debitum præfracte abnegare, impieque ejurare.*

Vi-

9 אפו טרף וישטמני חרק עלי
בשניו צרי ילטוש עיניו לי׃

10 פערו

9 Naſus ejus diſcerpſit; & implacabiliter adverſatur mihi: limavit ſuper me dentibus ſuis; hoſtis meus acuit oculos ſuos mihi.

10 Diſ-

Vide *Hoſ.* 4: 2. *Lev.* 5: 21. 22. *Prov.* 30: 8. *Jer.* 5: 12. *Job.* 31: 28. Notabile eſt, 1 *Reg.* 13: 18. כחש לו *Perfidum ei mendacium dixit.* Ab iſto כַּחֵשׁ *infin.* in *Pihel*, noſtrum כַּחְשִׁי commodius adhuc derivare eſt, quam a *ſegolato* כַּחַשׁ, ut ſit, *perfida & perjura circumventio mei*, qua Amici in me conjurarunt, ad *improbitatis crimen mihi impingendum.* Ita a יַחֵם *Gen.* 30: 41. cum *aff.* *Ibid.* habes יַחְמֶנָּה, nec ab iſto *infin.* aliud quid exire poſſit quam כַּחֲשִׁי vel כַּחְשִׁי, formis cum *ſegolato* incidentibus, niſi quod in prioribus illis *Dageſh forte* ſit intelligendum. Jam *adfixa* cum *infinitivis* adhuc proniora in *vim paſſivam*: ut mihi quidem ancora ſatis tuto hic jactari poſſe videatur.

Ibid. Figet eandem, quod nunc addam. יקם בי non *ſimpliciter* eſt, *inſurgit in me*, ſed *ſtat contra me*, quin imo *vincit*, ac *triumphat.* Notæ Phraſes *ſtare in judicio*; & *cadere.* Præſertim attendi debet uſus *Deut.* 19: 15. *In ore duorum teſtium*, יקום *ſtabit verbum.* Inducit ergo *Jobus*, pro *Adfectu* ſuo, aliquid, quod omnem fidem ſuperat, ut non *occulta*, & *ſpecie ſaltem veri fucata*, ſed *maniſeſtiſſima falſitas*, & *abnegatio perfidiſſima juris*, in *Judicio adverſus ſe ſtet*, atque *triumphet.* Eadem Emphaſi additum, *in faciem meam reſpondet.* Macer ſenſus, *in facie mea exiſtens macies.* Nec plenum quod vel *Merc.* vel *Schmid.* hic dare potuerunt. ענה *Judiciali uſu* poſitum, omnes agnoſcunt, ut in *Decal.* לא תענה עד שקר *Non reſpondebis Teſtis mendacii.* Hinc *in faciem reſpondere*, valet nunc, *Audacter & impudenter falſum dicere teſtimonium*, idque in *conſpectu*, & *ſub oculis innocentis*, quin ejus *negationi*, vel potius *veritatis demonſtrationi*, *reniti*, atque *in calumniando*, *criminando*, & *condemnando*, *perſeverare.*

Ibid. Ad hæc omnia egregie quadrat notio, tertio loco expoſita, quam τῷ קָמַט *primario* ſubeſſe ſuaviſſima harmonia trium *Dialectorum* pervincit. *Chaldaicam* ſupra vidimus, cujus *conſtrictio* illa dedit קמט pro *contractione rugoſa* apud *Syros* quoque tritum. Iiſdem קמיטא eſt *Infans faſciis conſtrictus.* Patentior conſpectus aperietur per *Gjeuharium.* القماط حبل تشد به قوايم الشاة عند الذبح وكذلك ما يشد به الصبي في المهد وقد قمطت الشاة والصبي بالقماط وقمط الاسير اذا جمع بين رجليه ويديه بحبل *Vox* קמוט *notat funem quo conſtringuntur pedes ovis mactandæ: Item faſciam qua infans in cunis circumvincitur. Verbum* קמט *utriuſque conſtrictionem illam conſignat. Adhibetur etiam* קמט *in captivo qui quadrupes conſtringitur, pedibus manibuſque inter ſe revinctis.* Elucet hinc quid captaverit *Chald. Prov.* 5: 22. quod non tantum eſt *obtorto collo in jus trahere*, ſed *manibus pedibuſque conſtrictum dedere ſupplicio.* Supra *Cap.* 11: 10. & 12: 14. & 13: 27. hanc *imaginem* habuimus: recurretque mox eadem *Vſ.* 11. *inf.* Ea nihil opportunius heic loci; præbet quippe *Allegoriam* ſuis numeris abſolutam, qua ſe *ſupplicio gravi mactatum* con-

conquerens, id ipſum *ab Amicis arripi* oſtendit pro *Teſte idoneo ſuæ improbitatis.* Reliqua in hanc mentem jam prono alveo fluunt. Arctiſſimus quoque nexus hinc exiſtit, cum *præced.* & *conſeq.* ut cuivis in oculos incurret.

Verſ. 9. Adfectus Tragici, infinitum dolorem ſpirantes. Diſquiritur, quæ *Perſona* his Figuris atrocibus ſubjicienda. *Merc.* 1. cenſet de *Deo* hæc accipienda, qui alibi etiam *Leonis inſtar diſcerpere* dicatur. Ad mitigandam autem nimiam acerbitatem *Satanas* ſimul aſſumitus ex verbo שטם, qui *Dei permiſſu* tam dira in miſerum patrarit. Cl. *Schmid.* adſcivit, minuendæ etiam invidiæ, *carnem tentatricem Jobi*, quæ de *Deo* hæc ſuggeſſerit, & Noſtro *in faciem dictarit*, *Deum eſſe cujus ira laniet ipſum* &c. Quæſitum. Cl. *Cocc.* 2. cum aliis directe refert ad *Satanam*, *ejuſque Angelos*, ac *miniſtros*; quorum *immanitatem non cohiberi queratur.* Concipit tres ordines hoſtiles. Primo, *homines male judicantes Vſ.* 7, 8. ſecundo, *Diabolum* & *miniſtros*, *Vſ.* 9, 10, 11. Tertio, *Deum ipſum Vſ.* 12, 13, 14. Erud. *de Pined.* ex 1 *Petr.* 5: 8. *immaniter rugientem*, *apertiſque faucibus inhiantem* illum *Leonem* adducens, obſervat, obſtare huic ſententiæ, *quod non conſtet*, *Jobo adhuc factam revelationem de Satanæ technis*, *& machinis in ipſum ſuſcitatis*, *quia hoc multum valuiſſet ad leniendum dolorem.* Ita eſt, ſane, nec video quicquam anſæ, in præcedentibus *Jobi* querelis, ad hanc interpretationis viam ingrediendam. Ratio ex verbo שטם ducta, nimis tenuis. Alii 3. trahunt ad *Morbos* & *dolores*, quibus dilaniabatur tanquam a *feris*. Ad *Eliphazum* & *ſocios* 4. hæc pertinere cenſuerunt nonnulli. Alii 5. *Petulantes* & *improbos homines* inducunt ex *Vſ.* 12. qui viri infortuniis inſultarint. 6. Cl. *Cler.* ad *graſſatores qui bona ejus diripuerint* deflexit. 7. *Imperſonaliter* accipiendum autumat *de Pined.* quod *ejuſmodi querimoniæ in neminem certo jactatæ*, *adflicti hominis propriæ ſint*, *ut furentem aliquem*, *& frementem contra ſe dicat*; *& quis ille ſit*, *prorſus ignoret &c.* Non perſuadet, quamvis erudite *Pathos* illuſtret. Nemini, credo, aqua hæſiſſet, ſi canalis, unde hæc defluunt, non fuiſſet obductus in *Vſ. præc.* Ibi ut *Eliphazum ſociosque* commentatio noſtra, deterſis fontibus, deprendit, *Crimina falſi revicta* in Noſtrum *pertinaciter ingerentes*, eoque nomine ipſum directe jam condemnantes; ita nulla ratio nunc eſt, filum hocce abrumpendi; quum in acerrimos illos Adverſarios cuncta hæc pro *Jobi exacerbato adfectu* unice quadrent. Nempe ex illa tempeſtate, qua detonuerat *Eliphazus*, ſentiebat, quid animi reliquis ſederet, quibuſque eum procellis dirarum obruere meditarentur. Incipit autem ab *Eliphazo*, ceterorum Anteſignano, atque vehementiam ipſius notat plane hoſtilem. In ſingulis verbis grande pondus. אפו *Naſus ejus* ſignat *iratum*, *ſævum*, *ſuperbum impetum*, in qualem ſane ſe effuderat *Eliphazus.* Alluditur ad *Naſum fumantem urſi* vel *Leonis.* טרף *diſcerpit*, pertinet partim ad *incredibilem dolorem quo anima ejus laniabatur*, *tam gravibus calumniis circumventa*: partim ad *dirum* illud *exitium*, quod & *incumbere* jam pro meritis, & *incubiturum*, ſeverus cenſor pronunciarat. Sequens שטם Cl. *Cocc.* ait plus eſſe quam שטן. Id diſcrimen mihi non comparet; utrumque enim adfert *ſummum gradum inimicitiæ*, *animo vultuque obſtinato adverſantis*, & *infeſtantis.* Redi ad *Cap.* 1: 6. *Frendor dentium* argutius a Cl. *Cocc.* trahitur ad *Satanæ furorem* ſimul & *dolorem*, quod *vitam Jobi violare* ipſi interdictum eſſet. An ergo Noſtro id liquebat? Haud putem. Admitto generalem vim *odii*, cui *nunquam ſatisfactum*, ſed quod *majora* ſemper *ſitit*; quam ὁ πάνυ præmiſerat. Alios quoque *adfectus invidiæ*, & *ſævitiæ ſemet irritantis* adjungo: & ſpeciatim refero ad *mordentem acerbitatem*, qua *Jobo inſultatum* erat noviſſime, cum *laceratione famæ* non tantum, ſed & *vitæ* ac *ſalutis* ipſius quaſi. Confer *Pſ.* 35: 16. & 37: 12. Adde *Thren.* 2: 16. Hoc premens Noſter, ſubdit צרי *Hoſtis meus.* Cl. *Schmid.* ad *Deum* pertinere ſtatuens, mollit per *præp.* omiſſam, ut ſit כצרי *ſicut Hoſtis meus.* Id heic loci inconcinnum. *Merc.* agnoſcit *unumquemque ſociorum.* Eos non excludo, ſed ſignanter, ut *Principem Aggreſſorem*, denotari putem *Eliphazum.* Quid ſit *Acuere oculos*, neminem fugit, ſecundum illud Poetæ, *Quid in amicorum vitiis tam cernis acutum*, *quam aut Aquila*, *aut Serpens Epidaurius*? Adhuc fi-

10 פערו עלי בפיהם בחרפה הכו
לחיי יחד עלי יתמלאון׃
11 יסגירני אל אל עויל ועל־ידי
רשעים ירטני׃
12 שלו

10 Diſpandunt contra me os ſuum; cum contumelia percutiunt maxillas meas: pariter ſuper me ſemet implent.

11 Collari vinctum tradidit me Deus ad iniquum: & ad manus importunorum in Barathrum dejecit me.

12 De

figuratius quid captatum ab *acie fulminante*, docte *Merc.* obſervavit ex *Rabb.* Alluſum videtur ad *Fulmina*, quæ non ex *ore* tantum, ſed & *oculis*, haud dubie, *Eliphazi declamantis*, micuerant. Pluribus hos *fulminantes oculos* depinxit de *Pined.* qui ſuperiora etiam eleganter illuſtravit.

Verſ. 10. Dubitat *Merc.* *Sociosne Jobi* intelligat, *an adflictiones ferarum ritu irruentes.* Cl. *Cocc.* hic videt *Angelos Satanæ*, & *Colaphizationem* confert *Apoſtoli* 2 *Cor.* 12: 7. Ego *Socios* intendi exiſtimem; quod & Cl. *Schmidius* nunc neceſſarium cenſuit. In verbo פער ineſt *hiatus*, tanquam *ſpeluncæ*. Pingitur *Os Leoninum*, cum *capacis alvi ſpecu.* Conf. *Eſaj.* 5: 14. *Thren.* 2: 16. Duplex adſpectus; alter infert *opprobria* in Noſtrum conjecta; alter *judicia* & *pœnas* ei denunciatas. Eadem amplitudo ſub *percuſſis cum ignominia maxillis.* Reſpicitur ad *Colaphos*, *quos* Amicos ſibi ſuos *infregiſſe* innuit, quum nil aliud quam *crimina*, & *Pœnas*, ignominioſe objectarant, qui jacentem leniter erigere debuiſſent. Poſterius יתמלאון magno acumine *Cocc.* *Totos ſe impendunt* & *inferunt adverſus me.* Cl. *de Dieu* & *Crom.* addunt *iram.* Huc collineat uſus ille *Arabum*, quem olim produxi, ſub ملا In 6. تملا, quo ſignatur *plenus conſenſus*, *impetuſque conſpirantium.* Id venuſtius quam *Schmidii*, *implere ſe conviciis & probris*, *quæ mox in me effutiant & eructent*; ut *Cap.* 15: 2. *implere ventrem Euro.* Potuiſſet *Implere ſe conviciis*, commodius exponi, *ſatiare ſe iis*, atque ita *animum ſuum explere.* Huc fertur ſecunda interpretatio *Merceri*, quæ eſt *ſatiare ſe malis miſeri.* Prior adferebat *congregationem*, quæ cum *conſpirato impetu*, quem *Cocc.* dedit, convenit adamuſſim: ut neſciam cur *Schmid.* dicat *Coccejum omnium minime probari.* Atqui ſi על notat *contra*, id unice tenendum: ſin *ſupra*, locus eſt alteri imagini, qua *pariter implent ſemet ſupra me*, valet, *ſanguine meo ſe ſatiant*, veluti *Leo prædæ incubans.* Hoc *Præced.* *figuris* aptiorem forte cumulum imponit: atque tum ad *opprobria*, tum ad *Pœnas*, quibus delectari videbantur, ſe explicat.

Verſ. 11. Sudatur ad metas flecti difficiles. 1. *iniquum*, & *improbos*, in *Allegoria* poſitos cenſet *Doct.* *Merc.* pro *doloribus* & *adflictionibus.* Remotum. Nec propinquum 2. quod *Piſc.* *Belg.* aliique *Chaldæos* & *Sabæos* reſpiciant. Alii 3. referunt ad *perverſos* & *improbos* quoſcumque, quibus jam Noſter *Ludibrium* factus eſſet. Huc inclinat & *Cocc.* conjungens *homines Nequam*, ut *miniſtros Satanæ*, cum ejus *Angelis* *Vſ.* 10. Autumat quoque עויל deſignare *Infantes* ex *Cap.* 19: 18. & 21: 11. quaſi *pulcra oppoſitione* voluiſſet Noſter, *Deus παντοδύναμος me in manum puerorum ἀδυνάτων tradidit, ita ut me ab eorum petulantia aſſerere nequeam.* Arceſſitius; ſenſum tamen haud rejiculum cenſeam; nam & *Cap.* 17: 6. hanc chordam tanget, & *Cap.* 19: 18. a עוילים *pueris ſe ſperni* & *deludi* conqueretur. In *Lexico* tamen hanc ſententiam deſeruiſſe videtur ὁ πάνυ. *Cl. Schmid.* 4. iis ſubſcribit, qui ad *ſocios Jobi* & hæc pertinere ſtatuunt, quos ut *perverſos* & *improbos* taxarit *ex magno indignationis adfectu.* Id tamen duriuſculum; quod forte emollietur, ſi ut עויל pro עָוֺל *iniquum Judicem* hic notare poſſet ex *Origine*; ita רשע *improbum* quoque non *abſolute* capiamus, ſed in-

injuſtum iterum *judicem*, qui ſe in *judicando* non præbeat צדיק *juſti*, *aequi*, *veri*, *tenaciſſimum*, ſed *importunum*. Fateor tamen me in 3. opinionem magnopere propendere, ſive jam עויל *pueros* deſignet, ſive *perverſos*.

Nempe cum *acerbo* in ſe *animo impetuque Amicorum* connexuiſſe videtur *Acerbitatem*, quam *a reliqua turba Malevolorum*, & *Improborum hominum*, experiebatur, qui ejus Caſui illudebant, & inſultabant. Cl. *Schmid.* ait quidem de his *inimicis Jobi Scripturam non loqui*. Sed quid tum poſtea? An vir tam *pius*, tam *religioſus*, tam *invidendis* inſuper *fortunis* florens, *invidis* & *inimicis* carere potuit? An non etiam *Jobo tam immania patiente*, ipſa *Religio pati* debuit, atque una cum *Zeloſiſſimo* Numinis *cultore* Ludibrium fieri. Hunc ſenſum ſi amplectamur, ſimul *aculeum* concipere licet, *Amicos* pungentem, qui ſe, *Jobum* illudendo, criminandoque, *turbæ perverſorum* & *improborum* ſociaſſe videbantur. Tale quid obverſatum fuit *Codurco*, ſub *Allegoria* hæc exponenti, quaſi alluderetur ad *ſolennia judiciorum*, *in quibus damnati*, *per Lictores*, *& rerum capitalium vindices*, *abripiuntur in remotum & ſepoſitum locum*, *ut plectantur*. Huc trahit ירטני, quod ei eſt, *declinare* & *ſecedere me fecit*, de quo mox plura. Ingenioſe; in eo tamen vitioſe, quod ſupponat *Jobum criminis Manifeſtum* ita plecti, quem ſic *traductum* abſque noxa, aut crimine, dare potuiſſet vel ex *Vſ.* 17. hujus *Cap.* Idem ad *Vſ.* 8. indicatum. Ad *ſupplicii infamis acerbitatem*, de cetero, alluſum, haud invitus admiſerim, quum illuc feratur verbum יסגירני, quod eſt *vinculo collari conſtrictum dedidit me*, ut ſupra aliquoties viſum. Idem quoque, aliter tamen quam *Codurc.* putabat, verbo ירט exprimi potuiſſe, mox clareſcet.

Ibid. Hunc inſignem adſpectum perſequens, aliud examini publico committam, quod ſcrupulis circa עויל & רשעים minus obnoxium. *Collari vinculo conſtrictum dedidit me Deus ad perverſum*; *& ad manus Improborum in præcipitium conjecit me*. Hoc eſt, *aggregavit me gregi perverſorum*, *atque in conditionem Improbi redegit me*: *ita ut nomine ac titulo Malefici publica infamia adficiar*, *atque in exemplum proſtituar*. Hac utique collinearunt omnes ſociorum concertationes; eumque in ſcopum noviſſima declamatio *Eliphazi* aperte directa fuit. Quo minus huic ſenſui, aptiſſimo ad ſeriem, ſit litatum a *Doct. Interpr.* obſtitit rarior uſus *partic.* אל *ad*, quæ pro *una cum* nunc adhibita, ut مع. Hic uſus ab aliis alibi enotatus. Strictius adhuc *inter*, tanquam ejuſdem *familiæ*, ac *ſodalitii*. ſignantiſſime ſic *Joſ.* 13: 22. *Bileamum interfecerunt gladio* אל חלליהם *inter occiſos eorum*. Melius *inter devotatos*, & *profanatos ad internecionem*. Eodem titulo & Anathemate. Apud *Arabes* الى pro *una cum* etiam notum. Alterum על ידי *ad manus*, pro, *more ac ritu* jam vidimus *Cap.* 1: 14. Alii ibi malebant, *ad latera*, quod hic egregium; ut ſit, *ad latera Improborum*, *in eorumque conſortio*. Tali jam nomine, ac titulo, ſeſe *ſupplicio* quaſi *publico traditum* conqueritur Noſter, gravi illo verbo הסגיר adhibito, quod *incluſionem in vinculum collare* deſignat, & ſpeciatim *Nebulonis*, *Fugitivi*, *Maleſici ad Furcam damnati*, aut *pœnam infamem*: ut *Cap.* 11: 10. & 12: 14.

Ibid. Peculiarem curam poſcit Verbum ירטני, quod hanc vim ultro quoque invitat. Exploſus merito *Jarchius* qui a רטה, & רטיה *Collyrium*, ſive *Emplaſtrum*, apud *Rabbinos*, exſculpſerat, *ſanat*, vel *curat me manibus improborum*, qui *vulnera irritant*. *Doct. Merc.* רטה *Radicem* adoptans, eam ex ירט *Num.* 22: 32. auget vi *divertendi* & *declinandi a via*: ut ſit, *deflectit* & *transſert me in manus improborum*. Addit, utrique *Kimchio* & hic placuiſſe ירט in *præt. Pih.* neglecta compenſatione Dagesh fortis. Eandem *Analyſin* ſequitur Cl. *Guſſ.* ſub רטט, ubi noſtrum ירט mactat notione *Hoſtilis converſionis*; quaſi eſſet, *Hoſtilem converſionem in me fecit per manus improborum*. Non abſimiliter *Cocc.* dans *incurrit in me*, eamque notionem illuſtrans ex *Chald.*

Chald. רהט *cucurrit*, a רוץ *oriundo*. Eidem ירטני eſt *fut.* in *Kal*, *a* ירט, pro יירטני; quod ſatis concinnum; ſed *currere* ſive *incurrere* noluiſſem tam longe repeti. Præiverat *Avenar.* ſuo tamen more luxurioſius; nam ei ירט eſt *properavit decurrendo velociter*, & quidem, *fruſtra*. Hoc ex cognatis ירד *deſcendit*, & רהט *cucurrit*, conflatum nobis dedit in officina talium fœcunda: quippe in qua alterum רטה ex רהט quoque induit notionem *Rotandi*, *circumrotandi*, unde hic, *ad manus impiorum rotabit me*. Apud *Forſt.* parilia ferme reperies ſub ירט; qualibus res *Hebræa* parum juvatur. In *Hieroz.* 1: 196. tutior via recluſa ex *Dial. Arab.* ubi ورط ורט pro ירט adfert vim *inextricabilis ſalebræ*. Inde vir Magnus *Num.* 22: 32. vertit, *quia perplexa* vel *intricata eſt via tua coram me*. Heic loci, *inter manus impiorum implicavit me*. Non acquietum, ne ab iis quidem, qui *Bocharto* alias omnia deferunt. Utique Cl. *Cler.* & ad *Num.* 22. nonnihil diſſentit; & ad h. l. ait *propriam ſignificationem non ſatis eſſe notam*: id tantum conſtare, quod *ſe in manus hoſtium conjectum* dicat Noſter. Ajo plus conſtare, *dejectionem* nempe tanquam *in ſalebram inextricabilem*, aut *in barathrum lutoſum* & *profundum*, ubi quis *ita ſidit*, ut *emergere* nequeat. Hæc eſt *propria* & *primaria* poteſtas omnium eorum, quæ, variante *metaphora*, ſub ورط ejuſque derivatis frequentant *Arabes*. Inter eas eminet ſub ورطة apud *Golium* noſtrum, *Lutum in quod demerſæ oves vix emergunt*. In *Camuſo* eſt الوحل والردغة تقع فيها الغنم فلا تتخلص.

Lutum recens, & *denſius*, *in quod incidunt oves*, *abſque ut eripi poſſint*. Additur *Ibid.* وارض مطمينة لا طريق فيها والبير وكل غامض والهلكة وكل امر تعسر النجاة منه

item terra depreſſa & *invia*, & *puteus*; & *omne quod deſidit*, & *exitium fatale*; & *omne illud unde vix evaditur*. Solem lucere neget, quum ſudum eſt, qui noſtrum ירטני hinc lucem capere poſſe dubitat; quo depingitur, ſecundum amplitudinem Radicis, *Exitium fatale*, *ineluctabile*, *quod inſtar Gurgitis*, ac *Barathri*, *denſo cœno mergat*, *ſine ſpe evadendi*. *Num.* 22: 32. ירט הדרך *via invia*, & *in barathrum perniciei ſidens*, longiuſcule nos attineret, ſi quicquid ibi ſignantiſſime expreſſum, enucleare vellem. Pulcherrime autem cadit, quod apud *Arabes* رطا רטה ult. *Vaw* & *Je*, eandem habeat *Originem* cum ירט ورط; nam & רטי eſt *ſidere in lutum*; unde honeſte deſcendit uſus apud Cl. *Gol.* proſtans. Non ambiges, ſi contuleris رطم ubi eadem notio comparet, a *ſidendo*, *ſubſidendo in cœnum*: unde ارتطم *turbatum* & *perplexum ei fuit negotium*, *ita ut ſe extricare non potuerit*. Notes velim & hanc Gloſſam ſub مرطومة, *in cœnum demerſa*, i. e. *in impudicitiæ* & *improbitatis crimen adducta* mulier. Sive ergo רטה pro *Radice* aſſumatur, ſive ירט, eadem manebit *imago*; vel ex *fut. Kal*, vel ex *præt. pih.* Poſterius præferrem; ut fortius ورّطني, יְרַטֵּנִי, & mox *Dageſh* neglecto יִרְטֵנִי: quod enim *Grammatici* negent *compenſationem* omitti poſſe ante *Reſh*, grano ſalis temperandum. Finio, & moneo *Bolducium* quoque ad hanc fere mentem locum invertiſſe, *Concluſit me Deus apud iniquum*; & *ad manus improborum divertere me facit*. i. e. *me habet pro collega* & *ſodali iniquorum*, *ac ſceleratorum*. Ad vim verborum הסגיר & ירט non penetravit, ſub quibus *ſupplicium infame*, & *Barathrum horrendum exitii ineluctabilis* comprehendi non eſt cur ambigatur, etiamſi forte in priorem quis opinionem

12 Defœcate tranquillus eram, & fœcibus turbulentis fecit me exæſtuare: & prehendit cervicem meam, meque diffregit, atque ſibi me conſtituit in ſcopum.

13 Co-

12 שלו הייתי ויפרפרני ואחז בערפי ויפצפצני ויקימני לו למטרה :

13 יסבו

nem de *improbis Jobo inſultantibus* magis inclinaret.

Verſ. 12. *Barathrum hocce horroris omnis*, atque *diriſſimum exitium* innocenti illatum, *amplificatur* exquiſitiſſimis figuris. Aliorum nexus parum commodi; quos perſequi haud vacat. Videatur de his *Schmid.* Ipſe minus quoque felix; nec mirum, quum filum ad poſteriorem interpretationem videatur decurrere, qua *ſe ad inſtar ſcelerati publico ſupplicio mactatum* & *proſtitutum* a Deo conqueritur. Si prior ratio obtineret, non magna foret differentia; ſic enim ſimpliciter pergendum foret, *Ita quum tranquillus viverem, conturbavit me, meque non miſeriis tantum, ſed quod omni calamitate acerbius, ludibriis improborum expoſuit, inter plagas denſo me nimbo identidem obruentes.*

Ibid. Ad phraſes lectiſſimas pauca. שלו *Tranquillus*: proprie *Defæcate liquidus*. Deſignat *priſtinam felicitatem*, *externam*, *internam*; neutiquam negligenda videlicet *animi liquida ſerenitate*, *quæ reliquis fortunis nitorem & jucunditatem* addebat. יפרפרני vulgo redditur *contrivit*, *confregit me*, & refertur a *Cocc.* ad *bonorum ademtionem*: *metaph.* a *torculari quo frangitur uva*, quod פורה ab hoc *themate*. Eam non excludo, ſed exiſtimem *Jobum* intendiſſe potiſſimum *dejectionem*, *conquaſſationemque* illam *internam*, qua nunc cum maxime premebatur, *manu* Dei & *corpus* & *animum confringente* quaſi. Juſtior adhuc oppoſitio orietur, ſi *Arabum* פור فار *æſtuavit* & *ebullivit*, *ollæ ſpumantis inſtar*, huc advocetur; quando directius adhuc habebimus *corporis* & *animi æſtuantes*, & *multam inter fæcem*, *ſpumamque*, *efferveſcentes* identidem *dolores*. Utramque vertendi rationem Genio Linguæ accommodam diſcas ex *Camuſo* فرفر الشي كسره وقطعه وحركه *Forma* פרפר *eſt confregit conſciditque rem*; *nec non commovit ac conturbavit.* Prius a فر פרר *rupit*, poſterius a فار פור *æſtuavit*, derivandum. Inde & פורה *Torcular* nomen traxiſſe dixerim. Sed de finibus *Thematum* פרר, & פור, quidque exemplorum ad quodque reducendum, *Origines* anquirent. In ſeq. colo *prehenſam cervicem*, & *diffractam*, ſubtilius refert *Cocc.* ad *Liberos*, *qui pars parentum ſint*, *enectos*, *diſſiliente domo.* Id includi patior; *Emblema* ipſum latius funditur; & in *prehenſa* quidem *cervice* ante oculos ponitur *violenta manus*, *quæ ipſi & injecta fuerat*, *& etiamnum gravis inhærebat*, *ſub plagis Dei atrociſſimis proſtrato*, *ac contuſo*, inſtar *ſcelerati*, *ad ſupplicium rapti.* In *diffracta cervice* habes *ſpem emergendi*, *ſeque erigendi vim*, *infractam*, *ac comminutam penitus.* فض פצץ eſt *fregit cum divulſione partium*: & فضاض *fragmentum*, *pars diſſiliens a re diffracta.* Bona ergo obſervatio *Merceri*, ad quam frigide *Schmid.* *ſi ita in minutiſſima fragmenta*, inquit, *confregiſſet eum*, *qui fieri potuiſſet quod additur? in ſcopum erexiſti me.* Urget dein ſimpliciorem vim *Adflictionis* & *alliſionis* ex affini נפץ. Tu tria verba נפץ *excuſſit*, פצץ *Diffregit minutatim diſſilientibus partibus*; & פוץ *diffudit*, vel *diffuſus fuit*, in *Origin.* editis illuſtrata reperies. Noſtram hanc *figuram* ſervarunt antiquæ Linguæ promi condi in *part.* فاضة פוצה,

13 יסבו עלי רביו יפלח כליותי
ולא יחמל ישפך לארץ מררתי :

14 יפרצני

13 Corona facta invadunt me jaculatores ejus: ſulcat renes meos, nec parcit: effundit in terram fel meum.

14 Per-

פוצה, quod *abſolute* eſt داهية *Grave infortunium*, quaſi dicas *diffringens dorſum*, vel *cervicem*, *malum*. Idem فاقرة *Vertebras frangens infortunium*. Alia jam non congero; & deſino in poſtremo, *Scopum me ſibi ſtatuit*, quod & *prægreſſa*, & *præſentia* cum maxime *mala* amplectitur; ac præſertim ad *Tela* illa *omnipotentis* directum eſt, *quorum veneno ſpiritum ſibi ſuum ebibi* & *abſumi* dixit *Cap.* 6. מטרה a נטר erudite enucleatum a præſtantiſſ. *Hackmanno*, in primitiis uberrimam meſſem ſpondentibus. Eſt *ſcopus* nempe in quem & *Corde*, & *oculo iram ſovente*, *vindictamque captante*, *imminetur*. Radix نظر *ſpeculatus eſt*, dat منظرة σκοπόν. Tactum in *Juvenil.* מחון *ibid.* additum, non ad חזה, ſed ad חון حان reducendum, notans *Meditullium*, *centrumve*. Hoc non hujus loci. Nimis ſedulus Cl. *Schmid.* qui videtur metuiſſe, ne *diffracta cervice jacens Jobus*, *in ſcopum Dei ſtare non potuiſſet*. Quaſi vero talia ad Literam, rigoremve ejus, eſſent exigenda. *Improprie* ſi cuncta ſumas, τὸ יקימני *ſtare ſacit me*, nervo & acumine haud carere in hac ſede, facile animadvertes.

Verſ. 13. Sublimia omnia; in eandem *Allegoriam* conſpirantia *triplici gradu*. Primo enim inducitur *corona jaculantium*, & *denſo telorum nimbo obruentium*. Secundo *viſcera ipſa telis* illis *hauſta* & *laniata* pinguntur. Tertio *eadem in terram effuſa*, arguunt deſperatiſſimam conditionem. Cumulum imponit formula, *Non parcit*, *Non mollis eſt*, per μείωσιν, pro *ſæviſſime inſtat* & *incumbit ſine modo*, *ſine fine*. Cuncta hæc non ad *præteritas* tantum *Calamitates* pertinent, ſed vel maxime ad *præſentes*, & uſque ac uſque ingraveſcentes. *Jaculatores* aliis ſunt *Morbi ſævi*, aliis *Dæmones*, aliis *Homines importuni*. Cl. *Cocc.* hunc verſum ſubtilius reſtringit ad *primam aggreſſionem morbi cum ſummo cruciatu*. Cl. *Schmid.* putat reſpici ad *Tonitrua*, quaſi *Deus in magna & atra nube tonitruis & fulminibus Jobum oppugnans*: *& telis ſuis conficiens* introduceretur. *Tela* autem ad *plagas* refert, tum *corpus* tum *animum* infeſtantes, excluſis *hominibus*. Atqui *Animus Noſtri* vel maxime *ſauciabatur importunis* illis *inſultibus*, & *Jaculationibus*, quibus Amici facta quaſi corona ipſum impetebant. Non reſtringo tamen, nec determino, quod ex natura *Emblematis* ad omnia in Univerſum mala, externa, interna; a Deo, ab hominibus, immiſſa, atque acerrime etiamnum ingruentia, ſeſe diffundit. Haud fugit, Cl. *Guſſ.* ſub רבב pro *Jaculatoribus* ſubjeciſſe *Magnates ejus*; quo titulo hic *Amicos* putat inſigniri: ſed melius abſtinuiſſet Vir Doctiſſ. In verbo פלח Cothurnum obſerves, *ſulcat Renes meos*. فلح apud *Arabes* protritum notione *arandi*, & *ſulcos ducendi*. Eam poteſtatem *Pſ.* 141: 7. agnoſcit Cl. *Cocc.* Apud *Tragicos* αὖλαξ *Sulcus* ita transferri amat, nec non αὐλακίζειν *Sulcare*, concinente & *Latinorum* uſu. Vide *Æſch.* in *Choëph.* *Vſ.* 23. *Eurip.* *Suppl.* 826. & *Herc. Fur.* ubi habes Δορὸς ταχεῖαν ἄλοκα *velocem haſtæ ſulcum*. Adde *Pſ.* 129. ubi *Aratores in dorſo longos ſulcos trahere* dicuntur. Eleganter *Claud.* 2. *de Rapt. Proſ.* 340. *Lateris ſulcator opaci Vultur*, qui *Jecur Tityi depaſcebat*. In *renibus ſulcatis*, *ſciſſiſve*, nonnulli inveniunt *dolorem Nephriticum*, quo conflictatum volunt *Jobum*. Haud conſtat: ſed etiamſi conſtaret, *figuratus* ſenſus haud omitti deberet; nam *Arabibus* ſolenne *ſciſſos renes* inducere, in *vulneribus ad vitalia adactis*. In *Hiſt. Tamer.* P. 416. سقطت قواها

 وتقطعت

14 Perrumpit me ruptura ſuper rupturam; incurrit ſuper me ſicut fortiſſimus bellator.

15 Saccum conſui ſuper laceram cutim; & vulneribus exhauſtus ſum; in pulvere cornu meum.

16 Fa-

14 יפרצני פרץ על־פני־פרץ ירץ עלי כגבור׃

15 שק תפרתי עלי גלדי ועללתי בעפר קרני׃

16 פני

وتقطعت كلاها

ſtratæ ſunt vires, & conſciſſi renes eorum. Loquitur de *feris indagine formidoloſiſſima cinctis*, & *ante tela emiſſa*, *ſolo metu confixis.* Quadrat; nam & in noſtro textu eſt *imago* a *venatoribus*, & *eorum corona*, atque *indagine.* Exiſtimat Cl. *Schmid.* non *cor trajectum* dici, ſed *renes* & *fel*, quia *corde vulnerato ſtatim ſequitur mors:* iſtis *viſceribus* non item. Hoc Medicis decidendum relinquo. Mihi liquet, ex Genio linguæ *vulnera letalia* depingi, non minus quam ſi *medium cor trajectum* dixiſſet Noſter. Cum alluſione ad *Nephritim* in *Hamaſa* reperio.

يطفي غلات الكلي والجوانح

Extinguit ardores Renum & Coſtarum.

Pro *ſedat Dolorem*, *æſtumque cordis ſaucii.* Similiter *Jecur fiſſum* ponunt *Arabes* pro *vulnere letali*; ad quam rationem *Prov.* 7: 23. habes *jecur ſagitta ſulcatum.* Idem *Græcis* ſolenne *Æſch. Agam.* 442. θιγγάνει πρὸς ἧπαρ; & Sot. Δῆγμα δὲ λύπης ἐφ' ἧπαρ προσικνεῖται *Morſus doloris ad jecur pertingit.* Fuiſſe *Proverbiale* diſcas ex illo,

> Ἑῷ κακὸν ἥπατι τεύχει
> *Suo malum Hepati ſtruit*

Vide *Iliad.* 13: 412. & 20: 469. 470. *Eurip. Oreſt.* 1063. *Med* 40: & 379. *Suppl.* 599. 919. &c. &c. Eandem loquendi formam nobis præ manibus eſſe, ſenties ſi ex *Camuſo* tenueris مـرارة מררה proprie eſſe *folliculum bilis qui Hepati adhæret.* Ill. *Grot.* monet, voce hac comprehenſa videri *inteſtina.* Id bene ſe habet, ſub *Synecdoche*, ut ad *Cap.* 20: 25. clarius pateſcet. Docte *de Pined. Fellis vaſculum diſrupit*, *proſcindente ſagitta*, *ut nihil mihi ad vitam reliquum ſit viſceribus effuſis.* Nollem adjectam *Dyſenteriam*, quæ ex *felle* & *ardente bile maligna* exiſtat. In *figura* omnino ſubſiſtendum: ut *Thren.* 2: 11. *Effuſum eſt in terram Hepar meum.* Hoc eſt *Mortifero vulnere jaceo confixus*, *abſque ulla ſpe reſtitutionis.*

Verſ. 14. Novis coloribus exaggeratur ſævus ille impetus; quo ſe *quati*, *arietari*, atque *tormentis validiſſimis oppugnari* velut, *expugnarique*, dicit: haud ſecus atque *Arx mole belli circumſeſſa.* Tenue, quod *ad murum corporis*, quæ *cutis* eſt, *perruptum*, pertinere cenſeat *Schmid.* Enimvero *vulnera* corporis, *vulnera* domus, & *fortunarum*, non excludo: ſed *levia* illa, præ *animi vulneribus*, infinitum dolorem imprimentibus, & Noſtrum *a fundamentis* ipſis veluti, *crebro ariete admoto*, *deſtruentibus:* ſic ut *ſpes opeſque* ejus omnes *dirutæ* & *diſjectæ* jacerent. Stetiſſet profecto Noſter, atque ut *Arx invicta* conſtantiam obtinuiſſet, niſi *plagas* haſce ab *irato Numine* ſibi *inflictas* cenſuiſſet. Accedebat illa *inclementiſſima accuſatio Hypocriſeos* & *improbitatis*, quæ *ipſum ſibi* quodammodo *excutiebat*: *defenſione* omni ipſi *erepta*, atque e *manibus extorta*, per *manum Dei* uſque & uſque *ingraveſcentem.* Verbum פרץ in *mœnibus perruptis* crebrum: itemque in *cladibus Divinitus inflictis.* רוץ pro *incurſu bellico* ſupra quoque notatum. כגבור *ut Heros*, ut *fortiſſimus bellator*, in eandem concinit figuram. Ea ſub ſe complectitur *totam Cœli armaturam*, & *potentiam formidoloſiſſimam.* Quod olim ex conjectura propoſui, *irruit in me tanquam Gigantem*, & *impium ferocem*, ex uſu جبار apud

apud *Arabes*, in ſpongiam ire jubeo. Reſpectum forte a Noſtro ad *Cap.* 15:24. ubi iſtud כמלך *ſicut Rex*, uſu proverbiali, *Terrorum cœleſtium exercitum* adferre vidimus.

Verſ. 15. In cohærentia variatur. *Merc.* refert ad *Jobi pœnitentiam* & *humilitatem*, qua ſe Manui Dei ſubjecerit: ut vel hinc ſocios ad meliorem de ſe opinionem, commiſerationemque, revocaret. *Cocc.* adjicit *humiliationem externam qualis eſt Hypocritarum*; *ut eo ſe redactum* queratur, *quo Hypocritæ omnibus bonis ſpoliati*. Id quam vim hic exerat, non perſpicio. *Schmid.* putat occurri tacitæ objectioni Amicorum, quaſi ſe *fontem* agnoviſſet ipſe, *habitu pœnitentium*, & *crimina confitentium*, *aſſumto*: quibus nunc inſinuaretur, *id non factum ad confeſſionem culpæ*, ſed *ad liberationem ex adflictione impetrandam*. Acumen haud adeo felix. Omnino tenendum, quod alii ex parte jam dederunt, *pergi in commemoratione ærumnarum inauditarum*, in hanc mentem, *Enimvero luctui ac mœrori perpetuo me video damnatum*; *eoque plagis hiſce cœleſtibus redactum*, *ut nunquam iterum caput erigere poſſim*, *ſed in cinere*, *ſacco*, *ſqualore publico*, *mihi ſit emoriendum*. Confer quæ *de Pined. Piſc. Belg.* annotarunt. Huc vocat ſignatiſſima phraſis, *Conſui ſaccum ſuper cutem*. Improbatur a *Schmid.* ut ſubtile nimis, quod *Belg. Cocc.* aliique de *ulceroſa cute* cogitarint, quodque *Aſſuere* explicuerint de *firma adhæſione*. Addit, *non probabile*, *quod ſuper talem cutem firmiter adſtringi potuerit ſaccus*. Id parum ſubtile: & hebet fere, quod ſequitur, *ſaccum conſui debere ante quam induatur*; *ac proinde conſui ſaccum*, eſſe, *Conſutum indui*. Dubitari non debet, non poteſt, quin *Conſui*, *circumſui*, *ſaccum*, inferat *longum*, *perpetuumque*, *ſqualorem*, non tam *proprie*, quam *improprie* captum. Alluſum tamen ad *cutim ulceroſam* haud negarim, nam גלד ſimpliciter quidem *Cutim* notat apud *Arabes*, monente *Ab. Eſra*, idque Cl. *Schmidio* auctoritatem hanc urgenti haud negarim. Eidem concedo inepte alios *Rabbinos* tradidiſſe, *teneram cutem ulceribus obductam* hac voce deſignari. Nec tamen *ulceroſa cutis* male huc adfertur; tum quod res ipſa id exigat; tum quod *Origo* illuc feratur: quum גלד *proprie* ſignificet *pellem detractam carni*; *corium animali dereptum*. Hæc alibi latius. Nunc tantum ſubmoneo, גלד etiam ex genuino uſu Linguæ verti poſſe *Excoriationem*; a verbo جلد *excoriavit*, tum *proprie*, tum *improprie*, pro *flagello laceravit*. Ita *Abulphar. H. D.* p. 253. فامر به فجلد جلدا شديدا حتى غاب عقله وتقطع جلده *Juſſitque hominem flagro admoveri*; *& flagellatus eſt tam vehementer*, *ut deliquium diſciſſa cute pateretur*. Habes & verbum, & derivatum utrumque. Hinc fortius reddere licet, *Conſui ſaccum ſuper excoriatione mea*: h. e. *flagellis Dei excoriatus*, *perpetuo mœrori*, *ac ſqualori*, *mancipatum me ſentio*; ita ut *inter acerbas plagas ſimul*, *ſimul ſordes ignominioſas*, *mihi ſit expirandum*.

Ibid. Exercitos habet *Interpr.* verbum עוללתי. Quid *Veteres* dederint, reperies in *Origin.* L. 1. p. 197. Quid *Rabbini*, & Noſtri, percipies ex *Schmid.* collectione. Quæ juvenis tentavi, maturiora exhibui *Origin.* p. 198. ubi ex proprietate Radicis עלל in *hauriendo*, ex *Pihel* propoſui, *Hauſi in pulvere cornu meum*; id eſt *plagis divinis fœdatum*, *fractum*, *viribuſque exhauſtum abjeci*. Propenſior tamen ſum in *paſſivum Pyhal*, unde exiſtit, *Hauſtus*, *repetitis plagis exhauſtus ſum in pulvere cornu meum*: i. e. *quoad cornu meum*. Indicat, *opes*, *vires*, *potentiam*, *dignitatem*, *conſolationem vitæ omnem*, ita *dejectam*, *proſtratam*, *conculcatam a Deo*, *hominibuſque*, *ut nunquam iterum caput attollere poſſit*. Cl. *Schmid.* aliquid valde argutum excogitavit ex vulgari notione, *Feci pulvere cornu meum*. Reſpicit uſum עשה, quo *facere barbam*, pro *pectere* & *ornare* adhibetur. Ita *facere cornu*, & *caput*, *glorioſum* cenſet poſitum pro *pectere*, idque iterum pro *turpare*. Sed *imagini delicatiori* in *infinito* hocce & *conclamatiſſimo luctu* parum loci: præterquam quod עלל *faciendi*, & *operandi*, vis male ſit tributa. Vide interim an malis? *Confectus ſum plagis ſanguinem*

16 Facies mea fermenteſcit præ mihi fletu; & ſuper palpebris meis eſt umbra mortis.

16 פני חמרמרה מני־בכי ועל עפעפי צלמות׃

17 Quan-

17 על

nem vitalem haurientibus; in pulvere Cornu meum: nempe *jacet ſtratum calcatumque.* Utrumque implet, & cumulat, ſenſum, præcedenti membro declaratum. *Cornu ſtratum*, & *cornu erectum*, *Arabibus* non minus, quam *Hebræis*, familiare, percipias ex formula ſolenni apud *Harir. Conſ.* 43. ابعدك الله ولا اشب قرنك *Maledicat tibi Deus, neque adoleſcere faciat cornu tuum.* Proprie, *micare faciat*, cum alluſione haud injucunda ad notionem *Radii* & *ſplendoris*, quam ſub קרן قرن adſcivere Orientales. Non auderem cum Cl. *Cocc. Splendorem* ſolum, omiſſo *Cornu*, hic ſequi; nam ut recte a Cl. *Cler.* obſervatum, *Metaph.* ducta eſt a *Tauro*, qui *ſtratus procumbit humi, cornu in pulverem immiſſo.* Genus figuræ univerſum diſcas ex *Diw. Hud.*

من يناطحه يالم قرنا
ارومه نقد

Qui cum ipſo arietarit, dolebit cornu; cujus radix croſa.

Non æque laudem, quod Cl. *Cler.* עללתי verterit, *immiſi*, ex *Chald.* עלל *ingreſſus eſt.* Idem, quin levius adhuc, dederat *Cl. de Dieu.* Quanta ſit noſtræ *imaginis* vis & amplitudo, ex *pag.* 183. &c. & 189. &c. *Originum* repeti velim.

Verſ. 16. Continuatur deſcriptio *deploratæ* & *conclamatæ calamitatis.* Ad verbum חמרמרה multa hæſitatio; quod aliis *aduſtum*, *tumidumve*, *vultum* deſignat; aliis *corrugatum* & *contractum*; aliis *lutulentum* & *ſordidum*; ex חמר quatenus *lutum* notat, ducta notione. Id plurima tulit puncta. Alluſum præterea ſuſpicatur Cl. *Schmid.* ad *lutum*, *aquæ fluxu ac refluxu ripæ ingeſtum*: ad quam rationem *per copioſas lacrymas facies luto quaſi cooperta, ac conturbata fuerit.* Vellem omiſiſſet *pallorem*, *luteumque colorem*, *faciei inductum.* Prius cothurno hujus Libri egregie reſpondet: præ quo languet, quod olim *Ab. Eſram* ſecutus in medium contuli, *Rubeſcunt ardore & æſtu facies meæ*, ex حمر *rubuit.* Lingua quidem id patitur, nam חמר *Rubeſcendi* notionem apud *Hebræos* etiam tenuiſſe, ambigi nequit. Nec eſt quod cuiquam diſplicere poſſint *facies fletu æſtuante rubicundæ*, *tumidæ*, *aduſtæ*, ſi rem per ſe ſpectemus. Dandum tamen veritati, *imaginem* a *Schmid.* adductam, eſſe grandiorem. Ad eam ulterius commendandam, obſervo τὸ חמר, *Lutum*, ſic dictum eſſe a *fermentando*; notione *Arabibus* tritiſſima ſub خمر, qui & خمر *vinum* חמר, non a *rubedine*, ſed a *fermentatione* ductum tradunt. Iiſdem خمار חמור eſt *Crapula e vino*; ex eodem fonte. In 8 *Conj.* اختمر אחתמר in *maſſa fermenteſcente*, in *vino efferveſcente*, in aliis ſimilibus. Plenius hinc intelligas *Pſ.* 75: 9. חמר יין *vinum efferbuit.* Item *Pſ.* 46: 4. *efferveſcant aquæ ejus*, & *multo luto fermenteſcant.* Iterum *Hab.* 3: 15. חמר מים רבים *Lutum fermenteſcens aquarum multarum.* Hinc porro *Thren.* 1: 20. & 2: 11. חמרמרו מעי *Fermentuerunt admodum viſcera mea: tanquam luto fermenteſcente efferbuerunt.* Ad hanc granditatem conceptum & noſtrum, *Fermenteſcit vultus meus perpetuo lacrymarum æſtu, ita ut oculis in fontes turbidos converſis, vultus tanquam cœnoſo gurgite obruatur: vel & Euripi inſtar fluctus lutulentos reciprocet.* Poëtis *Latinis*,

17 על לא־חמס בכפי ותפלתי זכה׃

17 Quantumvis nulla ſit violentia in manibus meis; & oratio mea ſit limpida.

18 ארץ

18 O

tinis, *Græciſque*, laudantur *Imbres*, *Rivi*, *Flumina*, *Gurgites lacrymarum*, ut in illo *Ovid.* *Gurgite tunc pleno facies manavit* &c. Altius adhuc ſcandit *Tragœdia*, quæ cum *Mari turbato*, *procelliſque jactato*, confert dolentem. *Soph. Philoct.* 1455.

> Ἑρμαῖον ὄρος παρέπεμψεν ἐμοὶ
> Στόνον ἀντίτυπον χειμαζομένῳ.

> *Hermæum promontorium remiſit mihi*
> *Gemitum repercuſſum, quum tempeſtate lacrymarum ſæva jactarer.*

Habes *Ibid. vſ.* 1190. ἀλύοντα χειμερίῳ λύπᾳ. *jactatum tempeſtuoſa*, vel potius, *hyemante maris inſtar*, *triſtitia*. In *Oedip. Col.* 1235. talis miſer,

> Πάντοθεν, βόρειος ὥς τις ἀκτὰ
> Κυματοπλὴξ, χειμερία, κλονεῖται.

> *Undique, ceu Boreale quod littus,*
> *Fluctu hiemante verberatum, quatitur.*

Quippe quem, ut *Ibid.* additum δειναὶ κυματοαγεῖς ἄται κλονέουσιν ἀεὶ ξυνοῦσαι *Terribiles fluctifragæ ærumnæ jactant aſſiduo cohabitantes.* Nempe χειμὼν καὶ κακῶν τρικυμία, ut *Æſch. Prom.* 1014. dixit, *Hyems malorum*, *fluctuſque decumani*, talem non ceſſant ἐπικλύζειν, & θολοῦν, *inundare*, & *luto velut conturbare*, *tum cor* ejus, tum *vultum*; *quum dies noctesque lacrymis commadeſcit*, *diffluit*, *contabeſcit*. Hæc verbo המרמרה comprehenſa, ſublimitas hujus Libri facile perſuadebit, quum Lingua iſti *Figuræ* favere reperiatur.

Ibid. Simili *grandiloquentia* enunciatum, *Super palpebris meis umbra mortis.* Cl. *Cocc.* tenuiter, *Hebet acies oculorum præ fletu.* Non multo plenius *Merc.* *Præ doloris gravitate oculorum acies obtenebreſcit*, *morbo*, *vel & larga lacrymarum copia*, *mihi omnem videndi facultatem adimente.* Credo tamen *Doctiſſ. Interpretes* incluſum voluiſſe, quem alii jam adduxerant, *habitum viſumque moribundi.* Nota formula θανάτου νέφος ὄσσε κάλυψε, *Mortis nubes oculos involvit*, quam frequentat *Homer*: nec non, ἀμφὶ δ' ὄσσε κελαινὴ νὺξ ἐκάλυψε; *Et nigra nox oculos obtexit.* Tale & illud *Æſch.* 7. ad *Theb.* 409.

> Εἰ γὰρ θανόντι νὺξ ἐπ' ὀφθαλμοῖς πέσοι

> *Quod ſi morienti nox in oculos incidat.*

Transfertur etiam ad *ingentem dolorem*: ut *Iliad.* 17: 591.

> ——, τὸν δ' ἄχεος νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα.

> *Illum autem mœroris nebula involvit atra.*

Adde 18: 22. &c. &c. Iſta *Nubes* concipitur ut *palpebris inſidens*, *eaſdemque gravans & premens.* Id *Schmidius* recte monuit. Non ergo uſquequaque verum, quod Erud. *Druſ.* & *de Pined.* notarunt, *palpebras* pro *oculis* eſſe poſitas. Clarius adhuc percipias, ſi contuleris quæ ad *Cap.* 15: 12. prolata; ad quod nunc reſpectum arbitror. Nempe quum ibi objecti eſſent *Jobo oculi truculenti*, *quorum ſupercilio* στυγνὸν νέφος, *nubes minas & murmura volvens*, *inſidebat*, appoſite & modeſte reſpondet, *Palpebras nube mœroris*, *& mortis ipſius*, *ſibi degravari.* Applicare huc licet, quod de *Palpebris ſomno prægravatis*, magnifice *Pind. Pyth.* 1: 11. κελαινῶπιν οἱ νεφέλαν, βλεφάρων κλαΐστρον, ἐπὶ κρατὶ κατέχευας; *Nigroculam ei nebulam*, *palpebrarum clauſtrum*, *ſuper caput effudiſti.* Grandius adhuc Noſter, *ſuper palpebris meis umbra mortis*, nempe, *ſedet*, *perpetuam ſedem fixit.* Eſt pictura *mœroris feraliſſimi*, & *ineluctabilis*; ſub quo ſe *moribundum*, ac *depoſitum*, *jacere* indicat.

Verſ. 17. Interſeritur a multis, *Hæc perſero*, *Hæc paſſus ſum*, præeunte *Vulg.* ac ſi novum eſſet membrum. Durius quid commiſſum a *Jun.* & *Trem.* ſed recte monet *Schmid.* arctiſſimam eſſe cohæſionem cum præced. Eam feliciſſime expreſſerunt *Doct. Belg.* *Quum*

tu-

18 O terra ne cooperias meum ſanguinem! & ne exiſtat locus clamori meo.

19 Etiam

18 ארץ אל־תכסי דמי ואל־יהי מקום לזעקתי׃

19 גם־

tamen, vel, *Quantumvis nulla in manibus meis violentia ſit &c.* על לא חמם *Super non violentia*, i. e. *non obſtante liquidiſſima mea innocentia*; *manuumque*, *& precum*, *puritate.* Redi ad *Cap.* 10: 7. *Merc.* malebat בלא *abſque injuria*, *citra injuriam in manibus*; quod ex 1 *Chron.* 12: 17. a *Cocc.* adductum. Id conveniret cum poſteriore uſu *&* על *ibidem* indicato. Alterutrum multimodis aptius, quam quod recentatum a *Schmid.* לא על חמם *Non* tamen *propter violentiam.* Id languidum non minus, quam contortum: quod vel ex *Eſaj.* 53: 9. quo utitur *Vir Doct.* percipere eſt, *Et dedit cum improbis ſepulcrum ejus* &c. Nomine & *titulo capitis damnati*, in crucemque acti, *ſepelire fecit eum*, על לא חמם. Verte, *non propter violentiam*, flaccebit; quum *non obſtante*, vel *quantumvis nulla eſſet violentia*, quam *fecerat*, *nulluſque in ore dolus*; nervum habeat. Admittit tamen contextus ille diverſum plane adſpectum; quo על valet *propterea quod*, ut cauſa reddatur *Monumenti per divitem procurati.* Vid. *Comm.* Cl. *Vitr.* Cl. *Cocc.* ad priorem ſenſum fortius adhuc, *vice*, ſive, *pro eo quod non fecit injuriam.* Pariliter heic loci, *Vice ejus quod non eſt injuria in manibus meis.* Sic על inferret *μισθαποδοσίαν* & *compenſationem*, inſinuatumque iret Noſter, *ſe pro pietate ſua aliud longe expectaſſe ſecundum Dei promiſſa.* Cl. *Schmid.* id improbans, mentem *Cocceji* haud cepit, quum eam trahit ad *lætam rerum viciſſitudinem*, *& mutationem. Eam* ſane *non expectabat Jobus*; ſed *expectarat contrariam tractationem*, ut *Cocc.* ait; de quo nemo dubitet. Nihil coacti quoque habet על pro *vice*, *in remunerationem*, quum *Propter* illuc omnibus in Linguis convergat. Id ſi admittatur, nervoſior adhuc oratio exiſtet, cum aculeo conjuncta, quo *injuſtiſſime ſibi hæc mala impoſita*, *& longe aliud*, ut *expectatum*, ita vi promiſſionis divinæ *debitum* fuiſſe, inculcaret. Iſta *querela* reliquis quoque ſenſibus ineſt, ſed in hoc noviſſimo *acrior*: ut mirum ſit Cl. *Cocc. eam* hinc removiſſe. Verebatur videlicet ne *Nimium* eſſet. Atqui illud *Nimium* genuinæ interpretationis certum eſt indicium ac pignus. Quid præferendum interim, *non obſtante*, an *vice ejus quod*, in medio relictum malim. חמם *injuriam violentam*, ad *apertam improbitatem* ſeſe referre, ut *puras preces*, ad *Hypocriſin*, & utrumque a ſe ſemovere Noſtrum, ſolide obſervatum *Coccejo.* Addere liceat, *Contrarias* his *Vitiis Virtutes* adſciſcendas, æque ac *Eſaj.* 53: 9. Habes *fiduciam conſcientiæ limpidiſſimæ*, quam tamen iterum *nimii quid* trahere facile agnoſcere eſt. Pulcherrime dictum, pictumque, *Oratio mea Limpida eſt*; quod ſuaviſſimos fontes pandit amplificationis.

Verſ. 18. Pathetica exclamatio; circa quam ſe ſciudunt opiniones. 1. *Ab. Eſra* concipit *Imprecationem Jobi in ſemet converſam*, *ſi mentiatur.* Non tamen ſatis, quid velit, expreſſit. 2. Diſertius Cl. *Cler.* refert *ad mortem ſine ſepultura*, quam ſibi imprecaretur Noſter, atque adeo *Cædem inultam.* Utitur eodem aſſumento, *ſi mentiar.* Simile dederat *Codurc. Effundatur ſanguis meus*, *& ſorbeatur a canibus.* Durum. Longe commodius 3. quod *Vatabl. Piſc. Belg. Tigur. Genev. Diod.* accipiunt ut *conteſtationem innocentiæ*, & *manuum purarum*, quæ *nullo ſanguine* ſint *pollutæ*, nullumve *clamorem*, *vindictam poſcentium*, in cœlum *excitarint* unquam. Hoc viciſſim durum Cl. *Clerico*, itemque *Schmidio*, qui negant דמי *ſanguinem meum* notare poſſe *a me effuſum.* Revincuntur ex illo *Poëtæ* in *Hamaſa.*

فتني

حتي خضبت بما تحدر
من دمي
اكناف سرجي او عنان
الجامي

Donec tinxero fluxu ſanguinis mei
Latera Ephippii, aut habenas capiſtri.

Ibi *Tauriz.* لا يريد بقوله دمي
دم نفسه وانما اراد
دم من قتله فاضافه
الي نفسه لانه اراقه

Non intendit, quum ſanguinem meum dicit, ſui ipſius ſanguinem, ſed ſanguinem eorum quos occiderat. Eum autem ut a ſe fuſum ad ſe retulit. Ita planiſſume *Eſech.* 24: 7. quem locum inſpexiſſe juvabit. Eadem vis *adfixi* in ועקתי, *Clamor in Cœlum a me ſuſcitatus*, tanquam *ab oppreſſore innocentum*: cui par *Gen.* 18: 20. 21. *Clamor eorum venit ad me.* Vide etiam *Eſaj.* 21: 2. ibique Cl. *Vitr.* Plauſibilis proinde expoſitio hæc, quæ cum *vſ. præced.* apte ſe colligari patitur. Officit tamen, quod *Homicidii* crimen nimis atrox, quam ut ejus vel ſuſpicio moveatur, nedum tam gravi *conteſtatione*, & *Apoſtrophe* depellatur. *Eliphazus* quoque *Cap.* 22. *fuſi ſanguinis* mentionem nullam facit: neque *Jobus Cap.* 31. ubi huic *Schemati* opportunior fuiſſet locus. Cum ſuperioribus querimoniis congruentius, quod *Merc.* 4. דמי *ſanguinem, clamoremque*, interpretetur, *injuriam factam Jobo, vindictam poſtulanti* veluti, *quod innocens periret.* Vehementiſſimum *Pathos*, a multis improbatum, ut atrox nimis, *quod ſic Vindictam in Deum ipſum* popoſciſſet. Iſti tamen invidiæ occurſum a *Merc.* prudenter monenti non *in Deum.* ſed *in Socios hæc dici, a quibus pro impio lacerabatur.* Iſto temperamento tamen non utitur Cl. *Cocc. ſanguinem* 5. exponens de *morte filiorum Jobi*, *nec non ipſiuſmet ſanguine, ex ulceribus manante quotidie, ac morte mox inſecutura*; *ob quæ mala juſtus judex compelletur de vindicta*; *utque conditionis tam funeſtæ ratio habeatur.* Nempe *terra tegit ſanguinem*, quum *ejus vindicta negligitur*, *Eſaj.* 26: 21. *Clamat* item *ſanguis e terra*, quum *Deo Vindici obverſatur.* Eo *clamore non audito*, vel *repulſo*, videtur *locus ei conceſſus intra terræ ſinum*, *ubi interceptus ſupprimatur.* Utramque & *Merceri* & *Cocceji* ſententiam, valde duram vocans Cl. *Schmid.* ab iis tamen non niſi verbo diſſentit, reapſe conſentiens & conſpirans, & ipſe *ſanguinem* exponens 6. de *morte quam innocens eſſet ſubiturus*; ut mens ejus ſit, *ſi plura adhuc quam paſſus ſum*, *ſim paſſurus*; *ſanguiſque meus ſit fundendus*, *tu tamen o terra*, *non tegendo ſanguinem meum*, *teſtimonium mihi perhibebis de innocentia mea*, *meumque ſanguinem clamantem non abſcondes.* Ovumne ovo ſimilius, quam hæc illis? Unum diſcrimen in *ſanguine*, ſit ne *præteritus*, *præſens*, an *futurus*? Omnia ſimul amplectebatur *Cocc.* quin & *Merc.* generali nomine *injuriæ* comprehendens *univerſam Jobi adflictionem morte triſti finiendam.* Cur non locus hic eſſet *ſanguinolentis plagis* miſerum *corpus* cotidie *conficientibus*? Cur non & *liberis infauſto leto datis*, quorum *ſanguinem* recte *ſuum* appellare potuit pius genitor? Quid autem ſibi vult, quod *horum ſanguinem procul dubio jam a terra tectum* argutetur Cl. *Schmid.*? ad *literam* abit, quum *figuram* tenendam eſſe palam ſit. Utique *ſanguis univerſus Jobi*, & *quicquid vulnerum* ei *impreſſum*, partim *morte* ſuorum *funeſta*, partim *funere*, quod *vivus*, *videnſque*, *ſibi ducebat*, divinitus *vindicari* potuit, & magnifice *vindicatum fuit*, quum *oppreſſa* tandem *Innocentia* triumphavit; omnibuſque conſtitit, non ad viri improbitatem puniendam, ſed ad virtutem ejus coronandam, tantas in ipſum calamitates ingruiſſe. In *ſanguine* ergo, & *clamore* hocce, potiſſimum reſpicitur ad *dirum* illud *ſupplicium*, *quo innocentiſſimus mortalium*, damnante, & inſultante, circumſtantium corona, *mactabatur*, *necemque ſe oppetiturum* credebat. Illum plus quam *Tragicum adfectum* vidit, & admirabili lumine perfudit *Erud. de Pined.* quem conſuluiſſe haud pigebit. Nimis tamen in eo reſtrictus eſt, quod ut *Schmid.* Terram tantum *innocentiæ Teſtem citari* putet, quum *formulæ* manifeſto tendant ad *poſtulationem vindictæ.* Ea nihil habet incommodi, ſi modo dextre capiatur de *injuſte oppreſſi*, *damnatique*, *vindicatione a pœna*, *& nota infamiæ*, *&*

19 Etiam nunc ecce in cœlis teſtis meus; & oculatus meus teſtis in celſiſſimis.

20 Illuſores mei ſodales mei: ad Deum exſtillat meus oculus.

21 Ut

19 גם־־־עתה הנה בשמים עדי ושהדי במרומים :

20 מליצי רעי אל־־־אלוה דלפה עיני :

21 ויוכח

& improbitatis, ei injuſta. Hoc *contra Socios* non tantum *poſcere* potuit Noſter, ſed etiam pro *Adſectu*, quo animatum Eum vidimus, ab *ipſo Deo contra ſemet ipſum* quodammodo flagitare; utpote qui non poſſet non *vindicem* tandem ſeſe præbere *Innocentiæ*, atque *veritati*, *virtuti*, *juſtitiæque*, teſtimonium publicum perhibere.

Verſ. 19. Aptam ſentis copulam, qua qui *Vindex* efflagitatur, nunc ut *Teſtis* citatur liquidiſſimæ innocentiæ. Particula גם *Etiam*, non *conjunctionem* cum aliis *teſtibus* ſignificat, ſed *illationem* & *concluſionem*, qua *poſtulati præcedentis fundamentum inconcuſſum* indicatur. Soli faculam accendere haud par. Mitto proinde alios aliorum nexus languidulos, vel & obſcuros. Ad noſtrum proxime acceſſit *Cocc.* qui hic demonſtrari putat *Neceſſitatem clamandi ad Deum*, *quippe qui ſolus Teſtis veritatis*, *quum ab Amicis illudatur.* Nos ſubſtituimus *firmamentum invictum voti animoſi*, quod modo conceptum fuerat, non ſine temeraria quadam, ut videbatur, audacia; dum *Dei vindictam adverſus ſemet ipſum* quodammodo flagitarat, atque a Judice ſupremo haud ſatis æquo, ad eundem Æquiorem provocarat. Qui ſuperiores Lites & contentiones *Jobi* non indiligenter expendit, hanc *Provocationem* inde ſua ſponte redundare facile agnoſcet. Quidni ſane is qui Cauſam ſuam adverſus Deum magno molimine evincere aggreſſus erat, eundem tandem *Innocentiæ* & *vindicem*, & *Teſtem* ſimul, *contra ſemet ipſum* evocare ſuſtineat; ne *virtus* & *Religio caſtiſſima*, *inceſtis criminationibus* in perpetuum *infamentur*, atque *improbitatis merito damnatæ ſortem ſubeant.* Præluſum in *Voto*, *Votique fundamento*, *Magnificæ* illi *Conteſtationi*, quam *Cap.* 19: 23, 24, 25, 26. debita luce impertiemus; quorſum ad *exaggeratiſſimum* hoc *Pathos* penitius introſpiciendum remitto.

Ibid. Sexcenties dictum, doctum, recoctum, שהד *Arameis* eſſe idem quod עד *Teſtis* apud *Hebræos:* prout *Gen.* 31: 47. quod *Jacobo* גלעד, ejus *ſocero* eſt יגר שהדותא *cumulus teſtimonii.* Multi etiam hinc argui poſſe opinantur grande diſcrimen, quod inde ab ultima memoria inter *Hebræam Linguam* ceteraſque *Dialectos* interceſſerit. Creditur autem heic loci ex *Syria*, vel *Chaldæa*, tranſſumtum *Synonymum*, ad majorem *Teſtimonii* fidem ac firmitatem. Multa ad hæc diſcutere habeo; quæ non hujus ſunt Commentationis. Verbulo nunc tantum dicam, falli eos, qui hæc duo plane *Synonyma* ſtatuunt; nam שהד fortius quid ſignat, quam עד. Id ex *Arabum dialecto* percipere licet, ubi شهد *Teſtimonium perhibuit*, ſecundaria notione, tritiſſimum, a primaria *præſens fuit*, *coram aſpexit.* Inde שָׂהֵד شاهد, ſecundum *Originem*, notat *Teſtem oculatum*, qui quod *præſens vidit*, non ſolum quod *audivit*, atteſtatur. עד ad *teſtem auritum* quoque ſe extendit. Vides concinnam gradationem; ſimulque quam ſolide a Cl. *Cocc.* poſterius conferatur cum Latino *ſuperſtes*, quatenus veteri Lingua deſignabat *Teſtem præſentem*, uti a *Feſto* proditum. Maluit tamen, quum uſus ille aboleverit, *Conſcium* reddere, ſive *cordis Notorem.* Eodem fertur noſter, *Teſtis oculatus*, & *præſentiſſimus*, qui *intimos* quoque *ſinus* ac *receſſus cordis inſpicit*, atque *pertentat.*

Eſt & hoc monendum, شهد apud *Arabes* fere *ſanctiſſimum teſtimonium* adferre, jurejurando firmatum, unde & per *Teſtem juratum* ſimul *oculatumque* converti poſſet. Quanta magnitudo & vis *Adfectus Jobæi*! Eam adſtupere eſt, non aſſequi.

Vſ. 20.

21 ויוכח לגבר עם־אלוה ובן־אדם לרעהו׃

21 Ut liquido arguat virum inter & Deum: & filium hominis atque ſodalem ejus.

22 כי־שנות

22 Nam

Verſ. 20. Anceps notio ꝫ מליץ, quod & *Deriſorem* ſonat, & *Interpretem*, aut *Oratorem*, ancipites tenet interpretes, aliis hoc, aliis illud ſequentibus. *Merc.* dedit in *vocativo*, *O Rhetores mei*, *Amici mei! ad Deum ſtillat oculus meus.* Quaſi diceret, *O vos qui in me Rhetoricamini*, *meamque innocentiam artificioſa veſtra Rhetorica inſectamini*, *non ad vos amplius*, *ſed ad Deum reſpicio* &c. &c. Eodem tendit *Vulg:* niſi quod adfirmatione utatur, *verboſi Amici mei.* Alii malunt, *Interpretes mei*, *Amici mei*; id eſt, *in deteriorem partem verba mea interpretantur.* Aliis, poſt *Chald:* riſit, *Paracleti*, ſive *Advocati mei*, *Amici mei.* Ἐιρωνικῶς. Mihi eorum placet judicium, qui *Vocationem* minus commodam cenſent: quo admiſſo *Ludificatores* omnino vertendum: eo magis, quod illuc tandem & illi redeant, qui *in pejus rapta verba*, vel & *ironiam* inducunt. *Origo* verbi lucis aliquid feret. Nempe לוץ لاص *Med. Vaw* & *Je* proprie valet, *inflexit*, *per flexus & ambages duxit*, *intorſit.* In *Camuſo* exponitur per חיד حاد *deflexit a via.* Inde חידה *Parœmia*, *oratio flexa*; cujus *Synonymum* מליצה *Prov.* 1: 6. *Hab.* 2: 6. Quid inter hæc duo diſcriminis ſit, alibi diſcutietur. Nunc tantum aſſumo הליץ eſſe *oratione flexa uti*, ſive in bonum, *Interpretis* aut *Oratoris* inſtar, ſive in malum, ut *cavillator* & *illuſor.* Reperio quoque לוץ لاص in *flexo*, *tortoque*, *ocello*, unde ad *ſubſannationem* proclivis tranſitus. Quid ſi מליץ & לץ a *torto* ſimul *ſermone*, ſimul *ocello*, nomen invenerit? ſic pulcher exiſteret luſus, addito, *Ad Deum ſtillat oculus meus*, quod *Amicorum ſubſannatorem experior ocellum.* Ulterius anquirendum. Illud liquidum ſatis, optimam vertendi rationem initam a *Doct. Belg.* quibuſcum ſentiunt *Cocc. Schmid.* &c. &c. Quod *Cocc.* tentabat, ex alia notione vocis ריע, *Interpretes mei* ſunt *cogitationes meæ*, ſcintillula eſt, quæ inter manus reſtinguitur, materia, hoc eſt, ſerie eam haud fovente. Haud indigemus quoque quod Cl. *Cler.* mallet, *Facientes ut irridear.* Rotundiſſima eſt oratio, *Ludificatores mei*, *Amici mei: ad Deum ſtillat oculus meus:* per quam ſuperiora apte concluduntur; & *Sanctiſſimi Teſtis*, *Judiciſque*, *deciſio imploratur*; qui *oppreſſo innocenti* ſuccurrens tandem, Calumnias ab intimis quoque Amicis ei impactas confutet. In *oculo ſtillante*, *guttatim exſtillante*, habes imaginem graviſſimam *animæ lento mœrore tabeſcentis: inque deſiderio hocce ſemet conſumentis.* Confer *Pſ.* 119: 28. Oppoſita quoque Phraſis *arrogantiæ*, & *ferociæ indomitæ*, ſæpius ei objectæ, quum ſe *ſanguinantibus* quaſi *Cordis lacrymis* hoc a Deo efflagitare oſtendit.

Verſ. 21. Impedita conſtructio multum peperit diſſenſum. Languet 1. quod Cl. *de Dieu* dedit, *Arguetque virum apud Deum*, *& filius hominis ſodalem ſuum.* Mitto alia incommoda. Paulo fortius eſt 2. quod *Belg.* habent, *utinam diſceptare quis poſſet pro viro cum Deo*, *ſicut filius hominis pro Amico ſuo.* Major 3. vis in illo *Merc. utinam diſceptare poſſet homo cum Deo*; *Ut filius hominis cum ſocio ſuo.* Sic ל Emphatice præmiſſum eſſet Caſui recto: quod amplexus ſum in *Juvenil.* Magis nunc arridet 4. nervoſius hocce *Cocceji*, *ut judicet Viro cum Deo*, *& filium hominis reſpectu proximi ſui.* Scilicet duplex judicium, duplicem deciſionem, petit *Jobus*, alteram, *in Cauſa ſua cum Deo*, alteram, *in cauſa ſua cum Amicis.* In vicinia verſatur 5. *Schmid. Et arguet quod viro eſt cum Deo*; *& filium hominis reſpectu ſocii ſui.* Nonnihil tamen divergit; *Ut* pro ו repudians; לגבר *Elliptice* ſumens: & בן אדם referens ad *Amicos*, רעה ad *Jobum*. Sed haud juſtum, ut בן אדם *filius hominis* non idem ſit qui גבר *Vir*, i. e. *Jobus ipſe*,

22 Nam anni perpauci venient: & viam non remeandam ambulabo.

22 כִּי־שְׁנוֹת מִסְפָּר יֶאֱתָיוּ וְאֹרַח לֹא־אָשׁוּב אֶהֱלֹךְ׃

in 3. *Perſ.* ſemet deſignans. Id cothurno ſolemne. *Soph. Ajac. Flag.* 447. Ἀνδρὸς τοῦδ᾽ ἀπώσαντες κράτη, *viri hujus* i. e. *meam virtutem repellentes.* Adde *vſ.* 78. & quæ ad *Cap.* 13: 28. adducta. Ad eam rationem prius membrum converto, *ut jus dicat viro cum Deo*, τῷδ᾽ ἀνδρὶ, i. e. *Mihi*, niſi quod grandius ſit, & minus invidioſum. Grandis quoque, & concinna, repetitio vocis אלוה, *Ad Deum exſtillat oculus meus*, *ut jus dicat viro cum Deo:* quod genus illuſtratum a Cl. *Cocc.* Tanta Noſtro fiducia Innocentiæ, ut non dubitet, quin *Deus*, *Vindex oppreſſorum*, *ſit abſoluturus innocentem*, *vel contra priores ſententias*, *pœnaſque ei injunctas:* & *quaſi Jus dicturus contra ſemet ipſum*, *ſi modo ad Cauſæ hujus cognitionem ſedere dignetur.* Eodem redibis, ſi vertas, *ut arguat id quod homini cum Deo eſt*; atque *liquido demonſtret*, *veritatem* & *virtutem ab hominis*, id eſt, *a mea parte ſtare.* Si jam ſubnexum fuiſſet ולבן אדם עם רעהו *Et* jus dicat *Filio hominis cum ſocio ſuo*, nemini ſcrupulus inceſſiſſet: at mutata ſtructura impedimento fuit, quam ſic digero, *Et filium hominis* arguat *ratione ſocii ſui*, ſive, *in Cauſa quæ ei cum ſociis intercedit.* Ἀπὸ κοινοῦ reſumtum יוכח infert cum *liquida demonſtratione veritatis*, *victoriam innocenti adjudicatam*, adverſos Criminatores. Ad *Schmidii* mentem *arguere* poſterius, eſſet *reprehendere*, contrarium prioris; quum ex noſtra, utrobique *Juſtificatio* conſignetur hominis, immerito damnati. הוכיח eſt κρίνει, ut *Arguere*, ab *Albo* item derivandum, quaſi *in albo claroque die locare.* Hoc ad *revictiones* & *redargutiones* valde pronum; ita tamen ut *evictionem demonſtrationemque juſtitiæ* etiam admittat. Sic ſupra 15: 13. & alibi. Cl. *Guſſ.* ſub יכח per *Filium hominis* intelligit θεάνθρωπον, ſponſorem, & patronum, fidelium; quod Myſterium ab interpretibus prætervisum miratur. Doctrinæ præclaræ fulgor viri oculos præſtrinxit.

Verſ. 22. Moram nullam fieri *Deciſionis* hujus *Cœleſtis* cupit, quod breviſſima ei vita reſtaret, nunquam recuperanda. *Arabiſmus* eſt protritus ſub verbo אתה أتى *Venerunt ei tot anni*, pro, *tot annos vivendo implevit.* Phraſis *Anni numeri*, pro *numerabiles*, *perpauci*, ita *minuit*, ut ſimul *contemnat.* *Pauciſſimi* autem hic pro *nullis* poſiti, quem alterum *Arabiſmum* ſupra indicavi. Cl. *Schmid.* hunc *idiotiſmum* non attendens, ad dilutum quid delapſus eſt, *Niſi iſtud feceris O Deus*, *obvenient mihi anni pauci*, & *brevi finietur vita mea.* Rectius *Cocc.* ſine conditione, *poſt paucos menſes*, *aut annum unum*, *alterumve*, *moriar.* Cave urgeas τὸ שנות *Anni*, quaſi *ampliora ſpatia* inferrent: nam ſtilo ſublimiore *Anni numerabiles* ſupereſſe dici poſſunt illi, qui neque *annum* quidem eſt ſupervicturus, quin nec *menſem.* Prudenter tamen generalis formula adhibita, qua *ſumma ævi brevitas* venuſte expreſſa. Hoc pacto duplex *Pathos*, miſerationis plenum, ſeſe exerere incipit. Primum, *Breviſſima mihi vita aſſignata*, *quam par non eſt Extraordinariis plagis infeſtari.* Aliquoties chordam hanc tactam audivimus ſupra. Alterum, *ut nunc confectus jaceo*, *brevi exſpirandum mihi erit ſub ſævis illis plagis: Idque haud detrecto: unum tantum calidis lacrymis orans*, *utinam* & *exorans! ut ne tanquam Infamis*, *ſceleratuſque*, *miſerum ſpiritum efflare cogar*; *ſed Innocentiam mihi meam in ſepulcrum deferre liceat.*

Ibid. Commotior ille Adfectus elucet ex addita formula, *viamque non rediturus ineam:* id eſt *viam omnis carnis irremeabilem*; *unde negant redire quemquam:* ut ex *Catul.* hic adſcripſit Cl. *Cler.* anſam inde arrepturus recuſæ toties, totieſque retuſæ, argutationis, *Hæc minime ſapere Reſurrectionis* & *melioris vitæ fidem*, *quam multi Jobo concedunt.* Infelix criſis; quis enim vel media in luce Euangelii non *viam mortis* dicat *irremeabilem*? *domumque* ſepulcri *æternam*? Tragicum *Schema*, quod hic captavit Noſter, aliud Judicium viro cothurni iſtius haud ignaro ſuggerere potuiſſet.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

Verſ. 1. רוחי חבלה ימי נזעכו קברים לי׃

2 אם־

Verſ. 1. Corruptus eſt Spiritus meus; dies mei ſunt extincti; ſepulcra mihi.

2 An

Verſ. 1. De univerſo Capite præmonendum, graviſſimis adfectibus illud interciſum & abruptum eſſe; ut inter Brevia fere, & ſcopuloſa, hic ſit eremigandum; quin Delius ſæpe natator ad ſenſum expiſcandum requiratur. Ubi exitus præcluſus, & cymbula noſtra adhæreſcet, indicabitur, ut remiſi, veliſque, publica incumbat induſtria, ad id quod hactenus impervium, exſuperandum. De argumento capitis in genere teneatur, *lugubrem Leſſum ſibi ipſi*, ut ſic dicam, *recitare* Noſtrum, *cum acerbiſſima comploratione ſuæ ſortis*; qua *ſibi vivo videntique funus ducere* cogebatur, *inter* Amicorum *ludibria*, & *contumelias* publicas, tanquam in Caput nocentiſſimum congeſtas; non ſine gravi ſcandalo piorum, quod vir olim pietate, & virtute, inſignis, ſub iris diriique Cœleſtibus peſſime pereat, atque e terra viventium, contra omnem ſpem, & expectationem, velut fulmine tactus, exſcindatur.

Ibid. Cohærentiam cum *Cap. Præc.* invenire non eſt difficile; quum enim dixiſſet ſibi, telis Dei confixo, quantocyus haud dubie emoriendum; iſta cogitatione, velut fluctu, abripitur in funeſtiſſimam quandam Næniam, qua *ſe* jam *in Cadaveris conditionem redactum eſſe* lamentatur. Graves huc aggeſtæ locutiones. Prima, חבלה רוחי *Corruptus eſt ſpiritus meus.* Is *Mercero* eſt *vitalis*; ut *vitæ vis* dicatur *exhauſta* & *conſumta.* Cl. *Cocc.* maluit *ſpiritum deſtructum*, eumque exponit *halitum æſtuoſum*, *putidum*, *brevem.* Eodem tendit *Vulg.* ſuſpicante *Erud. de Pined.* gravi *Aſthmate laboraſſe* Noſtrum quo *pulmones* & *pectus diſrumperentur* veluti. Excludit tamen *corruptionem ſpiritus graveolentis*; quam Cl. *Cler.* unice ſequitur, & quidem *tam magnum*, *ut eſſet mortis ſignum.* Ad præſentis ſigna mortis *Tigurini*, *jam quidem ago animam*: itemque *Piſcat. Anima mea abrumpitur.* Iſtam vim verbo noſtro ineſſe cenſet *Eſaj.* 10: 27. Cl. *Schmid. intelligit animam in operationibus vitalibus corruptam*; quod cum *Merc.* mente congruit. Ego jam olim ex *Arabum* ſcriniis produxi خبل, de *Corruptione*, ſive *conturbatione mentis*, *ſibi haud ſatis conſtantis.* Nec dum ad Fontes ipſos tunc admiſſus, omne illud lumen expromere non potui, quod fida *Arabiæ* memoria nobis conſervavit ſub themate خبل. Hoc in genere deſignat *corruptionem rei cum mutilatione*: in ſpecie *mutilationem corruptionemque corporis*, *truncatis manibus*, *pedibus*, *aliis membris.* Item *animi mutilationem* quaſi, *qua ſui ipſius uſu privatur*, atque *impos redditur*, ſive *ex mœrore*, ſive ex *inſania*, *maliſque Epilepticis.* Sic diſertim in *Camuſo* خبله الحزن واخبله جننه *Mœror Ipſum* חבל *in* 2. & אחבל 4. *dementavit*; *vel* افسد عقله *corrupit*, *conturbavitque*, *animum ejus.* Hinc dubium eſſe nequit, quin רוח non *halitum* notet, non *vitam*, ſed ipſum *ſpiritum*, ita *infractum*, *contuſum*, *confuſumque malis*, tum *externis*, tum *internis*, ut ſe *erigere* amplius nequiret, haud ſecus ac ſi *mutilus truncatuſque jaceret.* Hujus graviſſimæ ſignificationis anſam, & *Originem*, ſub *Radice* noſtra alibi eruere conabor; diſcordia notionum ejus per حبل & خبل ad concordiam revocata.

Ibid. Luctuoſo *Schemati* ſubſervit ſequens, *Extincti ſunt dies mei.* Verbum זעך nuſquam

quam alibi proſtans, a pleriſque ſic converſum ex adfini דעך, invitante tum familiari viciſſitudine inter ד & ז, tum opportunitate iſtius notionis. *Alii* tamen maluerunt *ſucciſi ſunt dies mei*, ſola conjectura ducti, monente & *Ab. Eſra*, ex ſerie tantum eliciendam eſſe poteſtatem. Et aliquid lucrari poſſet ex זעג زعج *e loco ſuo revulſit & exturbavit*. ד & ג commutabiles. Cl. *Crom.* ex *Arabia* adfert زعك *brevis & deſpectus fuit*, unde tentat, *Breves*, *deſpectique*, *ſunt dies mei*. Sane زعكوك in *Cam.* & *Gjeub.* exponitur القصير اللئيم *Brevis*, *ſordiduſque*: ſed inde haud ſatis explorata vis thematis زعك, quod nec in *Lexicographis* illis comparet. *Vulg.* dederat, *dies mei breviabuntur*: quod præferendum cenſet de *Pined.* in re incerta aliunde; atque ad *brevem anhelitum* applicat. Id exilius, & incommodius, quam ut gradum tueri queat; quamvis *breviatos dies* non plane ſpernam, pro *ſucciſis*, *medioque in curſu extinctis*. Tale quid voluiſſe Noſtrum, dubitari nequit: etſi decidi haud poſſit, quid זעך valuerit proprie. Quid ſi recurratur ad זעק σκήπτειν, ק in ך mutato? Inde נזעכו verti poſſet ſecundum *Originem*, *cum fragore increpiti*, vel *attonati* ſunt, per σκηπτὸν *tempeſtatem omnia attonantem*, & *ſubito fulmine ſternentem*. Apud *Arabes* נזעק انزعق crebrum in *terroribus mentem externantibus*, & *fulminis inſtar immiſſis*. Iidem ſub cognato צעק صعق frequentant صاعقة צועקה pro σκηπτῷ, ſive *Fulmine cum vehementi tonitru deorſum ruente*; quod dein latiſſimo uſu ſe fundit ad omne *malum divinitus immiſſum*, *cum terrore publico*. Hinc apud Cl. *Gol.* habes ſub hac voce *Mortem*, nempe θάνατον, *Tormentum*, *Supplicium* &c. Viciſſitudo literarum ק & ך probata in *Clavi Dial.* ut ferme de palma contendere poſſet ſenſus hicce, tanquam grandior adhuc, & vehementior, cum priore, *Extincti ſunt dies mei*. Accedit, זעג زعج, quod ſupra attigi, ejuſdem videri *Originis*, cum זעק زعق, *cum terrore increpuit*, & *concuſſit*. Rem tamen in medio relinquo; & quod tandem cumque conſtituatur, id exploratiſſimum habeo, formula hacce ſignari *graviſſimum Exſcidium*, *quo omnes ſpes opeſque vitæ funditus deletæ*. Cl. *Cocc.* dupliciter phraſin *Extincti dies mei*, explicat, vel quod *omnis jucunditas vitæ ademta*, vel *quod tantum non mortuus eſſet*, *vivumque jaceret Cadaver*. Utrumque amplector.

Ibid. Non minus *Tragicum* poſtremum, *Sepulcra mihi*. Multi reſolvunt, *Aliquod ſepulchrorum mihi paratum*. Concinnius a *Vulg.* expreſſum, *ſolum mihi ſupereſt ſepulcrum*. Poëſis nempe adfectat *pluralia*; idque in hac voce *Arabibus* ſolemne. In *Hamaſa*.

لقد لامني عند القبور علي البكاء
رفيقي لتذارف الدموع السوافك

Equidem vituperat me apud ſepulcra ob fletum,
Amicus meus, manantibus largiter lacrymis.

Licet tamen per *ſepulcra* etiam *ſepulchretum*, πολυάνδριον, intelligere, quod *Coccejo*, cum aliis, plenius viſum. Eodem collineat *Schmid.* reddens *ſepulcris aſſociandus ſum*, vel *mortuos ipſos* deſignari putans, vel *ſepulcra*, quibus *in ſuo ſepulcro ſit acceſſurus*. Fortius fore *Pathos* cenſet *de Pined.* ſi ut *votum* accipitur, *Sepulcra mihi ſint*; vel *opto mihi*. Rem dirimere haud in facili: quin ſuſpicio mentem pepulit, grandius quid captatum; *ſepulcra mihi ſunt*. i. e. *vivus videnſque pereo*, *morior*, *funuſque meum ducens*, *ſepelior*: *ſepulcra* quaſi mea *circumfero*; *in corpore*, *in anima*, *mortis horroribus undique circumfuſus*; & *nil niſi ſpirans cadaver*. Celſus cothurnus, *vivum ſub ruinis domus ſuæ ſepeliri*, in deſperatiſſimis malis, admittit. Inter formulas quoque veterum percrebuit, non tantum *occidi*, ſed etiam *ſepultus ſum*. In Sacris notum נדמיתי *Exſcindor*, *perii*, *Nullus ſum*! Item דמיתי ex mente *Cocceji*, *Jer.* 6: 2. *Hoſ.* 4: 5.

Pro-

2 אם־לא התלים עמדי ובהמרותם תלן עיני׃

3 שימה

2 Si non ludificationes mecum ſunt; & in obſtrigillatione earum pernoctat oculus meus?

3 Po-

Proverbiale quoque quid redolet *Pſ.* 94: 17. *Mox habitaſſet in ſilentio*, *in ſilentum*, ſive *mortuorum*, *conditione*, *anima mea*, שכנה דומה; ad quam formam *Pſ.* 115: 17. ירדי דומה *qui deſcendunt in ſilentium*, iidem cum ירדי בור *deſcendentibus in foveam*; quod transferri ſe patitur ad eos, *qui vivi videnteſque pereunt*; atque adeo, *ſepeliuntur.* Hoc *Schemate* inſignitum illud Oratoris *pro Dom. cap.* 52. *In viri fortis domo ita crudelis fuit*, *ut in vivi*, *& jam ſpirantis*, *caput*, *buſtum ſuis manibus imponeret.* Luculentum quoque hocce pro *Quint. Cap.* 15. *Cujus vero bona*, *fortunæ*, *victus ipſe*, *veſtituſque neceſſarius*, *ſub præcone*, *cum dedecore*, *ſubjectus eſt*, *is non modo ex numero vivorum exturbatur*; *ſed*, *ſi fieri poteſt*, *infra etiam mortuos amandatur.* Et mox *Ibid.* *Huic acerbiſſimum vivo videntique funus ducitur*; *ſi funus id habendum ſit*, *quo non amici conveniunt ad exequias cohoneſtandas*, *ſed bonorum emtores*, *ut carnifices*, *ad reliquias vitæ lacerandas*, *& diſtrahendas.* In Noſtro cum *Funere acerbo*, *Buſtoque fortunarum*, ac *famæ*, conjungas *vivi cadaveris ſepulturam*, quam *Lucret. L.* 6: 1265. deſcripſit, inducens *ſemianimo corpore languida*, *& pœdore*, *atque illuvie*, *horrida membra: quibus una pellis ſuper oſſibus*; *ulceribus tetris prope jam ſordique ſepulta.* Quadrat & illud Tragici in *Herc. Oet.* 1245. *O vires prius in me ſepultæ!* Corrigunt viri Magni. *Lipſ. ubi vires prius in me? Sepultæ.* At J. F. *Gron: ubi vires prius memet ſepultæ?* i. e. *ubi vires quas prius*, *quam morior ac ſepelior*, *mortuas & ſepultas ſentio?* Summo ingenio dignum lumen & acumen; unde *ſepulcra mihi!* ſi *figurate* ea hic poſita ſtatuamus, claro in die conſtituuntur.

Ibid. Non ex ſolido lucet *Bolducii Ironia*, quaſi eſſet, *Magnifica* enimvero *Mauſolæa*, & *ſepulcra* mihi *parata.* Autumat id dictum ratione *vilis* & *plebejæ ſepulturæ*, quam ſibi ſubeundam quereretur Noſter, ſplendide alias tumulandus, niſi fortunis excidiſſet. Id nimis delicatum, puto, ac faſtidioſum. *Figuratus* ſenſus utcunque *Ironiam* admitteret, quaſi diceret, *ſplendida* enimvero *monumenta mihi erecta!* *Buſtum Domui & fortunæ everſæ!* *Buſtum famæ laceratæ!* *Buſtum vitæ*, *mille mortibus confectæ*, *magnificentiſſime*, *ad memoriam poſteritatis*, *impoſitum!* Malim tamen citra *Ironiam*; quin ne *Figuram* quidem obtruſam velim; ſi ſimplex ſenſus a bonis arbitris præponderare judicetur.

Verſ. 2. Ex abrupto illatum turbat. *Erud. de Pined*: fidelem quidem, ſed minus fortem, *Vulgato* operam præſtat, vertens *Certe non illuſiones mecum*, quod ab eo rite converſum cenſet, *Non peccavi*: quaſi diceret Noſter, *Non illuſit mihi vana felicitas.* Malebat *Vavaſſ. ſi non Ludificationes mecum*, pro, *ſi nihil commune habeo cum improbis hominibus:* ſi *non peccavi.* Addit *ſi* eſſe *aſſeverantis.* Haud negem tale quid obverſatum *Latino Interp.* ſed nos *Jobi*, non illius mentem, quærimus. Ad eam haud dubie propius, quod *Codurco* placitum, *profecto ſanniones mecum.* In *Hebræo* eſt, *ſi non illuſiones mecum.* Hoc *Merc.* aliiſque eſt *jurantis*, ſubaudito, *Emoriar*, vel *peream.* Simplicius viſum *Schmidio*, *Annon ludificationes mecum?* ſub forti aſſeveratione. *Cocc.* rotundius putavit, *Niſi ludibria apud me* ſunt, *etiam in exacerbatione eorum pernoctet oculus meus.* Sic *juramentum calumniæ malo ſubnexo* ſanciretur. Elegans. Plenius tamen, ut poſterius membrum ſignet *malum*, *non venturum*, ſed *cum maxime premens*; & *ad incitas agens.* Iſti adfectui convenit ſolenne אם לא *ſi non*, in *dejerationibus* graviſſimis. Vide ad *Cap.* 1: 11. 2: 5. 30: 25. 31: 36. Adde *Eſaj.* 5: 9. *Jer.* 22: 6. 1 *Reg.* 20: 23. *Num.* 14: 35. Exaggerat Noſter acerbitatem ſortis ſuæ ex eo, quod *pro amicis ſolatiis*, *hoſtiles illuſiones*, & *traductiones*, *experiatur.* In *Amicos* nempe intorquetur, quorum *Ludibria*, & *calumniæ*, hoc verbo *Cap.* 13: 9. notatæ. *Abſtractum* pro *concreto*, etiam haud male quadrat, ut *Sannionum* nomine increpentur. De *Origine* Thematis התל haud liquet adhuc. Id conſtat, *amarulentam illuſio-*

nem

3 Pone pignus nunc, ſponde pro me Tecum; quis ille qui manui meæ pangendo inſigatur?

4 Nam

3 שימה נא ערבני עמך מי־הוא
לידי יתקע :

4 כי־

nem deſignari. Ea e diverſis fontibus dimanare potuit. *Defectum* indico, medelam etiamnum quærito.

Ibid. Grave quoque verbum המרות, quod in *Exemplar.* emendatiſſimis, monente *Merc.* præfert *Dagesh forte*, idque, ut ex *Kimchio* addit, *ornatus gratia.* Dici patior; nec tamen dubito quin major ſubſit ratio, de qua mox aliquid ſubnectam. Radix ponitur מרה, *rebellare*; quod quum minus congruum cenſeretur, ex adfini מרר repetitum eſt *Exacerbare*, atque communi fere calculo comprobatum. Unus *Cocc.* tentavit a מרה פה *Rebellare ori*, *non facere quod os exigit*, המרות עין *non facere quod oculus cupit, exigitve.* In *Lib. de Defect.* fines inter מרר & מרה fixi, oſtenſumque, מרה eſſe *obſtrigillavit*; quod in *acerrimis contentionibus*, & *pervicaciſſimis obluctationibus*, *contra clarum veritatem*, vel *obligationem*, frequentari amat. Inde *Rebellandi* ſecundaria poteſtas invaluit. Cum phraſi noſtra concinit *Eſaj.* 3: 8. *Lingua eorum*, *& facinora* למרות עיני כבודו *ad obſtrigillandum*, ad acerrima obſtrigillatione lædendum, & urendum, *oculos gloriæ ejus.* Videtur *Metaph.* deſumta a *flagello in os* & *oculos incuſſo*: quo nihil præfractius, contumelioſiusve. Adſpectus egregius, *Et in obſtrigillationibus eorum contumacibus, ac contumelioſis, pernoctat oculus meus.* Id valet, *os* & *oculos mihi verberant inſultantibus, urentibuſque, ſuis verbis*; ita ut *præ mœrore* & *confuſione tabeſcam*, atque *inſomnes noctes traducam.* Inſignis figura תלן *pernoctat oculus meus*; quam *Græci* in συνοικεῖν & συναυλίζειν adſciverunt; quum *malum* cum aliquo *cohabitare*, ac *pernoctare in contubernio* dicitur, quod ei *pertinaciter adhæreſcit.* Etiam, inverſis vicibus, Aliquis pervenuſte *contubernalis* vocatur *morbi*, *malique mœroris*: ut ξύναυλος θείᾳ μανίᾳ apud *Soph. Ajac.* 617. Ceterum *Dagesh* in המרות forte aſſumtum ex הַמֵּר *Infin. Hiph.* a נמר نمر, *protervus fuit*, de quo aliquid tetigi in *Obſerv. juven.* ad h. l. ex *Exod.* 23. 17. *Ne* תמר *ſis contumax* & *protervus in illum.* Ex gemina Radice conflatam formam reperies ſupra *Cap.* 4: 20. & 5: 8. Univerſum hoc genus curatiorem operam requirit.

Verſ. 3. Arduus locus. Eſſe *Apoſtrophen* ad Deum, non ad *Eliphazum*, arguit *vſ.* ſeq. Quid poſtuletur, haud ſane expeditum. Verba omnia manu ducunt ad *votum ſponſionis*, ac *fidejuſſionis*, quam *ſibi præſtari a Deo* cupiat Noſter, *ad cauſæ ſuæ bonitatem* ac *veritatem evincendum*, *citra periculum*, vel *oppreſſionem potentioris.* Id *Latinus Interp.* convertit in *votum vindiciarum* & *aſſertionis*, dans, *Libera me & pone me juxta te*; *& cujuſvis manus pugnet contra me.* Mirabilem diligentiam vocat Erud. *de Pined.* qua formula *Infigi manui* jam non ad *vadimonium*, aut *ſponſionem*, refertur, ſed ad *pugnam*, *qua manus conſeruntur.* Non dixerim, cum quibuſdam, ineptam eſſe Verſionem, nam ſi reddideris, *Et quis ille manui meæ infigat ſe*? propemodum tale quid exire poſſet: præſertim ſi formula *manus conſerendi*, apud *Hebræos* ſub תקע tam late patuiſſet atque apud *Latinos.* Sed id nec liquet; nec ſi liqueret, animoſiſſimum *Jobi* Pathos æquare poſſet, qui *Deum* ipſum hic *provocare* ſuſtinuit. Agnoſcunt id *Bolduc.* & *Vavaſſ.* accedentes *Mercero*, velle *ſibi fidejuſſorem dari* Noſtrum, *qui ſpondeat pro Deo*, *Deum judicatis ſtaturum.* Terruit multos audacia, ad leniuſque aliquid compulit. *Codurc.* traxit ad *Vſ.* 5. quaſi *pignore poſito contenderetur*, *Amicos blandos male cum poſteris perituros.* Alii volunt, *ſponſione quoſvis laceſſi*, ni *inſipientes ſint* Amici, *ſtultitiæque pœnas* Deo *datari*; quorſum *Vſ.* 4. inflectitur. *Cocc.* adhuc mollius, *provocationem* concipit *ſuper exitu judicii*, *quod Deus Amicos non ſit facturus ſu-*

4 כי־לבם צפנת משכל על־כן לא תרומם׃

4 Nam cor eorum involucro condidiſti, demta maturitate: propterea Nihilum prævalet iis.

5 לחלק

5 Qui

ſuperiores. Eodem redit quod *Cler.* adfert, *Orari Deum ut ſponſorem ſe præſtet, apud ſemet, innocentiæ & probitatis Jobi.* Hunc ipſum ſenſum exprimens *Schmidius*, ad *ſponſionem Meſſiæ, ejuſque ſatisfactionem* applicat, tanquam *tertiam rationem, qua* Noſter *diſceptationem cauſæ ſuæ Cap.* 16: 21. *petitam urgeat.* Longius arceſſitum. Omnino reliquæ *Jobi* animoſitati reſpondere videtur, quam initio propoſui, *Numinis ipſius provocatio*, qua petit *ut Deus ſecum in judicium deſcendat, ad Litem terminandam; atque pro ſe ipſo ſpondeat* quaſi, *ſe potentia & Majeſtate ſua non oppreſſurum eſſe innocentiam Jobi, ſed juſtiſſimæ cauſæ victoriam eſſe daturum, vel contra Semet ipſum.* Huc provehi ſe paſſum fuiſſe Noſtrum, quid ambigitur? quum *Elihu Cap.* 35: 2. diſerte ei exprobret, quod *ſe Deo Juſtiorem* contenderit; nempe, *in hac Cauſa ſua.* Idem vidimus *Cap.* 13: 18, 19. ubi eandem habemus *provocationem*; per מי הוא *Quis ille qui litiget mecum*? enunciatam. Reliqua ibi deducta, huc transferantur, & *Jobum* pro vehementia Adfectus ſui illuc relabi, eandemque ſcenam inſtantia acriore renovare, facile concedes. Circa verba obſervo, ſub שימה *pone*, commodiſſime ſubaudiri *pignus*; ſive ſequens ערבני vertatur *Fidejube pro me*; ſive *oppignera mihi.* Hæc eodem redeunt, quum *Fidejuſſio ſub pignore depoſito* intelligatur. Confer *Pſ.* 119: 122. *Eſaj.* 38: 14. Utinam *Formulæ judiciorum Hebrææ*, æque ad nos perveniſſent, quam *Romanæ, Græcæque.* עמך *Tecum*, vel *apud Te, pro Temet ipſo*; vel *Tecum ut congrediar.* Alterum *Quis ille manui meæ infigetur*? vel *infiget ſe, in manum meam panget ſe*? *non* capio cum *Merc.* & reliquis, *quis alius mihi pro te ſpondere poſſet* vel *auderet*? Id languore haud careret. Fortius quid ſpirat מי הוא *Cap.* 13: 19. Idem hic reſumtum *Quis eſt ille qui pignore poſito mecum contendere ſuſtineat, ni optimam cauſam habeam, innocenſque opprimar*? Eſtne *in terris non tantum*, ſed *vel maxime in cœlis*? *Age certet mecum vel ipſe Deus, ſeque judicato ſtaturum promittat, pignore* quaſi *mecum depoſito, uter e nobis victor ſit diſceſſurus.* Recurret audaciſſimum *Schema Cap.* 23. & animoſius adhuc inſtruetur. Magna eſt *vis* & *gratia* Phraſeos לידי יתקע *Huic Manui pangetur? Impingetur? cum eaque complodere audebit*? Geſtu adjutum, & *innocentiam puriſſimam*, & *fiduciam victoriæ certiſſimam*, oſtendit.

Verſ. 4. Non placet quod *Merc.* cenſeat *Amicos* hic *ſtupidiores* declarari, & *indigniores, quam ut in hanc concertationem recipiantur pro Deo fidejuſſuri.* Id noviſſima noſtra ſatis revincunt; quemadmodum & alias ſententias, quibus haud immorabor. Ex mente noſtra ratio redditur *audaciæ, qua Deum ipſum ſponſione laceſſiverat*; nempe, quod *alias nunquam* hæc *Lis decidi* poſſet, *Amicis in hac controverſia plane cæcutientibus*, & *omnia ſuſque deque miſcentibus.* Signatiſſimum verbum צפן, *Abſcondere.* Multi autumant poſitum, pro *Abſcondiſti ſapientiam a corde eorum.* Aliis videtur, *Removiſti cor a prudentia*, vel ut *Vulg. Longe feciſti.* Hoc amplexus Cl. *Guſſ.* concipiens *cor quaſi in obſcuro antro conditum ubi reperiri non poſſet ab intelligentia, benignoque ejus adſpectu illuſtrari.* Eodem tendit Cl. *Cocc. In tenebras condidiſti excluſos a luce, qua irradiante videant & intelligant.* Paululum tantum differt in ratione *metaphoræ*, quam deducit *ab Arca in quam reponitur.* Similiter *Schmid. obſcuraſti, in tenebris poſuiſti.* Item *Merc. obturaſti.* Concinit, quod *Juvenilia* dedere de *corde obſignato*; ex formula *Arabum* ختم على قلبهم *Deus ſigillum impreſſit cordi illorum*, quod in *Camuſo* exponitur, جعل لا يفهم شيا ولا يخرج منه شي *effecit ut nec percipere quicquam nec proferre poſſet.* Nunc venuſtius quid addere poſſum, ex *Origine* צפן, quod videtur fuiſſe, *ab-*

ſcon-

5 Qui in cenſu profitetur Amicos, etiam oculi filiorum ejus contabeſcent.

5 לחלק יגיד רעים ועיני בניו תכלינה׃

6 At

6 והציגני

ſcondidit in loculo, ſive *involucro craſſo & coriaceo*; ut eorum *cor craſſo* velut *corio circumtectum* innuatur. Adjuvat hanc figuram vox שכל *prudentiam* deſignans, nec non *felicitatem*. Utraque notio ducta a *maturitate*: quod alibi demonſtrabo. Sic alluſum eſſet ad *involucra coriacea & craſſiora dactylorum*, qui *maturitatem aſſequi* nequeunt, niſi vel natura, vel arte, tegmina illa diffindantur. Inde exiſteret, *Cor eorum* tanquam *craſſiore loculo condidiſti a maturitate*, i. e. *quo minus matureſcat*: quippe qui *maturi* quidem *annis*, *immatura* circa haſce res *judicia* promant.

Ibid. Plus negotii faceſſit תרוממ. Creditur eſſe 2. *fut. Pih. Ideo non exaltabis.* Suppletur a plurimis, *Eos*. Teretius cenſet *Schmid. cor eorum.* Nihil inſertum a *Cocc.* dante, *propterea non facies ſuperiores.* Genius Linguæ non æque favet in *Hebræo*, ac in *Latino*. Durior adhuc connexio *Merceri*, cum *Vſ.* ſeq. *Ideo non exaltabis* eum qui *nunciat ſociis ad blandimentum.* In omnibus hiſce, aliiſque aliorum conatibus, nihil eſt, quod ſatis plenum, rotundumque, præſter ſenſum. Tentabam propterea olim ex رام, *ideo non appetes eos*; ultimo *Mem* ad vim *adf.* reducto, cum *fut. Kal*, a רום *altus fuit*, item, *imminuit*; unde *appetiit* propagatum. Idem hinc naſcitur ſenſus; adſcitaque λιτόπῃ habes, *reſpues*, *ſpernes eos.* Sic rotundatum quidem, ſed non expletum, quod hic ſub לא captatum ſuſpicor. Supra aliquoties *vim* ejus *ſubſtantivam* vidimus, *Nihilum*, nempe, & τὸ μηδὲν. Inde nunc affero, *propterea Nihilum*, τὸ μηδὲν, *ſuperat eos*, *iis eſt altius.* Redi ad *Cap.* 4: 21. & 6: 22. ubi *Amicos* τὸ μηδὲν *factos* dixit Noſter. יָרוּם æque ac יְרוּם efferri poſſe; diſcas ex *Num.* 24: 7. Magni adfectus eſt, *Nihilo* ipſo *levius* quid, *inferiuſque* pronunciare. Dubitatio omnis diremta foret, ſi לא ירומם ſcriptum eſſet; nunc *fæmin. gen.* aliquid ſcrupuli relinquit; qui tamen per uſum *neutralem* ejuſdem *gen.* elevatur.

Verſ. 5. Gordius nodus. Eum nectit vox חלק, uſitatiſſime *portionem*, *prædamve*, ſignans: item *blanditiam*, ſive *glabritiem* ſermonis. Perplexiorem adhuc reddit eundem רעים, quod & *Amicos* notat, quaſi *compaſcuos*, & *cogitationes paſcentes* veluti, ac *vagantes*. Hinc *Vulg. Prædam pollicetur ſociis* &c. Id *de Pined.* capit ut *Mimeſin*, *Prædam*, ajunt iſti, *pollicetur ſociis*; *ideo miſer liberis orbatus eſt*, *abſumtaque familia omnis.* At *Vavaſſ.* commodius ſumit pro *querela inimicæ invaſionis*, *qua ſe prædæ expoſitum*, *& direptioni ſodalium*, innuat *Jobus*. Illuc & *Schmid.* tendit, dans, *in prædam annunciat ſocios*; nempe *quilibet meorum ſodalium*, tum *me*, tum alios *ſocios*, *prodit*, & *proſtituit* turpiter. *Cler.* longiuſcule extra oleas adjecit, *delationem apud tyrannos*, *pro parte prædæ*. 2. *Merc.* cum *præc. Vſ.* conferens, *Non attolles* qui *ad blandimentum nunciat ſociis*: &c. *qui adulatoria loquitur cum ſociis*, cenſet *Amicorum aſſentationes perſtringi*, partim *quod pro Deo nimis blanda* attuliſſent, ad innocentem condemnandum: partim *quod ipſi Jobo blanditi eſſent*, *quum ipſi fluxa & externa bona propoſuerant*, *ſi ad Deum rediret* &c. Hæc ſummas produnt anguſtias; quas auxit *Bolduc.* multa movens, miſcenſque; nec videtur minuiſſe *Cocc.* 3. vertens, *per blandimentum indicant cogitationes*; *& filiis ejus oculi conſumuntur.* Hoc eſt, *Amici Deo aſſentantur*, *me damnantes*, *& mea crimina augentes*, *mihique ſimilem aſſentationem commendant*: *atque interea eorummet oculi conſumuntur.* בנים eleganter refert ad חלק, ut *Filii blandimenti*, ſint *Aſſentatores*, & *blandiloqui.* Coactius יגיד *diſtributive*, vel *imperſonaliter*, pro יגידו poſitum autumat. Poſte-

6 והציגני למשל עמים ותפת לפנים אהיה׃

6 At me conſtituit Parabolam populis: & abominatio deſpuenda in faciem factus ſum.

7 ותכה

7 Ideo

ſterius etiam non leniter fluit. 4. Mollior & expeditior via, quam *Doct. Belg.* ingreſſi, *Gnomen* eſſe ſtatuentes, hic inſertam occupandæ objectioni Amicorum, qui rogare potuiſſent Noſtrum, velletne ergo *blandiora* ſibi quam *veriora* dicta adhiberi? quibus nunc reponatur, ſe *adulationem juxta improbare.* Quid inde adfulgeat pro nexu, mox dabo. Sed prævertendum, 5. quod *Tigurini* habent, *qui inter bona numerat Amicos, ejus filii non invenient quod expectabant.* Miram *interpretationem* vocat Cl. *Cocc. verbis tamen non omnino refragantibus*; *ſi modo ordo rerum pateretur.* Atqui patitur; & ferme dixerim poſcit: quum enim *Amicos* increpuiſſet ut *illuſores*, *immaturis judiciis & cenſuris adflictum vexantes*, *atque adeo pro ſolatio miſeri minus Nihilo factos*; opportune ſubnecti videtur illa *Gnome*, quam *Cap.* 6: 15. &c. vivis coloribus pinxit. Sic הגיד eſſet, vel *prædicare*, ac *celebrare*, ut ſæpe; vel *profiteri in cenſu*: ex formula veteri, qua dictum conjicio הגיד חלק *Indicavit Hæreditatem*, pro, *in cenſu profeſſus eſt.* Inde venuſtiſſime הגיד לחלק formari potuit, *cenſui annumerare*: ut &, *pro Hæreditate & portione eximia cenſere.* Hunc ſenſum commendat uſus τȣ̃ חלק in hanc fere partem incumbens, ut *Pſ.* 16: 5. *Pſ.* 17: 14. *Jer.* 10: 16. &c. &c. Eſt proprie *Lapillus*, ψῆφος, κλῆρος, *ſors*, *portio quam quis ſortitur.* Fateor tamen me non minus propenſum in id, quod num. 4. vidimus, ampliore adhuc conſpectu, & aſſumta tereti verſione Cl. *de Dieu*; *Adulatio indicabit amicos*; *at oculi deditorum ei conſumentur.* Concipio non tantum *occupatam objectionem*, ſed & *retortam.* Ut vos *veſtri putatis officii*, *non blanda*, ſed *acria* mihi *dicta admovere*; ita *nec ego blandiloquum* vobis *præbebo*; ſed *veſtris vos nominibus inſigniam*; *inſipientium* videlicet, & *Nihilo ipſo leviorum.* חלק pro *adulatione glabra & blanda*, *Prov.* 7: 21. & *Eſaj.* 30: 10. ל *nominativo* præfixum cum *gratia* & *Emphaſi.* בני חלק *filii glabræ adulationis*, inter gemmulas fulget. Conſtabit anceps hicce ſenſus, etiamſi *Belgicæ verſioni* ſubſcribatur; atque *Adulatori pœna in poſteros propaganda* denuncietur. En acceſſionis loco 6. conatum, omnem quercum concutientis: *Ad blanditiam qui cogitationes exunciat, illius & filiis oculi extabeſcent.* Et hæc *Gnome* duplicem præbet anſam; *alteram*, *qua Amici taxantur*, ut Deo in hac cauſa adulantes, juſtumque incognita cauſa damnantes: *alteram*, *qua* παῤῥησίαν *ſuam*, vel contra Deum ſuſceptam, *defendit*, quippe qui *acerrimus veritatis Tutor* & *Vindex*, ne quidem toleraturus ſit eum, qui pro cauſa Dei adulatoria meditetur, ac promat; ſuique juſtam defenſionem quodammodo prodat. Conf. *Cap.* 13: 7, 8, 9, 10. Poſt omnia hæc ampliare malim, quam pronunciare. Quod num. 1. propoſitum, concinnius forte reddi poſſet levicula mutatione, *qui in prædam annunciat ſocios*; *etiam oculi filiorum ejus contabeſcent.* In *Amicitiæ deſertores* tortum telum; qui *miſerorum calamitatibus inſultando*, eos velut *ſpolium*, aut *prædam publicam*, *præbent diripiendos*, *omnibuſque modis lacerandos.* Vox חלק *portionem prædæ* crebro conſignat: *Gen.* 14: 24. 1 *Sam.* 30: 24. &c. Thema חלק *partiri ut prædam*, tum in *Kal*, tum in *Pihel*, non minus frequens. Non opus ſic erit ſub רעים, cum *Jobo*, alios adhuc *ſocios*, quos prodiderint ejus *Amici*, aſſumere. Eſt Generalis ſententia, in qua numerus pluralis omnino requirebatur. Applicatio ad Amicos, vel ſi mavis, *Eliphazum*, ut *ſigniferum* eorum, promta. הגיד *indicare*, pro *publicare*, aliquid grande habet; a cothurno hujus Libri haud abhorrens. τὸ לחלק *in partitionem prædæ*, ſimul ſubinnuet *diviſas* illas

 par-

partes cenſurarum, quibus Amici aggreſſi fuerant veterem ſocium; *alios* quoque *in partem Prædæ advocantes* quaſi, *quum* ipſum publico ludibrio exponebant, malignisque dentibus laniandum tradebant.

Verſ. 6. Ambigitur ad *Deumne* pertineat, an ad *Amicos*, verbum הציג: quod enim *dolorem* ſubaudiat *Ab. Eſra*, quæſitius eſt, nec attendi meretur. Si poſterior expoſitio *Vſ.* præc. obtineat, cum *Cocc. Schmid. Cler.* poſt *R. Perizol.* referrem ad *Amicos*; & præcipue ad *Eliphazum*, invaſionis hoſtilis Anteſignanum. Ne aliæ quidem interpretationes iſtum nexum reſpuunt. Nec tamen negaverim æque commode ad *Deum* referri, quod *Merc. Piſc. Belg. Genev.* &c. &c. ſecuti; nam ſolet Noſter honoris cauſâ Dei nomen ſubticere, ubi aliquid dirius ſibi inflictum conqueritur. Sub הציג agnoſco cum *Cl. Cocc. proſtitutionem tanquam ſuper theatro*, aut *Cataſta facinoroſorum.* Hæc funeſtiſſima imago ſæpe a Noſtro advocata. למשל egregie etiam explicitum a *Cocc.* itemque *Pined.* de *exemplo omnis turpitudinis & infamiæ.* Ita משל uti *pro exemplo*, in malum ex *Num.* 21: 27. *Eſech.* 16: 44. recte adductum. Adde *Eſech.* 14: 7. ubi Deus dicit, ſe *poſiturum* לאות *in prodigium*, *& in* משלים *proverbia*, *eum in quem Exempla ediderit Pœnarum.* Quid hoc ſit, illuſtri documento eſt *Jer.* 29: 22. *Et ſumetur ab iis execratio* &c. &c. Ad eam rationem *Jobus* innuit, *formandum* a *ſe Proverbium*, *atque in populos mittendum*; tanquam *Hominis diriſſimo ſupplicio peremti*, *in Exemplum omnium ſeculorum.* Ex *Damnandi* notione *Tremel.* & *Bolduc.* dedere vitrea fracta. Eodem in pretio habendum תופת, pro *Domino* ac *Principe* venditatum a R. *Levi*, ex *Chaldaico* תפתיא apud *Daniel*: in hunc ſenſum. *Et Deus me poſuit in dicterium populorum*; *qui antea eram Dominus.* Ordine inverſo *Bolduc. Statuit me ad dominandum populis*; *& palam tympanizatus ero.* h. e. *Amici qui regio honore dignum me cenſuerunt ante*, *nunc me habent pro tympanizato*, & *infami.*

Ibid. Nempe plurimis תפת hic valet *Tympanum* vel *Tympanizatio*, a תֹּף. Varie tamen declaratur. *Merc. Piſc. Belg. Grot Cler.* ad *Ludibria* & *Maledicta* ſatis ſpecioſe retulerunt. *Bolduc.* ad graviorem illum *Tympaniſmum* traxit, quem ad *Hebr.* 11: 35. Docti interpretes illuſtrarunt. Cl. *Cocc.* in bonum convertit, *Et tympanorum celebratio olim eram*; ex ritu feſtivo 1 *Sam.* 18: 6. Præiverat *Nachman.* nec non *Perizol.* Officit nonnihil huic notioni, quod *Dagesh* forte inſerendum fuiſſet, quum תף *Tympanum* a תפף deſcendat. Ait quidem Cl. *Cocc. Non puto id eſſe ex defectivis*; *ſed Euphoniæ gratia dici*: תפים: at repugnat certiſſima *Origo*; & in *Lexico* aliud ſequens, recte commonuit, *a ſono factum vocem.* Eodem ſcrupulo premitur, quod tentabam olim, ex تف *Tuf*, vocula *abominantis*, quæ & ipſa ὀνοματοπεποιημένη, a *deſpuendo.* Alias ſat commodum f rei, ut video placuiſſe Cl. *Crom: Et Abominationi publice ſum expoſitus.* Quid ergo? in ſententiamne ibimus *Chald.* qui *Tophet* exponit *Gehennam*, figurate pro *tormentis*? vertit enim וגהנם לגיו אהי *Et Gehenna intus ſum.* מלפנים pro *intus*, *introrſum*, notum. Paulo aliter Cl. *Guſſ. uror crudeliter a multo tempore*; ex לפנים *ante.* Iterum aliter *Ab. Eſra*, *in Conſpectu hominum ſum ut Locus Topheth vivicomburio infamis.* Non congruere opinantur Docti Critici, *Merc. de Pined. Vavaſſ.* &c. quia ætate *Jobi Topheth*, ſive *Vallis Hinnom*, necdum nobilitata. Cl. *Schmid* elabendi rimam quærit in *appellativa vi* vocis, qua deſignetur *omnis locus immundus* aut *ingratus.* Vellem vir Doctus iſtam nobis *vim* adſtruxiſſet, mihi juxta cum reliquis interpretibus plane incompertam: nam *Ab. Eſra* cui ſe ſubſcribere ait, ad *Topheth Molochi* reſpexit. Nimis ſecure quoque addit, per *Locum immundum* denotari *Hypocritam*, *qui licet extus ſpeciem habeat*, *intus tamen ſordibus plenus eſt.* An ergo *ſepulcrum dealbatum*, & *Locus immundus* alternant? Non deberent talia Viris Doctiſſ. excidere. Nihil interim apparet

7 ותכה מכעש עיני ויצרי כצל כלם :

7 Ideo hebetatur præ ægrimonia oculus meus; & membra mea, ut umbra, omnia ſunt.

8 ישמו

8 Si-

paret, in quo pes figi queat. Cl. *Cler.* ſuſpicionem movet mendi, in מוֹפֵת *prodigium* reſtituendi. Hoc *Vulgat.* reſpexiſſe videtur dans *Exemplum.* Hinc *Erud. de Pined.* תפת idem valuiſſe cum מופת colligit, & contendit. Idem viſum fuerat *Doct. Forſtero*, ſub יפה utrumque derivatum locanti. In *Radice* fallitur; quæ eſt יפת, apud *Arabes* وفت *vertit*, ut in *Clav. Dial.* indicatum. Inde per *Thau*, æque ac per *Mem*, propagari potuit תוֹפֵת; ut תוצא & מוצא a יצא. Sed dubito, תֹּפֶת *penacuta forma* hinc ſat Ἀναλογῶς derivari: ſi poſſet, lubens in eo acquieſcerem; nam & *Eſech.* 14: 7. ſupra jam habuimus אות *ſignum*, *prodigium*, & מֹשל *Exemplum*, ſimillimo adſpectu. Par uſus ꝰ מופת *Pſ.* 71: 7. & *Eſaj.* 8: 18. Apud *Arabes* افت אֶפֶת, pro quo & אֲפֵת *forma ſegolata* efferre licet, eſt *omne portentum*, & præſertim *portentoſa calamitas*, & *homo cui ea incumbit*, داهية *Malum Monſtrum quod omnes abominantur.* Inde תאפת & תוֹפֵת, præmiſſa *Heëmantica* non multum abludit. Ampliandum tamen & hic cenſeam: fieri enim poteſt, ut Radix olim viguerit תָּפַת, unde תֹּפֶת deſcendat, pro *Abominatione* quæ *ſputatur*, ſive *deſpuitur.* Hoc mirifice quadrat ad לפנים, in quo ſudatur; aliis *ante*, aliis *coram*, aliis *olim*, aut aliud quid, exprimentibus. *In faciem factus* תפת *abominatio conſpuenda* vel *deſpuenda*, ſemet explicat. Ex hoc fonte dimanare etiam potuit *Topheth*, in *Molochi abominando cultu.* A *tympanis* ductum, facilius aſſeritur, quam probatur. Cl. *Nold.* in notulis ad *Concord. part.* litem quoque movit *Etymo* a tympanis, recurrens ad *Perſicum* تفتن *Teſten*, ſive تافتن *Taſten*, *Comburere.* Sed *Lingua Perſica*, pura illa, & vetuſta, antequam *tota* velut *Arabia*, cum imperio *Saracenorum*, in eam immigravit, tam parum commune habuit cum *Hebræa*, quam *Belgica* cum *Latina.* Noſtram conjecturam nonnihil adjutat forma תָּפְתֶּה *Tophtee*, pro *Tophet*, apud *Eſajam*, quæ arguit *Radicem* תפת, cui reſtituendæ nova cura deſtinatur.

Verſ. 7. Nihil viro probo intolerabilius, quam pro facinoroſo deſpui atque infamari. Hoc vulnera *Jobi* immane quantum irritavit. Eo nunc pertinet *Caligans oculus* & *præ mœrore hebens*, ut ad proprietatem Thematis כהה rite expreſſit *Cocc.* Videtur deſumtum a *moribundis*, vel *animi deliquium* patientibus, quibus *viſus frangitur.* Confer *Pſ* 6: 8. & 31: 10. Adde כהות *Hebeſcere*, in *oculis ſenio feſſis*, 1 *Sam.* 3: 2. & פשתה כהה *Ellychnium hebeſcens*, cujus *vigor elangueſcit*, & *exſpirat.* Item רוח כהה *ſpiritum hebetatum*, cujus *vigor fractus*, & *exſpirans* quaſi. Sat grandis ergo ſenſus. Grandius tamen, & aptius forte ad ſequens colon, quod עין *oculus*, pro *externa ſpecie corporis*, & *adſpectu ejus*, ex uſu tritiſſimo *Arabum*, miniſtrat. Crebrum ſic apud *Græcos* ὄμμα, præſertim in *Tragœdiis*, ut *Æſch.* 7. *ad Theb.* 365. πικρὸν δ' ὄμμα θαλαμηπόλων, *Acerbus autem adſpectus famularum.* Hinc celſo ſane cothurno exiret, *Hebeſcit*, *obſcuratur adſpectus meus*: *factus ſum* ὄμμα τυφλὸν, *evanidum* quoddam *ſpectrum.* *Umbra*

8 Sideraci ſtent recti ob hoc ipſum: & innocens adverſus Hypocritam zelo corripiatur.	8 ישמו ישרים על־זאת ונקי על־חנף יתערר׃
9 Et	9 ויאחז

bra pallida, *lurida*, *exſanguis* potius, quam *homo vivus*. εἴδωλον καμόντος, ut pater *Homer.* ait. Illuſtrabitur *Schema* ex *Apoll. Rhod. L.* 4: 1280.

> Οἷον δ' ἀψύχοισιν ἐοικότες εἰδώλοισιν
> Ἀνέρες εἰλίσσονται ἀνὰ πτόλιν, ἢ πολέμοιο
> Ἠὲ λοιμοῖο τέλος ποτιδέγμενοι ——
>
> *Qualiter autem inanimis larvis ſimiles*
> *Viri oberrant per urbem, vel belli*
> *Vel peſtis exitum exſpectantes* ——

Alii alia conferent aliunde, quo commendatius fiat, quod B. *Luthero* etiam placuiſſe video, ad *obſcuratam totius corporis ſpeciem* hæc applicanti.

Ibid. Conſonat, quod ex plurimorum mente recepi, *Et membra mea, ut umbra, ſunt omnia.* Alii maluere, *cogitata mea*, quod ferri non poſſe autumem, quamvis a *Codurco* defendatur. Commodius *Merc. creata* ſeu *formata mea*, i. e. *omnia membra cum animæ facultatibus*. Non probo tamen quod comparationem ſic explicet, ut *tanquam umbra* dicantur *abire & conſumi*, quorſum & *Druſ.* tendit: niſi forte intellexerint ſimul *ſummam corpuſculi & facultatum ejus attenuationem*, quæ *umbram* tantum *hominis* reliquerat. Id *de Pined. Schmid. Cler.* recte admonuerunt. Cl. *Cocc.* hoc ipſum ſubtilius expreſſit, *Lineamenta mea ut umbræ* ſunt *omnia*. Innuit *obſcuram & evanidam hominis ſpeciem* magis, quam *hominem*. Neſcio cur improbet *Schmid.* quum mox conſentiat, tantam *membrorum tenuitatem* agnoſcens, ut cum *tenui umbra* comparari queant. De *Lineamentis* dubium moveri potuiſſet: nec tamen video cur diſpliceat, quum יצורים omnino videatur ſignare *formas*, *figuraſque corporis*, *per omnia ſua membra*. Ita apud *Perſ. Sat. 6. Mihi trama figuræ ſit reliqua*: de tenui & macilento corpuſculo. Apud *Terent.* nota eſt *nova figura oris*. Apud *Cicer. figura hominis* & 2. *Verr. figura & lineamenta mulieris ipſum delectabant*. In ſimilitudine *umbræ* Cl. *Cler.* notat *Hyperbolen*, *Orientalium figurata dictione non indignam*, *quippe quæ ubique ferme modum nonnihil, & ſæpe multum, excedat.* Melius a criſi iſta, in ſacros ſcriptores ſaltem, temperaſſet Vir Doctus; niſi & *Livius* immodicus *L.* 21: 40. *Effigies, imo umbræ hominum; fame, frigore, illuvie, ſqualore enecti, contuſi, debilitati inter ſaxa, rupeſque.* Similiter Οἰδίπου σκιὰν *Oedipi umbram venerandam* vocat *Æſchyl.* 7. *ad Theb.* 984. ipſum *Oedipoda*, quod monente *Schol.* τυφλωθεὶς, εἴδωλον εἶναι ἐδόκει, καὶ οὐ τέλειος ἄνθρωπος. Item quod ἀσθενὴς, ἐδόκει νῦν οὐδὲν ὑπάρχειν. Vide & alterum *Scholiaſten*. Diſſentit nonnihil *Stanl.* ſed res eodem redit, quum & *umbræ mortuorum*, a *ſpecie obſcura*, & *evanida*, appellitatæ ſint. Utrumque complexus *Eurip. Androm.* 745.

> Σκιᾶς γὰρ ἀντίστοιχος ὢν, φωνὴν ἔχεις,
> Ἀδύνατος οὐδὲν ἄλλο, πλὴν λέγειν μόνον.
>
> *Umbræ namque ſimillimus, vocem habes*
> *Nihil aliud valens, præter Loqui ſolum.*

Item *Æſch. Eumen.* 302.

> Ἀναίματον βόσκημα, δαιμόνων σκιά
>
> *Exſangue animal, umbra Manium*

Apud *Arabes* ظل צל pro *ſpectro*, & *vana ſpecie*, tum *vivi*, tum *mortui*, pari modo contritum. Defungar ſpecimine *Haririano* ex *Conſ.* 32.

> ابن سبيل زاده في
> زبيل وظله غير ثقيل
> ما يبغي سوي مقيل

Ego viator, cui omne viaticum Cophinus; ejus umbra haud gravis erit; nil petit niſi manſiunculam. Intelligit per *umbram*, *figuræ ſuæ tramam tenuiſſimam*, *quæ cicadulæ inſtar vento & rore paſcatur*; *mortui ſpectrum verius*, *quam vivum hominem*.

Verſ. 8

9 ויאחז צדיק דרכו וטהר־ידים יסיף אמץ׃

9 Et retentet juſtus viam ſuam; puruſque manuum addat fortitudinem.

10 ואלם

10 At-

Verſ. 8. Series non uno modo texitur. Quod *Piſc.* dat, de *bona ſpe*, *qua Jobus ſemet ſoletur*, *alioſque ſua exemplo confirmatos velit in ſtudio pietatis*, inverti potius debuiſſet in *hortamentum*, *quo*, *religioſo zelo correptus* Noſter, appoſitiſſime hic *interſerit*, *ne ſcandalum capiant Boni ex diriſſimo & deſperatiſſimo ſuo caſu*, *atque pietatem deſerant: ſed contra potius acerrime eandem tueantur.* Cl. *Cocc.* exiſtimabat *Jobum* hic *provocare ad auctoritatem omnium piorum*, *qui Ludificationes Amicorum animadvertentes*, *non poſſint facere*, *quin obſtupeſcant*, *tantam viris ſapientibus ineſſe perverſitatem.* Multis deinde hanc expoſitionem conatur conciliare cum *Hypotheſi*, qua ſtatuit *Amicos Jobum non pro Hypocrita, aut ſcelerato, damnaſſe*, *ſed pietatem ei ſuam ſartam tectam reliquiſſe.* Non feliciſſime hanc *Hypotheſin* magno Interpreti proceſſiſſe, ſæpius viſum; idemque ex hoc ipſo loco eluceſcit, ubi hæc graviſſima vel *Exclamatio*, vel *Parænesis*, oſtendit *pietatem*, ac *virtutem*, tum ex *Fatali caſu innocentis*, tum ex *iniquiſſimis calumniis*, *eidem adfrictis*, *periclitari.* Hoc omnes Interpretes, plus minuſve, agnoverunt; quamvis, meo judicio, non ſatis valide mentem *Jobi* expreſſerint, qui validiſſime eam exprimere voluerunt. Cernas ex illo *Merc. Quod innocens adfligat atrociter*, *& ſimul rideat*, *in ſtuporem adiget rectos*; *nec tamen propterea innocens deſiderio ducetur ſequendi Hypocritam*; *ſed in ſua innocentia perget*, *ſeſe adverſus Hypocritarum ſectam obfirmans*, *& armans ſpe ac fide in Dominum*, *etiamſi & ipſe adfligatur.* Non abſimilia habet *Schmid.* niſi quod hoc ipſum remolliat, quaſi *Jobus* oſtenderet, *ſe certum eſſe omnes pios indignaturos ob iniqua judicia Amicorum adverſus miſerum innocentem*; *ſuamque cauſam*, *quæ in Jobi Cauſa periclitabatur*, *defenſuros contra Hypocritas*, i. e. *ſocios ſuos*, *Hypocriticam doctrinam ſequentes & ferentes*, *quippe qui pietatem temporali felicitate metirentur.* Sed *a.* ſi *Jobus* de eo *certus* fuiſſet, non adeo *concuti* & *conturbari* potuiſſet. *b.* Non *multum* tunc *periculi* imminuiſſet *Religioni* & *pietati.* *c.* Non video quo jure על זאת *propter hoc*, reſtringatur ad ſiniſtra Amicorum judicia. *d.* חנף totam *nationem Hypocritarum* hic amplecti debet; ut נקי deſignat *pios.* Oblique ergo ſtringi *Amicos* conceſſerim, directe peti, & quidem ſolos, nequaquam. *e.* ישמו *ſiderentur*, *ſtent attoniti*, aut, *velut fulmine adflati*, gravius eſt, quam ut ad *perverſas opiniones Amicorum*, *indignationemque inde conceptam*, adſtringatur. Omnino *atrociſſimum Jobi ipſius fatum*, hujus *attoniti ſtuporis materiam* efficit, quod vir *innocentiſſimus* execrationi *publicæ* exponeretur a Deo, hominibuſque: atque ut *abominandum* & *deſpuendum nomen* in *exemplum*, *proverbiumque* ſimul, omnis populi, omniſque ævi, abiret. Amant magni magnorum virorum adfectus ſe in ventura quoque ſecula mittere; & totius generis humani rationem ducere. Jam vero videbat *Jobus*, non in præſens tantum, ſed & in futurum tempus, ingens ſcandalum ex *calamitate* illa *inaudita*, *qua peſſime* cum univerſa domo *perierat*, redundaturum; & *Hypocriſin* de *pietate* quaſi *triumphaturam:* rationibus quæ facile hic cuivis occurrent. Hoc malum ergo occupare & avertere voluiſſe Noſtrum, pro ſincero & ardenti in Religionem animo, arbitrarer: *pulcherrima* inſerta *Parænesi*, qua *Genus piorum* jubetur *obſtupeſcere* quidem ad *Caſum incredibilem*; ſed tamen *non cedere Hypocriſi*, *in pietatem inſultaturæ:* neque *tentationi ſuccumbere:* quin contra *ſancto* ſemet *Zelo ſuccingere*, & *animare*, ad *cauſam probitatis & virtutis*, adverſus *improbitatem*, ſtrenue *defendendum.* In *Pſalmis* ſimilia adhortamenta, & calcaria, paſſim occurrunt. Verbum התערר hac in ſede peropportunum, quippe quod opponatur *dejectioni animi*, ſignetque *excitationem ſui ipſius adſtrenuitatem*, & *vigorem:* ut *Eſaj.* 51: 17. & 64. 6. Subeſt quoque *Zelus vigilantiſſimus:* ut tactum *Cap.* 6: 8. itemque in *Juvenil.* quamvis genuinum tunc ſenſum necdum attigiſſem. Præſertim *Zelus* ad *veritatem*,

10 Atque enimvero omnes illi, revertimini, & veniatis, age: & non reperiam in vobis ſapientem.

11 Dies mei præterierunt; deſtinationes meæ revulſæ ſunt, hæreditariæ poſſeſſiones cordis mei.

12 No-

ואלם כלם תשובו ובאו נא ולא־ 10
אמצא בכם חכם׃

ימי עברו זמתי נתקו מורשי 11
לבבי׃

לילה 12

tem, & *juſtitiam*, vel *tuendam*, vel *vindicandam*, unde in *Pſalmis* crebrum, עורה אלי *Evigila*, *excitator*, *ad me defendendum*.

Verſ. 9. Continuatur magnifica, & *Jobo* digniſſima, *cohortatio: Retineatque juſtus* &c. &c. i. e. non patiatur *Religionem*, *fidemque* ſuam, *labefactari*, ſed *tanto fortius pro ea ſtet pugnetque*, *quanto vehementius* ea ab Hypocritis *impetetur*, & *quanto majus* ei *periculum impendet a pravo* illo *ſyſtemate*, quod *ruinis* nunc *meis ſuperſtruitur*, & deinceps quoque *ſuperſtruetur*. Quid aculei *Amicos* feriat in hiſce, nemo non perſentiſcit. De verbis אחז & אמין redeatur ad *Cap.* 2: 3. & 4: 4. ubi eorum *uſum militarem* enotavi.

Verſ. 10. Caſtigari *Amicos* ob *inſipientiam*, atque ad ſaniorem mentem revocari, cenſent *Merc. de Pin. Cler.* &c. Alii ut *provocationem* acceperunt, *Agite*, *redite*, *inſtate*, *inſtaurate veſtros congreſſus*, *conflictuſque mecum*; quod a *Merc.* adductum, ſed ſepoſitum. *Schmid.* vult eſſe *initium refutationis Eliphazi* & *ſociorum*, *circa temporalem felicitatem proborum*, quaſi *juberentur attentius auſcultare*, &c. Hoc a primo non differt niſi quod pro, *nam non invenio in vobis ſapientem*, ſubnectat, *& non inveniam*, i. e *demonſtrabo nullum eſſe inter vos*. Utrumque incommodum. Elegans quid dedit *Cocc. Si iterum*, *tertioque*, *vos luſtrem*, *quotquot eſtis*, *ut milites luſtrari ſolent*, *non inveniam inter vos ſapientem*. Monet, plures haud dubie adfuiſſe *Amicorum* comites, ſimulque adſtipulatores: qui omnes ſimul compellentur. Ex *Deod.* addit *interrogative* poſitum, *Et non reperiam in vobis ſapientem*? ut ſit *revocantis ad novam demonſtrationem audiendam*, *cum ſpe perceptionis*. Aſſeveratio fortior, & ſtomachoſior. תשבו באו *Redite*, *venite*, mihi redolet priſcam formulam, ad deſignanda *conſilia* & *molimina magno ſtudio conflata*: vel etiam *tumultuationem* quandam & *indignationem vehementiorem* adverſus aliquem *commotam*. Sic *Eſaj.* 21: 12. *ſi bullitis*, *bullite*, *redite*, *venite*: i. e. *Tumete*, *æſtuate*, *indignemini*, *tumultuemini*, *quantum vultis* &c. Sic ſenſus foret, *indignemini*, quantum poteſt, *& capita inter vos* adverſus me *conſerte*; omnia *moventes*, nihil *promovebitis*; ſed *inſcitiam veſtram* magis magiſque *prodetis*.

Verſ. 11. Recurri ad conſuetas lamentationes palam eſt. Addit *Merc.* hæc ſimul *in ſocios directa*, quod *ampliſſima bona polliciti eſſent Homini jam jam morituro*; *eumque vana ſpe lactaſſent*. Similiter *Piſc. Belg. Cocc.* itemque *Schmid.* cui tamen *Querela non* videtur *ſatis congrua*. Simpliciter mavult *refutari vanam* Amicorum *conſolationem*. Non mirum ſi a tali principio parum feliciter ejus interpretatio proceſſerit. Scilicet primum, *Dies mei præterierunt*, nil aliud Ei ſonat, *quam juxta ordinem naturæ conſenui*; *gravante* inſuper *tanta adflictione*. Alterum, *cogitationes meæ abruptæ ſunt*, eidem valet, *cogitationes quas vos mihi perſuadere conamini de melioribus fortunis*, *ſi reſipiſcam*, *omni carent fundamento*. Tertium quoque, *poſſeſſiones cordis mei*, ad eandem *perſuaſionem* detorquetur, ab Amicis inſinuatam. Adjungit Vir Doctiſſ. aliquid hic vidiſſe R. *Salom.* qui *cogitationes & poſſeſſiones cordis avulſas* exponit *abruptam felicitatem*, *quam ſuum Jobo cor dixerat ſe poſſeſſurum juxta viam ſuam*. Hoc non eſt *aliquid videre*, ſed rem ipſam medullamque ejus dare; quam Cl. *Schmid.* prætervidit. Quid? an *vanas* ſociorum *pollicitationes* appellaret Noſter *Cordis ſui poſſeſſiones* & *hæreditates*? Quanto rectius *Cocc.* eas declarat *de cogitationibus*, *quas cor penitus occupaverat quaſi*, *cum firmiſſima perſuaſione*, *omni depoſita dubitatione*: nempe *ſe nunquam tanta calamitate fore adfligendum*. Ea ſibi

12 לילה ליום ישימו אור קרוב מפני־חשך׃

12 Noctem in diem poſuerunt; lux propinqua a facie horridæ caliginis.

13 אם־

13 Sa-

ſibi parum probari ait *Schmid.* & tamen *Cocc.* idem plane dicit quod R. *Salom.* Hanc eſſe genuinam interpretationem mox patebit. De *cogitationibus in genere* ſumſiſſe videtur *Merc.* quæ *vi morbi adeo fuerint turbatæ*, *ut ſolidam cogitationem nullam ſecum inire aut inſtituere* amplius *valeret.* Hoc ei adhæſiſſe putem ex *Latino Interp.* qui dedit, *diſſipatæ ſunt meæ cogitationes*; ſed non reſpondet ſatis ad id quod docte præmiſerat, *poſſeſſiones cordis* dici *cogitationes quæ animo inſederant velut hæreditariæ.* Non valde etiam ſe commendat, quod Cl. *Cler.* intelligat *juveniles cogitationes*, *quas maturior ætas*, *& experientia major*, *animo ejecerant.* Utinam cunctis mortalibus ita *veteres* cordis *poſſeſſiones* revellerentur! *Erud. de Pined. Cogitationes diſſipatas* refert *ad ſpem vitæ*, *quæ alte cordi inſidere ſolet*, *convulſam penitus*, *& diſjectam.* Eodem collineant *Doct. Belg.* niſi quod ſpecialius intendant *ſpem emergendi ex hac calamitate*, *qua ſe Jobus antea ſolatus fuerit*; *quaſque* propterea vocet *Cordis ſui gratas poſſeſſiones.* Utrumque tum *generale* illud, tum hoc *ſpeciale*, magnum habet pondus; & cenſeri poſſet mentem *Jobi* explere. Haud veriſimile tamen, eum *ſpem* iſtam tam *magnifica appellatione* deſignare voluiſſe. Omnino *poſſeſſiones Hæreditariæ Cordis* aliquid excellentius præferunt; *Gratiam* nempe & *Benedictionem Dei*, cum *beneficiis* inde *redundantibus*: ſive *jucundum ſenſum favoris*, & *amoris* Dei, in *vita placide*, quantum mortalitas patitur, *decurrente*, & *honeſte finienda.* Hoc ipſum voluiſſe *Belgas*, voluiſſe *de Pined.* vel ſaltem ſubaudiſſe, facile crediderim, voluit utique *Cocc.* quum *Bona Dei* ait eſſe *Hæreditatem*, quam ſibi *Ejus verbo auctore* promiſerat Noſter: voluit quoque R. *Salom.* quum *felicitatem viæ juſti* adducebat. Confer *Deut.* 33: 4. &c.

Ibid. Amariſſima *Querela* ſponte jam ſemet evolvet. *Præterierunt dies mei.* Actum eſt de me, meiſque fortunis; quicquid felicitatis poſſedi, quicquid ſperabam, id omne triſti occaſu extinctum. Nobiſcum ſentit *Cocc.* agnoſcens hic *infirmitatem*, & *triſtitiam uſque ad mortem.* Nimis tenuiter *Merc. dies mei prætereunt:* nec non *Cler. jam vita mea brevi evaneſcet.* Ego omnia illa complector, quæ ad *vſ.* 1. vidimus. Sequens, *Cogitationes meæ abruptæ*, vel, *revulſæ ſunt*, ita declaro; *Quicquid* unquam *cogitavi*, *ſperavi*, *firmiſſima perſuaſione mihi promiſi*, *de Dei gratia* ac *benedictione*, me, *meoſque*, *proſecutura*; id omne *convulſum*, & *violenter abruptum*; atque ita *diſſipatum*, *disjectumque*, ut *ne minima* quidem *ſpei anſula* ſit *relicta.* Magna eſt vis vocis זמה, quæ ſignat *cogitationem fixam*, *quam quis cum animo ſuo deſtinavit*; *& unde avelli nequit.* Hac occaſione *in malum* percrebuit, atque ad *ſcelus quod animo deſtinatum*, *fixumque*, *ſedet*, transfertur. Hic in *bonum* applicatur, pro *cogitationibus altius radicatis*, & *infixis*, *quæ totam mentem occupaverant*; *quaſque ea* viciſſim *occupabat*; atque pro *gratiſſima* ſua *poſſeſſione* habebat. *Aben Eſra* monuit זמם apud *Arabes* eſſe *colligavit*; unde heic loci affert קשר מחשבות *nexum* & *colligatam ſeriem cogitationum.* Laudavit *Cocc.* atque verbum נתק *rumpi* reſpondere annotavit. Hoc *ſubtilius* cenſet *Schmid.* ipſe ſane ad *minus ſubtile* converſus. Si *Origo* & זמם, quam *Cl. Cocc.* in *Lexico* ex *Chald.* זממא *capiſtrum*, quod زمام *Arabibus*, jam illuſtrare cœpit, non fugiſſet Virum Doctum, iſti *ſubtilitati* locum non denegaſſet, quum *natura* & *proprietas* utriuſque verbi illuc feratur. Ceterum *refutari* his verbis *amicorum pollicitationes*, *pœnitenti factas*, non valde perſuaſus ſum: qui enim eas *ne in principio* quidem *refellere dignatus* fuit, nondum ad majorem vehementiam progreſſo *Eliphazo*; nunc adhuc multo minus iiſdem *refutandis* ſe dedit. Fraudi fuit *vſ.* præc. non rite captus. Ne *refutatione* quidem *digni* ibi pronunciantur: atque inde reſumitur *Comploratio funeſtiſſima*, quæ

vſ.

vſ. 1. erat *continuata:* eademque *finitur* quam *luctuoſiſſime*, dum *ſe*, *demum*, *ſpes*, *opeſque ſuas omnes*, *miſerrime occidiſſe*, *ulteriuſque peſſum ituras*, oſtendit.

Verſ. 12. Nihil verbis lucidius, at ſenſu implicatius, obſcuriuſque, nihil, in toto Libro. Arguunt id diſſonantiſſimæ ſententiæ. I. Literaliter *Merc.* *Hæ meæ cogitationes noctem in diem vertunt, efficiuntque ut noctes ducam inſomnes* &c. Item, *Lux propinqua eſt propter tenebras*, h. e. *præ tenebris afflictionum lux mihi brevis; ſi quando mihi exoritur ſol, ſtatim præteriiſſe videtur.* Eodem tendunt *Piſc. Belg. Grot.* idque ſecutus ſum in *Juvenil.* atque ex uſu vocabuli قريب *Propinquus*, pro *brevi*, confirmari putabam. Nunc aliquid *gravius* & *luctuoſius* requiri ſentio. Obſtant & alia, quæ cuivis ſuccurrent. Non multum hinc abeſt, II. Cl. *de Dieu*; conſentiens in priori colo; ſed poſterius ſic efferens, *Lux propinqua eſt a facie tenebrarum*, pro, *adeo affinis eſt tenebris, ut ſpeciem, faciemque habeat tenebrarum.* Et ipſe *citra Allegoriam* innui putat, *Noctem in diem converſam*, ob inſomnes curas; *& viciſſim diem fere in noctem.* Itane *fere*, in ore ejus, qui *Lucem* & *vitam* oderat? Non eo uſque æſtuantes *Jobi* dolores remiſerant, ut *Dies ſuos parum a noctibus differre* diceret. Mitto duritiem phraſeos. Allegorice, III. R. *Levi*, *Diem mihi ponunt in noctem* &c. i. e. *quæ ante apertiſſima mihi erant, nunc reddunt dubia; & lucem antea mihi propinquam, & ſummam, in rebus omnibus, cogitationes meæ conturbatæ & confuſæ mihi convertunt in meras tenebras, ut plane ſim mentis & conſilii inops.* Obſervavit *Merc.* ſcribendum tunc fuiſſe יום ללילה *Diem in noctem ponunt.* Hiſce tamen veſtigiis inhærens, IV. *Codurc.* ליום capit pro תחת יום, dans, *Noctem vice Diei poſuerunt; ſubrogarunt noctem in locum Diei.* Explicat, *Sperabam lucem, & ſucceſſit nox.* Alterum ſic vertit, *Et diluculum ante tenebras poſuerunt*, i. e. *luce propinquante ſucceſſerunt tenebræ.* Id applicat *ad ſpem Jobi accedentibus Amicis conceptam, ſed mox deluſam;* quippe qui *adflictum non erexerint ſolatiis*, ſed *cenſuris* ſuis *gravius adflictarint*, & *exacerbarint.* אור קרוב *Lucem propinquam*, pro *Diluculo accedente*, & *Aurora*, non ſperno, habet enim quod blandiatur; ſed *acceſſum Amicorum* iſta *ſplendida figura* denotari, ſibi ſoli, credo, perſuaſit *Codurc.* mirifice ſibi hic placens, & plaudens; Deoque ſolennes agens gratias, quod *lumen* hocce ei in tenebris hujus loci *adfulſerit.* Non valde tamen *Luminoſa* ſententia, *Diluculum ante tenebras.* Nec *liquida* ſane vertendi *ratio*, *Lux propinqua ante tenebras;* quum מפני potius ſonet *a facie.* Durior denique repetitio verbi ישימו *poſuerunt*, ejuſque applicatio ad *Amicos.* Ad *Amicorum Judicia* quoque aliter hæc flexit, V. Cl. *Cocc.* partim, *quod ipſius afflictio non ita gravis eſſet:* partim *quod ipſum maneret certa boni expectatio.* Hæc duo ſic enunciata autumat; *Noctem faciunt, ut ſit dies*, i. e. *dicunt de triſtitia, quod ſit vitalitas & jucunditas; vel nebula offuſcans lucem, non interimens.* Item, *Lucem* ponunt *propinquam ex præſentibus tenebris, & cum maxime faciem ſuam fuſcam, opacam, obſcuram oſtentantibus.* Neutrum in limpido: utrumque etiam ex priva *Hypotheſi;* quod *Amici Jobum* non habuerint pro *Hypocrita* aut *improbo;* ſed *probo*, *paternis* tantum *Dei caſtigationibus adjecto.* Ad *cogitationes Jobi*, *ſi Amicorum perſuaſionibus locum daret*, minus adhuc limpide, VI. traxit *Schmid.* *Eas poſituras ſibi noctem in diem* &c. i. e. *ſtultiſſimas fore, ut ſtultiſſimum inter noctem & diem non poſſe diſcernere.* Senſum vocat optimum, qui per ſeq. declaretur, *Lucem* ponunt *propinquiorem quam tenebras.* i. e. *diem faciunt priorem nocte, quum tamen, ex ordine creationis, nox præcedat diem.* Omnia hæc reducit ad ſimplicem ſenſum *cogitationum ſtultiſſimarum*, *quas* Noſter *tunc foveret*, *quæ diſcrimina, ordinemque, diei, ac noctis, non amplius tenerent.* Paucis *optimum* hoc viſum iri crediderim, quamvis a *Nold.* in *Conc. part. n.* 1931. adſcitum. Non multum quoque deferre poſſum, VII. Cl. *Cler.* hanc paraphraſin exhibenti, *Nunc melius multo intelligo, ab hominibus lucem præferri tenebris, hoc eſt, vitam morti.* Supplet & ipſe ישימו *ponunt*, nempe *homines*, *lucem vicinam ante tenebras.* אור קרוב *Lux vicina* ſic eſſet *Lux vitæ præſentis;* quam دنيا *proximam vitam*

tam vocant *Arabes*, oppoſitam רָק إخرة *Noviſſimæ*; quam ignoraſſe *Jobum* ſæpius pronunciavit vir doctus, ut vel propterea hinc reſilire debuiſſet, ſi ſuam ipſe interpretationem attentius expendiſſet, cum ejus ſequelis: ſecundum eam quippe *Jobus* nunc diceret, ſe miſeriis jam edoctum intelligere demum, male ab hominibus *lucem vitæ præſentis morti præferri*. Sed nec hæc *mens* fuit *Jobi*, nec *Lingua* eum ſenſum patitur. Utrique, & *menti*, & *Linguæ*, præ reliquis, reſpondere videtur *de Pined.* qui VIII. jam non *Vulgati*, ſed ſuus, hunc aperit conſpectum, *immiſerunt noctem in diem meæ proſperitatis: etiam lux haud procul mihi a tenebris, præ angore, & moleſtia.* Eſt idem ſenſus cum num. 1. niſi quod *Figurata* omnia. Eleganter, *a facie tenebrarum*, exponit, *a præſentia tenebrarum & mortis, quæ vincit omnem ſpem vitæ.* Duriuſculum tamen, לילה ליום *Noctem in diem poſuerunt*, pro *in diem immiſerunt, eique offuderunt.* Mollius foret ל *Emphat:* trajectis vocibus ſic ſtructum, ליום ישימו לילה *ſane diem ponunt noctem; lux brevis eſt a facie horrida tenebrarum.* Salſe, אור קרוב *Lux brevis*, pro *nulla plane*; in hunc ſenſum: *Liquidum mihi diem vitæ, & felicitatis, converſum video in tetram noctem miſeriarum; in qua nulla mihi lux vel adfulget, vel adfulgebit.* Hoc cum *vſ.* ſeq. intime cohærens, non diſplicebit forte, in eoque & ipſe acquieſcere poſſem; niſi ſcrupulus ex *trajectione*, & *conſtructione* minus tereti, ſollicitaret. Eam ad unguem lævigaſſe tutius fuerit. Id ſibi præſtitiſſe viſus *Bolduc.* qui IX. *Vulgati* veſtigiis inſiſtens, dedit, *Noctem in diem poſuerunt; & Auroram a facie tenebrarum.* Interpres vetus fecerat, *Et rurſus poſt tenebras ſpero lucem*; Ille auſus, *diſcuſſis tenebris fruor luce, & procelloſa tempeſtas, ac nox, mearum perturbationum, in diem clariſſimum, & tranquillitatem ſerenam, ſubito eſt converſa.* Hanc interpretationem tam ſibi genuinam ait, quam reliquas pro nothis habeat. Addit eam *Firmitati & Conſtantiæ Jobi* unice *convenire*, quam *alii Expoſitores enervent* &c. &c. Magnifica & fortis oratio! Sed ita ſe tendens, ut ſponte crepet. *Diſſerenatio* iſta *ſubita* tam apte hic ſedet, quam *Aurora*; vel *Meridies* ipſa, *in Noctis meditullio.* Mitto אור קרוב *Lucem vicinam*, Eidem eſſe *Matutinam*, ſic dictam quod *Meridiana*, & *Veſpertina*, ſit *remotior*. Mitto ישימו incommodius repetitum. Longe tolerabilius, & rotundius, quod a *Vulg.* expreſſum, cui ni ſeries refragaretur, omnino ſubſcribendum eſſet. Ejus & ego non ſenſui, ſed ſtructuræ inhærens, X. offeram *Lucem poſt tenebras*, vel potius, *e tenebris*, quam ſibi ſolam relictam, non *ſperans* ſane, ſed *de reſtitutione* plane *deſperans* Noſter, teſtificetur. Nempe vehemens *Schema* videtur conceptum, ὀξυμώρῳ acerrimo animatum, quo *ob revulſas cogitationes, & rationes conturbatiſſimas, eo ſe redactum* oſtendit, ut *Nox mortis* ſibi habenda ſit pro *die vitæ* quaſi, *ex cujus tenebris triſtibus & horridis* tantummodo *adfulgere* queat *aliqua lux conſolationis.* Ardentiſſimum hoc *Pathos* facile proficiſci potuit ab Eo, qui *Cap.* 3. ſe vel *non natum, conceptumve*; vel *quantocyus extinctum* omnibus votis optaverat. *Vſ.* 22, 23. præſertim cernas, quam *Læta* Noſtro *ventura* fuerit *Mors.* Ad iſtum modum nunc lugubriter indicare potuit, *ſolam mortis extinctionem adflictiſſimo reſtare, in cujus ſinum confugiat, in cujuſque amplexus quaſi ruat, ad malorum aliquod levamen inveniendum.* Adfectus eſt τραγικώτατος, quo altius ne *Sophoclæus* quidem cothurnus ſcandat. Exiſtimem tamen adhuc celſius quid a Noſtro prolatum, quod elucere incipiet, ſi ישימו non ad *Cogitationes revulſas* referas, ſed *Imperſonaliter* capias, *ponunt*, pro *ponitur*; hoc ſenſu, *duriſſima mea fata Noctem mihi in diem convertunt; ita ut omnis lux, felicitas, jucunditaſque, quam expectandam habeam, nil niſi denſiſſima ſit, ſemperque manſura ſit, nox, cujus profundiſſimus horror, horror* inquam *mortis, mihi deſtinatus eſt pro aurora; quandoquidem a facie horridarum Tenebrarum appropinquat Lumen, quod mihi ſatum*, quippe *qui pro Lumine nil niſi meras & ſpiſſas Tenebras ſim poſſeſſurus.* Habes ὀξύμωρον exaggeratiſſimum, adhuc *audacius*, quam quod *Cap.* 3: 14. expoſitum: ut & *Cap.* 10: 22. *Cui Jubar ipſiſſima caligo.* Adfine, quod *Cap.* 24: 17. recurret, *Aurora* eſt *umbra mortis.* Apud *Soph. Oed. Colon.* *vſ.* 1545. reperies φῶς ἀφεγγές cognato ſenſu; ſed infra hunc cothurnum ſubſidente.

13 Sane expecto ut Infernus ſit domus mea: in tenebris fulcivi ſtrata mea.

14 Putredinem compello, Pater meus tu: Matrem, & Sororem, meam, appellito teredinem.

15 Et

13 אם־אקוה שאול ביתי בחשך רפדתי יצועי׃

14 לשחת קראתי אבי אתה אמי ואחתי לרמה׃

15 ואיה

Verſ. 13. Nimis ſuſpenſus eſt, quem *Merc.* poſt *Jarch.* elegit, nexus cum *Vſ.* 15. *Si quidem expecto infernum fore domum meam* &c. *Et ubi jam ſpes mea* &c? i. e. *ubi tuæ* erunt *magnificæ* veſtræ *pollicitationes* &c? Non probem quoque quod *ad ſpem*, *ab Amicis factam pœnitenti*, recurrat; ob rationes ſupra inſinuatas ad *Vſ.* 11. Ad *eandem* reſpiciunt etiam *Piſc. Cocc. Schmid.* quamvis commodius ſtruant, *ſi expectavero*, quam vos promittitis, felicitatem, fruſtra ero, *infernus* quippe mihi moribundo jam jam, *erit Domus* &c. Latiore adſpectu *Codurc.* & *Cler. ſi quid ſpero*; vel, *quicquid expectaro*; *ſepulcrum Domus mea* &c. Hoc non multum abeſt a mente noſtra, quæ hæc eſt; *ſi ergo aliquid expectare* lubeat, *habeo* ſane *magnificam ſpem* & *expectationem*; *ut infernus* ſit *Domus mea*; *in tenebriſque horridis ut fulciam mea ſtrata.* Acrimoniam ſubeſſe ſentis, qua inculcat Noſter omnem ſuam *ſpem* eſſe *deſperationem melioris fortunæ.* אם pro *ſane* mox recurret *Vſ.* 17. Nec tamen *ſi* male ſederet. Reſpicit in lectiſſimis phraſibus *Domus*, *ſtratorumque*, ad *Familiam*, qua antea decoratus fuerat, *florentiſſimam*, & qua ſe deinceps quoque honeſtandum fore ſperaverat. Iſtas jam *cogitationes*, & *cordis poſſeſſiones*, *revulſas*, & *disjectas violenter*, arguens, eximia figura *Domum* ſibi ſuam *aſſignatam* ait שאול: *Sepulcrum* volunt plerique; *Bolduc. Sepulcrum humile*, oppoſitum *Mauſoleo*, quod alias Viro principi obtigiſſet. Delicias facit ſolens, in re triſti & ſevera. Nil impedit quo minus *Orcum*, ᾅδην, *Statum diſſolutionis per mortem*, & hic retineamus cum *Cocc.* & *Schmid.* Ille *infernus* Noſtro, naturæ nunc ſenſum, impetumque, ſequenti, obverſatur ut *formidoloſus*. Cl. *Cocc* nonnulla hic tetigit, tum *animæ*, tum *corporis reſpectu*, quæ hinc ſine detrimento abeſſe poſſunt: neque *myſteria fidei* ac *mundi inviſibilis* ex talibus dictis tuto eliciuntur. Quo colore poſitum ſit בית, diſcas ex illo veteris Poëtæ in *Hamaſa*:

النـاس اخياف وشتي في الشيم
وكلـهم يجمعـه بيت الادم

Homines diverſi generis, diverſæ ſunt indolis;
Sed omnes una colligit Domus Adamidarum.

Nota hoc adſpectu בית עולם *Domus ſeculi*, ubi longa ſæcula ſunt ducenda, *Eccleſ.* 7. Alluſum interim ex ancipiti ad *Domum*, quam in Terra viventium ſibi promiſerat, *ſplendidam*, ac *benedictione* Numinis *cumulatam*. Simile ambiguum, *fulcivi ſtrata mea.* Eſt phraſis grandiſona, qua alluditur ad *Thalamum*, & *conjugia*, quæ λέχη *Tragicis.* Ita יצוע *Gen.* 49: 4. Granditatem figuræ percipies ex hocce *Soph.* in *Antig.* 819. *Cobibere nequeo fontes lacrymarum*

τ̄ παγκοίταν ὅθ' ὁρῶ θάλαμον
τήνδ' Ἀντιγόνην ἀνύτουσαν.

Ad Thalamum omnes ſopientem cum tuor
Euntem hancce Antigonen.

Adde *Vſ.* 1323. νυμφεῖον ᾅδυ κοῖλον *Nuptiale cavum Orci.* Item *Eurip. Iphig. in Aul.* 461. ᾅδης νιν νυμφεύσει τάχα *Eam Orcus brevi domum ducet. Nubet miſera virgo Morti.* רפד non eſſe *ſternere*, ſed *fulcire*, demonſtratum in *Clav. Dial.*

Verſ. 14. Mirifica *Allegoria*, quæ ad anſam Ambigui, modo porrectam, commodius & felicius evolvetur. Nempe *longe aliam ſibi cognationem contrahendam* innuit, quam nemo

non

15 ואיה אפו תקותי ותקותי מי ישורנה:

15 Et ubi, ubi iſtic, ſpes mea! & meam expectationem, quis videbit eam!

16 בדי

16 Ad

non horreat. *Merc.* rem paucis ita declarat, *mox adhæſurum eſt cadaver meum ſepulcro & vermibus, ut viventes parentibus & conſanguineis adhærent.* Subtilius *Cocc. Redibo in gremium terræ unde ſumtus ſum: reſolvar in id, quod fui, antequam fierem homo; & id quod ſunt, qui nondum ſunt; & quod erunt, qui ſunt, homines fratres mei:* i. e. *corrumpar, deſtruar, & reddar frater τῶν οὐκ ὄντων.* *Schmid.* cenſet deſcribi *hæreditate* quaſi *acceptam corruptionem*, ac *putredinem*, in eaque *Patrem* dici, *id quod a Patre acceptum:* ut *Matrem*, quod *ab utero matris adnatum:* itemque *Sororem*, quod *connatum, ex eodemque nobiſcum utero exiit.* Argute; ſi modo ſolide. Arguta quoque, quæ *Bold.* promit, de duplici conſuetudine, altera, ut *Pater* & *Mater* cum *deſcendentibus in eodem ſepulcro collocarentur:* altera, *ut juxta ætatis rationem* ſuo *gradu* & *ordine* diſponerentur *cadavera.* Addit, *Sororis* nomine hic intelligi *Uxorem.* Id ſublectum de *Pinedæ*, qui idem monuerat; quique *figuras* haſce comparatas autumat, ad *deſiderium mortis flagrantiſſimum* ſignificandum; quippe *in cujus amplexus, ſinumque, venire geſtiat* Noſter. Admitti poſſet, ſi prior conſpectus, quem ad *Vſ.* 12. ſub *Num.* 10. poſui intenderetur. Poſterior aliquid gravius exigit, quod in principio attigi, quum deſcribi dicerem *Cognationem quam nemo non horreat, & abominetur.* Illuc omnia vergunt: nec repugnans eſt, ut idem *Jobus Mortem deſideret*, eandemque *abominetur*, pro diverſa facie rerum. Occaſionem huic amplificationi dedit, præter id quod *Vſ.* præc. indicatum, ſtilus perpetuus *Arabiæ*, quo *Pater*, *Mater*, *Frater*, *Soror*, *Filius*, *Filia*, deflectuntur ad *Allegoricas formulas*, quarum ſpecimina reperies apud Cl. *Gol.* ſub vocibus אם ام, אב ابو &c. &c. Sic, verbi gratia, *ſepulcrum* circumſcribi poteſt, *Pater perditionis*, vel *deſtructionis.* Item *Mors*, *Mater miſeriæ*; nec non *Mortuus*, *Frater putrefactionis*. Exempla libavi ad *Harir. p.* 148. Ex *Hamaſa* habeas præterea اخا الباساء *Fratrem ærumnæ*, & اخا غمرات *Fratrem gurgitum*, ſive *periculorum mortis.* Ex *Haririo* اخا الشدايد *Fratrem rerum adverſarum* &c. &c. Ut ergo vel *ſepulcrum*, vel *ſtatus corruptionis*, & *putredinis verminantis*, quas notiones recipit שחת a *radicibus* vel שוח, vel שחת, vel ישח, venuſte appellari poteſt *Pater cadaverum*; ita eorundem, quatenus vel *conſumenda ſunt*, vel *conſumta*, tum *Mater*, tum *Soror*, graviter dicitur רמה, quod & *vermem* ſive *Teredinem* ſignat, & *conſumtionem* ſive *putrefactionem.*

Verſ. 15. Languidum eſt, quod *Merc.* velit ו redundare in priore vocula. Id aſſumere coactus fuit ad hiatum evitandum, quem ejus nexus a *vſ.* 13. ſuſpenſus efficit. Dilutum quoque, quod utrumque תקוה explicet de *ſpe bonorum terreſtrium, ab Amicis injecta.* Nec quadrat nunc, quod additur, *Cœleſtia potius morituro fuiſſe proponenda.* Meliorem quidem cohærentiam dedit *Schmid.* ſed circa *ſpem* æque languidus eſt. Sentias ex hiſce: *vocat* ſpem ſuam, *non quod eam habuerit, ſed quod Amici eam ſuaſerant.* Hoccine geminato תקותי expreſſum credibile? Variaſſe videtur *Cocc.* & unum תקוה dediſſe *ſpei terreſtri ab Amicis factæ*, alterum *ſpei de beatitudine Cœleſti.* Ejus verba ſunt; *ubi tum eveniet expectatio mea? Nam ſi dicatis, tu eris in ſinu Dei, & poſteri tui proſperabuntur in terra; quis videbit? Egone videbo proſperitatem progeniei meæ; & Alius videbit meam beatitudinem?* Hæc non una difficultate premuntur. Non commodius variatum a *Vulgato*, prius תקוה *præſtolationem*, poſterius *patientiam* reddente; nec quæ *de Pined.* attulit in *Paraphraſi*, ſcopum

16 Ad vectes inferni deſcendent; ſane pariter ſuper pulvere procumbendum erit.

16 בדי שאול תרדנה אם־יחד על־עפר נחת׃

pum feriunt. Longius ab eo evagatur *Bolduc.* תקוה confundens cum מקוה *congregatio*; ut ſit, *Et ubi tunc congregatio mea? & congregationem meam quis videbit?* quaſi dicat, *quam pulcra nova hæc familia & ſoboles mea? Qualis in pulvere & tumulo parentum ſeries apparebit? Quis etiam poſt diligentem intuitum eos contemplari poterit, & diſtinguere?* Hæc caſſa nuce leviora. Omnino תקוה eſt *ſpes ab ipſo Jobo inde a primo pietatis curriculo concepta, fota, nutrita, ſe intentiſſimo virtutis & ſanctitatis ſtudio, in fide exercita, benedictionem divinam conſecuturum, pro ſe, & domo ſua.* Illa jam *ſpes radicitus convulſa* videbatur, *extirpata domo, fortunis disjectis, confectis viribus animæ & corporis; maledictione Numinis identidem increſcente*, ut putabat, *atque ad letum uſque incubitura.* Iſto adſpectu dolentiſſime exclamatum, *Ubi, ubi locorum tunc ſpes mea! & expectationem meam quis videbit eam?* Non auſim contendere, ταυτόλογον fore, ſi תקוה eadem *idea* repetatur. *Adſectibus ardentibus* id accommodum. Vide *Eſaj.* 15: 8. & 33: 14. &c &c. Malim tamen prius תקוה exponere de *Religione* ſive *ſpe pia* in Deum *defixa*, ut تقوي apud *Arabes.* Poſterius de *ſpe benedictionis Cœleſtis*, inde *accenſa.* Poſſes quoque prius *ſpem Religioſam*, poſterius *ſperatam benedictionem* interpretari. Utique variandam eſſe notionem, liquet ex ſeq. תרדנה *deſcendent*, ut olim quoque ſubmonui. Nec obſtat *adſ. ſing.* in ישורנה *videbit eam:* quia illud æque *pluribus*, ac *uni* reſpondet, ex *Arabiſmo.* Quum autem *Religionem* ſibi *ſuam*, & *ſpem*, inde *conceptam*, *fruſtra futuras* conqueritur, *nec a quoquam inveniendas*, cave *limites tranſilias*, atque *Inviſibilem mundum* ingrediaris. Adfectui ſuo ſervit Noſter, qui ei dictabat, quod & nobis ſimili in caſu haud dubie dictaret, *Ei, qui ita, contra omnem expectationem, funditus extirpatur, diroque, cum ſuis, leto occumbit, Religionem ſpemque ſuam male proceſſiſſe; atque loco benedictionis talem patrem familias nil niſi maledictionem meſſuiſſe.*

Verſ. 16. Habes conſpectum interiorem clauſulæ appoſitiſſimæ; in qua enodanda ſudatum: quod & verba, & ſenſa, abſtruſiora. In priori colo magna diverſitas; quia בדים diverſa ſignat, *membra*, *brachia*, *ramos*, *vectes*; quæ cuncta diverſimode aptantur. *Merc.* præfert, *in ramos ſepulcri deſcendent.* Exiſtimat *Arbori comparari Locum ſubterraneum: quæ ramos ſuos deorſum ſub terra protendat.* Hoc voluit R. *Levi* ירכתי *Latera & intima inferni* exponens. *Cocc.* maluit, *in ulnas* & amplexus *inferni deſcendent.* Inſignem metaphoram commendare poſſet *Vſ.* 13, 14. Lubentius accederem, ſi בדים ad *ulnas amplexuſque* tranſlatum extaret alibi: ſed *membra* ſive *artus omnes* potius deſignat. Ex hac notione *Cler. Membra in ſepulcrum deſcendent.* Id *non optime quadrat*; etiamſi omnia, quæ poſtulantur, darentur; בדי in *regim.* non obſtare; vel בַּדַּי *Membra mea* legendum; atque inſuper error *Grammaticus* donaretur, quo תרדנה *fem.* nectitur cum *maſc. plur.* Non enim de *membris* ſuis adeo ſollicitus *Jobus*, ſed *Spes evulſas & eradicatas* complorat. Nimis ſecure adjecit Vir Doct. *per ſe ruere interpretationem aliorum, qui vectes ſepulcri dederunt*; quod *ſepulcrum* quidem *portas* habeat, ſed non *vectes*, quibus claudatur; ſecundum illud, *Noctes atque dies patet atri janua Ditis.* Nempe plurimis arriſit ſub *Ellipſi* אל, *Ad vectes inferni deſcendent.* Ne hoc quidem una facie. Aliis *vectes* ſignant *feretrum mortui:* quod nollem prælatum a Doct. *Belg.* itemque *Grotio*, qui pro *veſtibus* haud dubie ſcripſerat *vectibus ſepulcralibus.* Aliis *fulcra inferni*, notant *centrum*, & *abditiſſima penetralia*; quod *Vatabl. de Pined. Bold.* &c. ſequuntur. Aliis *clauſtra inferni*, idem ſonat, ac *portæ*

ferni, πύλαι ᾅδου. Laudatum a Noſtris, in Notis, ſubſcribente & *Schmidio.* Nec video juſtum, qui morari queat, ſcrupulum; quum pura puta cavillatio ſit, quod *Portas inferas* non claudi dicat Cl. *Cler.* Cur ergo non exeunt, qui incluſi? Sed ego ineptus, ſi revincere vellem, quod ſponte ruit. Vel *proverbiale* illud meliora doceat: χρυσὸς ἀνοίγει πάντα, καὶ ᾅδου πύλας. Nec ignotæ Viro Doctiſſ. *Claves mortis & inferorum* ex *Apoc.* 1. Quadrat huc, *Eurip. Hec: ad initium.*

> Ἥκω, νεκρῶν κευθμῶνα, καὶ σκότου πύλας
> Λιπὼν, ἵν' ᾅδης χωρὶς ᾤκισται θεῶν.

& *Hipp. Vſ.* 56. & 1447.

> Ὄλωλα, καὶ δὴ νερτέρων ὁρῶ πύλας.

Similiter in *Alceſt.* 124. habes ἕδρας σκοτίους Ἀΐδα τε πύλας. Grandius adhuc, & triſtius, μόχλους ᾅδου *Vectes inferni*, vel & κλῆδας, κλῆθρα *Clauſtra*, introducere. Quod *Kimchius* recurrat ad particulam *Encliticam* דֵי, quaſi בְּדֵי idem ſit cum בְּדֵי, admitti nequit, quia *He Emphaticum*, quod tunc ſubeſſet, non intrat Regimen. Alias non invenuſte elatum eſſet בדי שאול, ut בדי אש *Hab.* 2: 13. *Ad ſufficientiam ignis*, proprie, ſive *ad ignem ſatiandum:* unde hic exiſteret, *ad ſatietatem Orci deſcendent.* Cl. de *Dieu* huc inclinat, די vertens *Capacitatem ſepulcri:* & ſcrupulum, ex *ſtat: conſtr.* motum, utcumque levans. Fortius tamen & plenius vel ſic, *vectes Orci*, ad *ferratas Orci portas*, & *formidoloſa clauſtra*, *refringi neſcia*, deſignandum. ירד cum *Accuſ.* etiam amat ſtrui; atque æque dixeris ירד מות *deſcendit Mortem*, quam אל מות *ad Mortem.* In *Plur.* תרדנה non fuiſſet hæſitatum, ſi geminum תקוה *Vſ. Præc.* non nimis arctis cancellis ſincluſiſſent. Adiſis *Schmid.* & fluctus in ſimpulo mirabere. Senſum non infeliciter expreſſit *Vulgatus*, *in profundiſſimum infernum deſcendent omnia.*

Ibid. Non æque concinnum, quod poſtrema ſic converterit idem Interp. *Putasne ſaltem ibi erit requies mihi?* A *Merc.* ſepoſitum ſuſcepit *Cocc.* efferens, *ſi modo in pulvere quies eſt.* Addit, *hoc non pugnare cum ſpe Cap.* 19: 25. *expoſita; ſed eum vel reſpexiſſe ad corpus ſuum, & ad ſua, quæ habebat in mundo, quibus neſciat annon ſeveritas Dei ulterius ſit incubitura per projectionem cadaveris, & inſepultam ſepulturam; Vel ſaltem indicaſſe, Pios ſub V. T. non ſatis exploratum habuiſſe, quid ſtatim poſt mortem futuri, & quanta apud Deum gloria fruituri eſſent.* Haud putem illas *dubitationes* Noſtro nunc obverſatas. Dubitanter & *Grot. Si tamen quies mihi erit vel tunc cum pulveri miſcebor:* Itemque *Cler.* Eſt ubi aptius hoc ſediſſet. *Codurc.* dictum vult *propter Tres Viros*, qui de ſtatu *Jobi* dubitabant, *quum Ipſe ſat certus foret, ſe per mortem a laboribus requieturum.* Alii cum *Adfirmatione*, *Quandoquidem ſimul ſuper pulvere quies erit*; i. e. *in ſepulcro tantum requiem inveniam*, Ita fere *Doct. Belg.* quibus ſuccinit, quod olim tentavi. Necdum tunc perſpexeram, *Requietem* a filo alienam eſſe, quod agit de *Jobi expectationibus funditus deſtructis.* Paulo propius ad hanc ſeriem *Bolduc. Nonne pariter apud pulverem requies?* pro, *nonne cadaver meum inter vermes, novamque illam meam familiam, ac progeniem, jacebit?* נוח *quieſcere*, pro *jacere*, *cubare*, haud invenuſtum. Latiore adſpectu *Merc. ſi ſimul ſuper pulverem eſt quies:* pro, *ſi omnibus hominibus eſt moriendum.* Cenſet, *Amicos rideri, quod de exitio impiorum tot verba feciſſent; eique pœnitenti terrena bona promiſiſſent, quum tamen, tum probos, tum improbos, una maneat Mors.* Vocula נחת *quies*, non a נוח, ſed a ינח *depoſuit*, Eidem derivatur, ut שחת a ישח. Poſtremum hoc meretur expendi: ſed interpretatio ipſa nervo deſtituta. Idem dicere audeo de alio aliorum conatu, quem & *Merc.* tetigit, a נחת *deſcendit*, dantium, *ſi omnibus in pulverem deſcenſus eſt*; ſi omnes ſunt morituri; *ergo & meæ ſpes omnes mecum peribunt.* Id nihil ad rhombum; qui non verſatur in *communi hominum miſeria*, ſed in *Jobi*, *Viri Religioſiſſimi*, *propria*, *extraordinaria*, *infanda*, atque *immerita* plane, *ſorte.* Per ſe dilutum, dilutius adhuc fecit Cl. *de Dieu*, ad *Amicos cum Jobo in ſepulcrum deſcenſuros* reſtringens.

Ad נחת quoque recurſum a Cl. *Guſſ.* in *Comm.* L. H. ubi offert, *An deſcendere oportet conjunctis viribus contra pulverem*? An *Homines* ſimul, & *Deus*, me, tam *debilem*, ut *merus* ſim *pulvis*, *ita hoſtiliter invadent*? Hanc conjecturam non Nexus ſuggeſſit, ſed ſolutior meditatio, quid verba pati poſſent, in ſe ſpectata. Cl. *Schmidio* quicquid erat conſtructionum minus plenum videtur, ita ſecanti, & ſupplenti; *Si ſimul* erunt *ſuper pulvere*, tum, vel ibi, *quies* erit: i. e. *Quum ſperata mea mecum in ſepulchro jacebunt*, *tum ibidem quieſcent*. Illud *quieſcent* dein explicat, *evaneſcent*, *nihil erunt*, *& nihil manebunt ſemper*, atque ita *erunt in bona quiete*, *oblivioni mandata* ſcilicet. De *ſperatis* agi recte vidit; ſed minus recte *Spes ex pollicitationibus Amicorum captas* intelligit. Non recte etiam duo facit, quæ haud dubie unum efficiunt: ſi enim *ſperata Jobi* jam ſimul *cum eo in pulvere eſſe*, vel *in ſepulcro jacere* concipiamus, utique *ad nihilum relapſa* concipiantur neceſſe eſt. Incommodius adhuc, quod ſubdat, *ſperata Jobi* dici *cum eo tum in ſepulcro futura*, *ibique quietura*; *tum in infernum*, *locum animarum*, *deſcenſura*: i. e. *nihil futura*, *& nihil manſura ſemper*. In tricas non incidiſſet *Vir Doct.* ſi ſuis bonis fuiſſet uſus, & *Lutheri* egregiam verſionem tenuiſſet, *Et mecum in pulvere cubatura eſt* expectatio mea. Excellenter dictum, *Spes ſimul cum ſperante procumbens in pulvere*. Grandiſonum verbum *procumbere*. Apud *Liv. L.* 10: 5. *Agger male denſatus pondere ſuperadſtantium in foſſam procubuit*. Similiter *Arbor* ſub ictibus *non ſuccumbit* tantum, ſed etiam *procumbit*; ut & *procumbit humi bos*. Iſtam vim gravem, & grandem, verbo נוח quoque ſubjectam fuiſſe, nemo facile dubitet, cui promta cognata שכן *quievit*, & שכב *cubuit*, in *placida*, in *violenta*, *morte*, promiſcue. Idem ſuggerit *Origo* ſub نـاخ, *procubuit* in pectus, aſſervata. אם *Si*, pro *ſi quidem*, bene quadrat; malim tamen *utique*, *profecto*, *ſuper pulverem ſimul procumbendum erit*. Confer *Cap.* 7: 21. שכב על עפר *cubare ſuper pulvere*, vel *in pulverem procumbere*. אם *aſſeverantis* nemo ignorat. Non ſperno alteram *Analyſin* a *Themate* ינח, quam judicioſe intulit *Merc.* quod ipſum ſcias deſignare *procubitum*, prout Quieſc. *med.* & *prim.* ſæpe alternant. Sic טוב & יטב *Bonus fuit*. רוע & ירע *Malus fuit* &c. &c. Firmat *Arabia*, ubi ينخ ינח eſt *procubuit*, de camelo in pectus ſidente. In *Camuſo* اينخ enotatum, *Ajnech*, idem quod انخ *Anich*, *procumbe*. Hæc alias. Nunc tantum illud, הניח cum notionibus *deponendi*, & *relinquendi*, continere *dejectionem* & *proſtrationem in terram*: ut *Amos.* 5: 7. *Juſtitiam* לארץ הניחו *in terram dejecerunt*. Iterum *Eſaj.* 28: 2. הניח לארץ ביד *Dejiciet in terram vi ac manu*. Proprie, *faciet procumbere*. Non omnino quoque rejiculum נחת pro *deſcenſu*; ſi capias, de *defoſſione* & *hominis*, & *ſpei*, ſimul cum ipſo *extabeſcentis in pulvere*. Medium prætulerim, a ינח, quod in eo cum *procubitu* videatur captata *deſtitutio* illius, qui quaſi *proditus* & *abjectus* a ſuis; quam ideam הניח non raro adſciſcit. Hoc ipſum *genuinam* nobis *mentem Jobi* declarat, qui *omnes ſuas ſpes revulſas*, & *funditus eradicatas*, Tragice depingens, eas ſecum *expiraturas* non ſolum, ſed & *in pulverem collapſuras*, ac *procubituras* indicat; *diris vectibus* & *clauſtris Orci ſe & ſua omnia detenturis*, *per longiſſima ſecula*, cum *Nominis*, & *Familiæ infamia*. Intra hoſce fines ſubſiſtendum. Qui hunc ᾅδην *Orcum* penitius rimari vellet, & de *animæ ſtatu* diſſerere, ingrederetur ea, quæ nec ipſe vidit, nec *Jobus* intendit.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Verſ. 1. ויען בלדד השחי ויאמר׃

2 עד־אנה תשימון קנצי למלין
תבינו ואחר נדבר׃

3 מדוע

Verſ. 1. ET reſpondit Bildadus Suchita, dixitque.

2 Quouſque ponetis captioſos laqueos ſermonibus; diſerte agatis, & poſtea nos agemus.

3 Quam

Verſ. 1. Cum acrimonia, & exceſſu, Defenſitationis *Jobææ*, creſcit vehementia & acerbitas *ſociorum*, qui a Noſtro non ſat clementer increpiti, inclementer ſane, atque immodeſte, in eum ſeſe invexerunt hacce altera coitione longe acerrima. In ea, ad exemplum *Eliphazi*, formidoloſiſſimam aciem inſtruit ſecundus diſſertator, atque *Jobum* accuſans *verboſæ aſtutiæ*, *importunitatis*, & *impotentiæ*, qua Deum, Amicoſque, laceſſebat, *ſuamque* ipſius *animam* veluti *dilaniabat*; inde, torrenti orationis flumine, convertitur ad meritiſſima improborum ſupplicia vivis coloribus depingenda; eaque volvit judiciorum Divinorum fulmina ac tonitrua, quæ aperte in caput *Jobi* contorqueantur, & revolvantur. Hoc a Doct. *Merc.* aliiſque ſolide evictum; ſimulque indicatum, veras quidem non minus, quam graves, ſententias, *de impiorum exitio* expromſiſſe *Bildadum*; attamen duplici eum exceſſu peccaſſe; tum quod *ordinariam* hanc eſſe *viam providentiæ Divinæ* contenderet; tum quod per *Jobi* quoque *exſcidium* hæc omnia in omnium oculis defixa, & comprobata eſſe, pugnaret.

Verſ. 2. Ambiguum eſſe ajunt magni *Interp.* ad *Jobumne* directa ſit hæc increpatio, an ad *ſocios*. Anſam dubitandi dedit numerus *Plur.* In *Jobum* ſimul & *ſocios*, ac præſertim *Eliphazum*, ſtrictum telum ſtatuit *Eugubin.* quod nec hic, nec ille, jam dudum dicere geſtienti *Bildado* locum dediſſet. Illuc inclinare video Cl. *Cler.* qui tamen concedit de *ſolo Jobo* poſſe intelligi. *Merc.* monens veriſimile eſſe, & alios adfuiſſe *circumſtantes*, qui *Jobi* partibus favebant, eoque *pluraliter* hæc enunciata: mox tamen tranſit in caſtra *Hebræorum*, qui *ſocios* argui volunt tanquam *nimis loquaces*, *aut certe non ſatis efficaciter & valide adverſus Jobum agentes*; *quos oportuiſſet diligentius advertere ad ea quæ Jobus diceret*, *ut ea fortius confutarent.* Nimium *Rabbinis* detulit Vir judicioſiſſimus, tam alienæ accedens opinioni, quum Tres Viri in omnibus conſpiraſſe, eandemque incudem ſedulo tutudiſſe reperiantur. Quid etiam novi, quæſo, adfert nunc *Bildadus*, ob quod tantum ſibi ſupra *ſodales* arrogare potuerit? Nil niſi recocta utique apponit; &, ut antea, ſigniferum tantum communem ſubſequitur, & æmulatur. Cl. *Schmid.* alio adſpectu, adfectuque, hic compellatos inducit ſocios, quaſi *commonerentur*, *non amplius tam patientem aurem Jobi ſermonibus accommodare*, *ſed potius eos interrumpere*; *ut vel invitus conticeſcat*, *ac garrire deſinat.* In hanc mentem reddit, *Quouſque vos*, O ſocii, *fines imponetis verbis*? *Jobi* nempe: *attendetis*? *& poſtea loquemur*? Ut tamen eam ex hiſce exſculperet, prius ſic explet, *Quouſque expectatis donec imponatis fines*? Item alterum, *Quouſque attendetis*? ſive *tam patienter audietis*? *ut quum ipſe finem* ſibi *fecerit*, *tum demum nos loquamur. Interpellemus* potius *ſermonem Ejus*, *Eumque nos audire cogamus.* Hæc *facilia* Vir Doct. cenſet, nimis ſibi facilis. Nec tamen *difficultate* caret interpretatio recepta, quæ *Plur.* in *ſing.* convertens dat, *Quouſque*, Tu *Jobe*, *fines impones verbis*? *attendas*; *& poſtea loquemur.* His *pluralitas* honoris cauſa adhibita videtur, quod merito *Nihil* pronunciat *Cocc.* qui *Periz. Piſc.* & *Belgis* accedit, *in cœtu præſentium Jobum ſuos habuiſſe aſſenſores*, ideoque hanc formam loquendi adſcitam. Cl. *Schmid.* parum probabilem cenſet *Hypotheſin*, plures auditores adfuiſſe. Mihi ea, ratione *Elihu* non tantum, ſed & complurium aliorum, dubitationi exemta videtur: quamvis aliquos *Jobo* aſſenſos, atque inde *Pluralem* nunc aſſumtum, incertius

judicem. Suſpicabar aliquando, *Bildadum* ſub perſona *Jobi* univerſum *genus Hypocriticum* voluiſſe complecti, qui hic *omnes provocentur, ut non captioſis laqueis verborum, argutiiſque, ſemet implicent; ſed aperte in aciem deſcendant, atque demonſtrent, Sanctiſſimum Numen immeritas alicui pœnas infligere; eaſque non eſſe indicia & argumenta improbitatis.* Hoc nunc a *Jobo* exigi, nemini mirum videbitur; quippe qui id revera evincere debuiſſet, quum hactenus accuſatorie tantum id tetigiſſet, & oblique inſinuaſſet potius, quam idoneis documentis probaſſet. Huc verba tendere, mox diluceſcet. Id ergo recte a *Jobo* ſub *plurali forma* requiritur, quia non *privatam* ſuſtinere voluit *perſonam*, in hac cauſa, ſed *publicam*: quaſi cum ipſo ſimul omnis *virtus, Religio, pietas, proſtrata* atque *adflicta* jaceret. Hanc ei *perſonam publicam* relinquit Cenſor, ſed ad *Hypocritarum ſectam* repræſentandam, cujus quaſi *Caput* & *Anteſignanum* ſe oſtenderat. Si tamen & hoc nimis ſubtile judicetur, granditati ſtili *pluralitas* hæcce adſcribatur, quæ in *Tragœdiis* etiam ad contemtionem accommodari ſe patitur. *Soph. Ajac.* 1115. *Non amplius mirabor, O viri, eum, qui Nihil exiſtens loco, ac genere, peccaverit:*

Ὅθ' οἱ δοκοῦντες εὐγενεῖς πεφυκέναι
Τοιαῦθ' ἁμαρτάνουσιν ἐν λόγοις ἔπη

Quando hi qui ſummo loco nati videntur
Talia peccant in ſermonibus.

Alloquitur *Teucer Menelaum*, atque a *Plur.* ad *Sing.* mox convertitur, ita perſequens; *ſed age repete ſermonem ab initio.* Sic *Ibid.* 1184. *Menelaum* vocat τοὺς μηδένας; Et 1151. *Ajacem* τοὺς θανόντας; ut *Menelaus* contra Eundem τοὺς αὐτοῦ πολεμίους. Item 1323. 1324. *Quos tu inſepultos abjicis*, de ſolo *Ajace*. Ad invidiam augendam hoc pertinet. In 3. & 1. *Perſ.* nil protritius. *Sen. Med.* 1007. *I nunc, ſuperbe, virginum thalamos pete; relinque matres* &c. *Eurip. Hec.* 237. & 244 μεμνήμεθ', ὡς κίνδυνον ἐλθόντες μέγαν, *Meminimus in periculum venire magnum.* De ſe loquitur *Ulyſſes*. Adde 798. &c. Hoc genus infinitum. In 2 *Perſ.* rarius, & tunc potiſſimum, quando is ad quem ſermo, aliorum *perſonam* ſimul ſuſtinet; aut ſocios habet cum ipſo ſtantes, ac facientes. *Soph. Ajac.* 1326

Εὖ νυν τόδ' ἴσθι, τοῦτον εἰ βαλεῖτέ που,
Βαλεῖτε χ' ἡμᾶς τρεῖς ὁμοῦ συγκειμένους.

Agit cum *Agamemnone*; & *Fratrem* ſimul includit. Vide etiam *Eurip. Hec.* 385. 386. 391. Talia bene multa colligi poterunt, propius adhuc textui noſtro reſpondentia, ubi haud dubie *Jobus* increpatur, & quotquot cum ipſo, ſi non præſentes, abſentes ſaltem, ſtarent.

Ibid. Phraſes enucleatæ lucem ferent, mentemque noſtram adfirmabunt. עד אנה *Quouſque, quamdiu*, non patitur reddi, *Quamdiu fines imponetis*: dicendum fuiſſet, *non imponetis.* Adſpice modo illud *Bildadi Cap.* 8: 1. עד אן *Quouſque loqueris hæcce?* Item *Cap.* 19: 2 Hoc *Cocc.* impulit ut mallet, *Quouſque proferetis fines verborum?* Diceres eum voluiſſe *protrahetis*; ſed intelligit potius *fines*, & *vices deſcriptas loquendi*, quas *Bildadus* cuique jubeat *poni*, & *aſſignari.* Languet: ut & *Schmidii* illud, *Quamdiu expectatis, donec imponatis fines?* Et quare quæſo, tam inſolenti forma *Fines*? ubi alias *Finis* קין perpetuo adhibetur. Sic utique *Cap.* 16: 3. הקין *An finis verbis ventoſis?* קצים nuſpiam comparet; multo minus קנצים *Dageſh* in נ reſoluto, ut pro מדע exiſtere creditur מנדע. Si in *Syriaſmo*, ad quem provocant *Merc. Druſ.* &c. iſta *forma* קנצין extaret, color ſaltem aliquis adfuiſſet: qui nunc nullus, quum putandum non ſit omne *Dageſh* ſic poſſe reſolvi. More ſuo *Avenar. Radicem* קנץ aſſumens, eam mactat notione *Græci* κνίζειν *vellicare*, ductus adfinitate radicalium, indeque exponet, *quouſque ponetis vellicationes* i. e. *ſugillationes ſermonibus*? *Ab. Eſra* prudentius, laudata vulgari traditione, *Nun* eſſe נוסף. initicium, fatetur, ſibi potius *Radicale* videri, & ex ſerie ipſa declarandam vocem, per רוב *multitudinem verborum*, vel tale quid. *Kimch.* in *Lib. Rad.* etiam Thema קנץ proponit, unde קנץ & contracte קין eſſet *fi-*

nis

3 מַדּוּעַ נֶחְשַׁבְנוּ כַבְּהֵמָה נִטְמִינוּ בְּעֵינֵיכֶם׃

3 Quam ob rem reputamur tanquam pecus brutum? impuri ſordemus in oculis veſtris?

4 טֹרֵף

4 O

nis. Sed קֵץ indubitato a קְצַץ قص *Secuit*, *præſecuit*: קִנְץ autem quid valuerit, docebunt *Arabes*, quibus قنص eſt *venari*, *aucupari*, *laqueos* & *retia tendere*. Inde, pulchra & appoſita *figura*, exiſtit, *ponere retia*, vel *laqueos*, *ſermonibus*. *Captioſe diſſerere*; & *ſtrophas* verborum *nectere*, atque *implicare*, ad veritatem eludendam &c. &c. Præter ea, quæ apud Cl. *Gol.* & *Gigg.* extant, habe nunc modo ex *Hiſt. Tam. p.* 50.

شدوا عليه حبل المقنص

Adſtrinxerunt ſuper ipſum funem retis venatorii. Et *Abulphar. Hiſt. Dyn.* وعمل المكايد الى ان اقتنصه *inſtruxitque dolos, donec eum irretivit.* קִנְצֵי לְמִלִּים *Laquei venatorii ſermonibus*, pro *ſermonum*, egregie dictum, ut ſit, *ſermonibus* quaſi *intertexti* & *internexi*. Cl. *Caſt.* in *Lex.* hæc *aucupia ſermonum* ſub vocabulo noſtro jam indicarat; *Syrum* & *Arabem* non abludere monens. Nempe uterque *adverſationem* סקובלא, expreſſit, & *contradictionem* خلاف, quod ex ſerie ipſa elicitum magis, quam ex liquido fonte Linguæ. Qui poſt *Caſtell.* fuerunt, verbulo ſaltem laudabilem Viri conatum tangere potuiſſent; ne ſemper iiſdem in anguſtiis obhæreatur; ſed libertas examinandi, & judicandi bonis ingeniis relinquatur.

Ibid. Hiſce *Laqueis captionum aſtutarum* opponitur verbum תָּבִינוּ, quod vertere ſuſtineo, *clare*; ac *diſerte*, *loquamini*. Nempe הֵבִין non tantum eſt *intelligere*, ſed etiam *facere intelligere*, *diſtincte docere*, *clare explicare*. *Dan.* 8: 16. & *Job.* 6: 24. Apud *Arabes* ابان eodem uſu frequentatiſſimum. Huc pertinet etiam Gloſſa illa olim adducta, *Rem abſolvere*, quaſi *explicare eam*. Noſtrum autem non tam *finire ſermones* jubet *Bildadus*, ut tunc autumabam, inductus præc. colo male verſo, quam *definire*, & *explanare*. Huc tendit, *Et poſtea loquemur*, ſive potius, *diſceptabimus* & *controverſiam rite expoſitam*, *diſcuſſamque*, *dijudicabimus*. דבר *judiciale* crebro indicatum. אחר ſic plena Emphaſi lucet.

Verſ. 3. Meliori parti nunc accedit *Merc.* τὸ *in oculis veſtris* declarans *in conſpectu tuo*, *O Jobe*, *&* *tuorum*. Addit, alios malle, *idque vobis*, *O Amici*, *inſpectantibus*. Cl. *Schmid.* his veſtigiis inhærens, argutiuſcule hinc rationem exſculpit, ob quam *Bildadus* velit *Jobum* ab omnibus ſimul interrumpi. *Itane in conſpectu veſtro*, *O Amici*, *tum Ego*, *tum vos*, *pro pecudibus tractabimur?* Noſtra mens ex præcedentibus ſat clara. Ad בהמה *pecus* teneatur Radix, ab aliis jam reducta, בהם بهم *obſtructis fuit ſenſibus.* Huic *Origini* ſuccineret נטמינו, ſi *Thema* ejus eſſet טמה, eique eadem ſubeſſet vis, quæ τῷ טמם طم *obturavit* & *opplevit puteum*. Riſit hoc multis *Rabbinorum*, ut ex *Merc.* & *Schmid.* percipias. Chorus tamen Interpr. illuc juncta fere manu concedit, *Radicem* eſſe טמא *impurus fuit*; unde *Vulgat.* eleganter quoque expreſſit *ſordemus*. Formam *Niph.* melius tamen ſic repræſentes, *ſordidi facti ſumus in oculis veſtris*. Refertur a *de Pined.* ad *ſordes orationis minus cultæ*, *terſæque*; *ac propterea nauſeam moventis.* Id ſenſum vix impleat. Alii de *ſordibus Hypocriſeos* cogitant; quibus *Cocc.* calculum adjungit. Plurimi cenſent *pecudum* notam exaggerari ab *immunditie*, quaſi pro *impuro grege* ſodales ſuos ſpreviſſet *Jobus*. Iſtam exaggerationem ſtomachus *Bildadi* arripere potuit ex *Vſ.* 4.

4 O lanians animam ſuam in naſo ſuo: ſane propter te derelinquetur terra; & revelletur rupes e loco ſuo!

5 Ni-

4 טרף נפשו באפו הלמענך תעזב ארץ ויעתק צור ממקומו׃

5 גם

Cap. præc. Fateor tamen me non alienum a priore illo adſpectu, *Obturati ſumus* corde, & ſenſibus, *tuis in oculis judicioque*. Jucundior ſic exiſtit imago a *puteo oppleto*, aut *obturato*, quem *Arabum* ſtilus transfert ad *pectus obtuſum*. Nempe *ingenium* figurate vocant قريحة *ſcatebram*, vel potius, *primam e fonte* aut *puteo proſilientem aquam*. Inde جم القريحة *uberi ingenio præditus*; & contra, جمود القريحة *congelatus aquam putei*, pro *ſtolido*. Tetigi ad *Harir. p.* 99, 100. & alibi latius exequar: quod & alia in ſacris extent hinc illuſtranda. Nunc tantum ſubmoneo, apud *Arabes* طما *ult. Vaw. & Je*, id eſt טמה, manſiſſe, iiſdem fere notionibus cum طم טמם. Id quia longiorem requirit diſcuſſionem, *Originibus* deputatur. Hic modo teneatur, נטמינו bono fundamento converti poſſe, *obturati ſumus*, de quo hactenus addubitatum. De cetero optionem ita in medio relinquo, ut ad poſterius ipſe quidem paulo ſim propenſior. Alii prius forte tutius eſſe decernent. Conſimiliter judicium ſuſpendo ad *Lev.* 11: 43. *Ne* תטמאו *polluatis voſmet ipſis*, ונטמתם בם, vulgo, *ut polluti fiatis per illa*: at *Kimch. ut obturemini per illa*; ſive *mente obſtruamini*: quod novam gratiam, & lumen, adfert illi ſanctioni.

Verſ. 4. Non convertitur nunc ad *Jobum* impetus, ut *Merc. Schmid.* &c. volunt, ſed magna vehementia ſuſceptus continuatur. Retorquetur in Noſtrum, quod Amicis impegerat *Cap.* 16: 2, 10. atque *ſuamet* ipſum *impatientia*, & *impotentia*, *ſeſe dilaniare* graviter reponitur. אף *ira*, *furor*, proprie ſignat *Naſum*; hic autem ſpeciatim *Naſum elatum*, *inflatum*, *fumantem*, *qui ſuperbum aliquid & ſævum ſpirat*; & *more leonino fertur ad laniandum*. Exiſtimem præterea alluſum ad *Cap.* 13: 13, 14. *Tollam carnem meam ſuper dentes meos* &c. *Adſ.* 3. *perſ.* pro 2. ſolenni *Arabiſmo* attigi in *Juven.* & ad *Harir. p.* 15. Eadem elegantia يا هذا [illegible] *Heus ille*, pro *Heus Tu*, frequentatur. *Cap.* 17: 10. habuimus כלם *omnes illi*, pro *omnes vos*.

Ibid. Cenſura ipſa profundi ſenſus, utroque ſub membro. *Merc.* hunc exhibet, *Num tua cauſa deſeretur terra*? neque a Deo juſtis amplius legibus regetur, bonis bene, malis male faciendo: *& rupes transferetur e loco ſuo*? i. e. *ordinaria Dei judicia in impios ſancita abolebuntur*? In hac explicatione, quæ plurimos abſtulit calculos, *Rupes* aliis eſt ipſe *Deus immutabilis*; ex noto uſu *Emblematis*. Illuc inclinat quoque Cl. *Vitr.* ad *Eſaj. Cap.* 26. *p.* 58. Res eodem redit; nec fieri poteſt ut vel *Deus*, vel *Divina judicia*, aut *decreta*, hinc abſint. Cl. *Cocc.* longe diverſum adſpectum præbuit, *caſtigari* autumans *Jobum*, quod partim *poſtulaſſet*, *ut Deus improbos exterminaret omnes*, *& quidem ſtatim*; *hoc enim ſi fieret*, *Terram brevi habitatoribus vacuam fore*: partim, *ut pii rebus mortalium eximantur*: *inde enim rurſus ſecuturam fore Terræ derelictionem*, *quam tanti non ſit improborum cauſa conſervari*. Ad hanc faciem *Rupes* ei eſt *firmiſſimum Dei propoſitum exercendæ longanimitatis*, *nec ſtatim improbos pro ſceleribus puniendi* &c. &c. Meditationes haſce ſuggeſſit *Hypotheſis* ſæpiuſcule revicta; utpote quæ tum alibi, tum hic, directe pugnat cum *ſtatu controverſiæ*; quum ipſe *Bildadus* mox demonſtraturus ſit, *omnes improbos Divinitus eradicari*, *omnique genere judiciorum funditus deleri e terris*. Cl. *Cler.* ita [illegible]; *Num quia præ ira-*

cun-

5 גם אור רשעים ידעך ולא־יגה שביב אשו׃

5 Nihilominus lumen improborum extinguetur: & non ſplendebit flagrantia ignis ejus.

6 אור

6 Lu-

cundia temet crucias, *nos oportet ſolum vertere*, *& qui ſunt rupium inſtar immoti*, *transferendi*? Videtur idem voluiſſe quod Cl. *Schmid.* dedit, *Num propter iram tuam omnes fugient*: *ita perterriti*, *ut terra vacua relinquatur*; *& num coram te irato montes non conſiſtent*, *ſed vel ipſa petra convelletur*? Prius ad *homines*, poſterius ad *Deum* ipſum applicat, homulli *minis neutiquam terrendum.* Obſervat quoque videri *hyperbolice* datum *Jobo*, quod alias de *Deo* prædicatur, *Eo iraſcente montes concuti.* Huic adſpectui favet, quod præmiſi de *Naſo elato & inflato*, quo omnia *perfringere*, ac *diſſlare* velle, viſus erat *Jobus*, *Deum* juxta, *Hominesque*, invadens. Nervoſius adhuc erit, ſi ה non *interroget*, ſed *aſſeveret Ironice: Ecce*, vel *Sane*, *propter te derelinquetur terra*; *& Rupes e loco ſuo revelletur.* Ad *literam* id valeret, *Tu videris ſuperbo flatu Naſi tui terram*, *maria*, *montes*, *diſſipare poſſe.* Sublimiore ſenſu complecti licet vel quod *Schmid.* volebat, vel quod *Merc.* intendebat; hoc pacto: *Enimvero credo Tui cauſa Deum abjecturum eſſe terræ moderamen: & Leges juſtitiæ ac ſanctitatis*, *in natura Dei fundatas*, *rupiumque inſtar immotas*, *fore convellendas.* Hoc accommodatius ad vocem למען, quum alterum illud מפניך potius poſtulaſſet. Alios adhuc conatus reperias apud *Erud. de Pined.* inter quos non diſplicet, *Itane*, *te occumbente*, *omnia occident*, & *fabrica mundi corruet*, *quaſi tu ſolus eam fulcires*? Illuc quoque tendit *Bolduc.* aliis verbis. Sic carperetur nimia illa *Paratragœdiatio*, qua *Religionem* ac *Virtutem* non tantum in acerbiſſimo ſuo caſu *periclitari*, ſed & *ſecum ſepeliendam fore*, inſinuaſſe videbatur *Cap.* 17: 8, 16, 17. Sed & hoc non ſatis aptum ad voculam למען, quæ infert fere *Cauſam*, *perſonamve*, *ob quam* & *cujus reſpectu quid fiat.* Iſtam vim ſuperior expoſitio obſervat: nec tamen in ea penitus acquieſco. Meliori interpretationi faculam prætuliſſe ſuffecerit. Ad quemcumque tandem conſpectum juvabit עזב عزب ſpeciatim *in terra incolis vacua*, & quaſi *viduata*, aut *viduæ* inſtar *deſolata*; quod haud injucundam præbet imaginem.

Verſ. 5. Duplicem vim voculæ גם *Etiam*, ad ſeriem contexendam, proponit *Merc.* Primam, *quantumvis repugnes & te innocentem clames* &c. Alteram, *quantumvis floreant improbi*, *& in magna luce verſentur.* Eodem ſpectat & tertium ex *Rambane* appoſitum. Cl. *Coc.* pro ſua hypotheſi, *Etiamſi Deus nolit terram deſeri*, *tamen non omittit interim improbos in exemplum judicare.* Cl. *Schmid.* quæſite, *Quemadmodum coram te terra & montes non fugient*, *ſed manebunt*, *ſic etiam hoc manebit*, *lucem impiorum extinguendam.* Rectius tenuiſſet, quod ſprevit, *Nihilominus*, vel *Attamen*, vel *Immo certe*, ut a *Piſc.* & *Belg.* expreſſum; qui *Merc.* nexum priorem ſequuntur. Eum & ego prætulerim; niſi quod ad reliqua quoque extenderem, quæ *Vſ.* 2, 3, 4, poſita. Quantumvis *Laqueos nectas cavillationum: quantumvis nos pro brutis & bardis contemnas: quantumvis impotenti ira temet lanies*; *& terram rupeſque ſedibus ſuis emovere velle videaris*, *immotum tamen ſtat*, *& ſtabit*; *Lumen improborum fore extinguendum: quippe qui ipſe hujus veritatis evidentiſſimum nobis praeſtas documentum.* Habes aculeum *Bildadi* vehementiæ reſpondentem.

Ibid. Subtile nimis quod *Lux extincta* revocetur a Cl. *Cocc.* ad *illuminationem ipſis creptam*, *ita ut ne minima* quidem *ſcintilla vitæ ſpiritualis in ipſis remaneat.* Simile quid voluerat *Cajetan.* intelligens *Doctrinam* & *Dogmata Jobi.* R. *Levi* a *Philoſophia* ſua non diſceſſit, ſed *intelligendi facultatem* huc ingerit. Melius *Merc.* ad *opes*, *potentiam*, *gloriam*, *ſplendoremque nominis*, ac *vitæ*, hæc emblemata retulit, iſta facie nemini non ſeſe inſinuantia. Communi ergo calculo id comprobatum; de quo dubitare non patitur perpetuus *Arabum* ſtilus. אור *Lumen* in *Sacris* notiſſimum pro *felicitate*, *lætitia*, & *gloria*: ſed *flamma ignis*

iin

6 Lumen in tentorio ejus obtenebreſcet: & lucerna ejus ſuper ipſo reſtinguetur.

7 Ar-

6 אור חשך באהלו ונרו עליו ידעך׃

7 יצרו

in eundem ſenſum *Arabiæ* domeſtica fere. Sic شهاب *flamma ignis radios ſpargens* paſſim apud floridos Auctores *Haririum*, *Iſpahanenſem*, *Arabsjadem*, & *Poëtas*, pro *fortuna ſplendida*. In *Conſ.* 26. *Harir.* غربه ذلق وشهبه تتالق *Acies ejus penetrat*, *& flammæ ejus coruſcant*; de *divite* & *potente*. Item فانه بر بمن انس ضوء شهبه *Eſt liberalis in omnes qui accedunt ad ſplendorem flammarum ejus.* Apud *Arabes* quoque Radix شب שבב *Micuit*, & *exarſit ignis*, in *Lætioribus fortunis* pervagata eſt. Inde non tam *ſcintillam*, quam *vividam vim ignis ardentis* ſonare τὸ שׁביב, antea jam commonui. *Origines* hoc ipſum preſſius demonſtrabunt. Acumina nonnulla, & luſus ingenii, ad *ſcintillam ignis*, exhibuit *de Pined.* ut, primo, *felicitatem improborum adeo eſſe infirmam & obſcuram ut ne ſcintillare quidem poſſit.* Item, ſecundo, *ex illo igne felicitatis, ne ſcintillam quidem relictum iri.* Denique tertio, *ignem impiorum non diu refulſurum, quod ſcintillæ ſubito evaneſcant.* Cl. *Schmid.* etiam *Emphaſin* captavit in eo, *quod ne ſcintillula quidem ignis improborum ſit fulſura.* Melius obtemperaſſet *Mercero*, qui *flammam ſplendentem* dedit, *ſolito fulgore privandam*; & *in tenebras convertendam.*

Verſ. 6. Iterum ſpirituali adſpectu *Cocc.* & heic, *Lux* veritatis, & verbi Dei, *opacatur in tentorio ejus*, non illuminans amplius odio veritatis laborantem, & male ſibi conſcium urens. *Lucernaque ejus apud ipſum extinguitur*, ipſam rationis naturalis ſtricturam obtenebrat, & extinguit, malitia ſua, Satanæ ſeductione, Dei judicio. Hæc non admodum clementer excepta a Cl. *Schmid.* ne *Theologia* ejus detrimenti quid caperet, metuente. Non deſcendo in iſtum campum; ne & ipſe Zelo minus tempeſtivo me dedam: & præfero quod *Merc. de Pined. Schmid.* aliique de *Felicitate obſcurata & extincta* hæc interpretentur. Eſt etiam bona obſervatio *Schmid.* in ſententiis hiſce alluſum ad *Luminaria quæ in Tentoriis ſupra Caput conſidentium ſuſpenſa.* Idem monuerat *de Pined.* nec non *Bolduc.* qui ulterius quoque, ſuo more, progreditur, atque *ante Moſen* hic invenit *Tabernaculi ſacri* delineationem, ſive *Sacraria* in quibus *Lampades* refulgebant, & *Oracula* petebantur. Eodem detorquet *Ignem* præc. *Iſ.* quem non *figurate* tantum, ſed & *literaliter* ſumendum contendit, de *foco altarium*, quibus *Sacraria* hæcce nobis inſtruit & exornat. Hominis in talibus doctam nimis luxuriem ſæpicule indicavi. Cl. *Cler.* ad *Lucernas tentoriorum* ita reſpicit, ut in *litera* ſubſiſtere voluiſſe videatur, vel *morte*, vel *fuga*, vacuefacta ea proponens. Omnino cum *Literali* ſenſu *ſublimior* conjungendus; vel potius poſterior unice tenendus cum alluſione ad priorem. Ergo *Lumen Obtenebratum in Tentorio*, eſt *Fortuna Domus extincta*, & quidem deſubito, ita ut quum *Familia opulentiſſima* foret, eademque *numeroſiſſima*, *Rem*, *prolemque*, *necopinatus caſus*, *occaſuſque*, *involverit*, *ſine ulla ſpe reſtitutionis.* Eodem collineat *Luminare ſupra caput extinctum*, in quo conſpicitur illud *ſubitum*, & *necopinatum*, quod *improbo* in *Fortunatiſſima Domo* ſibi *placenti* cum maxime, & *plaudenti*, Divinitus injectum, ad *ſpes opeſque* ejus omnes uno velut momento delendas. Imago *Lucernæ* totam *Domum illuſtrantis* in Orientalium deliciis eſt, pro *Fortuna ſplendidiſſima*, itemque *perſonis iſtam Fortunam ſuſtinentibus*, *& ad ſeram poſteritatem propagare aptis.* Vide 2 *Sam.* 21: 17. 1 *Reg.* 11: 36. 1 *Reg.* 15: 36. *Pſ.* 132: 17. En ſpecimen ex *Hiſt. Tamerl. p.* 8. وكل واحد من هولاء الوزراء كان من قبيلة في ارايه لسراج (L: قبيلته) بيوت تعميرها فتيلة طويلة

Qui-

7 יצרו צעדי אונו ותשליכהו עצתו׃

7 Arctabuntur greſſus potentiæ ejus: & proſternet ipſum ſuum ipſius conſilium.

8 כי

8 Nam

Quilibet horum Veziriorum, ad Lampadem conſiliorum ſuorum, ſuæ Tribui, in domibus habitationum ipſius, præſtabat prominens Ellychnium. Conſimiliter ſolenni formula dicunt الدهر اطفا سراجي *Mala fortuna extinxit meam Lucernam*, pro *ſpes opeſque familiæ florentiſſimæ delevit.*

Verſ. 7. Tritiſſima eſt in ſtylo Orientali *Figura Greſſuum*, ad *vitæ ſtatum* ſignandum. Hinc *Greſſus ampli, laxique*, pro *Fortunis ampliſſimis*: & contra *greſſus arcti*, pro *anguſtiis vitæ, miſeriiſque ineluctabilibus.* Juvabit ſpecimina nonnulla promſiſſe. Ex *Ibn Doreid*,

من لم يقف عند انتهاء قدره
تقاصرت عنه فسيحات الخطي

Qui non intra virium terminos ſe continet,
Ejus ampliſſimi greſſus coarctabuntur.

Ex *Hamaſa*

لا عثرت منا الجدود العواثر

Non offendunt greſſus noſtri nutantes.

Monet ibi *Taurizius* اذا هلك الرجل يقال عثر جده وتعس جده *Quum quis perit, dicitur greſſus ejus offendere, & cæſpitare.* Item

علي بدر تقاصرت
الجدود

Propter Bedrenſe prælium coarctati greſſus ſunt.

Hoc eſt, تواضعت الحظوظ *Fortunæ depreſſæ & adflictæ ſunt*, ut *Tauriz.* proverbialem eſſe formulam indicans. Iterum

عتبان قد كنت امرأ لي
جانب
حتي رزيتك وتضعضع
الجدود

O Itbane! eram vir forti Latere firmus,
Donec te perdidi; tum depreſſi ſunt Greſſus.

Ubi idem *Schol.* يعني ان الجدود تنحط بعد الارتفاع *innuit fortunas peſſumiviſſe quum antea in culmine ſtarent.* In *Moallek.*

تنمينا جدود وعز
قعساء

Attollimus greſſus, & gloriam gibbo præditam.

Hoc eſt, *Poſſidemus potentiam & gloriam celſiſſimam, ac vinci neſciam.* Ita *Schol.* نحن في عزة ثابتة ومنعة *ſumus in gloria ſtabili, & firmitate inacceſſa.* Germaniſſimum eſt *Pſ.* 18: 36. תרחיב צעדי תחתי *Amplos reddis greſſus meos ſub me*: & *Prov.* 4: 11. *Quum ambulabis* לא יצרו צעדיך *non arctabuntur greſſus tui.* In צעד *greſſus* ineſt aliquid *grande*, ac *celſum*, quod ad *Vſ.* 14. exponetur. צעדי און

Greſ-

8 Nam jactus factus eſt reti ad pedes ejus: & ſuper reticulo implexo obambulat.

9 Apprehendet calcaneum laqueus; inſtringet eum nexus nodoſiſſimus.

10 Ab-

8 כי שלח ברשת ברגליו ועל־שבכה יתהלך׃

9 יאחז בעקב פח יחזק עליו צמים׃

10 טמון

Greſſus roboris, non male a *Merc.* declarantur *Greſſus robuſti & firmi.* Nimis tamen *literam* preſſiſſe videtur. Preſſit certe *Schmid.* cui *greſſus roboris* ſunt *quos ex omni robore & viribus ſummo conatu facere tentabit*; *ut infortunium ingruens evadat.* Hoc ab *Idea Orientalium* ſub formula noſtra plane abludit. Eam Cl. *Cler.* etiam non ſatis valide expreſſit, per *Progreſſum augeſcentis potentiæ* qui dicatur *coërcendus.* Pingitur potius homo *in ſumma potentia*, & *Fortuna*, *magnifice incedens*, vel *gradum grandiens*, μακρὰ βιβάσθων, non ſine *faſtu*, & *reſupina ſecuritate*; quem *ſubita caſuum* formidoloſiſſimorum *ad extremas anguſtias redigerent*; & in *ruinam præcipitarent.* Huc collineat, *Et proſternet eum conſilium ejus.* Senſus eſt, quum ſibi *ſtare* videtur *prudentia* & *conſilio munitiſſimus*, tum eo ipſo *conſilio exitium* ſibi ſuum *maturabit*: atque in caſſes inextricabiles incidet.

Verſ. 8. Impeditior paulo ſtructura prioris membri. *Merc.* dedit, *Immiſſus eſt in rete per pedes ſuos.* Hoc proverbium Latinum ſic redderet, *ſuo ſibi jumento malum arceſſivit.* Cl. *Coccejo* placuit, *it cum reti in pedibus ſuis.* Sic τὸ שלח *mittitur* eſt *ire permittitur*; ita tamen ut *pedes irretitos habeat*, nec facere queat quæ velit. *Rabbini* ajunt alterutrum ב πλεονάζειν, & vel vertendum eſſe, *immiſſum eſt rete in pedes ejus*; vel *immiſſi ſunt in rete pedes ejus.* Expoſitionem *Merc.* ita præfert *Schmid.* ut malit *immittetur in rete quoad pedes ſuos*: illuc ducit & *Belg. verſ.* Mihi præplacet, *immiſſum eſt rete in pedes ejus*, nec tamen *Pleonaſmum* prioris ב agnoſco; ut nec ſtructuram illam ſimplicem, quæ poſtulaſſet שלחה רשת. Figuratius eſt, *Miſſum eſt reti*, vel *jactus factus eſt reti*, *ad pedes ejus.* Eſt imago deſumta ab iis qui *ampliſſimum Rete quaquaverſum expandunt. Rete jaculum* ergo intelligitur, divinitus *objectum pedibus* improborum, ad eos *in necopinatam perniciem detrahendos.* Illuc fertur & alterum membrum, *Obambulat ſuper reticulo.* Ex *Ling. Arab.* vim hanc firmavit *Ab. Eſra*, ut in *Juvenil.* tactum. Nempe شبك eſt *inſeruit*; *plexuit opere reticulato*; unde شبكة ſpeciatim شبكة الصياد *Rete venatoris*, in *Camuſo.* Cl. *Schmid.* minus fidens huic notioni, in ſacris alibi haud obviæ, utitur altera *operis cancellati*, ut *Ambulare ſuper cancellos*, ſit, *ibi verſari*, *unde lapſus periculoſiſſimus immineat.* Videtur reſpexiſſe caſum 2 *Reg.* 1: 2. *Lapſus eſt Achazia ſuper cancellos in cœnaculo.* Intelligitur *feneſtra cancellata*, quæ & ipſa *Arabibus* شباكة *ſubbacha.* Sed quis fando audivit unquam? *Ambulare ſuper feneſtris cancellatis.* Credo *Pinnaculum* aliquod, aut πτερύγιον, Viro Docto obverſatum: ſed ſic in hac Congerie diſſonantia exiſteret haud ferenda. Haud dubie cum reliquis *Interp:* tenendum *Rete*, & quidem *tale*, ut puto, *ſuper quo ſpatiatur læta ales*, *neſcia ſe pernicie mox involvendam.* Habes *Rete ſparſum ante oculos volucrium*, ſimili figura *Prov.* 1: 17. Inde quoque percipias genuinam vim, quæ eſt, *in mediis deliciis*, *illecebriſque*, *fortunæ opulentæ*, *maledictioni Divinæ obnoxium vivere*, *cum præſentiſſimo periculo omnis exitii*, *necopinanter ipſum circumretituri.* Erud. *de Pined.* *Ambulare in maculis* ſive *foraminibus retis*, exponit, *eſſe in anguſtiis*, *vivere in arcto ſpatio*, *quantulum eſt interſtitium macularum in reti.* Hanc nollem vocaſſet *germanam expoſitionem.* Germanior eſt, quam ſubdit, de *diſcrimine*, *individuo comite improbitatis*: *quum impius pedes habeat poſitos intra maculas retis*, *mox per mortem adducendi* &c. &c.

Verſ. 9.

10 טמון בארץ חבלו ומלכדתו עלי נתיב׃

10 Abſconditus in terra funis ejus; & decipula ejus ſuper via regia.

11 סביב

11 Cir-

Verſ. 9. Ex *Rambane* adoptavit *Merc.* *Apprehendet calcaneo laqueum*, ut *ipſemet impius eum* dicatur *gravi pede calcare*, & *calcando ſibi induere.* Eſt paulo argutius: nec pondus addit: quod majus in illo, *Apprehendet calcaneum Laqueus.* Non tam validum fuerit, ſi ſuppleas, *Apprehendet* illum *in calcaneo laqueus.* Mecum faciunt *Cocc.* & *Schmid.* אחז *rem apprehenſam* per ב amat ſignare. בעקב ſine *adfixo*, grandius, quam בעקבו *calcaneum ejus.* פח *Laqueus*, convenit cum *Arab.* فخ *Pedica*, *decipula.* Sentis *Calcaneo* opportuniſſime additum *Captorem* illum *nexum Laquei occulti*, necopinato *pedem inſtringentis inter deambulandum.* Sequens צמים longas nobis moras necteret, niſi jam diverſiſſimas Interp. opiniones percenſuiſſem ad *Cap.* 5: 7. Hæ omnes hic recurrunt, non citra novum conſtructionis & ſenſus impedimentum. Sentias ex illo *Cocceji*; *Tenet calcem laqueus*; *cui manum injicit Horridus.* Intelligit *Diabolum*, cujus, ut & peccati ſervitutem, hic deſcribi cenſet. Sentias item ex *Schmidii* hocce; *prævalere faciet* laqueus *adverſus illum horridum.* Si *prædonem* ſignaret vox, ſimpliciter ſubſcriberem *Mercero* & *Belgis.* Sed huic, ut & aliis, aliunde illatis, notionibus, quam parum loci ſit relictum, ſupra diſcuſſimus: ibidemque exhibui, *inſtringet eum laqueus nodatus.* Poſſes etiam, ad ſtructuram Cl. *Clerici*, ſatis commode, & *adſtringit ſuper eum bene nodatum nexum.* Nempe צמים non eſt *ſubſt. plur.* ut Vir Doctus autumabat, *ſed* eſt *adject.* formæ צַדִּיק, quod proprie *nodatum*, *implexumque*, deſignat, vel *funem*, vel *nexum.* Hoc pacto יחזק ad פח rediret, quum alias a צמים regatur; quod plenius & commodius: ut ſex Synonyma, per ſe ſtantia, accumulentur, ad *diritatem improviſi exitii exaggerandam.*

Verſ. 10. Decentiſſime finitur congeries. חבל *Funis*, vel *Aucupis*, vel *Venatoris*, quo *Rete attrahitur*; ipſumque adeo *Rete jaculum.* Erud. *de Pined.* dubitat, an *prædones* intelligantur, ideo *abſconditi in terra*, quod *in cavernis habitarent:* an *Mors*, & pediſſequa *ſepultura*, quæ *in terra* quaſi *abſconditæ*, ad impium tandem capiendum. Utrumque, eo quidem adſpectu, haud ſatis ſimplex. Neutrum tamen excludo, quia حبل *Funis* hicce, haud ſecus ac Ἄρκυς, δίκτυον, ἕρκος, *omnia* omnino *mala* amplectitur; & quidem *necopinata*, *prodigioſa*, *ineluctabili neceſſitate perimentia.* Exempla ad *Cap.* 5. reperies *pag.* 137, 138, 139. Quam late pateat *Rete*, cernas quoque ex hocce *Sophoc. Ajac. Vſ.* 60.

> Ἐγὼ δὲ φοιτῶντ' ἄνδρα μανιάσιν νόσοις
> ὤτρυνον, εἰσέβαλλον εἰς ἕρκη κακά.
>
> *Ego vero virum furentibus morbis correptum*
> *Impuli, injeci mala in Retia.*

Et *Euripidæo* illo *Med.* 985. τοῖον εἰς ἕρκος πεσεῖται *in tale incidet Rete. Tam diro malo circumretietur nova nupta.* Sentis ex natura Emblematis, *diriſſimas* quaſque *Calamitates*, quæ *improbos* maneant *generatim*, quæque *ſpeciatim* in *Jobum* ingruerint, hoc vocabulo, ejuſque ſynonymis, deſignari. Eorum quodque ad ſingularem ſpeciem calamitatis revocare velle, eſſet nimium acumini ſuo vel concedere, vel confidere. Interim ad *Congeriem malorum Jobi* depingendam, tot *Retium nomina* eſſe congeſta, nullus dubitem. Ultimum מלכדת proprie ſignat *inſtrumentum captionis.* Non abhorret, notari *Everriculum*; plurimis placuit *Decipula.* Anguſtiæ, in quibus verſamur, veteris Linguæ, id finiri non patiuntur: niſi forte aliquid opis ferre

queat

11 Circumquaque eum necopinanter oppriment terrores: & diſſipabunt eum ad pedes ejus.

11 סביב בעתהו בלהות והפיצהו לרגליו :

12 Cavo ventre famelicus erit dolor ejus: & grave exitium paratum eſt coſtæ ei infringendæ.

12 יהי־רעב אנו ואיד נכון לצלעו :

13 De-

13 יאכל

queat *Origo* alibi promenda, ſecundum quam ſuſpicor *Copulam viſcatam* ſignari. Quod *in terra*, & *ſuper ſemita*, *abſconditæ* dicantur hæ *Fraudes*, & *Machinæ*, non male refertur ad *ſecuritatem loci plani*, & *aperti*, *ubi nihil metuendum* videbatur. Addit *de Pined.* ſat ſpecioſe *curſum proſperitatis*: quin ex *ſemita*, cum *Niceta*, elicit *Felicitatem* omnibus *conſpicuam*; quæ ipſa *ſubitam perniciem* ſit inductura. Id ſpecioſius adhuc reddit Thema نتب *Eminuit*, unde נתיב non eſt *ſemita*, ſed *via ampla*, *conſpicua*, *eminens*, *regia*. טמון juſtam quoque ſedem occupat, nam טמן proprie eſt *Abſcondere in ſinu terræ*; ibique *infodere*. Indicat ergo *Bildadus*, in media *ſecuritate*, & *amplitudine ſortunarum*, quum *ſpatioſiſſimis greſſibus ſuperbus incedit*, ſeque infert, improbus, eum *necopinato deprehendendum*, *in perniciemque detrahendum*. Sic cum *Vſ.* 7. tandem ambitioſa hæc periodus venuſte ſemet connectit; oſtenditque, quo pacto *Greſſus potentiæ in arctum cogantur*, atque *ad incitas redigantur*.

Verſ. 11. Ambigitur, pertineatne ad præcedentia, an ad ſubſequentia. *Coccejo* prius, *Schmidio* poſterius præplacet. Mihi ita cum ſuperioribus videtur cohærere, ut commodum præbeat progreſſum ad ulteriora; nec diſtinguo, quod impetus orationis utrinque nexuit. Vocabulum בלהות Cl. *Cocc.* ſonat *denſas nebulas*; a *Rad.* בלל *miſcuit.* Id limpidum nemo dixerit. Tutius acquieſci putem receptæ opinioni, quæ בַּלָּהָה idem valere ſtatuit, quod בֶּהָלָה, pro בַּהָלָה ex *Pih.* ג׳ בהל; in quo ineſt *præcipitans feſtinatio*, *& terror præcipitem agens* aliquem. Apud *Arabes* quoque تبله הבלה in 5. *conj.* exponitur, *Errabundus ivit ſine ductu*, *aut percunctatione*: quod cum تبهل תבהל adfinitatem colit, alibi pandendam. Suſpicor בלהות ſpeciatim denotaſſe *Diras mentem exterrentes*, atque adeo *externantes.* Cur *ad terrores cum morbo quem corripientes* reſtringas cum Cl. *Schmid.* nil cauſæ eſt. Caſus tamen *Jobi*, ad quem ubique alluſit Declamator, iiſdem locum quoque ſuum hic concedit: ſed non tam arctum, qualem voluit idem *Vir Doct.* quum poſterius colon trahit ad *Epilepticos terrores*, *qui hominem diſpergant ad pedes ſuos*, id eſt, *proſternant in ipſis pedum veſtigiis in quibus ſtetit.* Ad hoc colorandum הפיץ *diſpergere* pro *expandere ſtratum corpus* poni poſſe contendit, ſine exemplo: quod enim ex *Job.* 38: 24. adducitur, nullum eſt. Tale quid obverſatum & *Jarchio*, a נפץ danti, *Excutient eum*, ut *in pedes concidat perculſus*; aliis item *Rabbinorum*, a *diffringendi* notione reddentibus; *Confringent eum ut pedibus in terram allidatur.* Ex Noſtris plurimi, præeunte *Merc.* *Diſpergent eum in pedes ſuos*, vel *ſuiſmet pedibus*, exponunt, *fugabunt eum*, *in fugam præcipitem agent.* Elegantius, & grandius, illud *Cocc.* *Diſſipant eum ſecundum pedes ejus*; i. e. *quacumque pedem movet*, *exagitant eum*; *ita ut ad ſingula veſtigia titubet*, *& de linea detrudatur.* &c. Amplector: nec tamen ſupprimo, quod mihi aliquando ſuccurrebat: *Diſſipant eum*, *ad pedes ejus objecti*, nempe *Terrores.* Idem ſic eſſet conſpectus *formidinum formidoloſiſ-*

loſiſſimarum, qui *Eſaj.* 8: 14. Hoc ipſum voluiſſe *Cocc.* ſuſpicari licet, quum ad *venatum & formidines indaginis circumquaque objectas* reſpexit. Cl. *Clerico* hæc referenti ad *vagationes latronum Arabum*, *inſidias fugientium*, *ab oppidanis poſitas*, neſcio quid minuti oculos præſtrinxit, ſub ſpecie reconditioris cujuſdam Eruditionis.

Verſ. 12. Minutum quoque, & plusquam dilutum, eſt, quod idem *Vir Doct.* hæc explicet de *Fame*, qua *Latrones* deſerti *nonnunquam laborent*; ut & de *periculo*, cui expoſiti ſint *latrunculi*, ne viciſſim & ipſis *latus confodiatur* ab aliis. Ad Granditatem rerum & Sententiarum etiam non aſſurgit ſenſus ille, qui hæret in *Morbis gravioribus*, *vires conſumturis*. Merito ſine *Craſſum nimis* cenſuit *Merc.* quod *R. Perizol.* cogitarit de *Apoſtemate*, aut *ſimili malo*, *ad latus læſum exſtituro.* Cl. *Schmid.* qui *Vſ.* præc. *Epilepſiam* inveniebat, ejus *continuationem* hic reperit, in huncce ſenſum, *Robur ejus emaciabitur*; *& Latus ejus invadet morbus exitialis*, *qui vires ejus*, *& coſtas*, *quantumvis firmas*, *debilitet*, *atque depaſcatur*: *ita ut corpus ſe amplius ſuſtinere non valeat.* Non video, quid hoc differat a mente Cl. *Cocc.* cujus hæc eſt παράφρασις: *illa* ἐπιχορηγία *Vegetabilis ſucci*, *& ſpirituum*, *qua vis hominis conſtat*, *imminuetur*, *& Craſis corrumpetur*, *ut debilis factus claudicet.* Vertit nempe, *Calamitas parata ad Claudicationem ejus.* Subdit tamen, verti quoque poſſe, *Calamitas parata eſt Coſtæ*, vel *Lateri ejus*; atque ita *diriſſima mors*, ſeu *morbus*, *artus ejus depaſcetur Vſ.* 13. Ne hoc quidem multum diſcrepat a *Merceri* expoſitione, *Robur ejus famelicum erit*, fame debilirabitur & conficietur; *& calamitas parata eſt Lateri ejus*; *ei undique imminens.* Similem fere conſpectum dederat *Vulg.* cum voto imprecatorio, *Attenuetur fame robur ejus*, *& inedia invadat coſtas ejus.* Diſcrimen tamen in eo, quod *Merc.* *duplex* concipiat *Malum*, *Famem* nempe, & *graviorem morbum*; vel *Caſum* quemcumque *atrociorem*, unde *pernicies* creetur. Addit איד proprie *Nubem* deſignare, ſive *Vaporem*, atque inde ad *Calamitatem*, & *gravius infortunium*, transferri. Id neutiquam liquidum; ut nec plana valde ſententia, *Robur ejus erit famelicum*, pro *fame conficietur.* Hoc anſam dedit *Allegoriæ* ſubtiliori, qua *Robur* pro *Filio*, qui ראשית און *principium roboris*, placuit *Chaldæo*, *Jarch. Ramb. Periz. Pagn. de Pined.* nec non צלע *Coſta*, pro *Uxore*, eidem *Chald.* & *Jarch.* ut & *Grot.* accedente etiam *de Pined.* quin *Collaterales Amicos* adjungente. *Ab. Eſra* און pro *dolore* poſitum vult, ut in בן אוני *Gen.* 35: 18. addens obſcure ſatis שישבע ממנו *quod eo ſit ſaturandus.* Quis? & quo? *Improbusne dolore*? an *dolor improbo*? Prius viſum *Rambano.* Poſterius conſciſcerem Cl. *Schmidio*: ut *Dolor ſeſe ex impio ſaturet.* Hoc ex *Vſ.* ſeq. ſuggeſtum *Ab. Eſræ*, ubi *primogenitus Mortis vorans*, & *lanians* inducitur, *ramoſque omnes corporis depaſcens.* Eſt *Dithyrambica* imago, *Dolor Famelicus*, רעב, *Cavo ventre præditus*; atque *inſatiabiliter ſurens.* Eam dignam cenſeo ulteriore examine; ad eamque commendandam obſervo, *Dolorem ſævum* ſtylo cothurnato dici Δάπτειν, διαρδάπτειν, *dilaniare corpus*, *membra*, *viſcera*; *eaque vorando ſe ingurgitare*, & *ſaturare*; qua occaſione Δάπτεσθαι *dilaniari* dicitur *Cor*, aut *corpus* alicujus, *quod dolor ſæviens furenſque veluti conſumit.* Admirabilis hanc in rem locus *Soph.* in *Trachin. Vſ.* 1061. de *Herculis* illa *peſte textili*, ſive *veſte furiali.*

> πλευραῖσι γὰρ προσμαχθὲν, ἐκ μὲν ἐσχάτας
> βέβρωκε σάρκας: πνεύμονός τ᾽ ἀρτηρίας
> ῥοφεῖ ξυνοικοῦν, ἐκ δὲ χλωρὸν αἷμά μου
> πέπωκεν ἤδη, καὶ διέφθαρμαι δέμας
> τὸ πᾶν, ἀφράστῳ τῇδε χειρωθεὶς πέδῃ.

Habes in hiſce vere Tragicis, *Dolorem Coſtis adfixum*, *qui carnes devoret*, *pulmonum arterias ſorbeat*; *& ſanguinem decolorem exhauriat*: *atque ita totum corpus depaſcatur*, *& corrumpat.* Confer *Senec. Herc. Oet. Vſ.* 1224. ubi poſtquam *lentus vapor veneni ſanguinem totum excoxit*, *& primam cutem abſumſit*; *nefas illud*, id eſt, *nefandus dolor*, *aditum* dicitur *feciſſe in membra*; *abſtuliſſe coſtis latus*; *artus penitus exediſſe*; *& totas medullas hauſiſſe*, *oſſibus vacuis* tandem *ſedens*; *quæ* tamen *ipſa compagibus ruptis mox ſint diſcuſſa.* Vides און רעב *Dolorem avidiſſime voracem*, ἄπληστον *inſatiabilem*, *& ſemper quaſi Famelicum*, donec *medullas* non tantum, ſed & *oſſa* ipſa *abſumſerit.*

13 Devorabit Vectes cutis ejus, devorabit Vectes ejus primogenitus Mortis.

14 Re-

יאכל בדי עורו יאכל בדיו 13
בכור מות׃

יִנָּתֵק 14

Quadrat in talem *Dolorem divinitus immiſſum* magnifica ſcena *Æſch.* in *Prom.* 1020. de *volucri Jovis cane, avidiſſime cruenta Aquila, quæ*

> Διαρταμήσει σώματος μέγα ῥάκος,
> Ἄκλητος ἕρπων δαιταλεὺς πανήμερος,
> Κελαινόβρωτον δ' ἧπαρ ἐκθοινήσεται.

Dilaniaret laceramentum corporis vaſti invocatus conviva, quotidie adrepens; ut nigras jecoris dapes epularetur. Hanc prægrandem figuram a *Bildado* captatam, multa ſuadent: præſertim *Jobi* diriſſimus ille caſus, quem non obſcure pingendum ſuſcepit; Eum enim און רעב *Dolor vere Famelicus*, & *Inſatiabilis, membratim diſcerptum* καταδάπτειν *devorare ſævo impetu* haud ceſſabat.

Ibid. Idem hocce Schema elucet ex altero Hemiſtichio. איד pro *Exitio graviore* lucem fœneratur ex *Arabum* أَيْد *Aid*, itemque أَدّ *Ed*, quod & إِدّ *Id* ſonatur, a *Radicibus* אדד, & איד, unde & مؤيد forma part. pro داهية دهياء *Graviſſimum infortunium*, & *calamitas monſtroſa.* Audi *Teblebium* يقال ادّني الامر وآدني اي اثقلني وعظم عليّ ومنة شي اد *Verba* אדד *&* איד *uſurpantur in Re cujus moles prægravat, & opprimit, unde Portentoſum malum vocatur Ed.* Tale *Monſtrum infortunii, caſuſve atrocioris*, appellitant ſignatiſſime *Arabes* مُضْلِعَة *Coſtas infringens*, מְצַלַּעַת. In *Diw. Hud.*

وكنّا علي حدث الحادثات
نحتمل المضلعات العظاما

> *Quumque nova ingruunt Infortunia,*
> *Suſtinemus Coſtas frangentia, maxima, mala.*

Item in *Hamaſ.*

رجل اذا ما النايبات
غشينه
اكفي لمضلعة وان هي
جلّت

> *Vir qui quum Calamitates ipſum opprimunt,*
> *Sufficit vel Coſtarum fractrici, quantumvis graviter premat.*

Vides quid ſit *monſtroſum & grave exitium, Coſtæ paratum, eamque pondere ſuo infringens.*

Verſ. 13. Grandem hanc imaginem illuſtrat, & firmat, *Proſopopœia*, qua *Primogenitus Mortis* introducitur, vel *Vectes*, vel *Ramos corporis devorans.* Magna eſt varietas ſententiarum circa illum *primogenitum Mortis*; quem *Judæi* cum *Chald.* exponunt *Angelum Morti præpoſitum.* Alii latiore ſenſu *Diabolum*, qui & ipſe *mortis* habeat *potentatum*, quatenus per eum Mors intravit in mundum &c. Hi parum attendunt ad naturam phraſeos; quam ſpecioſe enucleans Cl. *Cocc.* poſt *Merc. Piſc. Belg.* dedit *Mortem* maxime *horrendam, quæ præ aliis mortibus, tanquam fratribus, in enecando, & excarnificando duplicem velut, & potiſſimam partem, habeat.* In illum ſenſum adduci ſolet *Eſaj.* 14: 30. ubi *primogeniti pauperum*, pro *pauperrimis*, *quibus duplex portio quaſi paupertatis in hæreditatem ceſſit.* Eſt jucundus adſpectus, qui tamen, monente & *Schmid.*

Schmid. magis ſe commendare poſſet, ſi *Primogenita Mortium* inducta eſſet. *Sepulchrum*, quod *R. Periz.* circumſcribi putabat, nemini forte placuit, præterquam auctori. In vicinia *Grot.* qui *putredinem* intelligit. *Codurc.* addit *vermem.* Tenuius adhuc cogitatum a quibuſdam de *Morbo*, *qui primus hunc hominem corriperet*, *unde ſtatim moriturus* dicatur. Judicioſius R. *Levi* intellexit הגדול שבחליים הממיתים *Maximum inter Morbos enecantes*; quem & *Ab. Eſra* intendiſſe debuit, exponens חוזק או ראשית והענין שהמות יבכר בבאו *Violentiam*, aut *præcipuam vim* Mortis; *ut ſenſus ſit*, *Mortem prœmaturam fore.* Hanc ſententiam calculo ſuo comprobat *Schmid.* obſervans, *Morbum atrocem* pulchre ſic appellari, quod cum *Mors* varios *Morbos genuerit*, *vehementiſſimus eorum*, *ſit quaſi primogenitus inter fratres.* Eadem fere eſt obſervatio Cl. *Cler.* Lumen & robur huic explicationi addit, quod *Febres* figurata dictione *Arabum* appellitentur بنات المنية *Filiæ fati*, vel *Mortis.* Ad hanc normam بنو المنايا *Filii Mortium*, ſeu *Fatorum*, vocari poſſunt *Morbi*, *præcurſores Mortis*, nec non *omnia mala* quæ *certiſſimam necem trahunt.* Qui *Mortem* reliquis *atrociorem* figurari ſtatuerunt, utique *Morbos præcurſores* quaſi, ac *ſatellites*, ſimul complecti debuerunt; quando per eos potiſſimum Mors violentiam ſuam exercet. Ne ratio quidem eſt, cur magnopere diſpliceat *Vulgati*, *primogenita mors*; nam *primogenitum mortis* ita ſe reſolvi patitur: & deſignare poteſt, ex indole *Linguæ*, non *Mortis fœtum*, ſed *genus Mortis feraliſſimum*, ac *diriſſimum*; quod per *Primogenitam Mortem* commode expreſſum. Erud. *de Pined.* hoc titulo inſignitam cenſet *Mortem præmaturam quæ peccatori*, *& peccato*, *juveni* adhuc, & *vegeto*, *immittatur*, *cum duplici dolorum ac cruciatuum portione*, *in qua maxime ſe prodat peccati virus exitiale*: ut contra, *Mortem ſecundariam* dici poſſe autumat, quæ *maturior*, & *minus doloribus exaggerata*, inferatur. Sic *Mors primogenita* erit illa, quæ *ætatis florem*, *quæ opulentiæ ſplendorem*, *quæ virium robur*, *quæ brachiorum toros*; *quæ familiæ decus*, *& pulchritudinem univerſam*, *devoret*, *& abſumat.* Ingenioſum profecto: dubito an & æque ſolidum: præſertim, quum veri ſit ſimilius *Primogenitum mortis* ſuperiore illo ſenſu eſſe figuratum, quem ex *Arabiſmo* nonnihil corroboravi. Dixerim itaque *Bildadum* hac circumlocutione intendiſſe *Exitialem morbum*, *cuncta membra depaſcentem*, *& excarnificantem*; *qualem patiebatur Jobus*, *ulceribus & tetro tabo fluens*; atque *Vivus* jam *in cadaveris conditionem redactus.*

Ibid. Necdum limpida omnia. In priori membro adhæretur ad phraſin abſtruſiorem בדי, quæ aliis *brachia*, aliis *ramos*, aliis *vectes* ſonat. Ex *depaſtis membris* arripuere nonnulli *famis extremam illam neceſſitatem*, quæ *hominem adigat ad ſe ſuiſmet dentibus laniandum.* Detorquent illi prius יאכל *devorabit* ad רעב *famelicum improbum.* Nobis, cum pleriſque, Agens eſt *Primogenitus Mortis*; qui dicatur vel *Ramos cutis* depaſcere, vel *Vectes cutis.* *Merc.* præferens *Ramos cutis*, intelligit generatim *membra*, & *artus bene habitos* ac *valentes*, &c. Idem ſpectaſſe videtur *Vulg.* quum *pulchritudinem cutis* dedit; quamvis *de Pined.* malit ex *vectibus*, ſive *fulcris*, hanc *pulchram ſpeciem cutis* elicere. Subtilius *Ramos cutis*, de *venis*, *arteriiſque* acceperunt nonnulli *Rabbinorum*, quibus pollicem premunt *Cocc.* & *Schmid.* qui poſterior poſterius בדיו *Ramos ejus* magis pertinere autumat ad *interna*, ut prius ad *externa.* Grandius & ſonantius alii, *depaſcet vectes cutis ejus*, quod Doct. *Belgis* quoque arriſit. Exponitur de *Robore corporis firmiſſimi*, *extus* & *intus bene compacti.* Non multum hinc abeſt *Bolduc.* exhibens cum aliis *Fulcra cutis*, pro *pinguitudine* & *obeſitate* quæ *cuticulam fulcit.* Eſt tamen argutius paulo: ut & illud Cl. *Cler.* in contrarium plane tendentis; quaſi בדים *vectes* hic pro *oſſibus* poſiti, in בדי עורו darent *corpus exhauſtum*, quod *nil niſi cutis & oſſa.* Ego *vectium* imaginem quoque præferrem, per eoſque intelligerem *Corporis robora* & *firmamenta* tum *externa*, *tum interna*; inter quæ *Tori compacti carnis* extus, *oſſa* intus; præ-

14 Revelletur e tentorio ejus fiducia ejus: & gradientur in eum, inſtar Regis, terrores.

15 Il-

14 ינתק מאהלו מבטחו ותצעדהו למלך בלהות:

15 תשכן

præcipuum locum tenent. *Cutis* pro *Corpore*, ut χρὼς *Græcis*, nihil habet duri. Monendum tamen, apud *Arabes* latius adhuc *cutem* extendi, atque *Allegorice* adhiberi pro *Hominis perſona*, *vita*, *fortunis omnibus*. Hinc formula proverbialis مزق اديمه *diſcerpſit corium ejus*: nec non جلدته *cutim ejus*: pro *funditus perdidit eum*, *fortunas*, *vitam*, *omnia*, *violenter rapiendo*, *ac dilacerando*. Sic in *Hiſt. Tam.* 343. واي فايدة في قتل هولاء وتمزيق اديمهم *Quid utilitatis in hiſce trucidandis, eorumque corio diſcerpendo?* Plenius *pag.* 331. *Quumque firmati eſſent Paxilli potentiæ ejus, æmulum ſuum eradicavit, atque necopinantem conjecit in os Leonis Fati, quod ipſum deglutiit: deinde immiſit ejus ſedibus canes direptionis, & faces combuſtionis*, فمزق اديمها وهتك حريمها وعفا حديثها وقديمها *earumque* ſedium *diſcerpſit corium, & perfregit ſacrum ſeptum, & delevit nova ſimul & vetera.* Plura jam non perſequor; ſed dabo tantum quod *Taurizius* ad *Hamaſa* tradit, *Nil frequentius eſſe in ore Arabum quam Cutim, tum ad Famam, tum ad Fortunas, tum ad Perſonam ipſam, & vitam hominis deſignandam.* Ex hoc diverſo adſpectu natum Adagium auctius, مزقه كل ممزق *Diſcerpſit eum omnimodo diſcerptum*, ſive *ea omni laceratione, qua unquam quiſquam dilaceratus fuit.* Id contritum in *atrociſſimis cladibus cum internecione conjunctis*; ut ferme conveniat cum *occidione occidit.* Unum modo alterumve ex *Alcor.* apponam. *Sur.* 34:7. *Vultiſne vobis monſtremus, qui vaticinetur vobis*, اذا مزقتم كل ممزق انكم لفي خلق جديد *quum omnibus modis eritis dilacerati, vos novas fore creaturas?* i. e. *vos reſuſcitandos fore, poſtquam in pulverem fueritis redacti.* Loquuntur infideles, & *proverbio* hoc Reſurrectionis fidem elevant, atque eludunt. *Ibid. Vſ.* 19. وجعلناهم احاديث فمزقناهم كل ممزق *Reddidimus eo Fabulas, & diſcerpſimus eos omni modo diſcerptos.* Agitur de *exſcidio infidelium Sabæorum, quos Deus peſſime perdidit in exemplum poſteritatis.* Secundum hanc amplitudinem *primogenitas Mortis depaſcens vectes, firmamenta*, & *robora*, *cutis* improborum, eſt *atrociſſima*, & *Exitialis plaga*, *in eorum perſonam, familiam, fortunas omnes, immiſſa, ad eos funditus exſtirpandos, in exemplum & horrorem aliorum.* Si ad *ſolum corpus Morbis atrocibus*, & *Morte* tandem, *deſtruendum*, quis malit reſtringere, haud refragabor, ſi modo teneatur illa *violenta laceratio*, & *diſcerptio*, qua ſævit און רעב *Dolor famelicus*, id eſt *plaga* ἄμοτον μεμαῶα, *inexplebili rabie vorans* quaſi, ac *conſumens ſanguinem, carnem, medullas, oſſa quoque ipſa denique*, eo adſpectu, quem ad *Vſ.* præced. oculis ſubjeci. In *Vectibus cutis* ſuſpicor *Jobo*, non ſine ſtomacho, ſuam phraſin redditam, quippe qui *Vectes Orci* figurarat, ſub quibus *ſpes opesque* ejus *omnes* eſſent *deſtruendæ*. Imo vero, inquit cenſor, *vectes*, & *robora corporis ſui*, ipſi *improbo vivo* quoque ac *videnti depaſcet Mors*, per *ſævum ſævæ Matris fœtum*, *exitialem* & *intolerandum dolorem*; *cum quibus, longa inter tormenta divulſis, omnis ejus fiducia collapſa*, ac *convulſa*, *peribit.*

Verſ. 14. Hoc nexu ſenſuque ſubtextum, *Revelletur e tentorio ejus fiducia ipſius.* Nimis exiliter *Merc.* *Nihil ſupererit in domo, quo poſſit confidere*: vel, *ut ibi tuto maneat.* Intel-

tellexiſſe videtur *opes & pecunias*, quas hic ſuggeſſit Cl. *Cocc.* Hoc anſam dedit Cl. *Schmidio* pleroſque Interpretum notandi, quod *non cohærentiam*, *ſed confuſionem*, *in hoc Cap. fecerint.* Eam *confuſionem* ergo ipſe vitaturus, cogitat de *fiducia vitæ longiſſimæ.* Aliquis viciſſim dicere poſſet, non multum hactenus exaggeratiſſimis ſuis figuris effeciſſe *Bildadum*, ſi nunc demum *fiducia* illa *improbo extorqueatur.* Exiliora adhuc dedit Cl. *Cler. Fiducia*, inquiens, *quid hic ſibi velit difficile dictu eſt: poſſit eſſe* Remedium; *aut* juventus, *aut* temperamenti bonitas; *quibus fieri queat*, *ut æger ſibi meliorem valetudinem promittat.* Nempe in *Vſ.* præced. viderat tantum *morbi ordinarii acceſſionem*, ut in *Vſ.* 11. *ordinariam* illam *famem*, quæ omnibus loca deſerta trajicientibus contingere poteſt. *Spei vitæ*, & *valetudinis*, ſed decentius ad ſtilum *Jobi*, obhæſit quoque *de Pined.* per *Allegoriam* cenſens *Tabernaculum* hic eſſe ipſum *improbi corpus*, cui jam *collabenti*, & *moribundo*, illa *fiducia eripiatur.* Specioſa ſunt, & jucunda, quæ *Doctiſſ. Jeſuita* latius ibidem proſecutus eſt, de *Tabernaculo*, *ejuſque convenientia cum corpore*; & *ſenſus* ille *Allegoricus* mihi quidem tam *tolerabilis*, quin & *plauſibilis*, quam *ineptus* & *putidus* alter ille *Chald.* & *Jarch.* de *Uxore.* Aliud tamen mihi perſuaſum, quod & aliis me perſuaſurum non diffido, *Fiduciam* nunc eſſe *carnalem* illam, *ſecuram*, & *ſuperbam imaginationem*, quæ ſolet *improbis florentibus altiſſime inſidere*, de *Felicitate Domus*, & *familiæ*, *perpetuum duratura*, & *ad ſeram* quoque *poſteritatem propaganda.* Notabilis *improbitatis* character paſſim in *Pſalmis* occurrit. Omnium inſtar ſit *Pſ.* 49. ibique *Vſ.* 12. קרבם בתימו לעולם *Intima eorum cogitatio*, *domos ipſis fore æternas* &c. &c. Illi *Vſ.* 8. inducti erant הבטחים על חילם *Confidentes opulentiæ ſuæ*, *& in multitudine divitiarum gloriantes.* Quicquid ibi *ſuperbæ & arrogantis fiduciæ cor carnale implet*, id omne hic vocabulo מבטח *Confidentiæ* expreſſum. Ea *confidentia revellitur e tentorio improbi*, quum *ſpes* ſimul *opeſque fundatiſſimæ radicitus exſtirpantur*; atque *Familia* paulo ante *florentiſſima* ſub *ruinis ſuis* ſubito *ſepelitur*, & *cum dedecore extinguitur.* Talis *improbi interitus* deſcriptus *Pſ.* 52. ubi *Vſ.* 7. habes *deſtruet te Deus in purum putum*, in æternum; ויסחך מאהל *teque convellet a tentorio*, *atque e terra eradicabit.* Subnectitur dein *Vſ.* 9. *Ecce Vir ille! qui Deum non ponebat* מעוזו *præſidium ſuum*; *ſed* יבטח *confidebat in multitudine divitiarum ſuarum*, *& ferociebat in ſua inanitate*; ſive *vaſtiſſima imaginatione.* Sentis telum *Jobo* injectum, quem ſimilis *confidentiæ* plenum antea, ſibi fingit *Bildadus*; in eum ſimul retorquens ſuomet verbo, quod *Cap.* 17: 11. tam dolenter dixerat, *deſtinationes meæ* נתקו *Revulſæ ſunt* &c. Nil mirum, inquit Cenſor, *firmiſſima* quippe *imaginatio*, & *Fiducia improbi*, *ſub plagis divinitus immiſſis*, *una cum ipſo*, *expirabit*; *atque*, *cum tentorio ejus convulſo*, *convelletur.* Plura addere ſupervacuum. Ordinem quoque nemo, credo, deſiderabit.

Ibid. Major adhuc moles naſcitur rerum ad poſterius colon, non ſat dextre evolutum. Verſiones pleraſque inſedit, *Et abire eum facient ad Regem terrorum.* Ille *Rex terrorum* jam nemini non innotuit pro *Morte*; quaſi ſenſus foret, *improbum ad Mortem eſſe amandandum.* Maluit tamen Cl. *Cocc.* dare *Regem nebularum*, & intelligere *denſiſſimas tenebras triſtitiæ*, *& deſperationis.* Fundus hujus figuræ Veriverbium, quo בלהה, a בלל *confudit*, ſupponitur notare *confuſionem tenebrarum.* Ad *Vſ.* 11. indicavi quæ aliud ſuadere poſſint. *Merc.* non *Mortem* figurari putat, ſed *maximum quendam Terrorem*, *qui inter ceteros principatum teneat.* Vellem clarius mentem expreſſiſſet, non enim definit *quid*, vel *quis* ſignetur, niſi quod ad *Principem Dæmonum* videatur inclinare; quem & *Jarchius* aliique complures hic viderunt. Non equidem negaverim, vel *Diabolum*, vel *Mortem*, hoc titulo poſſe notari; quum & *Lucan.* monente Cl. *Cler.* lethum vocet *Maximum timorum:* ſed negare auſim iſtam *Proſopopœiam* in hoc loco ſat habere fundamenti, eamque nunc a *Bildado* eſſe inſtitutam. Aperte adverſatur *conſtructio*, in qua talia ſupplere coguntur Viri Docti, quæ nemo facile digerat. Vulgatiſſima inſertio eſt, poſt *Merc.* זאת *Hoc*; unde & *Cocc.* ad ſuam mentem, *Atque id ipſum adigit eum ad Regem caliginum*, ſive de-

deſperationem. A *Nachmanide* reſumitur מבטח *Fiducia eum faciet abire ad Regem terrorum:* quod tamen in הבטחה *termin. fœm.* commutandum ei fuit, ut cum תצעיד *fœmin.* cohæreret. Strenuius Cl. *Cler.* idem מבטח retinens, legendum cenſet יצעידהו *form. maſc.* aut dicendum, ita locutum ſacrum Scriptorem, quaſi anteceſſiſſet בטחה, unde vertit, *Eaque* fiducia ſublata *ad Regem terrorum eum incedere cogit.* Alii ingerunt נפש *Animam*; alii עצתו *conſilium ejus.* R. *Salom.* miſeram *uxorem* huc admovit. *R. Periz.* צרה *anxietatem.* Aliis denique *imperſonale* tutius viſum. Cl. *de Dieu* ex 2. *maſc. Tu* Deus *facies eum incedere ad Regem terrorum.* Id ad *Vſ.* ſeq. refelletur. Cl. *Schmid.* minus contortum fore arbitratur, ſi בלהות conſtituat *Nominativum*, in hanc ſententiam, *Et abire facient eum ad Regem* ſuum *Terrores.* Laudo בלהות תצעיד ſolenni *Hebraiſmo*; ſed non plaudo verſioni, *Terrores abire faciunt*, nam צעד ſignat *greſſum grandem, magnificum, audacem*; qualis non cadit in eum, qui *Orco præcipitatur.* Non molle quoque, quod למלך *ad Regem* exponatur *ad Regem ſuum*; ut ita denuo emergat *Rex terrorum*, quem interpretatur *Diabolum*, quaſi *Bildadus* diſertim *Orco mancipandum* eſſe improbum pronunciaret. Erunt tamen forte, quibus non diſplicitura hæc formidoloſa damnationis æternæ ſcena; quique hoc priſcæ fidei pignus ex vetuſtiſſimo monumento ſuſcipiendum judicabunt. Si hæc religio quem teneat, dabimus, ex quo tutius, certiuſque, hoc ipſum eliciat, per neceſſariam ſequelam. *Lingua* & *conſtructio* videlicet poſtulant, *Et magno gradu invadent eum, ad Regem*, i. e. *inſtar Regis, Terrores.* Primo בלהות *recto caſu* poſitum dubitari nequit, quum alius *nominat.* non adſit; atque hi ipſi *Terrores* cum *formidinum ſuarum acie* jam *inſtructi* ſint *Vſ.* 11. Gemellum plane occurrit inf. *Cap.* 27: 20. תשיגהו כמים בלהות *Arripiunt eum, ut aquæ, Terrores.* Idem ordo conſtructionis. Item *Cap.* 30: 15. ההפך עלי בלהות *Converſum ſuper me Terrores*, pro *Converſi*; תרדף כרוח נדיבתי *perſequitur*, i. e. *perſequuntur, ut ventus, ingenuam meam animam* &c. Deſignantur *iræ, diræ, pœnæ cœleſtes, mentem exterrentes*, quin *externantes.* Secundo תצעידהו *invadunt eum gradu grandi, terrifico, non minus, quam magnifico; ad eum obterendum, proculcandum, præcipitemque agendum.* De *inceſſu magnifico* Dei צעד uſurpatur *Pſ.* 68: 8. & *Jud.* 5: 4. Confer quæ ad *Vſ.* 7. producta. Inprimis notandi quatuor illi מיטיבי צעד *Magnifice incedentes*, inter quos *Leo fortiſſimus animalium*, & מלך אלקום *Rex cui reſiſtas cave. Prov.* 30. Eandem notionem in *Hiphil* obtinuiſſe evincit Dialectus *Arabum*, ubi اصعد אצעד æque ac صعد צעד frequentatur pro *magno paſſu incedere, pergere, ſcandere, & quicquid obſtat ſuperare.* Hæc proprietas Thematis omnem alium adſpectum excludit. Tertio למלך *Ad Regem*, venuſtiſſime, pro *ad inſtar Regis*; plane ut *Cap.* 15: 24. *Anxietates* תתקפהו כמלך *invadent eum inſtar Regis:* ſpeciem *Proverbii* ſubeſſe, ibi demonſtratum. Pro eo למלך cum gratia, & Emphaſi ſingulari, *ad modum Regis.* Simillimum dedi ad *Cap.* 4: 12. in formula פרע לשמצה *diſturbavit ad Sphærulam*, i. e. *ad modum Sphærulæ.* Ex *Keſſæo* illam vim *præpoſitioni* ל vindicavi olim ad *Cap.* 13: 12. ubi volebam tunc לגבי pro כגבי. Certius *Cap.* 39: 16. ללא לה *Duram ſe præbet, ad non ejus*, pro *ac ſi non eſſent ejus.* Cl. *Cocc.* ibi per ὥσπερ & ὡσεὶ declarat. Cl. *Nold.* in *Conc. partic.* num. 36. ל pro *ſicut, quaſi, inſtar, tanquam*, pluribus exemplis firmavit; quorum nonnulla huc pertinent, alia paulo diverſam habent rationem. Eundem hunc ſen-

15 תשכן באהלו מבלי־לו יזרה על־נוהו גפרית ׃

15 Habitabunt in tabernaculo ejus, ob Internecionem ei; ſpargetur ſuper manſionem ejus amœnam ſulfur.

16 מתחת

16 Deor-

ſenſum feliciter repræſentaverat *Vulgatus*, *Et calcet ſuper eum quaſi Rex interitus.* Ambigitur, volueritne *interitus*, in gignendi caſu, an in recto. Prius eligit *Vavaſſ.* cui *Rex interitus*, eſt *Rex mortis*, ſive *mors crudeliſſima.* In medio relinquit *de Pined.* ex æquo aptum cenſens *Rex Mors*, & *Rex mortis*; atque *lucem*, *prudentiam*, *ſolertiamque præſubtilem Latini Interp.* laudibus vehens; non ſine aculeo in *Hebraizantes* emiſſo. Et ipſe tamen palmam ſæpe *Hebraizantibus*, ut liberale ingenium decet, haud negavit; neque hic eam valde dubiam iiſdem faceret, ſi teneretur conſtructio per *Genitivum*; conſurgerent enim *Hebraizantes* omnes, atque תצעידהו למלך *Invadet eum quaſi Rex mortis*, duplici vitio laborare oſtenderent; quum יצעיד hoc ſenſu exarandum, & ל omittendum fuiſſet. Omnino *interitus*, in *nominandi caſu* poſitus ab *Hieron.* idque ſive ejus, ſive cujus tandem cumque, Gloſſa vincit, qua *interitus* dicitur eſſe *Diabolus*. Verbum *Calcandi* quam commodum hac in ſede ſit, quivis ſentit. Reſpici ad *victorem inſolentem* monuit jam *de Pined.* & erudite deduxit. למלך *quaſi Rex*, ſignatiſſime; ad pingendum *vim & aciem formidoloſiſſimam præpotentis Dominatoris*, qui *horrendam* quaquaverſum *ſtragem edit.* Iſta *Proſopopœia* indui *Terrores* Divinitus *injectos*, ad *hominem e terris eradendum*, nemo mirabitur, cui ſtilus ſublimior haud ignotus. Ex hoc fonte *Mors* in ſacris *perſonam Regis* ſuſtinet, atque *ſævo aculeo armata* introducitur, ad improbos diſperdendos & Orco præcipitandos. Hæc a *Bildado* grandiſonis hiſce figuris ſimul intenta, a vero non abhorret. Deſino in *Proſopopœia* ſimili *Sil. Ital.* 2: 548.

Mors graditur, vaſto pandens cava guttura rictu;
Caſuroque inhiat populo ——
Atque omnes adſunt pœnæ ——

Intellige *Pœnas*, vel ſenſu communi; vel, ut Viri Docti rectius, *Furias*, ſive *Erinnyes*, *pœnarum exactrices*: quas vocabulo בלהות inſignitas ab *Hebræis*, admodum veriſimile.

Verſ. 15. Succinit præcedenti interpretationi ſcena feraliſſima: ad quam pandendam ipſi quoque errores Doctiſſ. interpretum, omnia tentantium, greſſus dirigent. Incipio ad prius membrum, in quo maxime laboratur. *Vulgatus*, non æque nunc felix: *Habitent in tabernaculo illius ſocii ejus. Qui non eſt.* Ad hanc verſionem colorandam, quin & præ reliquis commendandam, in omnes formas ſe convertit *de Pined.* invita Lingua, ratione, ſerie, contendens תשכן ſapienter verſum, *Habitent ſocii*, i. e. *vicini*, *quos vexarat*, ejus *domum & ſupellectilem occupent.* Item, מבלי לו *Qui non eſt*; i. e. vel *vicini illi nulla cognatione ei juncti*; vel *Diabolus*, qui *non eſſe* dicatur, quia *bene eſſe perdidit*, *ab eo qui eſt*, *deſciſcens*: vel *ipſe improbus non amplius exiſtens.* In compendium miſi, quæ ipſe longo apparatu; profeſſus nullum ſibi laborem nimis longum pro *Vulgato* illuſtrando. Hoc jam eſt ſervitute quoque ſua gloriari. Fatendum tamen utrumque *Hebraizantibus* ingentem crucem fixiſſe; quorum nonnulli aliquid non diſſimile hinc extuderunt, *Habitabunt in tabernaculo ejus qui nulla cognatione eum attingunt*, vel, *qui non amplius erunt ipſius*, h. e. *alieni*, vel *ſervi* jam *ſui juris facti.* Ita fere *Tigur. Deod.* &c. *Chald.* ad *uxorem* detorſit, *in alieno tabernaculo habitaturam.* Ad *lictores*, &c. *Jun.* Cl. *de Dieu*, qui *Vſ. præc.* תצעיד *gradi eum facies*, ad *Deum* retulerat, תשכן deflectit ad *aliquem præſentium*, cui inſinuetur, *Habitabis in tentorio ejus*, *quia non eſt ejus*; pro *ſi habitaveris*, tunc *ſpargetur ſupra illud ſulſur. Non tutum erit cuiquam, in improbi ædes ſuccedere.* Utinam

tiam clari *Critici* non tenues ſæpe ſcintillulas, pro vero lumine in publicum mitterent: nam & tale eſt, quod Cl. *Cler.* dedit, *Habitat in tentorio ejus is cui non eſt* relictum; *qui ejus hæres & ſucceſſor jure non erat*; quaſi מבלי לו eſſet מבלי יורש לו, atque ea formula id ipſum notare poſſet. Doctius quid, & profundius, tentatum *Coccejo*, qui מבלי לו capit ut *ſubjectum*, in caſu recto, τὸ μηδὲν αὐτῷ ὑπάρχειν, *Habitat in tentorio ejus non habere.* Præiverat *Theodot.* cujus eſt ἀνυπαρξία. Recipi poſſet ſat grave ὀξύμωρον, ſi בלי לו ſcriptum eſſet: מבלי aliud infert. *Rabbinorum* fere inſertio eadem eſt, quæ *Vſ.* præc. נפש *anima*, צרה *anxietas.* *Ab. Eſ.* חיה רעה *fera mala.* Doct. *Merc.* reſumit בלהה *Terrorem*, quod *Piſc. Belg. Angl.* poſt *R. Levi* & *Periz.* ſequuti. His & a *Schmid.* aſſenſum: nec ego diſſentire poſſum, qui modo conſtruxi בלהות תצעיד *Terrores aggreditur*, pro *aggrediuntur.* Eadem norma eleganti ore & hic, *Terrores habitat*, pro *habitant in Tabernaculo ejus*, excellenti *Schemate*, ut illud in *Domicilium* & *ſedem perennem dirarum cœleſtium* dicatur conſecratum. Ad מבלי לו argute *Merc.* *Abſque eo* quod *ſit ejus*; *quia illud rapto conſtruxit*: quaſi eſſet ἀπενόσφισε. Eodem tendit *Piſc.* Alii cum *Ab. Eſr.* *ne* amplius *ejus ſit.* Alii, *ne quicquam ei ſuperſit.* Cl. *Schmid.* *Eo quod non* futurus *qui ipſius ſit.* Applicat *ad domeſticos e tabernaculo ejectos Terrore, qui ibi domicilium conſtituit.* Potuiſſet fortius, *eo quod* nemo *ei ſit ſuperfuturus*: nempe *cum familia univerſa internecione deleto* iſti *improbo*: ſub cujus perſona *Jobum* feriri ſæpius dictum. Poſſes quoque, *ut ne ei* quiſquam, & quicquam, *ſuperſit.* Ita מבלי *Jer.* 2: 15. *Zeph.* 3: 6. &c. Prius aliquid dirius ſpirat, ut *Deut.* 28: 55. מבלי השאיר לו כל *eo quod non reliquum ſibi quicquam fecit.* Habes Phraſin integram, unde noſtra contracta. Item *Thren.* 1: 4. *Job.* 4: 11. &c. In eo pedem tuto figas: niſi forte arrideret, *Ex internecione*, vel *ob internecionem ipſi* immiſſam. בלי *Subſtantivum* a בלה *conſumi*, *aboleri*, dat Phraſi ſignata שחת בלי *foveam conſumtionis* *Eſaj.* 38: 17. Id & *Bolducio* in mentem venit; quamvis pro argento mox plumbum eliquet nimis calida viri fornacula. Mitto loca male ab ipſo huc detorta; præter *Eſaj.* 38: 17 Vide modo, quid hic deſignet; *Habitabit in tabernaculo ejus ex putredine ei:* ſupple *ens*, vel *exiſtens.* Intelligi vult, *id quod ex putrefactione*, & *ſordibus*, *iſti tabernaculo adhærentibus*, *producetur*; *ut mures*, *vermes*, *araneæ*, *ranæ*, *lacertæ*, *viperæ*, *baſiliſci* &c. &c. Addit *fœm.* תשכן etiam citra illam *ellipſin* poſſe reſolvi: *Habitatrix tabernaculi ejus*, *erit ex putredine illi adhærente.* Digreſſionem ſubdit, *de animalibus ex corruptione progenitis*, ad quæ hic reſpiceretur; quorumque in numero cenſet ציים & שעירים *monſtra* apud Prophetas memorata, ubi *vaſtitatem regnare* indicant. Qui vigilantes ſomniant, talia Erudito orbi perſuaderi poſſe credunt. Ad noſtram mentem מבלי לו erit, *a Vaſtitate* omnia *conſumente*, & *abolente*, quæ ei immiſſa eſt, *habitabunt in Tentorio ejus Terrores*; ſive *Diræ*, atque *Execrationes*: quum *famæ* & *ſedi* iſtius hominis publica *Abominatio* ſit incubitura. Hoc jam eodem recurrit cum, *propter Nihil ipſi* reliquum factum; *internecivamque* Domus execrandæ *abolitionem.*

Ibid. Hanc diritatem cumulat ſequens membrum, quod exhibet *Amœnam* olim *ſedem*, *de cœlo tactam*, *fulminibuſque* iræ divinæ *exuſtam*, *in horrorem omnium ſeculorum.* Ad rem *Merc.* *Igni & ſulfure cœlitus demiſſo comburetur*, *ut Sodomis & Gomorræ accidit.* Ad rem quoque addit, *Non dubium quin in Jobum contorqueatur*, *cujus facultatum pars igni cœlitus delapſo ſit conſumta.* Nervoſiſſime ergo hic expreſſum, quod *Pſ.* 11: 6. inculcatur, pluribus *Pluet ſuper improbos laqueolos*, *ignem*, & *ſulfur* &c. Nempe *fulmina*, canente *Lucr.* *L.* 6. *graves exhalant ſulfuris auras:* unde *Lucan.* 7: 160. *Æthereoque* nocens *fumavit ſulfure* ferrum. In primis huc quadrat illud *Perſ.* *Sat.* 2: 24. 25. *Jovemne ignoviſſe putas*, *quia*, *cum tonat*, *ocyus ilex ſulfure diſcutitur ſacro*, *quam tuque*, *domuſque*? Confer quæ ibi Magn. *Caſaub.* de *perſonis*, & *Locis ſulguritis*, quos priſ-

16 מתחת שרשיו יבשו וממעל
ימל קצירו :

17 זכרו־־

16 Deorſum Radices ejus exareſcent; & ſuperne ambuſtus lugebit Ramus ejus.

17 Me-

priſca religio *intactos jacere* volebat, unde apud eundem *Satyr.* notum *triſte evitandumque bidental.* Sub hac amplitudine admittere poſſem quod Cl. *Cocc.* hic appoſuit, *ſpargi ſulfure terram*, eſſe, *maledictione Dei fieri infrugiferam & ſterilem Deut.* 29: 23. & *Eſaj.* 34: 9. quæ loca haud dubie *tactionem de cœlo* ſimul complectuntur. Ritum, ad quem alludi volunt nonnulli, de *ſparſo ſale* non tantum, ſed & *ſulfure*, ſuper agris *vaſtitati perpetuæ damnatis*, non video exemplis firmari: quamvis vel ſic ad *fulguritas improbi ſedes* eſſet adſcendendum. Huic interpretationi ſe oppoſuit *Erud. de Pined.* eam cum antecedentibus *non valde cohærere* putans. Nempe finxerat ſibi *Tabernaculum impii a ſociis & vicinis inhabitatum:* in quod proinde *conflagratio* illa *haud quadret.* Ut *ſulfuri ſparſo* itaque hic locus ſit, dilabitur, laudata quorundam opinione, de *tetris odoribus in funere crematis* &c. ad ritum, & religionem multiplicem, *luſtrationum per ſulfur*, tum ad alia, tum ad *ædes* quoque *expiandas*; ut *præcaſtigationem* nunc adhibeat *Bildadus*, non prius *inhabitandam* fore *domum improbi*, *quam expiata fuerit ominoſa illa habitatio.* Non tantam Doctrinam perdidiſſet ad hunc locum Vir Literatiſſimus, niſi *Vulgatum* defendere obſtinaſſet; ab ipſo *Bolducio* reprehenſus, tanquam qui *extra metas profuſe diſſeruerit.* Quin *Vavaſſ.* in Societate eadem nobile nomen, *piceum ſulfureumque imbrem* hic depingi, *ingenue* agnovit. Hoc tamen cum priori colo, in quo ex *Vulg. alios his fortunis ſedibuſque immiſſos* recipit, conciliare ne tentavit quidem; *perobſcurum in Latino locum* ſimpliciter faſſus. De cetero *Allegoricum* & *ſublimiorem* ſenſum, de *Sulfure Gehennæ* in *illis ſedibus halante*, quem inter alios adduxit *de Pined.* nolim nimis urgeri; præſertim ſi exponatur de *præſagitione imminentis damnationis*, *quæ vivos* adhuc *impios* nonnunquam *tangat.* Commodius fuiſſet in *odore* illo *Sulfureo* agnoſcere *ſigna* non *temporalis* tantum, ſed & *æternæ maledictionis*, illis in ſedibus extitura; qua latitudine *Sodomæi* dicuntur *pœnam æterni ignis ſuſtinere.*

Verſ. 16. Continuatur diriſſima ſcena per imaginem *Arboris de cœlo tactæ*, ſive *fulguritæ.* Eam luculentis coloribus expreſſam dabit Poëta *Iliad.* ξ. *Vſ.* 414. &c.

> Ὡς δ᾽ ὅτ᾽ ὑπαὶ ῥιπῆς πατρὸς Διὸς ἐξερίπῃ δρῦς
> Πρόῤῥιζος, δεινὴ δὲ θεείου γίνεται ὀδμὴ
> Ἐξ αὐτῆς, τὸν δ᾽ οὔπερ ἔχει θράσος, ὅσκεν ἴδηται
> Ἐγγὺς ἐών, χαλεπὸς δὲ Διὸς μεγάλοιο κεραυνός.
> &c. &c.

Veluti quum Jovis ictu eradicata concidit quercus, teterque ex ea ſulfuris odor exhalat, audacia ei excuſſa qui prope eſt, ad durum magni Jovis fulmen. Sic Hector &c. Imitatus eſt *Sil. L.* 10: 164. &c.

> *Tandem cum toto cecidit grege, nomen in Umbro*
> *Clarum, Criſta, diu populo: ceu fulmine celſa*
> *Æſculus, aut proavis ab origine cognita quercus;*
> *Cum fumat percuſſa Jovi, ſacroſque per ævum*
> *Æthereo ramos populantur ſulfure flammæ:*
> *Donec victa Deo late procumbit, & omnem*
> *Collabens operit ſpatioſo ſtipite prolem.*

Apparet non recte calculos poſuiſſe, qui de *agris*, & *hortis evaſtatis* hic cogitarunt, inter quos *Bold.* In *figurato* adſpectu, quem plerique nobiſcum tenent, multi volunt *Radicem* eſſe *Patrem*, & *Meſſem*, ſive potius *Ramos*, eſſe *Filios* &c. Aliis *Radix* ſignat *opulentiam*, & *Ramorum multitudo*, late fuſam *magnificentiam.* Hinc non multum abeſt *Cocc.* cui *Radices* ſunt *cauſæ proſperitatis*, & *Ramorum meſſis*, ipſa *felicitas.* At *Merc. totum impium* mavult, *cum omni ſuo ſplendore*, *potentia*, *gloria*; ſine iſtis ſubtilitatibus. In his omnibus *bonum ordinem* deſiderat *Schmid.* quod *impiorum felicitas jam ante mortem*, *dum viverent*, *extincta eſſet*, in prægreſſis: *quodque nemo poſt mortem felicita-*

 tem

17 Memoria ipſius periit de terra; & non nomen ei in publico.

18 Propellent eum e luce in horridam caliginem; & ex orbe habitabili abigent eum.

19 Non

17 זכרו־אבד מני־ארץ ולא־שם
לו על־פני־חוץ׃

18 יהדפהו מאור אל־חשך ומתבל
ינדהו׃

19 לא

tem demum *ſuam & bona amittat.* Ad *juſtum ordinem* ergo *tres* inducit *gradus poſt mortem.* Primo, *diſſipationem familiæ.* Secundo, *habitaculum ſulfure combuſtum.* Tertio, *ut pereat quicquid reliquum*, i. e. *memoria*, *& poſteritas.* Dein *Memoriam* ſub *meſſe* deſignatam cenſet, *poſteritatem* vero ſub *Radice*: addens, *ſe non curare, quod parentes potius ſint radix filiorum: diverſas enim unius ſimilitudinis eſſe applicationes.* Melius tamen id curaſſet Vir Doct. quod natura *Emblematis* omnino exigeret, ſi aliquid *ſpeciale* hic intenderetur. Mihi *generalis* ſufficit imago, quæ ſub *Arbore radicibus*, *ramiſque late diffuſis*, *vigente*, depingit *Improbum* cum univerſa *Domo*, *ſtirpe*, *propagine*, *opulentia*, *felicitate*, *fama* etiam, & *exiſtimatione ſpecioſiſſima*, fulminibus maledictionis cœleſtis *tactum*, *fractum*, *disjectum*, atque *e terris eraſum.* Confer *Malach.* 4: 1. & quæ ad *Cap.* 5: 3. & 5. &c. ubi etiam quid קציר ex noſtra mente nunc deſignet, reperietur. Thema מלל alibi illuſtratum. Ceterum ordo ille, treſque gradus calamitatis *poſt mortem*, quos hic videt *Schmid.* non valde feliciter ſunt digeſti.

Verſ. 17. Huic *graviſſimæ internecioni* commode ſubnectitur, *memoriam* quoque *improbi* illius, antea celebratiſſimi, fore abolendam e terris; vel & perpetua infamia notandam. In poſteriore membro על פני חוץ a quibuſdam relatum ad *terram externam*, & *peregrinam*, quæ opponatur הָ ארץ *terræ habitationis.* Acceſſit *Schmid.* latius ארץ extendens ad *Terram patriam.* Sed vel ſic nimis ea anguſta; nam quum alicujus *memoria e terra* dicitur *periiſſe*, nemo vel *ſedem habitationis*, vel *patriam* tantum, intellexerit. Ergo ארץ & פני חוץ, hic *orbem terræ*, ejuſque *faciem univerſam*, ex æquo amplectuntur; niſi quod poſterius novam adhuc gratiam, & Emphaſin, ferat, quatenus in *Plateis*, *foris*, *lociſque*, ſub חוץ comprehenſis, ineſt ſignificatio *Celebritatis*, & *gloriæ publicæ*: quæ in *publicam infamiam* dicitur deſitura. Nempe concipio *μείωσιν*, qua *in publico Nomen habere* negatur is, cui æterna inuſta eſt *ignominia.* Nec abluderet, ſi *Non-nomen*, per ὑφὲν, directe *Ignominiam* exponeremus; ſive *Nil minus quam Nomen* i. e. *Dedecus ſempiternum.* Nota formula, לא אל *Non-Deus*; לא איש *Non-Vir*, quam Cl. *Cocc.* & *Vitr.* multis firmarunt. Confer ſupra *Cap.* 12: 25. *Non-Lucem.* Ea demum *Memoria periit*, quæ *ſic periit.*

Verſ. 18. Sub verbo *propellent* nonnulli *Afflictiones* ſupplendas cenſent; alii *Homines*; alii *imperſonaliter* ad *Deum* referunt, quibuſcum ſtat *Merc.* ut *tollent* pro *tolletur*, *Luc.* 12: 20. Ad eam rationem, *propelletur e luce* hujus vitæ, *in tenebras mortis.* Addit tamen & *tenebras exteriores.* Poſterius colon magis pertinere cenſet ad *obſcuritatem nominis*, *poſt mortem oblitterandi*, *& non memorandi niſi in malum.* Id utroque in membro unice urguet *Schmid.* ita ſeriem nectens, ut nunc demum *infamia* ſubjungatur, *publice ei inurenda.* Utitur Vir Doctus *Excommunicationis*, ſive *Anathematis*, imagine, quam ex verbo יְנִדֻּהוּ exſculpit; unde נִדָּה *Menſtruata*; & נִדּוּי apud *Judæos* pro *Excommunicatione.* Amplecterer ſi יְנַדֻּהוּ extaret, a נדה: nunc יְנִדֻּהוּ ex יְנַדְּדוּ, requirit potius *Thema* נדד *fugit*; ut ſit *facient fugere*, vel *abigent eum.* Cl. *Cocc.* pro יְנִידוּהוּ poſitum vult a נוד; quod non opus:

un-

19 לא נין לו ולא־נכד בעמו
ואין שריד במגוריו׃

20 על־

19 Non filius ei, neque nepos in populo ejus: nulluſque ſuperſtes in ejus territoriis.

20 Su-

unde & ipſe in *Lex.* ad נדד revocavit. Dubitat quoque : עיש an non נָדָה potius ad idem נדד pertineat; quod *Originum* liberiori ſpatio reſervandum. Iſtud *abigent eum* a *Cocc.* ad *deportationem*, ſive *pulſionem in exilium*, refertur; ut prius ad *detruſionem in carcerem*: quaſi hic ageretur de *pœna* & *vindicta humana*, *ſceleribus annexa*. Mox tamen ad *Vindictam Divinam*, ſenſu ſublimiore, applicat, qua *Improbi* omnes *in tenebras exteriores detrudi* dicantur. Meo judicio nimis ſollicite finitur, quod finibus incluſum noluit *Bildadus*. Utique nimis anguſtum, quod *Schmid.* cui conſona habet *Cler.* ſolam *infamiam* admittat. Simplex *amiſſio vitæ*, quam in priori membro volebat *Merc.* etiam non ſatisfacit. *Carcer* & *Exilium* proprie dictum minus quadrant: improprie *Tenebras exteriores*, & *amandationem ad inferos* includi poſſe concedo, ita tamen ut amplior conſpectus phraſi haud denegetur. Is exigit *detruſionem ignominioſam ex omni lumine*, *in* omnes *tenebras*; ac proinde cum amiſſione *vitæ*, *famæ*, *gloriæ*, ac *felicitatis*, *temporalis*, & *æternæ*, contraria omnia inferuntur, *Mors*, *infamia*, & *opprobrium ſempiternum*, *præſentis*, & *futuri ſeculi*. הדף iſtam vim grandem ſimul & gravem exerit *Eſaj.* 22: 19. *Prov.* 10: 3. *Jer.* 46: 15. *Deut.* 9: 4. ubi notat *expulſionem cum dedecore publico conjunctam*; ut hominum *Anathemate* percuſſorum. Eandem notionem recipit ינדהו, quod eſt *facient eum vagabundum*, ex ſocietate *ejectum*, & *abactum*, ita, ut nuſquam *conſiſtere* detur *trepida fuga ablato.* Apud *Arabes* نَدَّدَ נָדַד in 2. *Conj.* exponitur inter alia *Diffamavit*, vel potius, ut *Camus* exhibet, أسمعه القبيح *opprobria & convicia ei ingeſſit.* Proprie *Abegit* & *expulit* hominem *ingeſtis opprobriis*. Hoc jam in *Anathemate percuſſum* eleganter ſe transferri patitur; ut ſub *fulmine maledictionis divinæ*, & *execrationis humanæ*, improbus *e terra habitabili exterminandus* dicatur.

Verſ. 19. Hanc *exterminationem*, totiuſque *familiæ*, ac *gentis*, *internecionem*, oculis porro ſubjectam habes; quum Ei nec *Filius*, nec *Nepos*, *in populo ſuo ſuperfuturus* dicitur. Non poſſum probare diſtinctionem multorum, qui עמו & מגוריו opponi putant, ut prius notet *Cives*, & *populum* quicum *habitavit* improbus: poſterius *commorationem inter peregrinos*, ut ſive in *patria*, ſive in *terra peregrina*, verſatus fuerit, inde ſit extirpandus. Rectius *Merc.* מגוריו *Commorationes*, *regiones*, *ſedes*, expoſuit: nec tamen uſque quaque verum גור ſignare omnem *commorationem*, ſive *habitationem*. Ad ſcrupulum levandum obſervetur, hoc verbo proprie exprimi *diverſationem*, ſive *commorationem peregrini.* Inde latius ſe porrigit ad *commorationem Clientis*, *ſub tutela potentis patroni.* Hoc occaſione מגור denotare cœpit *Territorium*, *in quod peregrini*, *pauperes*, *Clientelæve indigi*, *recipiuntur.* In *Arabia* mos tenuit, atque etiamnum obtinet, ut potentiores *Territorium* ſuum deſignent, ac certis finibus deſcribant, intra quod admiſſis *Patrocinium* præſtare ſoleant. Inſtar omnium ſit hocce ex *Hamaſa*

ونحن الذين لا يروّع
جارنا
وبعضهم للمعضلات مسلّم
مسلّما

مسلّما

20 Super die ejus ſiderati ſtant Occidentales ; & Orientales occupant horrorem.

20 על־יומו נשמו אחרונים וקדמנים אחזו שער :

21 Pro-

21 אך---

منعنا حمانا واستباحت رماحنا
حمي كل قوم مستجير مراتعه ۞

At nos ii ſumus, quorum non terretur Cliens ;
Quum aliis aures ad perfidiam obſurduerint.
Defendimus territorium noſtrum ; profanantque haſtæ noſtræ
Territorium omnis populi, cujus prata clientibus expetita.

Habes pro *cliente* גר جار, & pro *clientelam petere* استجار in 10. *conj.* Similiter in 4. הגיר اجار eſt *recepit in Clientelam, fidem, protectionem:* ut in *Hamaſa* iterum,

وما ضرّنا انّا قليل وجارنا
عزيز وجار الاكثرين ذليل ۞

لنا جبل يحتلّه من نجيره
منيع يرد الطرف وهو كليل ۞

Non nocet, quod pauciores ſimus ; quum Cliens noſter
Nobilis ſit ; at Cliens plurimorum ignobilis.
Nobis mons eſt, quem inſident, quos in Clientelam ſuſcipimus,
Inacceſſus ; qui aciem intuentis retundat hebetatam.

Ille *Mons* eſt imago *potentiæ*, quæ حمي *Sacro ſepto ſuo* omnes *Clientes* præſtet *tutos*, & *inviolabiles.* Infra ad *Cap* 19: 15. alia adhuc delibabo, huc pertinentia. Vides magnifice dictum במגוריו *in territoriis ejus, multo cliente frequentatis.* Nullus ibi foret שריד *ſuperſtes*, qui *avitæ patritæve gloriæ*, ac *potentiæ*, vel nomen, ac umbram retineret. בעמו *In populo ejus*, non tam de *populo civitatis*, quam de *populo familiæ*, id eſt *numeroſa cognatione*, & *proſapia*, explicandum cenſerem. *Gentem* dixere puriores Latini. Iſtum uſum reperies *Lev.* 21: 14. 15. *Gen.* 17: 14. &c. &c.

Verſ. 20. Deſcriptio diriſſimi Exſcidii decenter clauditur, & cumulatur, per *Horrorem Publicum, univerſo orbi incutiendum.* יום *Dies* haud dubie *Judicium*, & *Exitium*, divinitus inflictum, conſignat. Monuere *Merc. Piſc. Belg. Cocc.* &c. Sic *Cap.* 24: 1. ימיו *Dies ejus*, pro *ſuppliciis* & *Calamitatibus.* Et *Pſ.* 136: 7. *Dies Hieroſolymorum*, pro ejus *evaſtatione.* Item *Pſ.* 36: 18. *Videt quod veniat dies ejus*: quod huc opportune adduxit *de Pined.* per *Antonomaſiam*, pro *Die interitus*, *quem extrema calamitas reddat famoſum*, & *nigro lapillo notandum.* Hinc diſcedere non debuiſſet *Schmid.* ad *totum tempus vitæ* hunc *diem* extendens. Non valde etiam plauſibile quod idem Vir Doct. *Priores* explicet *Seniores* ; & אחרונים *Poſteriores*, illo improbo *Juniores*,

21 אך־אלה משכנות עול וזה מקום לא־ידע אל ׃

21 Profecto hæ ſunt ſedes iniquitatem exercentis: atque hic locus illius qui Deum non cognoſcit.

res, ut omnis *ætas ſeniorum*, & *juniorum*, in ſtuporem danda dicatur. Ad *Ordinem* ab aliis trahitur, ut ſint *priores* & *poſteriores dignitate:* quos *Merc.* jam rejecit; ipſe *priores* capiens de *Æqualibus*, ſive *Coævis*; & *poſteriores*, de *poſt victuris*. Conſimiliter *Cocc. Antecedentes* exponit de iis *qui vident* & *interſunt*; quibus jungantur *poſteri* & *ſequentes ætates*. Non videtur juſta oppoſitio. Nec legitima ſeries *Cler.* qui dat *poſteros*, & *majores natu*; niſi forte *minores natu* per *poſteros* intellexerit, ad mentem *Schmidii*. Mihi ſonantius quid ſuggeſſit vehementia *Bildadi*, qui *Theatrum totius Orbis* ſibi proponens, *Occidentales* & *Orientales* complexus eſt, *Exſcidii* hujus *horrore perculſos*. קדמוני & קדמון pro *Orientali* habes *Eſech*. 47: 8. 18. & *Gen:* 15: 19. *Zach.* 14: 8. *Joel* 2: 20. ubi etiam אחרון pro *Occidentali*; ex trito uſu אחור *Poſt*, & קדם *Ante*, pro *Occidente* & *Oriente*. Grandior cothurnus in *theatrum totius Orbis* ſic ſe immittere ſolet. *Herc. Oet.* 315. *Cujus extremus Dies*, *primuſque*, *laudes novit* &c. Apud *Arabes* مشارق الارض ومغاربها *Orientales terrarum Plagæ*, & *Occidentales.* Amant quoque القاصي والداني *Remotum* & *propinquum* inducere, ad ſimile *ſpectaculum* conſtituendum. Ea formula nil frequentius in *Hiſt. Tamerl.* & alibi. Sublimius adhuc cenſetur *Oriens* & *Occidens*, cujus ſpecimen ſit ex *Diw. Hud.*

ثناء يديمه مشارق
ومغارب

Laus quam memori mente condant
Orientales & Occidentales plagæ.

In נשמו ineſt *ſideratio* quaſi *mentis fulmine ictæ*; cum alluſione ad *procellam fulmineam* quæ præceſſit. אחז שער *Apprehendere horrorem*, figuratius eſt, & ſublimius, quam *Apprehendi ab horrore*, qui etiam dicitur אחז *corripere*, ut recte obſervavit *Merc.* Ad leniorem illam ſtructuram *Cocc.* & *priores occupat horror.* In *Hebræo* tamen erat, *occupant horrorem*; quo innuitur eos *in horrorem* penitus *defixos* & *demerſos eſſe*. Suſpicabar aliquando אחז hic *ſpeciali* iſto uſu dotatum, quo اخذ apud *Arabes* transfertur ad *affectionem*, *qua* quid *coagulatur*, vel *rigeſcit*; ut in illo Poëtæ, *ſi lac præceperit æſtas.* Sic in *Lex. Gol.* آخذة *Rigor*, ſive *Morbus quo corpus rigidatur*. Et أُخِذَ *Med. Dam.* אָחֵז *intranſitive* eſt *coagulatum ſuit ex acore* Lac. Hinc exiſteret *Coagulantur*, vel *congelantur horrore*, ſecundum illud, *Diriguit*, *ſteteruntque Comæ* &c. &c. Item, ὑπὸ δέους ἐπιφρίκει καὶ ἐπεπήγει, quæ phraſis eſt *Philon. Jud.* Poſſes quoque *dirigeſcunt*, vel *Coagulantur horrorem*; per conſtructionem cothurno accommodam. Nec tamen fido huic conjecturæ; & pedem potius figo in altero illo, quod ex *Jobi* 21: 6. ſtabilitur, *Occupat*, vel *Apprehendit*, *caro mea tremorem.* Anceps eſt *Eſaj.* 13: 8. poteſt enim reddi *Tormina & dolores apprehendent*, יאחזון, ſupple *Eos:* & poteſt, inverſo ordine, *illi tormina & dolores apprehendent*, vel *occupabunt*: citra ſupplementum.

Verſ. 21. *Epilogus* & *Epiphonema.* Non neceſſe eſt cum *Cl. Cocc.* inſerere, *At illa* ſunt, inquient, ex *Vſ. præc.* perſonis repetitis. Ipſe *Bildadus* hoc telum in caput *Jobi* torſiſſe cenſendus. Circa משכנות *ſedes*, & מקום *Locus*, ambigitur, ſitne *Manſio* proprie, an *Conditio*, improprie ſumtis vocibus. Poſterius tenent *Merc. Piſc.* &c. Prius, prælatum a *Schmid.* Ego jungenda autumarem,

quæ uſus Linguæ hinc & hinc invitat. מָקוֹם nempe & *Locum* deſignat ubi quis habitat, & *ſtatum* in quo conſtitutus eſt. *Hiſt Tamerl. p.* 400.

لاحسبن ذلك اعز اوقاتي واعلي
مقاماتي واشرف حالاتي

Reputabo hoc pretioſiſſimum temporum, & celſiſſimum locorum, & eminentiſſimum ſtatuum meorum. Et *p.* 411. هو لديه ذو مكان مكين ومقام امين *Obtinebat apud eum firmiſſimam ſedem, & locum ſtatiſſimum.* In *Hamaſa*

فما فوق ذلتكم ذلة
ولا تحت موضعكم موضع

Nec ſupra vilitatem veſtram vilitas,
Nec infra locum veſtrum locus eſt.

Sic *Algaz.* جعله بمنزلة الكلب *Poſuit eum in ſede canis.* Cl. *Schmid.* tam tenax *literæ*, ad *figuram* tamen mox relabitur, quæ ſane hinc abeſſe nequit.

CAPUT DECIMUM NONUM.

Verſ. 1. ET reſpondit Jobus, dixitque.

2 Quouſque mœrore ſauciabitis animam meam; & contundetis me verbis?

3 His

Verſ. 1. וַיַּעַן אִיּוֹב וַיֹּאמַר׃

2 עַד־אָנָה תּוֹגְיוּן נַפְשִׁי וּתְדַכְּאוּנַנִי בְמִלִּים׃

3 זֶה

Verſ. 1. Importunis inſtantiis, & declamationibus, ſupra modum fatigatus *Jobus*, non immerito Amicis exprobrat incredibilem quandam acerbitatem, per quam ſine ullo commiſerationis ſenſu calamitatem, in ſe atrociſſimam, immane quantum irritabant, & plane intolerandam reddebant; quum manibus pedibuſque obnixi contenderent, meritiſſimas plagas & pœnas incubare *Hypocritæ*, quem tandem *Fulmen divinæ maledictionis tetigiſſet*; ut *toti* terrarum *Orbi*, *omnibuſque ſeculis ſpectaculum* daret, & *documentum.* Hunc cumulum horroris a ſe removet & repellit, ſortem ſuam amariſſimam complorando, quod cum liquidiſſima innocentia, in odium Deo, in horrorem hominibus, adductus, omnium telis expoſitus, quin iiſdem plane depoſitus, ac confectus, jaceret. Deinde ad Amicos iterum converſus, flagrantiſſimo adfectu *Epitaphium* conceptiſſimis Verbis conſcribit vivo ſibi, ac ſpiranti, atque *Nobiliſſimum* illud *Carmen ſepulcro* ſuo *inſculpi* jubet; quo *virtutem illibatam*, ac *Fidem invictam*, *in* omnium ſeculorum *memoria* ſimul *inſculpſit*, ac *defixit*: *tandem*, tandem, tamen, *bonam Cauſam* eſſe *Triumphaturam*; *in ultimoque judicio vindicandum*, *atque*, *inſpectante toto Orbe*, *corona juſtitiæ donandum fore*, a Redemtore, eodemque Judice, humani generis, eum, qui ut *injuſtus*, *improbuſque*, ab omnibus *condemnatus*, & *in Exemplum traductus*, fuerat.

Verſ. 2. Cum ſtomacho redditur *Bildado* ſuum עַד אָנָה *Quouſque?* תּוֹגְיוּן expreſſi *mœrore ſauciatis*; quia יָגוֹן proprie eſt *affectio pedis ſaucii ſcrupis in calceo hærentibus*; ut alibi indicatum. Inde ad *anxiam*, & *cruciabilem* valde, *ſollicitudinem*, *animo injectam*, transfertur. Intendit *metaphoram* alterum תְּדַכְּאוּן,

non

3 זה עשר פעמים תכלימוני לא־
תבשו תהכרו־לי׃

3 His decem vicibus me ignominia fregiſtis; non confundimini; impudenter præfracti eſtis mihi.

4 ואף־

4 At

non tam *obtundetis*, quam *contundetis*, & *conteretis*, tanquam ſub *piſtillo* mihi toties totieſque *incuſſo*. Ex *Deod.* figuram a *contuſione granorum in mortario* laudavit quoque *Cocc.* Confirmat eam, quod ſupra de Verbo דכא prolatum, ad *Cap* 4: 19. *p.* 120.

Verſ. 3. Voculam זה *Piſc. Belg. Cocc.* accipiunt disjunctim, *Hoc tempore*, *Nunc*, νῦν; quaſi *Ellipſis* eſſet, pro בזה. Cl. *Nold.* in *Conc. partic.* hunc uſum multis exemplis inſtruxit; quæ tamen ſine *Ellipſi* aliquid elegantius ſpirant, ut *Gen.* 31: 41. *Hi mihi viginti anni ſunt in domo tua:* & *Vſ.* 38. *Ibid. His viginti annis ego tecum.* Similiter *Zach.* 1: 12. *His ſeptuaginta annis:* & 7: 5. וזה שבעים שנה הצום צמתני אני *Et his ſeptuaginta annis an jejunaſtis mihi?* Verte ibi, *hoc tempore*, *nunc*; & ſenties gratiam ſtructuræ periiſſe. Nec obſtat *Vſ.* 3. *Ibid.* כאשר עשית זה כמה שנים quod ita potius reddendum, *quemadmodum feciſti hiſce quotnam annis?* i. e. *hiſce annis bene multis.* Iterum *Deut.* 8: 2. 4. *Hiſce quadraginta annis.* Id ſuavius quam, *Nunc* 40 *annis*; quia *continuitas haud interrupta temporis tam longi* in priore illo exhibetur. Ad eam rationem reliqua rite ſubducta, eidem calculo reſpondebunt; qui & *Merceri*, *Schmidii*, aliorumque, *His decem vicibus ignominia fregiſtis me.* Sentis *vim uſque & uſque incumbentem.* In *numero Denario* captatas *vices aggreſſionum*, & *repulſionum*, hactenus *factarum*, cenſent R. *Saad. Periz.* &c. Plerique malunt numerum *certum* pro *incerto*, ut *ſepties* pro *ſæpe*; & *decem vicibus* pro *multis*; *Gen.* 31: 7. Tetigit & *Boch. Hieroz. part.* 1. *p.* 513. ubi plura. Adi quoque Cl. *de Dieu.* Adde Cl. *Reimar.* Præferrem, niſi τὸ זה paullulum obſtaret, quod magis aptum *decem congreſſibus*, *vicibuſque invadendi*, & *refellendi*, *ultro citroque continuatis.* Dices *Reſponſiones Jobi* non poſſe *imputari* Amicis. Poſſunt utique; qui enim *inſontem injuſtiſſimis criminationibus* ita *ſemet defenſitare cogebant*, revera in his ipſis ipſum *confundere* & *ignominia afficere* quodammodo videbantur. Si ſubtilius judices, *Hiſce decem vicibus*, ad ſolos Amicos ita referas licet, *Hiſce tam multis*, *tamque acribus*, *veſtris inſtantiis &c.* Verbum הכלים *pudore*, *ignominia adficere*, hic, judice *Schmidio*, magis ſignat *injuriam*, vel *calumniam*. Non putem interpretum quemquam aliud cogitaſſe. Sed hæc non eſt *Emphaſis*, quam præ aliis ſibi indicaſſe videbatur Vir Doctus. Nempe latitat adhuc origo *Thematis* כלם, quod *ignominiæ ſummum gradum* inferre ſolet. *Ignominia* unde fluxerit, nemini incompertum; ut & *dedecus.* Non æque patet omnibus unde *Opprobrium* dictum. *Contumelia* eſt *injuria profecta* ab eo, *qui faſtu tumet* & *turget.* Hanc *proprietatem* vocabulo *Hebraico* temere quis aſſignaret. Sed talia jam ingredi haud fas eſt. Teneant tantum talium, vel periti, vel curioſi, verba كلم *ſauciavit*, & جلم *ſecuit*, *reſecuit*, & quidem *carnem*, *ad oſſa* uſque *eam deradendo.*

Ibid. Obhæretur, & ſudatur, ad verbum תהכרו, ἅπαξ λεγόμενον, niſi quod *derivatum* inde extare videatur *Eſaj.* 3: 9. הַכָּרַת פְּנֵיהֶם. Iſta *formatio* anſam dedit I. *Doct. Merc.* recurrendi, poſt *Jarch.* ad *Rad.* נכר, quaſi תהכרו valeret hic תְּנַכְּרוּ, *An non erubeſcitis*, quod *vos alienos exhibetis mihi?* vel quaſi ex הִכִּיר *agnovit*, item, *abnegavit*, prognata eſſet nova Radix הכר. Quam aliena hæc, & arceſſita, nil dicere attinet. Aliquid tamen alienius adhuc inventum II. ab iis, qui, no-

notante *Merc.* ex illo הכיר huic ſedi inſeruere, *Cognoſcendos vos datis*, & *aperte monſtratis, qui ſitis.* Ex R. *Jona* III. *a Merc.* adductum, *quod obſtupeſcatis mihi*; ſub auctoritate *Arabici* הכר in *magno ſtupore.* Revera הכר الهكر in *Camuſo* exponitur العجب او اشده *Admiratio cum ſtupore, vel & vehementius quid.* Itemque تهكر in 5. *Conj.* تعجب *Admiratione ſtupuit, & attonitus fuit.* Sed ſenſus parum liquidus, *nonne erubeſcitis, quod ſtupeatis mihi?* vel, *de meo caſu adeo ſitis attoniti?* Nec valde concinnum IV. quod in *Juvenil.* tentavi, *nonne erubeſcitis, quod me ad ſtuporem redigatis?* Cl. *Crom.* eandem ferme faciem dederat ex *Hiph.* V. ſine *ellipſi*, & *interr. Non erubeſcitis, ſtuporem mihi incutitis*, pro *ſtuporem mihi incutere*; quod meo conatui præferendum, ob elegantiorem *Arabiſmum* in תבשו תהכרו: quamvis & illud minus quadrare cenſeam; etiamſi תַּהְכִּירוּ pro תַּהְכְּרוּ; & אתי pro לי, nil duri haberent. VI. Cl. *Coccejo* nihil ſimplicius, aptiuſque, videtur, quam ut *radix* ſtatuatur כרה *fodere, fodicare*, unde in *fut. Hiph.* תַּכְרוּ ex תְּהַכְרוּ, ut יַגְלֶה ex יְהַגְלֶה. Addit vel & יְהַגְלֶה. Hoc jam nimium: ſic enim יַפְקִיד fiet יְהַפְקִיד quod in *Ling. Orient.* inauditum. Et unde quæſo appiret הִכְרָה fodicandi vim tenuiſſe? Ne *fodicatio* quidem ſat valida. Hoc ſenſit Cel. Interp. alio conatu כרה *mactandi ſcindendive* notione augens, unde *viſcerationem* & *epulum* adſciſcit; ut ſit, *an non erubeſcitis quod epulum faciatis de me; meiſque carnibus ſaturemini?* Tentat & tertio a כרה *emere, Non pudet vos cauponari me?* Hæc in *Comm.* quæ qui *ſimplicia* vocari queant non video. In *Lex.* retinetur unum *fodicatis*, vel *pungitis me*; & ſupponitur הכר idem eſſe quod כרה quatenus *fodere* ſignificat. Cl. *Guſſ.* cui *Lingua Hebræa*, ut *ſol*, *ſuis* lucet *radiis*, הכר conferre jubet cum נכר, *Merceri* opinionem recentans; vel potius alteram *Forſteri* a *Mercero* ſpretam: cui placitum, הכר, ex collatione cum נכר, in ſuo *Lexico* mactare ſignificatione *apparendi*, *ſeque cognoſcendum præbendi.* Sed mirare mihi *Avenarii* acumen, cui VII. הכר valet *Aſper*, *Agreſtis fuit*, *ruſtice & parum civiliter adverſatus fuit alteri.* Hoc elicit ex cognato אִכָּר *agricola*; & ܐܟܪܐ; quin & *Agreſtis* Latinorum; prout ex omni Ligno Mercurium conficere callet. Apud *Merc.* VIII. nonnulli *ſubſannandi* notionem, ex *Arabico* fonte, attulerunt; quam, ſi *Schmidii* regula valeat, nullo jure reſpuas. Hæc eſt, *videndum quid contextus velit.* Sed quam *manca* ſit *Regula*, vel hinc condiſcas. Non reperio quoque *ſubſannationem* iſtam ſub هكر. Reſpexiſſe potuerunt ad הגר هجر *futilia, & delira loqui*, inſtar ægrotantis. *Alcor. Sur.* 23. 69. سامرا تهجرون *in turba noctu confabulantes futilia loquebamini.* Agitur de *verbis temerariis*, & *impiis*, contra *Alcoranum*, ac *Muhammedem*, *effutitis.* Ab eadem *Radice* هجر *Codurc.* IX. in medium dedit, *tanquam extraneum rejicere*, *refugere*, *abhorrere.* Denique X. eſt ſententia plurimorum, *obfirmatam cordis & faciei duritiem* denotari; quod ex הכרת פנים *Eſaj.* 3: 9. tam plauſibile, ut merito pleraſque verſiones occuparit poſt *Pagn.* & *Merc.* Depingitur ibi *perfricta* atque *impudentiſſima frons*, quam & huic loco accommodatiſſimam eſſe, commonuit Cl. *Vitr.* Eam vim auctoritate *Arabum* confirmatum iviſſe *Patrem* ſuum tradit *Kimch.* in L. R. apud quos הכר ſit עזות פנים *impudentia frontis obduratæ.* Cl. *Cler.* hanc

4 ואף־אמנם שגיתי אתי תלין
משוגתי׃
5 אם־

4 At etiam revera erraverim: mecum pernoctet error meus:
5 An

hanc ſignificationem a *Lexicogr. Arab.* non indicari, annotavit: Ei tamen acquieſcendum cenſet, donec melius adferatur. Idem & ego notaveram in *Juvenil.* addens, *veſtigium* ejus comparere in altera poteſtate, quam *Arabes* exhibuere. Hoc ut melius & plenius nunc percipiatur; ſciendum *ſtuporis admirabundi*, ſive *attoniti*, poteſtatem, eſſe *ſecundariam*; ut & alteram, *correptus fuit ſomno. Dormitavit.* Hæc duo uno ex fonte manaſſe, dubitari non debet. Illa *primaria* ſignificatio, quæ *ſtuporem mentis*, itemque *ſtuporem corporis*, *profundo ſomno* correpti, dedit, videtur fuiſſe *obriguit*, *diriguit*, vel tale quid. Jam vero *obriguiſſe* etiam recte dicantur illi, qui cum *corde lapideo frontem* quaſi *ferream* præferunt. Cl. *Schmidio interrogationem* haud admittenti aſſenſerim. Sic erit, *Non confundimini*; *obriguiſtis mihi*, *fronte*, & *corde*, *duriſſimi*, *inflexibiles*, *inſenſibiles.* Aliquid forte profectum in ſignificatione fugitiva eruenda. Eam omni dubitationi eximet, qui *Originem* هكر clariorem in diem educere poterit; de quo haud deſperandum.

Verſ. 4. Nexus paulo obſcurior. Per conceſſionem ita capit *Merc. Erraverim ſane: mecum maneat error meus. Sinite me luere pœnas erroris mei*; *& deſinite me maledictis proſcindere.* Dubitat tamen, an malit, *Mecum manebit &c. Ego puniar*; *non vos.* Eadem dubitatio *Cocc.* diſtinet, qui tamen poſterius præponit, in hunc ſenſum molliorem, *Non præjudicabit alteri mea opinio*; *neminique nocebit*, *niſi mihi ſoli.* Sed vide an ſatis verum, nemini *nociturum* fuiſſe *errorem Jobi*, ſi revera *erronea* de Dei viis *judicia* promſiſſet? Non tam exigua viri auctoritas, vel ipſo judice. *Merceri* illud, *Ego puniar* &c. nimis præfractum, & contumax; quod quum iſti *expoſitioni* objectum eſſet a *Nachmanide*, ipſe in *contumacius* quid ivit, & *Mecum manebit error meus*, explicuit, *non propter vos ab opinione mea diſcedam.* Id jam *Inſipientis* eſſet; quamvis nec præcedens a nota illa liberum. Remiſſius R. *Periz.* & humanius, *Eſto erraverim*; *ſinite errorem apud me meum pernoctare*; neque *eum* tam *cupide provulgate* & *propalate in meum dedecus.* Nec hoc tamen ſatis plenum; aut Amicis de *nimia acerbitate* convincendis idoneum. Multo minus ſatisfacit, quod ſimili ferme ratione adfert *de Pined. ſi erravi forte* in verbis, *mecum moretur ille error*; *non vagetur in ore aliorum*; *non proferatur in publicum*; *ſed veſtra caritas operiat multitudinem peccatorum meorum.* Quorſum *Codurc.* deflexerit, ad *Vſ.* ſeq. dabo. Non longe a vero abeſſe reor *Schmidium* ita *Vſ.* hunc cum *ſeq.* copulantem. *At revera etiam erraverim*; *& commoretur* adhuc *error meus apud me: num vero vos adverſus me efferetis vos*; *& arguetis ignominiam meam*? Id declarat, *Eſto ſim talis*, *qualem vos me dicitis*; *erraverim graviter: commoretur quoque etiamnum error meus apud me*, *neque eum correxerim. Quid tum? Veſtrumne propterea erit*, *me tam acerbe exagitare*, *ac non potius mihi condolere*, *qui tantopere a Deo adfligar*? *Sufficeret a Deo me adfligi: neque adflictionem meam augere deberetis.* Eodem & *Junium* collineaſſe ingenue admonet. De verbis iſtius *Paraphraſeos* cavere nolim. Senſus ipſe videtur ſatis congruus, *Eſto ſim talis*, *vel improbus*, *vel Hypocrita*; *mihi tamen iſtius Hypocriſeos haud conſcius*; *ita ut error ille me* etiamnum *teneat*, meoque in ſinu pernoctet; an vobis propterea, Amicis intimis, Amico ſemet decipienti inſultare fas fuerit: deque ejus *ruina* & *exſcidio* quaſi *tropæum erigere*? Poſſes quoque lenius adhuc illud *Erraverim* interpretari, *aliquid impatientius ex ore vi dolorum emiſerim*, *meamque juſtitiam nimis animoſe defenderim: an inde Legitima vobis Cauſa nata*, *ad Amicum veſtrum pro improbo*, *& perditiſſimo*, *omnibus diris & execrationibus onerandum*? Ex *verbis* utique *Jobi* ejus *perditiſſimam* & *contumaciſſimam Hypocriſin* elucere dixerat *Eliphazus Cap.* 15: 5. 6. Vide & *Cap.* 11: 2. 3. nec non 18: 2. &c. &c. Huic interpretationi lumen & robur addent quæ *Vſ.* 5. ſubnectentur. Hic tantum moneo, non obſtare noſtræ ſententiæ Copulam ante אתי omiſſam; unde Cl. *J. H. Michael.* colligit *Apodoſin* hoc ipſo verſu contineri: quid enim frequentius illa omiſſione in hoc Libro? Vi-

5 An revera contra me efferetis vos; & arguitabimini ſuper me opprobrium meum?

6 Noſ-

5 אם־אמנם עלי תגדילו ותוכיחו עלי חרפתי׃

6 דעו־

de *Vſ.* præc. & 18: 9. 15. & 17: 11. & 15: 14. & 13: 18. &c. &c. in quibus omnibus *Aſyndeton* ſingularem fert *Emphaſin*, quam & hic ſentire eſt: *Erraverim: pernoctet* quin imo *Error meus mecum.* Apud *Arabes* venuſte *noctu factum* dicitur, quod *inconſideratum*, & *male meditatum.* Docet id *Tauriz.* ad *Hamaſa.*

يقولون لما لم يعمل بحسن
تدبر هذا الامر قدر بليل
ومنه قوله تعالي بيت طايفة
منهم غير الذي تقول

Dicunt de re haud bene perpenſa, eam noctu eſſe decretam, unde & in Alcorano; pars eorum noctu aliud perpendit, quam tu dicis. Reſpicit *Surat.* 4: 83. 108. Ad eam rationem *pernoctans* apud aliquem *error*, duplicem exeret elegantiam; alteram quæ *ſtylo ſublimiori*, alteram quæ *Arabiæ* debeatur genio. Cothurnus dat ξυναυλίζειν, & ξυνοικεῖν, in iis quæ alicujus *animo* & *adſectui altius inſedere.* Hac auſa *Æſch.* in *Prom.* 250.

Τυφλὰς ἐν αὐτοῖς ἐλπίδας κατῴκισα

Cæcas in ipſis ſpes feci habitare.

Ad quam faciem *Jer.* 4: 14. *Quouſque* תלין *pernoctare facies in medio tui cogitationes vanitatis tuæ?* Poſſes etiam, *pernoctabunt cogitationes illæ?* Id forte elegantius. Certe cum uſu verbi conjunctius.

Verſ. 5. Magna hic fluctuatio circa ſeriem. *Codurc.* ad *Vſ.* 4. annotavit, *illum*, & *tres ſequentes, ſecus*, quam par fuit, *verſos*, & in alienam ſententiam *detortos*, omnia, alioqui *planiſſima*, feciſſe *ſalebroſa.* Contendit autem mentem *Jobi* huc redire, *merito Amicos in ſe inſurgere, ſi ſceleris convictus teneatur: nunc vero ſe innocentem de injuria ſibi illata conqueri.* Hoc eum exſculpſiſſe putem ex noſtro אמנם *Vere*; & videtur periodum ita concepiſſe; *At vere erraverim &c. Tum & vere contra me effertis vos, in meque invehimini, ut improbum.* Hic adſpectus *Vavaſſori* commodus, mihi quidem haud adeo ridet, quod nimis *remiſſa* eſſet illa *Conceſſio.* Non ſatis etiam accommodatus eſt ad uſum ף אם; niſi flectas in vim aſſeverationis, ut ſit, *profecto vere effertis vos contra me* &c. &c. quod voluiſſe *Jobum* non eſt veriſimile. Non immerito tamen *Salebroſum* dixerat *Codurc.* quod alii *Interp.* exhibuere, *ſi vero effertis vos contra me, & arguitis adverſus me probrum meum; ſcitote Deum me pervertiſſe* &c. Hoc eſt, ſecundum *Merc. Deum, non me, accuſate, qui me immerentem evertit, & adflixit*, &c. &c. Subſcriptum a plurimis: *Cocc.* quoque huc concedente: itemque *Cler.* Vereor ne ſenſus ille jaceat non tantum, ſed & hiet: *ſi me arguitis improbum*, quod calamitatibus hiſce ſim obrutus, *ſcitote Deum mihi eas impoſuiſſe, meque evertiſſe.* An ergo de eo dubitatum ab Amicis? Fortius illud alterum *Merceri, ſcitote quod Deus me pervertat; nec æquo jure mecum agat:* ſed ratiocinatio non videtur ſat rotunda, & cohærens. Mallem ſane rotunditatem quam intra ambitum *Vſ.* captarunt R. *Levi* & *Periz. ſi revera vos vultis contra me efferre, at vos probate & demonſtratum date contra me probrum meum. Evincite me eſſe revera improbitatis*, aut *Hypocriſeos, reum.* At non is, meo judicio, Noſter, cum *virtute* & *juſtitia* ſua *præcellentiſſima*, qui ad talem *probationem* ab *Accuſatoribus* exigendam ſe voluerit, vel & potuerit, demittere. Cum *præc. Vſ.* huncce potius eſſe connectendum apparet; eoque tendit *Verſio Tremell. An vero contra me amplius debetis diſceptare?* &c. Hoc a Cl. *Schmid.* comprobatum, in ſententiam *Vſ.* 4. propoſitam. Noſtra mens ibi quoque ſatis expoſita *generatim*; quam nunc *ſpeciatim* confirmaſſe juvabit. Primo itaque אמנם tam vicinum præcedenti, ut ei reſonet, & reſpondeat, unam eſſe *periodum* arguit; *At etiam revera erraverim* &c. *An revera contra me efferetis vos* &c? An ſi id *humano* a me

more

6 דעו־אפו כי־אלוה עותני ומצודו עלי הקיף׃

6 Noſcite jam nunc quod Deus me perverterit; & rete ſuum circumdederit mihi.

7 הן

7 Ec-

more commiſſum forte, *veſtrum* quoque *factum humanum* erit? Secundo תגדילו huic ſenſui unice convenit, adfert enim *inſolentiam* & *ſuperbam* ſui *elationem*. Cl. *Cocc.* ſupplet vel פה *os*, *Eſech.* 35: 12. *Obad. vſ.* 12. vel עקב *calcem*; λακτισμὸν. *Pſ.* 41: 10. Aptum noſtro adſpectui: non æque aliorum. Tertio, *Arguetis contra me ignominiam meam?* a *Merc.* aliiſque declaratum, *me impium eſſe colligitis.* Minus dextre *Schmid. num arguetis me ita, ut pudefaciatis me; meumque errorem, quaſi ſummum pudorem, mihi exprobrabitis?* Forte plus ſenſit Vir. Doct. quam expreſſit. Nos malumus, *Et arguetis ſuper me opprobrium meum?* Hoc eſt, an *amice*, quin imo an *humane*, a vobis *factum*, quod *omni niſu evincere moliamini*, me eſſe *caput improbum*, *meritiſſimus luens pœnas*, *in Exemplum totius Orbis*; *æternoque opprobrio obrui digniſſimum.* Conciſa formula הוכיח עליו חרפתו *Arguit ſuper eo opprobrium ejus*, pro *demonſtravit eum opprobrio æterno cumulandum*, & *pro Exemplo juſtitiæ Divinæ proſtituendum eſſe.* Summa huc redit. *Quid tandem tam atrox a me admiſſum, quod vos tam atrocia de me, & ſuper me, ſtatuere cogat?* ſi *ore*, vel *more* forte, *erravim*; ſi *reus* ſim *ignoti criminis*, & *non immerito*, quando ita vobis placet, *plectar*; *humanius* utique *fuiſſet* meo Caſui *indolere*, quam *Inſultare*, de eoque quaſi triumphare.

Verſ. 6. Hæc cum *Vſ.* 5. non eſſe connexa in unam *periodum* ſatis nunc credo liquere. Ne quidem accedere poſſum *Schmidio*, ita ſeriem proſequenti, *Condolere potius mihi debetis, & Agnoſcere, quod non ex malitia, ſed ex infirmitate erraverim, & adhuc errem; quam infirmitatem ingens illa, qua premor, adflictio mihi conciliavit.* In hanc mentem flectit Verbum עותני *pervertit me*, i. e. *fecit perverſum*; *fecit ut perverſe agerem*; ſive, *ex hoc facto Dei infirmitas mea occaſionem peccandi accepit.* Quin & in altero membro aſſumſit, *Rete ſuum circumdedit mihi*, *per quod infirmitas carnis meæ peccat.* Jam credas Cl. *Schmidium* confitentem facere reum; qui *peccata* & *errores* ſuos *excuſari* velit *tamen*, ex eo, quod Deus ipſe *occaſionem peccandi* dederit per *ſæviſſimas adflictiones.* Talia in *Calvinianis* ipſe acriter taxaſſet. Sed ſcias eum omnia hæc tantum ex *Conceſſione* dicta velle; per quam huic verſui nervus inciditur omnis. Vide modo paraphraſin, *ſi utique graviter erraſſem hactenus in ſermonibus*, *non tamen ſtatim deberetis ea in peſſimam partem interpretari, quaſi ex malitioſo animo profecta eſſent mea verba, ſed ea potius infirmitati humanæ adſcribere; quæ ideo impegerit, quod adeo graviter adflictus ſim.* Hæc interpretatio plus vitii habet, quam reliquæ omnes: nam τὸ עותני Aliis *veri* quid infert, ut valeat vel, *ſubvertit me*, & *fortunis evertit*; vel, *pervertit meum jus*; *non æquo jure adflixit me*, ut *Hieron.* dedit. Id mox plenius percipietur. Nunc attende, quo proceſſerit *Schmidius*, iſtud עותני ex *conceſſione* ſolummodo poſitum cenſens, pro, *Deus me perverſum fecit, ſi erraverim in ſermonibus*; quo pacto in hac ſede plane *evertitur*, atque in *nudam ſuppoſitiunculam* evaneſcit, quod *graviſſimam* continet *poſitionem*, verbum עות, peculiare examen ſibi depoſcens; quod inde *ſeq. Vſ.* ut & reliqua ſeries, pendeat, in qua non feliciſſime verſatum eſſe Virum Doctum reperietur; quia id quod omnia ſuſtinebat, infeliciter ſubduxerat ſibi ipſi; quantumvis in *Lutheri* auctoritatem recumbere potuiſſet.

Ibid. Nempe *Megalander* עותני non dubitaraт vertere, *Deus injuriam mihi facit.* Præter *Vulgatum* modo adductum, *Rabbinos*, aliosque e Noſtris, ita ſentientes, dabit *Schmid.* repellens a *Luthero* illud *incautum*, quod ei tribuerat *Cocc.* cui placuit, *Deus curvavit me*; quique contendit non de *jure* loqui *Jobum*, ſed de *ſtatu adflictiſſimo*, in quo *ſit* & maneat *ita curvatus*, ut plane *erigi* non queat. Idem

Idem in notis Doct *Belg.* extat, qui tamen maluere in verſionem recipere, *evertit me.* Apud *Merc.* bifariam exponitur; vel, *pervertit rerum mearum ſtatum*; vel, *pervertit jus meum.* Addit, *utrumque verbo Hebraico poſſe includi.* Non repugno, quippe qui *geminatam* unius verbi *notionem*, ſuaviter *concinentem*, a Scriptoribus ſacris juxta, ac profanis, adamari, ex profeſſo alibi oſtenderim. Si tamen alterutrum ſit eligendum, abſque ulla dubitatione amplectar *pervertit me*, ſive *jus meum*: nec metuam *incaute* id *factum* dici poſſe, quum longe *graviora* anteceſſerint in *Jobi* diſputationibus: quumque dicere auſim, *ſenſum* ſine iſta *perverſione Juris Jobæi* haud *conſiſtere* poſſe. Ipſe *Cocc.* fatetur עות alias *diſtorſionem ab æquo* & *recto* ſignificare, ut *Thren.* 3: 36. עות אדם בריבו *Curvare hominem in Lite ſua*, pro *jus ejus pervertere.* Adde *Amos.* 8: 5. *Job.* 8: 3. & 34: 12. ubi contra *Jobum* acriter negatur Deum *Curvare* ſive *pervertere judicium.* Quid ergo ambigitur an *Jobus* id *dixerit*, quod diſertis verbis eum *dixiſſe* dicunt Amici? Niſi magnorum virorum acies ſæpe laſſa conniveret, excuſari vix poſſet Cl. *Cocc.* reprehendens eos interpretes, qui putant *Jobum in his querimoniis immodicum* fuiſſe. Si hoc *verum* non eſt, jam nulla noſtra, nulla omnis in *Jobum* commentatio; nulla acris illa cenſura, ab *Elihu* in *Jobum* deſtricta; nulla denique Dei ipſius apparitio, *Jobum* ad meliorem mentem revocantis. Hæc ideo paulo fortius, quam ſoleo, quia & aliis Viris Doctis hic incuſſa religio, qua ſenſum huncce proſcripſerunt. Audi Cl. *Crom.* qui a عسوي *clamavit*, non facili Minerva, extundens, *Deus clamare me fecit*; vel *Deus conclamavit adverſum me* infortunia, ſubdit; *ſane malim omnes alias expoſitiones, quam illam; Deus inique mecum egit*; vel *perverſe agere me fecit*; *hanc enim omnes piæ aures abhorrent: nec dubium quin abhorruerit Jobus toto corde.* Nimis calide dicam? an frigide? quod in æſtuantiſſimos *Jobi* dolores ſe tota mente, & cogitatione, non immittant homines Eruditi; quodque nimis extendant, quæ *Jobus* ad *præſentem* ſuam *Cauſam* voluit reſtricta. Non mirum *Hodiernos* id *committere*, quod ab ipſis *Sodalibus* fuiſſe *commiſſum* ſæpe indicavi. Et illos utique tam *dura dicta ad tantam asperitatem provocarunt*; qua non conterritus Noſter, repetit, quod ſupra toties diſerte, & libere, ennunciarat; idque nunc tandem ab Amicis ſuis *agnoſci ſecum*, liberius adhuc, & animoſius, poſtulat.

Ibid. En tandem nexus promtam, ni calculus fallit, rationem. *Agnoſcite*, potius, O acerrimi Cenſores, & judices, *Agnoſcite*, idque ut ego *pro certo ſcio* & *teneo*, mecum *tenete* ac *ſcitote*, *quod Deus perverterit me*, *meumque mihi jus*, in hac præſenti Cauſa, *curvaverit*; qui me *ut improbum proſtituit*, atque in Exemplum traducit; quum *probitatis meæ Teſtem* Eum, atque *vindicem*, citare, & poſſim, & auſim. Hoc ſæpe facientem Noſtrum jam vidimus; atque deinceps adhuc videbimus. *Immodicum eſſe*, cum *Elihu*, ipſum hocce potiſſimum urſuro, omnino tenemus: ſed *blaſphemum*, aut *tale*, *quod a Jobi pietate abhorreat*, negamus; quum Deus ipſe *bonæ* Viri *Cauſæ* hanc *vehementiam* donaverit; atque paterna Clementia eam excuſarit. Id aliquoties diſcuſſum, repetere nil attinet.

Ibid. Non poſſum, quin Cl. *Reimaro* debitum impertiam honorem. Ejus Eruditiſſ. & Solidiſſ. *Paraphraſis*, cum optimæ frugis Notis, quibus *Novam Jobi Verſionem*, *illuſtrationemque*, *Germanice* a *J. A. Hoffmanno* conceptam, in dias luminis oras emiſit, hoc ipſo tempore ad manus meas pervenit; a *Celeb.* & *Venerando Antiſtite*, Orbiſque Literati Lumine, *J. Ch. Wolfio*, ad me tranſmiſſa. In ea *Vſ.* huncce ita declarari video: *Agnoſcite quæſo Deum pro imperſcrutabili ſua voluntate, & poteſtate, per quam probi ſimul improbique unum Ei ſunt, me, meumque ſtatum, ſic ſubvertiſſe: meque ſuo Reti, quod effugi nequit, circumdediſſe, atque in exitium traxiſſe.* In Notis ſubnectitur, citata *pericope Cap.* 9: 19 24. ad quam reſpiciatur, *ſe fateri Jobum* in hiſce *fuiſſe immodicum*, *ſed ſe cujuſque verba ad cujuſque ſenſum*, *ac conceptum*, *debere dijudicare*; *quemadmodum vel Platonici*, *vel Stoici*, *vel Lutherani*, *vel Calviniſtæ*, *ſermonem de Deo*, *ſecundum Syſtema cujuſque accipere teneatur. Jobi autem argumentum illuc tendere*, *ut ad commiſerationem permoveat Amicos Vſ.* 21. *& ſeq. idque ex ſenſu*, *quem de Deo fovebat: quod Deus ipſum*, *tanquam Abſolutus Dominus ſubvertiſſet: Cujus abſolutæ poteſtati* (*Amici*, *æque ac ipſe*, *eſſent obnoxii.* Cordate profecto, atque ut decet Commentatorem, qui

ver-

7 הן אצעק חמס ולא אענה אשוע ואין משפט ׃

7 Ecce clamo violentiam, & non fero reſponſum: quiritor, & nullum eſt judicium.

8 ארחי

8 Iter

veritati ſerviviſſe, *veram ducit Libertatem.* Retinet quidem Vir Doctiſſ. *ſubvertit me*, *meumque ſtatum*, ſed ita, ut ſimul *Jus* Viri *everſum* fortiſſime urgeat, ac proinde duplicem vim verbi cum *Mercero* haud obſcure amplectatur.

Ibid. Vix jam opus de altera figura aliquid ſuperaddere. *Contemplatori* illi *Myſtico*, qui in præcedenti verbo *ſubverſionem ſalutarem*; in *Reti* autem *circumdato*, *ſingularem* Dei *protectionem*, & *cuſtodiam*, reperire potuit, ſuas *ſpeculationes*, cum Cl. *Reimaro*, & permittimus, & remittimus. Nobis nullum dubium, quin *Rete* ſit imago *calamitatum ineluctabilium*, & quidem talium quas Deus ſolet *immittere ad pœnam*, & *vindictam criminum graviorum.* Verbum הקיף hic opportuniſſimum eſſe, percipias ex iis quæ ad *Cap.* 1: 5. prolata, ubi cernes *Orbem* undique *nexum*, & in ſe *apte* & *arcte redeuntem.* *A venatione* tranſlatum; & quidem *violentiore* illa, in qua *indagine*, & *formidine*, late *circumfuſa*, quicquid eſt ferarum in aliqua regione, clauditur, ad incitas redigitur, telisque tandem configitur. Ex *Cap.* 16: 13. &c. iſtam *imaginem* repetas velim; ſimulque conferas luculentiſſimam deſcriptionem talis *Venationis* in *Hiſt. Tamerl. p.* 416. 417. ubi inter alia notabis, *Quumque circum feras jam in orbem coiiſſet indago fraudis & perniciei* &c. *atque illæ in trepidiſſimam conſternationem conjectæ tumultuarentur* &c. *Juſſit tympana pulſari*, *tubaſque inflari & buccinas* &c. *quo ſonitu audito*, *terroreque incuſſo*, *ferarum vires cadere*, *reneſque diffindi cœpere*, &c. *Ventum deinde ad telorum jaculationes*, *pro arbitrio figente*, *& conficiente ſuam prædam*, *non jam virorum*, *ſed puerorum*, *multitudine*; *dum filiolos filiorum*, *purpuratorumque ſuorum*, *inter riſum*, *jocumque*, *in feris necandis præludere hortabatur* Tamerlanes *majori illi venationi*, *quam ipſe exercuerat*, *Terrorem nominis ſui per orbem terrarum circumferendo*, *& fortiſſimos quoſque caſſibus ſuis circumretiendo.* In noſtro הקיף ſimilis *indaginis* ſignificationem olim reſediſſe, arguere videtur ſingularis illa vis *derivati* وقيفة וקיפה *forma part. paſſ.* apud *Gjeuh.*

الوقيفة الوعل تلجئه الكلاب والرماة الي صخرة فلا يمكنه ان ينزل حتى يصاد قال

فلا تحسبني شحمة من وقيفة
مطردة مما يصيد سلفع ☼

Wakyfa vocatur rupicapra quam adigunt canes, *& jaculatores*, *ad petram*; *unde effugere nequeat*; *ſed in prædam venantibus cedat.* *Ait nonnemo*

Ne putes me eſſe pulpam Wakyfæ
Ad incitas propulſæ; *quam venetur tibi præſtrenuus.*

Cave putes ad *Rupicapram* tantum pertinere hoc *Epitheton*: complectitur enim omnem *venationem*, ac *prædam*, ſic *incluſam*, ut *necem effugere* non queat. Hanc eximiam poteſtatem in הקיף nunc captatam, non eſt cur dubitetur; quum vel citra hanc diſertam auctoritatem ſeries eandem expoſcat.

Verſ. 7. Hunc *hoſtilem impetum*, & *venatum vehementem*, quo *innocens*, & *aliam ſortem promeritus*, indeſinenter premebatur, deſignat per חמס *violentiam*, ſive *crudam*, *duramque*, *injuriam.* Prudenter *cauſam primam* cum *ſecundis* ſociarunt Doctiſſ. *Belgæ*,

8 Iter meum præſepſit, ne pertranſeam; & ſuper via mea munita caliginem horridam ponit.

9 Glo-

8 ארחי גדר ולא אעבור ועל־נתיבותי חשך ישים׃

9 כבודי

eum *Piſc. Merc.* &c. Cl. *Cocc.* diſtinxit, *primum colon*, inquiens, *refero ad Cauſas ſecundas adflictionis. Si clamem ad Deum ſuper vi Satanæ, & hominum; nec Satanas coërcetur; neque in homines vindicatur. Alterum colon refero etiam ad Deum ipſum* &c. Multa officiunt huic *diſtinctioni*, quæ peritis non diffido ſponte occurſura. Eam tamen urguet Cl. *Schmid.* primo, quod *ſi contra Deum ſuper violentia clamaſſet* Noſter, *jam erraſſet*, *quum tamen occaſionem erroris tantum exponat ſi utique erraverit.* Secundo, quod *ad Deum, ſuper violentia, clamet*; *non facturus, ſi ipſum Deum accuſaret.* Tertio, quod *Judicium petat*, i. e. *vindictam, quam* utique *Deus a ſe ipſo ſumere nequeat.* Concludit, *clamaſſe ergo* Jobum *ſuper vi illata a vicinis*, *contra fidem pacis; cum quibus alia concurrerint, ab Amicis, & Domeſticis, profecta.* Prior argutiola refutata ad *Vſ.* præc. Duas poſteriores rationes enervabunt ea, quæ ad *Cap.* 16: 18 21. exhibui. Qui in *Adfectum Jobi* mecum deſcendit, nullus ambiget, quin ſub חמס comprehendatur *quicquid Calamitatum* Noſtro *incumbebat*, *uſque* & *uſque crudeſcens*, *Eumque ſub infamia publica ſepelire*, & *extinguere*, *minitans.* Jam *clamor contra ipſum Deum* propterea *motus*, & *imploratio vindictæ*, id eſt *Aſſertionis*, & *Liberationis*, ex hiſce malis, *ad Deum directa*, ex omni utique non verſu tantum, ſed & verbo, reſonat; ut mirum ſit alibi *querelas* illas quæri, quæ *recentes in auribus* verſantur. An non in iis *cum Deo* potiſſimum *expoſtulat* Noſter? Hoc ergo eſt אצעק *Oppreſſus clamo vim* mihi *fieri*, & *violentiam*; atque *in tempeſtatem querelarum prorumpo.* Tanta reſidet vis ſub צעק, σκέπτομαι, ἐπισκήπτομαι. אשוע *Vociferor*, *Quiritor*, ut eleganter *Cocc.* obſervans eſſe *Vociferationem illius qui Dei Hominumque fidem implorat*, *ad ſalutem oppreſſo præſtandam.* Amplector, atque in *Originibus* probatum dabo. Ad finem vereor ne Cl. *Schmid.* jam non labatur, ſed ruat, quum *non exaudior*, & *negatur judicium mihi*, ſe *accipere* ait *de dilata exauditione*, & *Judicio*; *non de omnimoda negatione.* Meticuloſa nimis commentatio eſt, quæ *Jobo* ne expreſſiſſimos quidem ſenſus ſuos relinquere ſuſtinet.

Verſ. 8. Generalius hæc Emblemata referri poſſunt ad *Calamitatum vim*, & *molem*, undique *circumvallantem*, magiſque ac magis *effugia præcludentem.* Ita fere *Merc. de Pin. Cocc. Schmid. Cler.* Omnes. In לא אעבר Cl. *Schmid.* cenſet præterea eſſe λιτότητα, ad *tranſire nequeo* adjungens, ſed *cado*, & *omnia fiunt pejora.* In hac interpretatione nihil deſiderari poſſe videtur, quum *Figuræ* iſtæ ad *Calamitates ineluctabiles* paſſim applicentur. Perpende tamen mecum, an forte *ſpecialius* aliquid intendatur, atque *via præſepta* nunc ſimul ſe extendat ad *conatum*, quo Noſter *perrumpere tentabat ad Dei Tribunal*, & *Juſtitiam cauſæ ſuæ aſſerere*, & *demonſtrare in præſentia* quaſi *ſupremi Judicis*, *vindiciſque oppreſſorum.* Utique qui hæcce ad diſcrimen cum *Vſ.* 6. explicant de *Conſiliis*, & *moliminibus*, quibus *ex Reti* ſibi *circumjecto ſemet expedire* ſatagebat, hunc conſpectum excludere nequeunt: eumque commendare ulterius poterit *via occultata & præſepta*, *Cap.* 3: 23. ſecundum loci illius receptiſſimam expoſitionem. Conferas quoque quæ *Cap.* 23. latius diſſeruntur. Si in *generali* ſenſu maneas, נתיבה *via alta*, *munita*, *regia*, erit *vita* cum *virtute*, *pietate*, & *religione*, *tranſacta*; in quam *ſpiſſæ tenebræ iræ* & *maledictionis divinæ ingruerint.* Si in *ſpecialem* deſcendas, erit eadem *vita*, *cum relatione ad teſtimonium optimæ conſcientiæ*, quæ ipſi *viam altam*, & *aggeratam*, *emuniebat* ad Tribunal ipſum ſummi Numinis: ad quod tamen *Nocte* & *Caligine Terrorum* Ei *offuſa accedere* non ſinebatur. *Acceſſus* ad *Tribunal Dei* Noſtro eſt, *demonſtratio ſuæ Juſtitiæ*, *ejuſdemque publica agnitio*, vel *declaratio*, per *vindicias Innocentis*, pro *Nocente adflicti*, & *traducti.* Relegas hic velim, quæ ad *Cap.* 9: 28, 29, 30. leguntur.

Verſ.

9 כבודי מעלי הפשיט ויסר עטרת ראשי׃

9 Gloriam meam mihi dereptam ſpoliavit: & detraxit coronam capitis mei.

10 יתצני סביב ואלך ויסע כעץ תקותי׃

10 Deſtruit me undiquaque, & pereo: revulſitque, tanquam arborem, expectationem meam firmam.

11 ויחר

11 Et

Verſ. 9. Hunc adſpectum commendabit *ſpecialior* horum Emblematum enucleatio. *Merc.* per *Gloriam generaliter* intelligit *opes*, *exiſtimationem*, *ſplendorem*, & *quicquid celebrem* antea *reddebat* Noſtrum. Item *Coronam capitis* explicat *opes*, *Liberos*, & *reliqua ornamenta*. Nonnulli *Coronam* ſtrictius de *Majeſtate Regia*, quorſum acclivis quoque *de Pined.* Alii laxius de *dignitatibus & honoribus magiſtratus* exponunt: Itemque *Gloriam*, *Laudem ſapientiæ*, & *prudentiæ*, in fungendo. *Bolduc.* ſcivit *Jobum*, quum hæc diceret, nondum *Regali Diademate fuiſſe redimitum*; ſed *infula Sacerdotali* tantum *fulſiſſe*, quam ſibi *detractam* nunc doleat, quod propter *fœtidiſſimos morbos* &c. *a ſacerdotalis muneris exercitio impediretur.* Eodem & *Gloriam dereptam* revocat. Cras credam. Hodie exiſtimo, tam parum Ei rationem conſtare, quam illis, quibus *Gloria*, & *Corona*, eſt *Barba*, & *Coma*, quibus ſe *ſpoliatum* dicat, ob *funera* ſuorum ſeſe *radere* coactus. Hoc non diſplicuiſſe videtur *Pinedæ* Quid præ *Mercero* præſtiterit Cl. *Schmid.* aliquid diſtinctius dare ſtudens, non video. Enucleatius *Coccejus*, ſub *Gloria*, præter *opum abundantiam*, agnoſcit *aliquid quo inter ceteros homines eminuerat hactenus*, quod ſcilicet *abundaret lætitia*, & *Divino commercio.* In *Corona capitis* recognoſcit *præmium victoriæ*, & *ornamenta laudis*, *dignique honoris*, *quæ Deus cultoribus ſuis promiſit.* Concludit, *Jobum* hic conqueri de *Corona juſtitiæ* ſibi quodammodo *de capite dejecta*, & *de teſtimonio integritatis reſciſſo*; *ſeque in cataſta inter ſceleratos proſtitutum*, *quum ut fortis athleta præmia potius a Brabeuta expectaſſet.* Apparet, per *Lætitiam abundantem* prioris Membri *Coccejum* intellexiſſe *conſcientiam Virtutis*, & *pietatis ſinceriſſimæ*, ejuſque *conſolationem uberrimam.* Hæc *Vera* & *ſolida* hominis *gloria*; quam nunc potiſſimum intentam fuiſſe omnia ſuadent, & vincunt. Reſumenda hic ea quæ *Cap.* 9: 30, 31. deploravit Noſter; unde adhuc profundius in *ſenſum* viri *profundiſſimum* deſcendere dabitur. Non negligenda quoque vis verbi הפשיט *ſpoliare*, *exſpoliare*, & *excutere* nudum, *derepta* velut *cute.* Indicatum ad *Cap.* 1: 13. Sentis *violentiam* & *injuſtam dereptionem veſtimenti*, & *ornamenti*, *quo quis* tanquam *ſuo gaudebat.* Eodem tendit מעלי *de ſuper me*, in quo ineſt *extractio* & *excuſſio nudati.* In יסר *Removit* ſimiliter ineſſe *violentam ablationem*, imo *dejectionem*, bene ſubmonuit *Schmid.* minute tamen ſuum *dejecit* præferens *Merceri detraxit.* Iſtam *violentiam* exerit הסיר 1 *Sam.* 17: 46. ubi de *capite abſciſſo:* & *Eſaj.* 18: 5: &c. Adde *Job.* 27: 2. & 34: 5. ubi *jus* ſibi *ablatum* queritur. Huic pulcherrimo ſenſui ſubſcribere non dubitabis, ſi conferas *Cap.* 30: 14. *Juſtitiam induebam*, & *induebat me: ut pallium*, & *Cidaris*, *jus meum.* Bonis externis, & fortunæ donis fluxis, nullique propriis, non tam *magnificas figuras* dediſſet is, qui omnium illorum amiſſionem forti pectore ſuſtinuerat, non ſolum, ſed & קבל, celſa, atque exaggerata, mente ſuſceperat: ut ad *Cap.* 2: 10. viſum.

Verſ. 10. Mireris eandem chordam tam crebro tangi ab interpretibus. *Merc.* & hic reponit *jacturam facultatum*, ſi *in præt.* ſit, *deſtruxit me*; mavult tamen *in præſ. deſtruit me*, quod *adhuc eſſet in adflictione.* R. *Levi* refert ad *facultates* & *liberos*, cum quo ſtat *Bold.* R. *Periz.* ſpeciatim ad *ædificia.* Cl. *Cocc.* figurate, *deſtruxit me* ut ædificium, *in liberis meis*, *qui pars mei.* Cl. *Schmid.* ad *corporis morbos*, & *mala*, reſtringit, cui latiorem ſenſum ſuadere potuiſſet סביב *circumquaque*;

11 Et facit exardeſcere contra me naſum ſuum: & reputavit me ſibi, ſicut hoſtes ejus.

11 ויחר עלי אפו ויחשבני לו כצריו :

12 Jun- יחד 12

in quo ipſo tamen deprendit *Corpus* Jobi *circumcirca & in omnibus partibus ægrum atque adſlictum.* Luculentius *de Pined. Undique demolitus eſt me; non ex una tantum parte ſum labefactatus, & expugnatus; ſed undique bonis omnibus dejectus; & omnibus corporis partibus dirutus, & diruptus.* Sed ne hoc quidem mentem *Jobi* exhaurit, qui hanc *violentam deſtructionem ſuæ Fortunæ, domus*, & *perſonæ*, hic non nude videtur ſpectaſſe, ſed in relatione ad *Pietatem* a ſe *religioſiſſime cultam*; & *ſpes, opeſque, quas ſuper ea exædificarat.* Ait ergo, *ſe, ſuaque omnia, funditus labefactata, & convulſa; ita ut quæ ſibi ſuper rupe immota Religionis exſtruxiſſe videbatur, Benedictiones Divinas ſibi, ſuæque domui, certa ſpe deſtinans*, & *promittens, ea omnia nunc deſtructa jaceant*; &c. &c. Hoc non ultra ſcopum, adfectumque præſentem, rapiendum. Redi ad *Cap.* 17: 11. 12-16. & videbis יתצני optime in *præſenti* efferri, ita ut *futurum* quoque amplectatur. Verbum נתץ in *graviſſimis minis*, & *ſubverſionibus ædium, urbium, inde a fundamentis.* סביב *circumquaque*, indicat *nihil non imis ſedibus emotum, & ſuſque deque verſum.* Grave quoque verbum אלך *abeo*, pro *pereo*, & quidem *ſine ſpe reditus*, ſive *reſtitutionis*, quod *Piſc.* intendit, per, *in Nihilum abire cogar.* Additur in eundem ſenſum, adſcita alia adhuc figura, & *Evellit tanquam Arborem, ſpem meam.* Elegantius fore putabat *Pagnin. tanquam Arboris.* Idem יסע dat *recedere fecit*, quia autumabat נסע proprie eſſe *proficiſci.* Ad illud exemplum *Cocc. Abegit, inſtar Arboris, expectationem meam.* Sed ſciendum *proficiſci* eſſe ſecundarium, a *vellendo*; & fortius eſſe, quod *Merc. Piſc. Belg. Schmid.* &c. expreſſere. *Revulſit, tanquam Arborem*, &c. ut *ſpes* & *Expectatio Jobi* comparetur cum *Arbore florentiſſima, quam in medio vigore ſubita Tempeſtas corripuerit, atque a Radicibus ſuis revulſam, proſtraverit*, ita ut *reſurgere* ac *refloreſcere* nunquam queat. Diverſum quid ſonat *ſpes Arboris*; quod Cl. *Coccejum* coëgit addere extra textum, *Arboris deciſæ, quæ nunquam regerminat.* Atqui *Cap.* 14: 7. etiam *Arbori exciſæ* adhuc *ſpes* datur, *fore ut repullulaſcat* &c. &c. quum *ſuam ſpem* penitus *eradicatam* eſſe dicat. Cl. *Reimarus* mallet *ſpem tranſplantatam a terra in cœlum:* quod alias durum nimis ſit effatum. Sed hoc nimis mite viciſſim: & duriora jam audivimus. Recte monuit Cl. *Schmid.* non intelligi *ſpem vitæ æternæ, quippe de qua mox egregiam daturus ſit confeſſionem.* Sed non ſatis recte ſubdit, eſſe *ſpem hujus vitæ*, & *reſtitutionis in integrum, quam Amici pœnitenti inculcabant.* Hanc *ſuam ſpem* nunquam appellaſſet Noſter; quod ad *Cap.* 17: 15. diſcuſſum. Inde reſumas hujus *ſpei Religioſæ* verum adſpectum, pluribus ibi circumſcriptum; ne cuiquam ullus ſcrupulus hæreret, circa phraſes quas concitatiſſimus Adfectus animavit, & exaggeravit.

Verſ. 11. Duplicem *Analyſin* admittit verbum יִחַר, pro יֶחֱרֶה, a חרה *exarſit*; unde ſecundum quoſdam in *fut. Kal.* eſſet, *Exardeſcit contra me ira ejus.* Quod *Merc.* notat in *Kal.* ſcribendum fuiſſe יִחַר, eatenus valet, quod iſta *forma* aliquoties proſtans, arguat, ſæpius dictum eſſe יֶחֱרֶה, non יֶחֱרֶה in primo illo futuro: inde tamen liquido concludi nequit, alterum illud nunquam obtinuiſſe. Contrarium patet, ex לַחֲרוֹת, non לְחְרוֹת 2 *Sam.* 24: 1. & בַּחֲרוֹת *Pſ.* 124: 3. non בְּחְרוֹת. Extat quin imo יֶחֱרֶה, 1 *Sam.* 20: 7. & alibi, unde regulariter יִחַר. Liquet utramque formationem in uſu fuiſſe. Malim tamen cum *Merc.*

&

12 יחד יבאו גדודיו ויסלו עלי דרכם ויחנו סביב לאהלי׃

13 אחי

12 Junctim invadunt turmæ ejus; & aggerant contra me viam ſuam: ac caſtra figunt circumquaque ad tentorium meum.

13 Fra-

& pleriſque, *Accendit*, *fecit exardeſcere Naſum ſuum adverſus me.* Id vehementius. Cl. *Schmid.* non *ſine ratione* vim *tranſitivam* adhibitam cenſens, eam ita reddit, ut longe *remiſſius* quid exeat. *Exardeſcere* nempe *ira Dei* dicitur ei, quum *ex natura juſtitiæ divinæ hoc fit*, & *Deus revera iraſcitur: ſed quum Deus exardeſcere facit iram ſuam*, *tum rem eſſe ſingularis conſilii*, *ut non puniat propter peccata gravia*, *ſed ex occulto*, *paterno tamen*, *conſilio caſtiget*, *quos gratia ſua complectitur.* Addit, *hanc interpretationem deſumimus ex*, *Reputatavit me ſibi tanquam inimicos ſuos. Reputavit tantum*; *non autem revera habuit.* Belle. Sed belliſſimum, quod *Mercerum* non probet, *ita me dure & inclementer tractat ut ſi eſſem hoſtis*, hac cautione munientem; *Sic Caro judicat in cruce*, *quaſi Deus nos oderit*, *& ut hoſtes inſectetur.* E contrario pronunciat Cl. *Schmid. ſi uſpiam in toto Libro judicium Jobi carnale*, *hoc ſane Capite carnale non eſſe: adeo ut hic reſpiraſſe ſub tentationibus videatur.* Præſtrinxit ſplendor Confeſſionis inferius editæ; nec ſatis ad ſcopum, adfectumque *Jobæum*, exceptæ. Pellexit deinde hæc quæſita diſtinctiuncula, atque, ut fit, ulterius, quam par, provexit. Nullum hic indicium *Reſpirationis.* Uritur, & æſtuat, cum maxime, Noſter, vere æſtuantia fundens verba; in quibus adeo nihil remittitur, ut omnia potius intendantur. Hoc præ manibus erat *Schmidio*, ſi manſiſſet in *Re ſingularis conſilii.* Nempe *facit exardeſcere*, inferre poteſt *merum arbitrium*, & *abſolutam voluntatem*, quæ vel *Juſtitia reclamante* illuc procedit. Id a *Jobo* captatum, aſſeverare non auſim: ſed ſatis tuto adfirmaverim, *facit exardeſcere* eſſe longe gravius, quatenus *longam*, & *identidem incumbentem vim Naſi ſemet irritantis*, & *accendentis*, ante oculos proponit, Sic tamen jam *vacationem a culpa*, & *innocentiam* ſuam, non obſcure ſimul inſinuatum iviſſe Noſtrum apparet. In poſteriori membro ſequendum eſſe *Merc.* præ *Schmid.* nemo ambiget, qui momenta rerum penſabit. Roget interim quis, cur כצריו *ut Hoſtes ſuos*? In *ſingul.* extulerat *Cap.* 13: 24. לאיב *in inimicum me reputas tibi:* nunc enunciatum, non *in hoſtem*, ſed *tanquam hoſtes ſuos*, quod & animoſius, & invidioſius; quaſi in uno *Jobo multi forent hoſtes*; vel potius *omnium* pœnæ in ſolum *Jobum*, agminibus junctis, irruerent, & incubarent.

Verſ. 12. Hæc *Agmina pœnarum*, hoſtili impetu ſævientia, graphice oculis ſubjiciuntur. גדודים *Turmæ prædatrices* anſam dedere nonnullis cogitandi de *Sabæis* & *Chaldæis Cap.* 1. Id nimis tenue. Literam & Figuram conjunxit *de Pined.* magis tamen inclinans in *Ærumnas denſis cuneis immiſſas.* Sic & *Merc.* obtulerat *Multitudinem adflictionum turmatim irruentium.* Cl. *Cocc.* adjungit *Satanam*, & *improbos homines.* Non opus anxie definire, quod *indefinite* poſitum, omnia amplectitur. *Exercitum curarum*, *mœrorum*, *calamitatum*, ſtilus ſublimior ſponte ſuggerit. Comice *Ariſtoph.* in *Pac.* 746. ὑστριχὶς εἰσέπαλεν σοὶ εἰς τὰς πλευρὰς πολλῇ στρατιᾷ *Flagrum invaſit coſtas tuas multo agmine.* Graviter, & *Tragice*, *Eurip. Med.* 1185.

Διπλοῦν γὰρ αὐτῇ πῆμ' ἐπεστρατεύετο.
χρυσοῦς μὲν ἀμφὶ κρατὶ κείμενος πλόκος
θαυμαστὸν ἵει νᾶμα παμφάγου πυρός.
πέπλοι δὲ λεπτοί, σῶν τέκνων δωρήματα,
λευκὴν ἔδαπτον σάρκα τῆς δυσδαίμονος. &c.

Duplex namque malum infeſto eam agmine invadebat, *aurea corona capitis mittens miraculoſum flumen omnia vorantis ignis*, *cum peplis dilaniantibus miſeræ teneram carnem.* &c. Nil protritius inter *Arabes*, quorum حروب الكروب *bella mœrorum*, & عساكر *Agmina* atque *Exercitus eorundem*, ſupra adduxi. Nunc addo, in his *Turmis prædantibus* eſſe vim *necopinatæ*, *violentæ*, quin & *pro-*

13 Fratres meos a me procul ſemovit; & Notores mei profecto alienati ſunt a me.

14 Pe-

13 אחי מעלי הרחיק וידעי אך־זרו ממני׃

14 חדלו

protervæ cujuſdam *invaſionis*, ac *graſſationis*, quæ omnia ſub pedibus quaſi proterit, ac proculcat; ſine ulla miſericordia. Huc pertinet medium colon, in quo verbum סלל aliis eſt *calcare*, aliis *ſepire*, aliis *ſternere*, aliis *elevare* & *aggerare*. Id *Originibus* reſervandum. Ambigitur quoque an על nunc valeat *contra*, an *ſuper*, Doct. *Merc.* utrumque complectitur, *adverſum me, ſimulque ſuper me, ſibi viam ſtratam tritamque fecerunt*. Cl. *Schmid.* non congruere cenſet, quod *conculcatus eſſet Jobus, ſi ſuper eo viam calcaſſent*: & tamen idem mox ipſe reponit, inducens *Adflictiones turmatim & junctis viribus tabernaculum* Jobi *ſubverſuras*; *quæ ipſum, quaſi obſtantem, projecerint, & per ipſum, varie exulceratum, & tantum non plane conculcatum, viam ſibi fecerint, ad tabernaculum illud tandem dejiciendum, quod eum in finem obſeſſum tenebant*. Recte vero, ſed & hoc ipſum jam dederat *Merc.* monens *Metaph.* eſſe *ab urbe obſeſſa, quaſi dicat, domum meam, id eſt me, qui illis ut domus, aut ut urbs quæpiam ſim, undique obſederunt, velut caſtris in circuitu poſitis, ne illis elabar*. Videtur אהלי *Tentorium* pro *perſona* tantum voluiſſe; aut pro *Corpore*, quod σκήνωμα. *Schmid. univerſam familiam, de qua exiguum quid ſuperſit* adhuc, *mox morte Jobi evertendum*, intelligit. Id concinnius. Nempe אהל *Tentorium*, eſt *univerſus hominis ſtatus hac in terra, cum omni Re, ſpe, ope* &c. *qua ſtatus iſte ſervari* aut *propagari queat*. Ea granditate dictum *Pſ.* 52: 7. יסחך מאהל *Evellet te a tentorio*, i. e. *ne ſis tentorium*, ſive *Domus* in terris *florens*, ac *potens*. Confer *Eſaj.* 33: 20. ubi *Tſion* vocatur אהל *Tentorium cujus non revellentur paxilli*. Adde *Job.* 8: 22. *Prov.* 14: 11. &c. Nimis cupide *Bolduc.* non niſi per vim *Tentorium* ſumi poſſe ait *pro iis omnibus quibus domus & familia conſtat*. Jubet ergo literam tenere, fingitque in *Turmis militaribus*, גדודים, *ſacrorum miniſtros, Jobi æmulos, qui ejus cœtum Eccleſiaſticum diſſipatum & evaſtatum iverint, ſub ſpecie doctrinæ ſublimioris & excellentioris; ad quod facilius exequendum paulatim ſibi domicilia fecerint circa tabernaculum ejus*. Diceres hominem ſimile quid paſſum ab iis qui in Aulis, conſcientiiſque, ſoli cupiunt regnare.

Verſ. 13. Ad *novam adflictionem* pergi putat *Merc.* quæ ſuperioribus adhuc moleſtior & gravior acciderit, *Amicorum, Cognatorum*, & *Domeſticorum deſertionem*. Cl. *Cocc.* ſubtiliore nexu, *qui oppugnat hoſtilem Civitatem*, inquit, *ſocios atque amicos arcet: Deus ſubſidia & levamenta calamitatis non arcet, ſed, quod pejus, alienat*. Cl. *Schmid.* mallet *effectum adflictionis prioris*, ſive *novam adflictionem ex priori oriundam*. An ergo aliud quid volebat *Mercerus*? Procul dubio *magnitudo inaudita calamitatum* inſinuatur, quæ effecerit, ut *Jobum* tanquam *Fulmine adflatum* omnes horruerint, quin imo ut *monſtrum* aliquod *improbitatis abominati fuerint*. Redi ad ea quæ *Cap.* 2: 12. de verbo הרחיק notata: מעלי *de ſuper me* in eundem ſenſum conſpirat. על *ſuper* adfert nonnunquam *proximum acceſſum*, nec non *circumſtipationem denſæ multitudinis*, quæ *confluit ad aliquem*, eique *imminet*. מעל iſtius *frequentiæ diſſipationem* contra infert; ſecundum illud, *Florentes amicorum turba circumſedet: circa adflictos ingens ſolitudo eſt*. ידעים *Noſcentes*, forte iidem per Excellentiam, quos *Notores* vocat *Cicero*, itemque *Cognitores*; qui cum aliquo *ſummam familiaritatem coluere, de eoque honeſtum teſtimonium ferre poſſunt inter minus notos*. Hi cum *Fratribus* pari paſſu incedunt. אך זרו *ſane alienati ſunt* haud male *Merc.* Melius tamen *Schmid. tantum aliene ſe gerunt*. Idem obverſatum *Coccejo*, in, *Omnino alienati ſunt*; cui etiam אכזר *Crudelis*, hinc conflatum, quaſi

pe-

14 חדלו קְרובי ומידעי שכחוני ׃

15 גרי ביתי ואמהותי לזר

תחשבני נכרי הייתי בעיניהם ׃

16 לְעבדי

14 Ceſſant propinqui mei; & noti mei oblivione me delerunt.

15 Peregrini domus meæ, & ancillæ meæ, pro alieno reputant me: alienigena factus ſum in oculis eorum.

16 Ser-

penitus alienus. Id parum plauſibile: nec plauſum meruit *Jarchius*, qui & hic voculas אכזרו jungens, dabat, *Crudeles facti ſunt.* Lubricum alliterationis ad talia impellit. Sufficit *alienatio* & *averſatio hoſtilis*, quam זור ſæpe infert. Origo latet ſub زار. Tenendum tamen, ذار *Med. Vaw*, quod eſt *faſtidivit*, *abhorruit*, non aliunde emanaſſe, quam ex זור ſpeciali illo uſu, qui *Pſ.* 78: 30. occurrit. Sic foret cum *tædio*, & *faſtidio*, *averti*, quod vix abeſſe poteſt a *Pſ* 69: 9. מוזר *Averſabilis factus ſum fratribus meis.*

Verſ. 14. Ambigitur ad חָדלו ſitne *defecerunt* & *ceſſarunt ab officio*, an *in totum ceſſarunt, & eſſe deſierunt.* Prius tenet *Merc.* Poſterius placuit *Coccejo*, quaſi diceret, *olim habebam clientes*, *aſſectatores*, *comites. Nunc nemo ad me accedit.* Fortius *Schmid. Propinqui mei deſierunt eſſe propinqui.* Intelligit *ſanguine propinquos*, *qui ſe ita geſſerint*, *ac ſi propinqui non eſſent.* Aliquid lucis fert uſus *Arabum* ſub خذل *Fruſtratus fuit* amicum, *eumque auxilio deſtituit.* Iſta vis *ſecundaria* ducta a *flaccidum eſſe*, *flacceſcere.* Inde خاذل חודל abſolute, *perfidus*, *qui Amicum deſerit*, & *fruſtratur in neceſſitate.* مخذول מחדול *Deſertus*, & *proditus a ſuis.* Ita *Ceſſare* apud *Latinos* eſt *officium prodere*; quod huic ſedi peropportunum.

Verſ. 15. Juſtus ordo ſervatur, quum a *Fratribus*, *Notoribus*, *Propinquis*, & *familiariter Notis*, deſcenditur ad *Clientes*. Hos deſignat per גָרי ביתי, ut inſinuatum ad *Cap.* 18: 19. LXX. γείτονες habent, qui excuſari poſſent ex *Arabum* جار *Vicinus*, apud Cl. *Gol.* ſed ſcias *vicinum ſub Clientelam receptum a potentiore*, in *territoriis* ejus, ac *latifundiis*, *degentem*, iſto vocabulo indicari. *Vulg.* dedit, *inquilini domus meæ.* Cl. *Cler.* putat *eos* denotari *qui Jobi ædes conduxerant.* Id nimis tenue. *Merc.* intelligit *Domeſticos*, itemque *alios in domo verſantes*, ac *conviventes.* Magis ad rem obſervat *Schmid. Domum* Jobi, *ut viri principis*, *non intra unum tabernaculum coarctandam*, *ſed accipiendam pro tota illius habitatione*, *in terra ampla*, *in quam proculdubio non paucos peregrinos admiſerit.* Juvabit novis exemplis *Clientelas Arabiæ* illuſtraſſe. *Diw. Hud.*

فلا تحسبن جاري لدي
ظل مرخة
فلا تحسبنه فقع قاع
بقرقر ۞

Et ne putes clientem meum brevem arbuſculæ umbram ſectari;
Neve eum reputes Fungum campeſtrem in plano.

Senſum percipias ex hocce *Ibid.*

لقد علمت هذيل ان جارني
علي اعلي شواهق من
ثبير

16 Servum meum voco, & non reſpondet mihi: vel ubi ore meo ſupplicem me præbeo illi.

17 Spiritus meus faſtiditus eſt uxori meæ, etiam ubi ventris mei filios comploro.

18 Etiam

16 לעבדי קראתי ולא יענה במו־פי אתחנן־לו :

17 רוחי זרה לאשתי וחנותי לבני בטני :

18 גם־

Sane ſentit Tribus Hudeil clientem meum
In ſupremis cacuminibus montis Tebyri poſitum.

Plenius adhuc ex illo, in *Hamaſa.*

فحلوا باكنافي واكناف معشري
اكن حرزكم في المآقط المتلاحم ۞
فقد اوصاني ابي ان اضيفكم
وانهي عنكم كل ظالم ۞

Deſcendite ſub alas meas; alaſque gentis meæ,
Ut ſim Præſidium vobis quum pugna conſeritur.
Namque teſtamento injunxit mihi pater, ut reciperem vos hoſpites;
Omnemque oppreſſorem a vobis propulſarem.

Hoc vocant اجارة הגרה, ab הגיר, quod *Taurizius* declarat ادخال في الجوار واضمان الذب عنه *Recipere in clientelam, & protectionem ac tutelam alicujus in ſe ſuſcipere.* Erud. de *Pined.* cenſet *Proſelytos*, veri Dei cognitione imbutos a *Jobo*, potiſſimum intendi, atque hac occaſione laudat *fervens ſtudium religionis propagandæ*, quo Noſter eminuerit. Id cum *clientum* appellatione non pugnat, ſed amiciſſime conſpirat.

Ibid. Subſumitur & ſervile genus: ac primo quidem *Ancillæ* memorantur. אמהות ab امه cum *He Mobili & Radicali* ea quoque notione ſervatum in *Arabia*, ubi أَمَة ſignificat خلايق *Creaturas* apud Cl. *Gol.* rectius *famulas*: hanc enim peculiarem vim iſtis *Creaturis* ſubjecere. Scribitur etiam per *quietem tertiæ*, אָמָה, quæ *Arabibus* امة ab امي *Ult. je*, i. e. مملوكة *Serva*, & quidem vel *Capta*, vel *ære emta.* De origine alibi.

Verſ. 16. Acceditur ad *viliſſimum* quoque *ſervulum*, qui Domino vocanti ne reſpondere quidem dignetur, ſed cum *inobedientia*, *contemtionem* præ ſe ferat, tanquam *capitis abominandi.* In poſteriore membro mallet *Schmid. Adeo ut ore meo rogare cogar eum, ſi* ſcilicet *velim qualemcumque obedientiam obtinere.* Erectius fuerit, *Etiam tum quum meomet ore ipſi ſupplex ſim*; quorſum & *Merc.* tendit. Alii mediam viam inſiſtunt: *Ore meo ſupplico illi*; quod tamen ſi expendas, ad languidulum illud *Schmidii* recidet. In מו ineſſe ſuſpicor vim *blanditiarum*, a *fucato colore*, & *ſpecie*, quæ ſub particula מו contenta fuiſſe videtur. Inde כמו *ad ſpeciem* &c. &c. &c.

Verſ. 17. Bono ordine; & conſilio, his gradibus ad imum deductis, adſcenditur ad ea *Faſtidia*, *quæ in Naturam vix cadunt*: ut ſic cumulus prægreſſis ſuper imponatur. Et primo

imo quidem ipſam *uxorem a ſe abhorruiſſe* indicat, phraſi ſatis difficili, *Spiritus alienus eſt uxori meæ.* Plerique referunt ad *Halitum oris*, quem *averſata fuerit* mulier, *ob tetrum odorem.* Id *Vulg.* per inverſam ſtructuram ſic extulit, *Halitum meum exhorruit uxor mea.* Defendi utcumque poſſet per ל *nominativo* ad *Emphaſin* præpoſitum, לאשתי זרה רוחי *uxor mea averſatur ſpiritum meum:* ſed tunc מרוחי ſcriptum oportuiſſet, ut *Vſ.* 13. Cl. *Cocc.* dare auſus, *anima mea putet uxori meæ*; obſervans זר notare etiam *βδελυκτὸν*, *abominabile* quid, *Num.* 11: 20. & מזור *ulcus tetrum Hoſ.* 5: 13. Intelligit haud dubie *animam oris*, quam & *Plautus* dicit *olere.* Hoc nimis anguſte ad literam & acceptum ab Interpretibus, & rejectum a *Schmidio*, quum ait, quod de *Halitu olente* adfertur *non magis ad uxorem pertinere, quam ad alios, inprimis ſocios diſputantes, & propius aſſidentes.* Alia ergo facie offert ipſe, *Spiritus meus alienus eſt propter uxorem meam.* Supplet ממני *a me ipſo*, ut ſit *me, meamque vitam, faſtidire cogor propter uxorem meam.* Jam ergo *viperam* induiſſe oportuit eam, quam Vir Doct. ad *Cap.* 2. non adeo malam fecerat. Dura quoque locutio, *Spiritus meus alienus eſt*, iſto ſenſu. *Alienatum uxori ſpiritum* induxit *Bolduc.* quod *Maritum* pro *deliro*, & *amente*, *contemneret.* Fruſtra ex *Cap.* 2: 12, 13. tam crudam interpretationem firmat; quam *delirare*, id eſt, *extra liras ferri* merito dixeris. Nihil mulieri nunc tribuitur, quo *Impietatis rea peragi* queat, quamvis & ipſam *in officio ceſſaſſe* certum ſit. Ut hæc ergo nimis aſpera, ita vereor ne mollius ſit, quam par, *halitus meus alienus eſt Uxori.* Cl. *Cler.* id exponit, *tam abhorret ab oſculo meo, ob graveolentiam oris, quam debuiſſet ab oſculo alieni viri?* vultne *debitum conjugale denegatum*; quod & *Merc.* ex R. *Levi* attigit? Non convenit talis querela ei, qui ſe *Cadaveri* dudum aſſimilavit. Tenuius quoque eſt, *Anima mea putet uxori*, quid ni enim puteret? Ait quidem *de Pined. qualiſcunque demum halitus eſſet, uxori tamen minime alienum videri debuiſſe, aut nauſeam creare; quippe quæ honeſtius credidiſſet, ut Hieronis* matrona, *omnes viros ſimiliter olere:* ſed hæc præſenti ſcenæ parum apta, in qua jacet is, qui ſe *vivum funus* dixit; quique uxori non vertiſſet vitio, quod olfactu haud careret. Idem Vir Eruditiſſ. reddi poſſe cenſet, *ſpiritum meum faſtidit uxor*, pro, *me viventem faſtidit, & cupit jam e medio ſublatum.* Addit, *ſpiritum* quoque complecti *vocem*, *ſuſpiria*, *gemitus*; *a quibus*, *cum nauſea*, *abhorruerit uxor.* Hæc nimia iterum; & honeſtat repugnantia. Medio me tutius iturum reor; ad quod obſervo, ſub רוח hic omnino & *halitum oris*, & *ſpiritum vitalem*, debere comprehendi. Sub verbo זרה *alienus factus eſt ſpiritus meus*, amplector quoque vim *rei fœtidæ, a qua non poſſis quin abhorreas.* Ita *Arabes* dicunt ذار فوه זר פוה *computruit os ejus*, quum *nigreſcunt dentes*, & *anima olet.* Ad eam rationem, *Computruit Spiritus meus uxori meæ*, faciles habet explicatus, ad rem facientes, *Jobique* diriſſimam ſortem gravantes, nec tamen uxorem nimiopere prægravantes. Prudentiſſime huc attemperata phraſis. Primo enim *Computruit ſpiritus meus uxori meæ*, eſt, *Amantiſſima, tenerrime dilecta*, *meque* viciſſim & olim, & nunc, *diligens*, *Conjunx*, *non audet me propius accedere, ad alloquio me ſuo recreandum &c.* In hunc ſenſum contendas oportet, quæ ad *Cap.* 2: 13. diſputata, tum de *naturali*, tum de *religioſo metu*, qui *Leproſum*, *cadaveroſumque*, contingere prohibebat. Secundo, *Computruit ſpiritus meus uxori*, eſt, *me haud ſecus ac vivum Cadaver*, jam *pati* vix poteſt, mecumque, malis victa, exoptat, ut quantocius emoriar, miſerumque ſpiritum exhalem. Habes, ſub gemino hocce adſpectu, *Pathos miſerationis pleniſſimum*, quo ita officii deſerti accuſatur uxor, ut ſimul quodammodo excuſetur, culpa hujus faſtidii in caſum acerbiſſimum non obſcure rejecta, quo *ea*, *cui Spiritu mariti nil ſuavius antehac*, utpote *ſuum cum eo ſpiritum miſcere ſuetæ*, nunc *eundem faſtidire*, & *abhorrere cogebatur.* Agnoſcas in hac explicatione *imbecillitatem mulieris non ſane laudabilem*, quæ Mariti miſeriam aggravavit; *Impietatem*, & *imprecationes diras*, aut *duras*, non agnoſcas. Poſſet tamen ſuſpicio ſuboriri, ex phraſi ſic enucleata, an non & ipſa tandem uxor, inclementibus cenſuris, & judiciis Amicorum, inducta, inclementius de Viri virtute, & probitate, judicarit,

rit, eumque revera pro improbo condemnaverit; ita ut ab eo, tanquam diris cœleſtibus contacto, abhorrere cœperit, nec ſolatio, nec alloquio, nec officio, eum amplius dignata. Creſcet ita crimen, necdum tamen ad *impietatem* excreſcet. Hoc ſi eligas, pro, *ad me accedere non audet*, ſubſtitue, *non vult*; & pro, *malis meis victa* pene, *a me plane alienata*, exoptat, *ut hoc onere intolerando quantocyus levetur*. Mitior ſententia præferenda.

Ibid. Majus adhuc divortium opinionum circa poſtrema. Decem percenſet *de Pined.* quarum maximam partem quoque ſtrinxit *Merc.* cui placuit, I. *Et gratificabor filiis ventris mei*, hoc eſt, *oporteret me etiam filiis meis, ſi quos haberem adhuc, gratificari; gratia etiam mihi a propriis liberis ineunda fuerit; ut ab illis aliquid impetrem.* Addubitat interim, an revera nulli ſuperfuerint; addit quippe; *ſive quos reliquos habuerit, ſive non: nam & ſupra non dicuntur omnes ejus filii oppreſſi domo collapſa.* Hoc tertio loco a *de Pined.* merito improbatum. Alii II. hos *filios* capiunt de *Nepotibus*, quin & *pronepotibus*; quod octavo loco idem refutat. III. Aliis referendum viſum ad *filios ex concubinis a Jobo procreatos*, quæ eſt *Pinedæ decima*, eademque *germana* ac *ſimpliciſſima* expoſitio, quam pluribus proſequitur; in hunc ſenſum ex LXX expreſſum, *Adulor filios concubinarum mearum, iiſque ſupplex factus ſum.* IV. Cl. *Cler.* ad iſtam verſionem ſubmonet, *nil opus eſſe pellicibus; quod ancillæ ipſæ, ſervis Jobi collocatæ, dicantur ejus uterus: quia earum, & fructuum, quos utero geſturæ eſſent unquam, herus erat.* Intelligit ergo *vernas*, & *ſervos e ſervis conceptos, domique natos.* Addit, *alibi quidem* חנן eſſe *miſerari, ſed hic obtinere vim Hitp. ſupplex eſſe, quod alioqui nullæ, niſi contortæ, naſcantur interpretationes.* Idem hocce ex *Symm.* in ſexta ſede propoſuerat *de Pined.* qui V. loco memorat ex *Iſid. Clar.* quod *Coccejo* noſtro arriſit, *Etſi orem*, & *miſerer*, *per filios ventris mei:* quaſi diceret, *Foetet uxori anima mea, etiam ubi communes noſtros liberos deploro; quorum memoria ita eam adficere poſſe videbatur, ut nauſeæ obliviſcatur, vel ſaltem eam lenius ferat.* Aliis vicino adſpectu riſerat, *per communes liberos, e nobis adhuc procreandos*, quod ineptum merito cenſet *Cocc.* Hujus nec nexus, nec ſenſus, placet *Schmidio*, qui VI. reddit, *Et miſerans lugeo filios ventris mei*; quaſi *ad cumulum triſtiſſimæ ſortis, ac deſertionis*, adjiceret nunc Noſter *filios nuper gravi ruina oppreſſos, quos etiamnum comploret.* Hoc quarto loco ex *Cajetano* adduxerat jam *de Pined.* & *importune miſerationem illam interjici* pronunciaverat. Paulo aſperius quidem; nec tamen ordo valde commodus, quem ſervatum putat *Schmid. Miſerum a peregrinis, ſervis, ancillis, debitum honorem non obtinere; miſerius ex uxore nil niſi faſtidia percipere: miſerrimum liberis omnibus privatum eſſe, & pro ſolatio luctum ex illis habere.* Hæc hiant; atque cum גם *Etiam* 𝑣𝑠. ſeq. male cohærent. Idem obſtat VII. conatui, quo in *Juven.* expoſui, στοργῇ & *adſectu tenero feror erga filios ventris mei:* quod & Cl. *Cromaj.* in mentem venerat, ex حنّ חנן apud *Arabes*, *paternam pietatem* deſignante. VIII. præterire nequeo curas Cl. *Guſſ.* qui *ſupplicandi* notionem non concedens *in Kal*, ex *forma infin.* חנות *Pſ.* 77: 10. *Gratificari*, tentat, *Et mea gratificatio* זרה *aliena eſt filiis ventris mei: Cum ego iis gratificari volo, horrent.* Vide *Comm.* L. H. ſub חנן ſubdit. Addit IX. *ſi* Filios ventris *mulieri magis convenire quis cenſeat, poſſe accipi in Mimeſin uxoris Jobi*, ut poſt illa, *Halitus meus alienus factus eſt uxori meæ*, ſubſumatur, *miſeret me*, inquit illa, *filiorum ventris mei.* Nempe *acceſſum negans uxor, cauſſatur, ſe nolle liberos ſuos malis iiſdem infici.* Et quinam illi *Filii*? ſi enim *ſuperſtites adhuc alii*, his remediis, coactis ſane, facile carebimus. Utique limpidius multo illud *Cocceji, etiam tum quum filios ventris mei miſeror*, & *comploro.* Primaria notio verbi חנן eſt, *argutum, ſtridulumque, ſonum edidit e gutture.* Inde *comploravit* & *miſertus* eſt: Item, *pietatem, gratiam, adfectum tenerrimum monſtravit.* &c. Signantiſſime autem apud *Arabes* حنّ eſt στοργῇ & *pietate materna*, aut *paterna*, *commoveri.* Crebrum in *Camelis*, quarum *pietate in pullos* nil tenerius. *Hamaſa.*

جنالن

18. גם־עוילים מאסו־בי אקומה וידברו־בי ׃

19 תעבוני

جالت بنات الشوق يحنّن نزّعا

Commotæ ſunt Cameli propenſione in pullos ſtridulum reſonantes.

Ibidem perquam venuſte,

فارقت حتى ما تحنّ جمالها

Toties diſceſſi a meis, ut non amplius ſtridulum plorent cameli mei.

Hoc eſt, *occallui ad diſceſſiones* meorum, *amiſſioneſque, nec amplius eas lugere ſoleo obduratus.* Hic vero attendas neceſſe eſt *Arabiſmum*, quo non *plorant Cameli mei*, valet, *Ego non ploro*; in qua Locutione *Cameli* deſignant *Adfectum in Camelis maxime eminentem*; ut tantundem ſit ac, *Adfectus meus tenerrimus ille*, & *notiſſimus* in meos, *non amplius movetur.* Hæc in mediam rem nos deducere videntur; atque explicationem *Cocceji* confirmare. Mihi ſaltem ea præ reliquis adblanditur, ut *paterna* & *materna viſcera* hic *conjuncta* inducantur, ad *commiſerationem* uxori *ciendam.* Idem adſpectus paulo rotundior adhuc forte reddi poſſet X. aſſumta *forma infinit.* חֲנוֹת, qua Cl. *Guſſ.* minus dextre uſus. R. *Levi* etiam pro *infinit.* habuiſſe putat *Merc.* Ejus verba habent, עם היותי חונן לה *quamvis ſupplex ei fiam, ad liberos ſuſcitandos* Nil obſtat tamen, quo minus *præter*: ita reſolvatur. Vide an placere queat, *Spiritus meus averſabilis factus uxori meæ; etiam complorare meum de filiis ventris mei.* Adeo *horret conſpectum meum, mihique viſcera commiſerationis occluſit, ut ne tangatur quidem, quum tenerrimum illum natu-*

18 Etiam clientes egentiſſimi aſpernantur me: adſto, & maledicunt de me.

19 Abo-

ræ adfectum tango, ſed hanc ipſam mentionem & motionem averſetur. Non eſſet tunc *infin.* in *Kal.* per *Anom.* ſed Ἀναλογῶς in *Pih.* a חנה حني *flectere*, & *flecti*, *clinari*; item *inclinari tenerrimo adfectu amoris* in liberos: idem cum حنّ, ex alio tamen fonte. Utramque radicem ſumma gratia junxit *Eſaj.* 30: 19. חָנוֹן יָחְנְךָ *intime miſerando inclinatus propenſuſque erit tibi: maternis* plane *viſceribus.* Eſt in *Hoph.* יָחֳנָּה; non יָחֹן in *Kal.* a חנן, ut vulgo volunt. Ἀπὸ τοῦ κλίνειν *caſtrametationem* alio flexu deduxerunt; & מחנה nil aliud proprie quam *Locus* κλισιῶν, & κλισίαι. Si hæc *Analyſis* recipiatur, exemti erimus ſcrupulo, quem accentus movet. Etenim eſſe *Vaw converſivum præt.* in *fut.* quod *Mercero* viſum, ex ſimili formatione *Exod.* 33: 19. non eſt veriſimile; quum *futurum* hic tam male, quam ibi optime, locatum.

Verſ. 18. Voculæ גם *Emphaſin* haud attendunt, qui עוילים hic *perverſos*, *iniquos*, exponunt. Et illi antea, credo, parum officioſi. *Stultos*, in honorem *Vulgati*, defenſos nollem ab *Erud.* de *Pined.* atque ex *rad.* עול invita Lingua deductos. Plerique *pueros*, vel *parvulos*, dedere, tum ex עול *infans*, *lactens Eſaj.* 49: 15. tum ex auctoritate a *Rabbinis* veteribus producta, quod in *Arabia Lactentem vocent* עוילה. Notio certiſſima ex *Job.* 21: 11. Apud *Arabes* عال eſt *ſuſtentavit, aluitque familiam.* Item *multos ſuſtentandos habuit, numeroſa familia fuit.* Attigit & Cl. *Crom.* Ego *Harir. Conſ.* 3. p. 138. ad hanc *Radicem*, ejuſque convenientiam cum

19 Abominantur me omnes intimi mei ſodales: & quos dilexi, in me verſi ſunt.

20 Cuti & pelliculæ meæ adhæret os meum: & elapſus ſum cum cute dentium meorum.

21 Mi-

19 תעבוני כל־מתי סודי וזה־ אהבתי נהפכו־בי :

20 בעורי ובבשרי דבקה עצמי ואתמלטה בעור שני :

21 חנני

עול, ſtricturas exhibui, quæ majorem lucem præſtare poterunt. Nunc tantum teneatur, vocabulis عِبَال & عَبَابِل, a *ſing.* عَبَّل, comprehendi *eos*, *quos quis ſuſtentat*, *alitque*, *quibuſque*, *quaſi ſarcina*, *eſt oneratus*. Hoc uſus Linguæ ad *familiam*, *turbamque parvulorum*, potiſſimum adſtrinxit. Sentis, non *pueros*, *parvuloſque* in genere, ſed, quod rem exacerbat, *turbam* ab ipſo *dependentem*, ac *ſuſtentatam*, deſignari. Certe partic. גם aliquid inauditum hic adferre debet, quale exiſtet, ſi *ſervorum ſervarumque pueros*, & *viliſſimam in familia turbam parvulorum* intelligas, *Altori* & *Hero* ſuo *probra* petulantiſſime *occinentem*.

Ibid. Nonnihil moræ objicit אקומה *Surgo*. Id *Merc.* eſt, *aſſurgo* illis, *ad eos demulcendos*, *mihique conciliandos*. Aliis, *ſurgo ad caſtigandum eos*; quos *Schmid.* ſecutus. Idem in *Juven.* propoſui, ex قَوَّم *correxit*. Similiter Cl. *Crom.* ex أقام, item *correxit*, *direxit*. Sed utrumque *tranſit:* eſt, pro *ſtare fecit*, *quod curvum erat*. Id fuiſſet אקימה ex *Pih.* aut *Hiph.* Nil tamen impedit, quo minus *Conſurgo* ſit *increpantis*. Aliorum *conſurgo*, & *diſcedo*; ut *abſenti* demum *probra* ſint *ingeſta*, minus commodum. Commodiſſimum nunc ferme dixerim *Adſto*, quod & *Merc.* laudavit, ut in *præſentem*, *adſtantemque*, *dicteria jacta* inſinuetur.

Verſ. 19. Agmen claudunt *Intimi Amici*, qui eleganter vocantur מתי סוד *ſodales ſecreti*; quibus *arcana* quoque *pectoris* recluſa. Ad זה diſquiritur, ſitne *ſing.* ſequenti נהפכו per *Enallagen* enunciato; an *plur.* Prius ſequutus *Merc.* *Is quem dilexi*, *verſi ſunt in me.* Cl. *Guſſ.* in *Comm.* L. H. mallet, *id quod diligo*, *obverſi ſunt contra me*; exiſtimans *uxorem*, *liberoſque*, etiam hac vocula comprehendi. Alienum, non una de cauſa. Apud *Arabes* ذو *demonſtrat* ſimul, & *refert.* In *relativo* uſu notius לזה لـــذي, & cum *artic.* הלזה الـــذي : in *plur.* الـــذيـــن. Dubium, ſitne nunc *demonſtrativum*, an *relativum.* Si prius, ſupplendum זה אשר *Hic quem diligo:* Poſterius ad *ſodales ſecreti* ſeſe referret; vel & רעים *Amicos* ſubaudiret. Venuſtiorem cenſeo *demonſtrationem*, ſive in *plur.* *Et hi* quos *diligo*; ſive in *ſing.* *Et hic*, *quem diligo.* Id ita efferri potuit ad *perſonam* quamque *ſpecialius* digito quaſi monſtrandam; *plurali* mox aſſumto, quod *complures* eſſent. Non erraverit, qui Amicos collocutores, accedente forte & geſtu, deſignari cenſeat.

Verſ. 20. Non admodum arcte, & apte, cohæret, quod *Merc.* tandem *ſubjungi* putet *morbi adſlictionem*, *quæ ad omnia ſuperiora accedat* &c. Minus adhuc probem nexum *de Pined.* *Tolerari*, inquit, *hæc mala utcunque poſſent*; *nam foris ſunt: ſed intus intolerabiles dolores*, *& vis morbi incredibilis* &c. Atqui *abominationi* eſſe omnibus, a cariſſimiſque non *temni*, ſed pro Nocente devoveri, immane quantum omnem doloris corporei acerbitatem ſupergreditur. Cl. *Schmid.* ſatis concinne in *deſertionis cumulum* ſuperaddi autumat, *Adeo ab omnibus ſum derelictus*, *ut mihi ſoli ſim relictus*, *non ſanus*, *ſed oſſibus hærens.* Recte quoque monet, *ſi morbi adſlictionem*

ex-

exponere voluiſſet, operoſius id facturum fuiſſe. Suſpicio eſt, adhuc acutius quid captatum, ex uſu ambiguo verbi דבק *Agglutinatum hærere*, quod *metaph.* in *Amicitia* & *voluntate* tritum, hunc luſum non invenuſtum ſuggerere potuit, *Divulſi a me* omnes, ante *ſuavi glutine juncti: unum* mihi *agglutinatum manet*, *os* videlicet *cuti tenaciſſime hærens: Vivum cadaver, divelli, & diſſolvi negans.* Si argutius, quam ſolidius, judicetur, acquieſci poterit in *connexione* Cl. *Cocc.* quæ infert *Extremitatem ad quam per mala enumerata ſit redactus.*

Ibid. Laborat nonnihil vulgaris verſio, *Cuti & carni meæ adhæret os meum.* Id nihil aliud exprimere videtur, quam quod in ſanis, & vegetis, locum quoque habet. Hinc anſa data Latino Interp. *conſumtis carnibus* inferendi. *Merc.* quoque *exſiccatas carnes* ſupponit: itemque *Schmid.* qui *ſummam maciem* ſic deſcribi putat, *ut nil niſi Cutis ſuperſit, oſſibus obducta; reſidua carne ita emaciata & viſcida, ut oſſibus adhæreat.* Idem dicere voluit, quod *Cocc.* obſervans דבק eſſe *adhærere*, & quidem *glutinis inſtar, cum lentore & viſciditate putredinoſa.* Cl. *Cler.* interſeruit *vix*, ſecundum illud Poetæ, *vix oſſibus hærent.* Ad noſtrum hocce propius accedit *Plautinum* in *Capt. Maceſco, conſeneſco, & tabeſco miſer. Oſſa atque pellis ſum miſera macritudine.* Et nobis *proverbiali* formula *nil niſi Cutis, & oſſa*, dicuntur *Cadaveroſi.* Hinc in *Juvenil.* בשר ex uſu *Arabum* pro *pelle* dedi, quæ ipſis بشر & بشرة, idem fere, quod עור, niſi quod עור *interiorem*, & בשר *exteriorem cuticulam* deſignet. Gemellum *Pſ.* 102. 6. דבקה עצמי לבשרי *Agglutinatum eſt os meum cuticulæ meæ*: non *carni.* Si ſcrupulus, a *Carne* diſcedere, ita commodius forte reſolvetur, ut בשר dicamus ſignaſſe *carnem extimam*, & *ſuperficiem* quaſi *corporis*, quæ *palpatur.* Huic ſi *agglutinata hæreant oſſa, extent & emineant* neceſſe eſt. *Lentorem viſcidum* lubenter quoque admitto; idque ad *oſſium* ipſorum *tabidam conſumtionem*, ac *putredinem*, ſic ſimul retulerim. A *Bolduc.* duo tentata. Unum, *adhæſit os meum pelli meæ, quæ eſt caro mea.* Alterum *in pelle mea, velut in carne mea, adhæſit os meum.* Hæc argutiora. Laudo tamen quod *Adagium* eſſe addiderit ex *Lucr. Pellis ſuper oſſibus una:* itemque ex *Plauto*, *qui oſſa atque pellis totus eſt, ita cura macet.* Item, ordine inverſo, *Thren.* 4: 8. *Adhæſit Cutis oſſi eorum: exaruit ut Lignum.*

Ibid. Major obſcuritas in altero; *Et evaſi cum pellicula dentium meorum.* Id exponitur a plurimis, *ſola mihi cutis circum dentes reliqua: Cutis* nempe *gingivarum*; ipſæque adeo *gingivæ.* Aliene *Vulgat. derelicta ſunt labia tantummodo circa dentes meos.* Id de *labris tumidis* interpretatus fuerat *de Pined.* alii de *extenuatis*; ſed nunc meliores, ſcilicet, curæ ei ſuggeſſerunt *Gingivas ſanas* & *incolumes*, quas verbum מלט inferat, vel & *labia intacta* a *Dæmone*, atque *illæſa*; ut *ſalvis inſtrumentis illis, liberam haberet loquendi facultatem, atque verbis temerariis in Deum peccaret.* Hæc parum abſunt a nugis, quas & ipſe mox reſcindit, ad *tabem labiorum* relapſus, & *mordicus* defendens ſuum *Interp.* quaſi *Labia* verius, & commodius, intellexiſſet, quam *Gingivas.* Æmulus *Bolduc.* audet, *Evaſi in pelle dentium:* pro *nihil mihi ſupereſt præter labia & dentes.* Hanc vocat figuram oppoſitam *Hendiadyſin.* Mavult tamen, *præſervatus ſum* & adhuc vivus conſiſto, *in pelle dentium meorum*, i. e. *per labia mea: ſola labia prohibent ne Spiritum profundam; & moriar.* Videtur fœtum, quem *de Pined.* abjecerat, benigno ſinu ſuſcipere voluiſſe. Certe *Vavaſſ.* eundem ulnis complexus, *permiſſu Dæmonis labiis aliquid carnis remanſiſſe* ait, & *uſum vocis relictum Noſtro, ut ſacrilegum quid in Deum emitteret.* Illepidum quoque commentum eorum, qui *totam corporis cutim* intelligunt, quæ *gingivarum ſpeciem* præbuerit, ob *tumorem & ſaniem.* Ad *Gingivarum emaciationem* refertur a *Cocc.* & *Schmid.* e quibus nil niſi *Cuticula circum dentes* reſtiterit. *Cler.* ipſos *dentes cecidiſſe* autumat vi morbi, ut nil *præter gingivas* relictum dicatur. Huc & ego aliquando inclinabam, duplici via, ac ratione. Primo, *Excuſſi ſunt mihi omnes dentes, cavernis eorum* ſolummodo *reſiduis*: Metaph. de ſumta a *Luctatoribus*, qui *ore contuſo, fractiſque dentibus, ſemineces* jacent. Sic אתמלטה eſſet *Elapſus ſum e conflictu.* Hoc tamen minus quadrans in Eum qui cum maxime *Icti-*

21 Miſeremini mei, miſeremini mei O vos, Amici mei; nam manus Dei tetigit me.

21 חנני חנני אתם רעי כי יד־ אלוה נגעה בי׃

22 Qua-

22 למה

bus contundebatur, ſuggerebat, ſecundo, *Abortior in cute dentium meorum.* Id eſt, *dentes mihi, tanquam abortu, violenter ſunt excuſſi, ſub immani pondere plagarum.* Favet uſus certiſſimus Linguæ, quæ המליט adhibet in *partu*, tum *maturo*, tum *immaturo*; ut in *Clav. Dial.* p. 240. tactum. Apud *Arabes* املاص præſertim ſignat *abortivam excuſſionem fœtus mortui.* Habet forte Figura, quo placere queat: ſed & ſcrupulis ſuis premitur. Non liquet certe, *dentes omnes vi morbi Noſtro ejectos.* Ne veriſimile quidem; niſi poſtea edentulum manſiſſe velis. Stylo Tragico ſatisfiet, ſi *gingivis corruptis*, *dentes* concipiamus *labefactos*, atque ita *abortum* veluti *minantes*, vel & partim *facientes.* Vereor interim ne nimis *Literæ* adhæreſcamus; omnino enim *Proverbium* redolet, *Evaſiſſe cum Cute dentium*; in iis, *qui plagis a capite adcalcem contuſi jacent*, & *ore fracto ſemianimes vix ſpirant.* Vicinum, quod فاضّة ſit *Inſortunium gravius dentes frangens*; ex formula ſolenni فض فوه *Frangatur os ejus*; pro *male pereat.* Ita ex *Gjauh.* adduxi in *Origin. p.* 119. لا يفضض الله فاك *Ne frangat Deus os tuum.* Utitur *Harir. Conſ.* 14 ubi *Schol.* monet *Os* in proverbio illo adhiberi pro *dentibus.* Ita nihil aliud diceret Noſter, quam ſe & *Corpore enecto*, & *Ore confracto, ac contuſo ſub ictibus Dei, vix ſpirare, nedum reſpirare poſſe:* cum aliqua tamen alluſione, ſi velis, ad *Os* vere *fœdatum*, *mortiſque horridam faciem intus & extus* præferens, *dentibus* partim *amiſſis*, partim *labem*, & *ruinam*, minitantibus. Conſervat etiam *Arabia* aliud adhuc adagium valde adfine, in *Camuſo* ſic enotatum, الجُرَيْعَة من الماء حسوة منه وبتصغيرها جاء المثل افلت فلان جُرَيْعَةَ الذقن او بجُرَيْعَةِ الذقن او بجُرَيْعَايِها وهي كناية عما بقي من روحه اي نفسه صارت في فيه او قريبا منه *Vox quæ ſorbitionem aquæ notat, ſed diminut: ſorbitiuncula, unde Adagium fertur, eripuit ille ſorbitiunculam menti ſui; item, evaſit cum ſorbitiuncula menti ſui, duplici forma vocis, per quam indicatur reſidua pars Spiritus vitalis, aut animæ, quæ in ore ejus jam extrema quaſi verſatur.* Clarius percipias ex *Gjeuhario* افلت بجُرَيْعَة الذقن مثل اذا اشفي على التلف ثم نجا قال الفراء هو اخر ما يخرج من النفس *Evaſit cum ſorbitiuncula menti, eſt proverbium, quum quis in extremo periculo vitæ poſitus, elabitur. Auctor eſt Alpherra ſorbitiunculam menti vocari extremum vitæ ſpiritum.*

Ibid. Silentio præterire non poſſum ingenioſam cogitationem Doct. *Niewent.* in *Recto Uſu Contempl. Mund. p.* 47 qui *pelliculam dentium* refert ad *ſuperficiem vitream*, ſive *nitidam cruſtulam*, *qua dentes contra injuriam aëris communiti.* Hoc *tectoriolum* in *tabibus* & *emaciationibus nitorem* ſæpe *ſuum retinere* obſervat, ut adeo adſpectus iſte ab hoc textu non alienus videatur. Laudo conjecturam ſagacem, & ſpecioſam, quam in totum ſeponere vix auſim. Officiunt tamen nonnulla. Et 1. quidem vocabulum עור *Cutis* minus aptum huic *ſuperficiei* deſignandæ. 2. ſolum *nitorem dentium* ſibi *relictum*, nimis delicate forte dixiſſet Noſter. 3. Nec *relictum* veriſimile. 4. Requiritur aliquid triſte, & fœdum, quod

22 למה תרדפני כמו־אל ומבשרי לא תשבעו׃

22 Quare perſequimini me, ut Deus; & de carne mea non ſaturamini?

23 מי־

23 Quis

quod arguat *deſperatam* quandam *vim malorum*; *ipſamque mortis imaginem*.

Verſ. 21. Huc manifeſto vocat Exclamatio miſerabilis ſane. *Complorate me*, *Complorate me* &c. Ardentiſſimum Pathos in geminatione: nec minus in אתם, quod valet *vos ſaltem*; quibuſcum mihi tam tenera, tam intima conſuetudo; & qui maxime nunc hoc conſolationis officium & poſſetis, & deberetis, præſtare. In חנן quanta *vis Commiſerationis*, patet ex iis quæ *Vſ.* 17. producta. In *Adag. Gol. p.* 71. reperies حرّك لها جوارها تحنّ *Move camelo pullum ſuum* vel ſub pelle ficta, *commonſtraverit pietatem maternam*. Proprie *tenerum ſtridulumque reſonabit e gutture*. Ille *ſonus* حنين חנין; quem in *comploratione adſectus* & *miſerationis plena* optime locatum, quivis ſentit. Radix latiſſimi uſus pleniori in die collocanda alibi. *Manus Numinis tetigit me*, non eſt *leviter attigit*, ſed *fulmine percuſſit*. *Graviſſimam vulnerationem* res ipſa exigit, & יד *Manus* אלוה *Numinis tremendi*, cui *pondus* & *irarum*, & *virium*, *immenſum*.

Verſ. 22. Quum crudum nimis, & immodeſtum videretur, *ſicut Deus*, anſa data *Rabbinis* quibuſdam ad duplex *Gloſſema*: & כמו אל vel *ſicut illi* nempe homines pravi, dedere; vel *ſicut illis*, ſive *talibus* dictis conviciiſque. Utrumque merito ſepoſitum. In mentem veniebat olim ab الّ *venabulo petiit*, *cur me tanquam venabulo perſequimini*. Non multum tamen tribuo huic conjecturæ; & teneo, *Cur me perſequimini ut Deus*? Non ſatis exputo, quid voluerit *Schmid.* monens, רד *perſequi* de *Deo* & *Amicis* non uno modo uſurpari. *De Deo effectum notare ſolum*; *quod Jobus agat ex hypotheſi*, *qua conceſſit ſe erraſſe*: *at de Amicis cum effectu adſectum notare non bonum*, *quo Deum male imitentur*; *quum ipſis non liceat*, *quod Deo licet*. Iſta *Conceſſio* tam parum hic quadrat, quam *Vſ.* 6. & ſenſum non emollit, ſed enervat. *Merc.* etiam non ſatis fortiter, *Idem vobis licere putantes*, *quod illi*, &c. Minus adhuc ad rem, *præterea ſuas conſolationes pro Divinis haberi volebant*: *Cap.* 15: 11. Magis illud, *Adde quod juſtitiam Dei defendebant*, *juſte adfligi Jobum*, *ob ſcelera*, *impiorum more*. Id omnino voluiſſe videtur Noſter, quin adhuc fortius quid, *affectu ad ſummum progreſſo*, intendiſſe eum crediderim, quod & *Mercero* obverſari debuit. *Quare*, O Amici *me perſequimini ut Deus*, *jus mihi meum pervertentes*? *atque*, *quantumvis ſciatis*, *vel ſaltem ſcire debeatis*, *me eſſe innocentem*, & *a criminibus immunem*, *quare* & *famam meam*, & *vitam*, *quaſi laceratis*, *atque inſatiabiliter in me deſævitis*? Hæc *Mercero* ante oculos verſata fuiſſe, patet ex poſterioris partis interpretatione, *vehementiæ* pleniſſima. *An non ſat vobis eſt*, *quod ita corpus ulceribus* & *doloribus excruciatur*, *niſi inſuper me conviciis proſcindatis*? *Velletis me totum vivum devorare* &c. &c. Admonuit quoque *Magnus* ille *Commentator*, Noſtros quidem Colon hocce capere de *obtrectatione*, *quæ vivis velut carnibus paſcatur*; ſed *Hebræos* potius *adflictiones*, & *plagas carnis ejus*, intelligere, quibus nondum fuerint exſatiati. Hos ſequi ſe malle ait; attamen & ſuperiora, quæ poſui, & alia ibidem ſubnexa, ita ſunt concepta, ut appareat, utrumque ab ipſo fuiſſe conjunctum. Rectiſſime. Primo, *Comedere carnem fratris*, ſtylo orientis, eſt, *lacerare famam ejus*. Pulchre *Nawabig*.

تقول انا صايم وانت في
لحم اخيك سايم

Dicis Ego Jejuno; & *Carne fratris paſceris*.

In

23 Quis dabit, jam nunc, ut conſcribantur ſermones mei: quis dabit Librum, ut exarentur!

24 Sti-

23 מי־יתן אפו ויכתבון מלי מי־יתן בספר ויחקו:

24 בעט־

In *Hamaſa*,

لا نزقا للحاء ولا اللحوم صديقي
اكولا

Non levis ad obtrectationem; neque Carnes Amici mei comedens.

Secundo, *Comedere carnem alicujus*, eſt, *ejus vitam lacerare*, *ejuſque cruciatu*, ac *ſupplicio*, *ſemet paſcere*. Ita paſſim *vivum* quem *devorare*, in ſacris pariter ac profanis. Confer quæ ad *Cap.* 16: 10. de *gemino* hoc *aſpectu* expoſui. Cl. *Schmid.* hemiſtichium hoc ad ſolos ſocios pertinere cenſet. Indecens credidit, ſi *Deus Carne Jobi non ſatiari poſſe* diceretur. Tantum facit externa ſpecies Phraſeos; & inſuetudo Cothurni Orientalis: nam multo *duriora* jecit Noſter; quamvis *dure* & *crude* dictum eſſe, quis neget? Interim, ut ſæpe inſinuatum, non ex *Contumacia*, ſed ex *præclariſſima Conſcientia*, & *vivo Innocentiæ ſenſu*, qui *ſpem fidemque* in Deum *defixam intus retinebat*, fortia hæc Verba proruperunt; quod tandem Bonam Cauſam eſſe triumphaturam alto pectori inſideret; in mediiſque hiſce fluctibus, & tanquam Naufragio, Ancoram, ſurſum ſemel bene jactam, revelli, ſibique e manibus extorqueri, non pateretur.

Verſ. 23. Deventum eſt ad pulcherrimum Documentum Fidei, ſimulque Teſtimonium Innocentiæ, quo Noſter ſe ipſo major, ſupra omnes *miſerias*, & *calumnias*, quibus obrutus jacebat, erigitur, Caputque cœlo effert; dum ſe e Cœlo potentiſſimum, & Fideliſſimum, Vindicem expectare oſtendit, qui *Virtutem conculcatam*, & *pietatem injuſte oppreſſam*, tandem ſit *aſſerturus*; *juſtoque*, ac *ſincero*, *Religionis cultori Juſtitiæ coronam* publice *impoſiturus*. In hac nobiliſſima *pericope* declaranda in partes non tantum, ſed & in ſtudia partium, itum fuiſſe, atque etiamnum iri, neminem fugit. Ad litem dirimendam non parum conferre poterit conſpectus a me propoſitus, quem omnes ex æquo admittere coguntur, etiam illi, qui *improprie*, & *figurate*, hæc dicta autumant, atque *Reſurrectionem Temporalem*, & *Reſtitutionem in integrum* urguent. Manet quoque idem hic conſpectus, in varietate illa nexus, qua qui proprium & Literalem ſenſum tenent, inter ſe tamen diſſident. Hoc ad *Vſ.* 25. plenius pateſcet. Hic tantum moneo, non rite ſubductum videri calculum Cl. *Schmidii*, ita tranſitum nectentis. *Hactenus ex Hypotheſi diſputavit* Jobus, *poſito*, *ſe errare*, & *in errore adhuc perſeverare*, *non ita tamen ab Amicis tractandum fuiſſe*, *ſed miſerandum potius* &c. &c. &c. *Nunc ex animi ſententia agere incipit*, *dicitque*, *quod ne quidem erraverit*, *illum*, ſcilicet, *quem ipſi imputarant errorem*, *quaſi Hypocrita eſſet*, & *impius*, *qui non teneret fundamentum fidei* &c. *Contra hanc falſiſſimam criminationem*, *edit Jobus egregiam ſuam confeſſionem*, *evincitque*, *quod Radicem* & *fundamentum fidei ſalvum adhuc habeat.* Quantum incommodi & vitii trahat iſta *Hypotheſis*, vel *Conceſſio*, aliquoties viſum; præſertim *Vſ.* 6. Nec *Cocceji* ratio ſatis exacta, quum *bipartitum* facit *Caput* hoc, in quo, poſt querelam de *inhumanitate* Amicorum, dicta *Bildadi* refutentur, primo, *a genere omni calamitatis*, *ſibi æque ac improbis jam eveniente*: a *Vſ.* 5. ad 23. Atqui hoc ipſum *Bildadus* intenderat, & vehementiſſime urſerat: ſed Cl. Viri Hypotheſis ferebat, *Bildadum* non detonaſſe in *Jobum*; quin ne *Jobum* quidem pro *Improbo* habuiſſe. Secundo, *a fide ſua* & *ſpe in Deum*, & *Redemtorem*, *quem*, *ut ſuum ſimul vindicem ex malis præſentibus*, & *ſecuturis*, *oculis mentis cernat*, atque *cum plena animi fiducia amplecti* queat. *Oculos fidei* non intelligi, infra oſtendetur. *Fidem* ipſam, *ſpemque*, *in vivum Redemtorem defixam*, & nos utique tenemus; ſed ita ut pro *fundamentis* ſubſternantur hujus *Magnificæ conteſtationis*, qua ſe & *innocentem* ab omnibus *agnoſci* cupit, & talem aliquando *pronunciandum* eſſe *ab ipſo Deo*, in Conſpectu omnium, ſumma cum fiducia aſſerit.

Ibid.

24 בעט־ברזל ועפרת לעד בצור יחצבון׃

25 ואני

24 Stilo ferreo, & plumbo, in ſempiternum Saxo incidantur!

25 At

Ibid. Huc manifeſto ducit flagrantiſſimum votum, in quod Noſter erumpit, *verba* ſua *conſcribi*, *exarari*, & *in rupem incidi* poſtulans. Apparatus, congerieſque magnifica, aliquid grande, celſum, æternitate digniſſimum, præ ſe ferunt. Nempe ad *memoriam ſeculorum*, *& poſteritatis*, *ſempiternam*, *verba* ſua *propagari* ac *tranſmitti* cupit *fideliſſimus* Religionis *cultor*; jam Numine plenus Vaticinans veluti, & id ipſum ſibi dari expetens, quod pro præmio virtutis ei Divinitus deſtinatum erat. Anquirunt interpretes *Quænam* intendantur *verba*? Nimis laxe a *Polychron.* ad *vitam*, *reſque geſtas Jobi*, trahuntur מלים *ſermones* pro *Rebus* poſiti. Commodius illi, qui *Sermones inter diſputandum habitos* intelligi cenſent; cum quibus facit & *Merc.* non abnuente penitus nec *Cocc.* nec *Schmidio*, quorum Ille, *Ego ad proxima verba refero maxime:* Hic, *verba ſaltem præcipue ea ſunt, quæ mox ſequuntur.* Alii *Unice* intendi ſtatuunt *pulchram* illam *Fidei confeſſionem*, quam *perenni marmori* cupiat *inſculptam*. Nemo, credo, de eo addubitaſſet, ſi *Epitaphii carmen* hic a Noſtro *conceptum* eſſe, ſatis promtum fuiſſet. Hoc ad *Vſ.* 25. ſe ſponte ſub manibus dabit, atque ulterius inſinuabit.

Ibid. Subtilis eſt diſtinctio, quam *de Pined.* & *Bolduc.* fecere, de *triplici ſcribendi modo*, & *gradatione* inde *captata*; quaſi in יכתבון *Scribantur*, ſignificatio eſſet *privatæ ſcripturæ*, & *annotationis*; in *Libro*, & *Exaratione*, *ſcripturæ forenſis*, & *authenticæ:* in *Lamina plumbi* & *ſilice*, *durabilioris* adhuc, & *magis publicæ memoriæ. Priori* utique *ſcriptioni* hic parum aut nihil loci relictum; quum *annotatio privata* non tam *Voti* eſſet res, quam *mandati*, vel *petitionis*, quam nemo ei facile negaſſet: non enim tam rigide *illa* omnium *averſatio*, & *alienatio*, eſt urgenda, quaſi ne quidem *Verborum* ſuorum *notarium reperire* potuiſſet. Quid quod vero admodum ſimile ſit, in hoc ipſo Conſeſſu *annotationes privatas* factas eſſe? Hoc ſupra ad *Cap.* 3: 4. obiter tactum. Suſpicor autem iſta occaſione *Votum* hocce a Noſtro *ſuſceptum*, ut quæ mox dicturus eſſet, non pugillaribus excepta manerent, ſed monumentis ævum laturis conſignarentur, atque ad poſteritatis memoriam propagarentur. Eum in finem *primo* poſtulat ספר *Librum ſibi dari*, in quo *conſcribantur* & *exarentur* ipſius verba. Intelligit *Librum Publicum*, in quo *Acta illuſtriora* enotabantur, a ספרים *ſcribis* Civitatium, in earundem tabulariis reponenda. Eandem vim recipit כתב, quod *Commentarium publicum* ſæpe deſignat; ac proinde יכתבון hac ipſa poteſtate commodiſſime augebitur, ad exemplum phraſeos *Eſech.* 13: 9. *Et in* כתב *commentario domus Iſraëlis non* יכתבו *conſcribentur.* In יחקו *exarentur* conſimilis reſidet Emphaſis; nam חקק tritum in iis, quæ publica auctoritate decernuntur, & poſteritati commendantur, vel ad memoriam & celebrationem, vel ad religioſam curam & obſervationem. Ceterum ſumme *Pathetica* eſt ſtructura hujus *Vſ.* quæ *Adfectus vehementiam* mirifice imitatur per quandam quaſi perturbationem naturalis ſeriei, quæ fuiſſet מי יתן אפו בספר *Quis det heic loci Librum, in quo verba mea ſcribantur, & exarentur.* Ille ordo ſic inverſus, *quis dabit heic loci ut conſcribantur verba mea? Quis dabit Librum, ut exarentur!* Poſſes etiam, *quis dabit in libro ut exarentur*, quod forte venuſtius. Saltem non accederem iis, qui ו poſtremum *otiari*, vel *redundare*, autumant. Quodcunque fuerit, non parum filo rite evolvendo ſubſervit Emphaſis, quam indicavi, verborum יכתבו & יחקו; itemque ב ספר *Quis dabit nunc ut conſcribantur*, in commentario, *verba mea! Quis dabit*, inquam, *in Librum*, memoriarum, *publicum ut Exarata inſerantur*, *poſteritatique tradantur?*

Verſ. 24. Aſſurgit votum, atque adhuc perennius, extantiuſque, aliquid flagitat. *De Pined. Bolduc. Vavaſſ. Schmid.* poſt *Hieron.* & *Luth.* עפרת interpretantur *Laminam plumbi*, in quam *ſtylo ferreo literæ inſculpantur.* Id ſatis ſpecioſum efficit locus *Plin. Lib.* 13: 11. ubi tradit *olim in palmarum foliis ſcriptitatum*, *& libris quarundam arborum: poſtea publica monumenta plumbeis voluminibus*, *mox & privata linteis confici cœpta*, *aut ceris.* Jam vero *publicum monumentum* a Noſtro expeti, *Vſ.* præc. vidimus. Sic iterum *gradatio* exiſteret, & *duplex materia duraturis literis excipiendis* ſignaretur, *plumbum*, *ſaxumque.* Argutius tamen, quam ſolidius, quod *de Pined.* adjiciat *plumbum contra eluviones*, *ſaxum contra ignem* videri *deſideratum*; ut *nec aqua*, *nec incendio*, *hæc ſcriptura aboleretur* unquam. Communior ratio, & ſententia, ſolum *ſaxum* tenet, cui *Verba incidi* velit *Jobus*, adhibito *ſtylo ferreo*, itemque *liquato plumbo*, *ad ea oculis diſtinctius ſubjicienda.* Huc concedunt poſt R. *Salom. Piſc. Belg. Jun. Cocc. Cler. Reimar.* qui & *Boch.* ὁμόψηφον laudat *Hier. P.* 1. *pag.* 466. *Jarchio* quoque ſubſcriptum a *Grot.* & *Codurco*; contradictum a *Mercero*; qui mallet *ſtylum plumbeum.* Sed profecto quantumvis denſus ille *ſtylus plumbeus* fingatur, minus efficiet in petra ſculpenda, quam *pugio plumbeus* in adverſario jugulando. *Doct. Druſ.* ait quidem *forte plumbum temperatura quadam induratum olim:* at vel ſic poſt *ſtylum ferreum*, *plumbeus* hebeſceret; & nulla plane gratia in hac *disjunctiva* notione *præp.* ו, quum *copulativa* vis magnam gratiam, & Emphaſin ferat; quod *Jobus* non tantum verba ſua *Saxo inſculpta extare* cupiat, ſed etiam *plumbo illuminata eminere*, *in oculiſque* non minus quam *animis* omnium ſeculorum defigi. Qui *plumbeum Volumen* maluere, hanc *magnitudinem adſectus* attingere nequeunt; & magnis præterea incommodis premuntur. Percipias id ex *Schmid.* poſtulatis quatuor. 1. לעד יחצבון etiam *ad prius hemiſtichium pertinere.* 2. in עופרת *eſſe repetendum* ב, hoc ſenſu, *per ſtylum ferreum*, *& per plumbum incidantur*; quaſi id valere poſſet *ferrum quo*, *& plumbum in quod inciditur.* 3. Eſſe *Aſyndeton*, pro *Et in ſempiternum.* 4. צור non *ſaxum*, ſed *tabulas ſaxeas* deſignare, ne ſcilicet a *tabulis plumbeis* nimium deflectatur. Hæc ſane non magnopere commendant hanc interpretandi rationem, præ altera, nullo incommodo gravata; nam quamvis & nos ב in עופרת ſubaudiamus, non tamen illud ex membro poſteriore arceſſimus, ut ſignificet *materiam in quam quid inſculpatur*, ſed continuamus ſeriem per ב *inſtrumenti* ſuſceptam, *cum ſtylo ferreo*, *& plumbo*; ubi jam ב commodius omiſſum, quam inſertum. Non me terret, quod *de Pined. infuſo plumbo diſtinguere literas marmori*, *vel ſaxo*, *inſculptas*, appellet *Recens inventum*; quum *volumina plumbea* ſint antiquiſſima; id enim cupidius dictum, quam verius, facile intelligitur.

Ibid. Indagandum reſtat, quo adſpectu צור *ſaxum*, aut *petra*, hic ponatur. *Schmidius* pro *tabulis lapideis* ſive *ſaxeis* accepit, ut ſupra viſum. Alii veram *petram* intelligunt. *De Pined.* ad *Columnam ſaxeam* reſpexit, quæ *igni* reſiſtere queat; adducens *Sethi* columnas, apud *Joſeph.* quarum altera *aquis*, altera *ignibus* vincendis apta fuerit. Id longiſſime arceſſitum. Felicior *Codurc.* qui alluſum putat ad *Columnas ſepulcrales*, ſive *cippos*, & *Epitaphia* iiſdem inſculpta. Argutius addit, *quum talem Cippum ſibi ob egeſtatem comparare jam non poſſet Jobus*, *flagitaſſe modo ut tralaticia humanitate juſta ſibi fierent lapide*, *aut Saxo ſepulcrali*, *cui Epitaphium hocce ſuum incidi poſſet.* Meo judicio *Litera* non nimis eſt urgenda, quum ſit *Schema Tragicum* vehementiſſimo adfectu conceptum, quo calamitoſiſſimus mortalis, a Deo hominibuſque deſertus, hoc ſaltem ſolatii ſibi dari cupit, ut *in ſepulcralem* ejus *lapidem*, ſub quo brevi clauderetur, *publicum innocentiæ teſtimonium inſculpatur.* Ita ſolent oppreſſi, atque injuſte damnati, optare, ut poſt fata ſaltem veritas triumphet, atque Virtuti debitus honos a venturis ſeculis perſolvatur. Tale votum a Noſtro nunc ſuſceptum omnia clamant, atque inprimis quoque vincit τὸ לעד *in ſempiternum.* Ill. *Grot.* mallet cum *Græcis* εἰς μαρτύριον *in teſtimonium.* Id fuiſſet לָעֵד vel לָעֵדָה. Extat ſine *Artic.* לָעַד *ad perpetuitatem*, *Zeph.*

25 ואני ידעתי גאלי חי ואחרון על־עפר יקום׃

25 Enimvero ego novi, vindicem meum vivum; Eumque Noviſſimum ſupra pulverem ſtaturum.

26 ואחר

26 Et

3: 8. Fortius adhuc לָעַד, quod *ad æternitatem* convertere licet; ſenſu ſane luculento, qui *æternam ſcripturam* adfert, qua *Æternitatis lætioris auroram* ſibi injuſtiſſime condemnatus promittat. Hoc tamen nemini obtruſerim, ſed eo tantum uſque valere velim, quo ſe uſque juſtis arbitris poterit inſinuare.

Verſ. 25. Incipit inſigne carmen, quod poſt Fata ſua ab omnibus ſeculis legi volebat Noſter, *Sepulcrali* velut *Saxo inſculptum.* Hic adſpectus *Patheticus*, ut cum ſerie rerum & verborum concinit, ita magnam lucem præfert, ad quæſtionem illam terminandam, quæ circa genuinam mentem illuſtris hujus pericopæ agitatur. Initium ſtatim aliquid nodi nexuit, nam ואני diverſimode connectitur. *Vulg.* dedit *Novi enim* &c. Similiter *Genev. Belg.* &c. *Cocc.* maluit *Sane ego novi.* Alii, *ſed novi* &c. Alii iterum, *Et ego novi*, non minus quam vos, ceterique fideles. Alii denique ſimpliciter *Novi ego*; quaſi ו redundaret, vel ſermonem inchoaret, ut ὅτι. Expendatur hic Adfectus, *Et Ego*, Ego ille nunc traductus pro improbo, quem humana ac divina tela juxta configunt, conficiuntque, *Et Ego* tamen, conſcius mihi meæ integritatis, *pro certo novi Redemtorem meum vivere*; *venturumque* tandem aliquando bonæ cauſæ, & innocentiæ oppreſſæ, *Vindicem*, qui mihi *coronam juſtitiæ* publice & ſolemniter imponat. Eam vim τοῦ אני *Ego* nunc addere, præſens *Jobi* conditio & calamitas jubent; quicquid tandem de *præfixo* ו ſtatuatur. Paraphraſis hæcce non tantum aperit æſtuantiſſimum præfocati pectoris Pathos, ſed etiam oſtendit, quam apte hoc *ſepulcrale* velut *carmen* hic ſit inſertum. Etenim ſic ſolent, quibus ſpes omnis hac in vita decolavit, ac præſertim qui ſub calumniis injuſtiſſimis hinc demigrare coguntur, cogitationes ſuas in Vitam Futuram immittere, atque ad magnum & illuſtrem illum diem Judicii provocare, in quo improbitas omnis confundetur, virtuſque & probitas tandem coronabuntur.

Ibid. Expendemus ad hunc ſcopum, quem univerſa ſeries rerum & verborum ſuggerit, diverſas opiniones, atque ex magnis fluctibus, portum quæremus, in quo ancoram tuto dejicere detur. Non ſatis fida *primo* videtur ſtatio Eorum, qui *Liberationem e malis præſentibus*, *inſtaurationemque prioris fortunæ*, *hac in vita*, viva ſpe præcini ac prædici contendunt. Ex Veteribus hanc ſententiam foverunt *Chryſoſt. Theophyl. Ambroſ. Chaldæum* quoque pro eadem laudat *Eugub.* cujus ſane *Paraphraſis* ita eſt concepta, ut neſcias *ultimamne Reſurrectionem* intenderit, an *figuratam* illam, quæ *Jobi* vitam, fortunaſque, renovaret. LXX Viralis etiam verſio anceps. *Syrus* & *Arabs* magis adhuc ambigui, & confuſi. *Latinus* aperte ad *noviſſimam reſurrectionem* collineans, *ſcio enim quod Redemtor meus vivit*, *& noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum. Et rurſum circumdabor pelle mea*, *& in carne mea videbo Deum meum* &c. Allegorice tamen hæc ipſa a nonnullis capta, quo de contra *Eugub.* conſulas *de Pined.* qui diluta & coacta omnia ab eo adferri oſtendit. Vereor idem commiſſum ab Ill. *Grot.* qui præfatus, *Chriſtianos non paucos* hoc textu *uſos ad probandam Reſurrectionis fidem*, *in verſionibus ſuis multum ab Hebræo eos diſceſſiſſe* ait, ſic ipſe reddens, *ſcio ego Redemtorem meum vivere*, *& illum poſtremum ſtaturum in campo. Etiamſi non pellem tantum meam*, *ſed & hoc* (nempe *arvinam quæ ſub pelle eſt*) *conſumerent*, (morbi) *in carne tamen mea Deum videbo:* (id eſt, *propitium experiar.*) *Ego*, *inquam*, *hiſce meis oculis videbo*, *non autem alius pro me.* Addit, *Deum* dici *Redemtorem*, *quia pios ex malis liberat. Pſ.* 78: 35. *Eſaj.* 41: 14. &c. *Poſtremum in Campo ſtare*, eſſe *Victoris. Deum ergo victorem fore* dici *adverſariorum ſuorum: cui impoſſibile non ſit corpus reſtituere in priorem formam*; *quod & fecerit.* Nollem Vir ſummus dixiſſet *Hebræa ita ſonare*; quum *ea ſic ſonare fecerit* ipſe, atque ad mentem ſuam inflexerit. Cl. *Cler.* hæc veſtigia premens, in nonnullis tamen deflexit, & ſuus eſſe voluit, ita convertens, *Novi ego Liberatorem meum*

vivere, & *poſthac fore, ut in pulvere ſtet.* Si *poſt pellem meam hoc pertuderint, etiam in carne mea Deum videbo. Quem ego videbo mihi, oculi mei videbunt, non alienus*, quamvis *in ſinu meo conſumti ſint renes mei.* Ei *Liberator* item *Deus*, ex locis a *Grotio* adductis. *Stare in pulvere*, κατ' ἀνθρωποπάθειαν, perinde eſſe ait, ac *Eum victurum, quia homines qui ſtant in pulvere, vivunt; opponi enim iis, qui in pulvere tecti ſunt, atque in ſepulcro jacent.* Non intelligo; quis enim *victurus*, an *Liberator* Deus, an *Jobus*? Si *Liberator*; indecens eſt ut *Vita Dei* exprimatur per *ſtare ſuper pulvere.* Si *Jobus*; non quadrat יקום *ſtabit*, ad גאל utique referendum. Forte *Paraphraſis* nos certiores reddet, *Novi me a Deo aliquando ex his ærumnis liberatum iri, eumque æternum eſſe, & judicia ſua in hoc pulvere exequutioni mandaturum.* Jam incertior ſum, quam dudum; & plane non perſpicio qui cum priore expoſitione conſtare queat, aut quid valeat, *in hoc pulvere judicia ſua exequi*; ſitne *vivere*, de *Deo*, an *vivum facere*, de *Jobo*. Durum præterea אחרון pro *poſthac*. Item אם *ſi* initio *Vſ.* 26. inſertum: ut & אחר עורי *poſt pellem meam*, abſolute, pro *poſtquam ad pellem & oſſa redactus ſum*: nec non נקפו זאת *pertuderint hoc*, pro *Corpus meum vulneraverint* homines mali. Hæc omnia deinde per *conditionem* tantummodo enunciata vult, *ſi poſt pellem mihi detractam* homines mali *hoc corpus meum pertuderint, & vulnerarint, non impedient tamen ne Deum vivus in hoc corpore videam, ſi ita ei videatur.* Subdit, *rem nunquam* Jobo *contigiſſe, ut ita vulneribus eum pertuderint homines; ſed eum oſtendere quid ſperet*, (Ex revelatione, ſi res hiſtorice capienda) *fore ut Deus ſeſe ei Conſpiciendum præbeat, quamvis graviore morbo, aut vulnere, laboranti, antequam moreretur.* Quid eſt pannos pro purpura ſarcinare, ſi hoc non eſt? Et tamen Vir Doctiſſ. ſcribere auſus, *eos qui de Reſurrectione locum interpretantur, multa de ſuo admetiri, qualia ſint, quum putrefacta cute* vermes *cadaver meum roſerint, Deus me in vitam revocabit, ut eum videam.* Ad extremum ſibi plaudens, *non niſi per fidiculas* hinc *Reſurrectionem & vitam æternam extorqueri* dictitat, *in qua ſententia alii alios exſcribunt: ſe vero in inquiſitione vocum Scripturæ, rationem tantum habere rationum, non ſuffragiorum.* Atqui tracta & torta omnia in hac expoſitione, quæ ſine magno ſtudio partium nunquam Auctori ſuo oculos præſtrinxiſſet. Quam *precaria* inſuper *Revelatio* illa, qua *Jobus* reſciviſſet *Deum ipſi appariturum ante mortem*? Ubi indicium? Ubi vel veſtigium? Præterea an is qui tali Revelatione erat munitus, & ſuccinctus, tam vehementer conturbari, de graduque propemodum dejici potuiſſet? Senſit ſcrupulum Cl. *Cler. Fortaſſe*, inquit, *miretur quiſpiam, Jobum qui & antea & poſtea permulta habet, quibus oſtendit calamitates ſuas ſe impatienter tuliſſe, & propemodum deſperaſſe, hoc in loco tam confidenter de Liberatione ſua loqui. Sed hæc eſt pugna Rationis & Adfectuum, qua fit ut homines nunc Rationi nunc Adfectibus conſentanea loquantur.* Accipio quod datur, *permulta præceſſiſſe, permulta ſecutura, quæ Noſtrum de vita hac deſperaſſe arguant.* Qui hoc non videt, nihil omnino videt. Unde ergo nunc tam *ſubita* illa *fiducia*, quin *gloriatio*, de *Reſtitutione in integrum ante mortem*? Ex *Ratione* ait Vir Doctus, quum antea *Adfectus* eſſet locutus. Sed *Ratio* iſta quo nixa fundamento? nam omnia *Mortem* potius miſerabilem portendebant. Hic ad vere *Dramaticum* quid tandem confugit, qui totam Hiſtoriam *Jobi* nil niſi *Drama* eſſe ſuſpicatur; θεὸν ἀπὸ μηχανῆς inducens, ſed ita inducens in media actione, ut partes Tragœdiæ cohærere amplius nequeant. Sane ſi *Extraordinaria Revelatione* armatus fuit Noſter, quid laboravit, quid cum Deo expoſtulavit; quid vehementiſſimis Adfectibus indulſit? *omnes ſuas ſpes opeſque radicitus revulſas, atque extinctas eſſe*, dictitans, *hujus ſeculi ratione* atque *reſpectu*, ut ſæpe a nobis inculcatum. Admiſſa tali *Revelatione*, amariſſimæ voces, & querelæ *Jobi*, habebunt neſcio quid importuni, quod nullo *Adfectus* concitati colore excuſari poſſit; quippe quibus unica excuſatio, & venia, ex *incertitudine Jobi*, quin imo ex *certa*, quam conceperat, *opinatione*, ſe ex præſenti calamitate non emerſurum, ſed ſub gravi hac manu Dei tandem expiraturum. Poſterius hoc valet quoque adverſus interpretationem *Grotianam*, quæ tamen multo tolerabilior, quatenus haberi poſſet hæc *Teſtificatio* pro *effectu* non *Rationis*, ſed *Fidei* in Deum, quæ ſibi ſub ſpe, contra ſpem, lætum huncce eventum promittat. In hanc utique mentem & alia non-

nonnulla accepere præclari interpretes; E. G. *Cap.* 13: 15. *En ſi occideret me, nonne ſperarem?* &c. &c. Noſter quidem calculus aliter ibi, alibique, poſitus; attamen & judicia libera, & abſurdum, abſonumque, dici nequit, ut aliquid bonæ ſpei, tot deſperatis vocibus interſeratur, ac veluti interluceat. Non ergo urgebo adverſus hanc ſententiam, nil ſimile produci poſſe, quo tale quid creditum, ſperatumque, a Noſtro, appareat: ſed tantum monebo, ſi forte *talis* quædam *ſcintillula ſpei* alibi reluceat, ei hoc in textu nihil loci eſſe relictum. Probatur, *primo* ex magnifico apparatu Verborum, quæ aliquid excellentius quam *liberationem temporalem*, aut *beneficium vitæ momentaneæ*, ſpirant. *Secundo*, quod *poſt Mortem* ſuam hoc *Teſtimonium* legi, atque extare, cupiat Noſter, *ſepulcrali* velut *Saxo inſculptum:* vel ſaltem *petræ perenni inciſum.* Hinc *tertio* conſequitur, non aliam *Liberationem* & *Vindictam* oppreſſi poſſe intelligi, quam quæ poſt *fata*, & *longa ſecula*, veniret in illuſtri illo Die, quo *Juſtus* eſſet declarandus publice, qui ut *injuſtus* ſub Dei juſtiſſimis plagis expiraſſe cenſebatur. Hæc ſufficere poſſent; ſed en *quarto* quod ne umbram quidem dubitationis relinquere videtur. Nempe *Jobus* hic velut Numine adflatus aliquid expromit *indubitatum*, *firmum*, *immoto Fidei fundamento nixum*; quod *certo certius* erat *venturum*; ad quod ut unicam in hoc naufragio Ancoram hic provocat tandem & confugit. Hoc utique non erat *Reſtitutio in integrum*, de qua ſæpius ſaltem deſperaſſe deprenditur; & de qua non niſi *languidam* admodum, & *incertam*, ſpem fovere potuiſſet. Jam vero tam *dubiæ debilique ſpei* hancce *Graviſſimam Teſtificationem* ſuperſtruere, plane *temerarium* fuiſſet: prout contra quod nos damus, ex ſolidiſſimo Fidei principio, ſanctiſſime & prudentiſſime fuit aſſeveratum.

Ibid. Secundo examinanda nobis Doct. *Merc.* ſententia, quam & *Druſ.* ſuam fecit. Volunt illi hanc eſſe quaſi *Confeſſionem fidei oppoſitam Calumniis* Amicorum, qui ipſum improbum pronunciarant, & *Dei cognitione deſtitutum:* ut nuper *Cap.* 18: 21. cui criminationi nunc reponeretur, *Falſo mihi id impingitis*; *nam Ego novi Redemtorem meum eſſe immortalem, & æternum perſtaturum, ideo ad Eum provoco ab omnibus derelictus; in Eum mihi ſpes omnis eſt defixa. Is erit vindex & aſſertor meus.* Hic conſpectus plus promittit, quam præſtat: nec facile quis ſuſpicaretur, nihil aliud hac *Confeſſione fidei* conſignari, ex mente *Doctiſſ.* illorum *interpretum*, quam, *Ego Credo in Deum, ejuſque providentiam, etiam in media adflictione.* En *Merceri* verba. *Quomodo me, Socii, dicitis Eum non cognoſcere, aut Ejus providentiam negare? Sane agnoſco me in tanta adflictione, confecto toto corpore, vivum conſiſtere non poſſe, niſi ſupra naturam immenſa ſua providentia in me nunc uteretur.* Vide jam quomodo ad tam tenuem ſenſum phraſes coaptentur. *Redemptor meus vivit*, nil aliud ſonat quam, *Deus eſt æternus.* Item, *poſtremuſque ſuper pulverem ſtabit*, declaratur, *inter omnes qui terram incolunt, & poſt omnes, ipſe permanebit, æternum perſtaturus.* Dilutius adhuc *Vſ.* 26. Et *poſt cutem* „ *meam* corroſam, *excuſſerunt hoc* corpus „ meum, vermes in ulceribus geniti, vel „ dolores, & tamen *ex carne mea*, & tanta „ hac adflictione, *cerno*, & contemplor, „ *Deum*, id eſt, Dei potentiam, providen- „ tiam, & ſummam in me beneficentiam, ag- „ noſco, qui quum me ita graviter adflixe- „ rit, ſervet adhuc, non ſine miraculo, & „ ſummo ejus beneficio, viventem etiam in „ tantis cruciatibus." Dilutiſſime tandem *Vſ.* 27. „ *Quem* Deum *ego ſpecto mihi*, i. e. „ contemplor, cerno in hoc tanto morbo, „ *& oculi mei viderunt*, *vident*; non corpora- „ liter, ſed ſpiritualiter per poſteriora ejus „ vim acie mentis contemplor: *& non alie-* „ *nus*; quaſi dicat, Ego ipſe, cui mei dolo- „ ris vis nota eſt &c. &c. Nam ipſe intra „ me *renes meos* etiam *conſumptos ſentio*, quod „ vos non videtis." Vix oculis meis, hæc tranſcribens, credo; adeo omnia languent, & jacent, non tantum, ſed contra naturam phraſium in alieniſſimos ſenſus ſunt deflexa. *Mercerum* hic in *Mercero* deſidero: tanto magis, quod ſolo veri amore ductus hæc ſcripſerit, de cetero *fidem melioris vitæ*, & *Redemtionis per Meſſiam*, Noſtro fartam tectam relinquens, eique alibi ſtrenue vindicans. Vide interim quid Magnum Commentatorem permoverit. *Si de Reſurrectione futura hic loqueretur Jobus, non erant haud dubie id prætermiſſuri Hebræi, qui & ipſi Reſurrectionem credunt: at ne unum quidem ex ſex ſeptemve Hebræorum commentatoribus invenies, qui eo referat. Nec Jobi oratio, ſi diligentius & propius inſpicias, aut voces, eo ſpectant.* Eandem *Judæorum* auctoritatem *Ill. Grot. Cler.* aliique

urſerunt, *quod qui alias omnia rimari ſoleant, quæ cum aliqua ſpecie ad Reſurrectionem trahi poſſint, hunc tamen locum illuc non retulerint.* Mirum, illum *Judæorum* diſſenſum tanti momenti viſum, quum non licuerit ipſis *tam claram fidem Reſurrectionis* agnoſcere in Eo, quem, ut nec reliquos fideles e gentibus, ad hujus felicitatis communionem vix ac ne vix quidem admittunt. Minus adhuc iiſdem licebat cogitare de *Goële qui ultimus ſuper pulvere ſtaturus eſt*, ſenſu Chriſtianorum; *atque in noviſſimo die Judex ſeſſurus.* Vel hoc ſolum eos impellere potuit, & debuit, ad locum hunc fidiculis torquendum. Gloſſas profecto tam illepidas hic nobis propinarunt Magiſtri, ut nihil ſupra. *Ab. Eſræ* quidem *poſtremus ſuper pulvere ſtaturus*, opponitur *Vivo*, ut *Vivus Goël* ſit *Vindex* aliquis *nunc Vivens*, & *inter homines verſans homo*; at אחרון *aliquem poſtea naſciturum*, ſi forte, deſignet. R. *Levi* & *Salom.* cum *Nachman.* & *Periz.* ſpecioſius paulo ad Deum retulere, qui ſit *primus & ultimus*, adeoque *poſt omnes Creaturas, in pulverem redactas, permanſurus.* Sed an *Æternitas* Dei unquam alibi ſic expreſſa? aut an eam ita exprimi non dicam genius Linguæ, ſed vel ſenſus communis pati poteſt? Quid ad ſeq. *Vſ.* 26. 27. ab iiſdem *Rabbinis* turbetur, deinceps tangemus. Nunc vela legens, concludo, ſecundam hanc ſententiam, quam a *Judæis* tranſſumſere *Merc.* & *Druſ.* ne minima quidem ſpecie ſeſe commendare; quum prior illa *Grotii* habeat, primo obtutu, quod adblandiri queat. Conferas, quæ Cl. *Cocc.* & *Schmid.* adverſus *Judæorum* expoſitiones, ut *Capite* & *Corde carentes*, attulerunt.

Ibid. Luſtranda porro eſt *Tertia via*, ac *ratio*, quam *Calvinus* hic tenendam cenſuit. Ea ferme *media* inter *Reſurrectionem figuratam*, & *proprie dictam* illam ultimi diei. *Redemtor vivus* ei eſt *Deus*, quem *judicem* haud refugiat, ſed *in quem oculos defixos habeat*, ob *conſcientiam nulla hypocriſi contactam:* quippe *qui ſciret, comparendum coram Deo, ejus judicium ſubeundum, & rationem vitæ totius reddendam.* Sequens colon, *Deum ſtaturum ultimum ſuper pulverem*, perinde dictum putat ac, *quum homines defecerint Deus tamen permanſurus eſt: magna itaque fuerit ſtultitia ſi velim me excuſare coram hominibus, Deo interim me damnante: qui enim nunc ſunt mei judices, aut volunt eſſe, pereant oportet mecum, Deus autem in perpetuum permanebit.* Vides quo nexu & ſcopo hæc inſerta ſtatuat; nec hactenus aliud colligas, quam ad *Extremum Judicium* omnia collineare. Eodem tendunt & hæcce, *Quum dicit, Deum rectum ſtaturum ſuper pulverem, ſignificat, ipſum nequaquam ſimilem eſſe hominum: debilitemur enim & imminuamur omnes neceſſe eſt, donec in nihilum redigamur* &c. *At Deus non imminuitur nec debilitatur, ſed ſemper in ſtatu ſuo permanet. Ceterum notemus Jobum voluiſſe ſignificare, Deum vim illam, quam in ſe continet, ſuper terram effuſurum, hoc eſt, ſuper homines, quæ nihil ſunt, nullamque in ſe vim habent* &c. *Ita igitur ſtat Dominus ſuper pulverem, ut ſimul excitet pulverem, & in integrum reſtituat: nam ſine eo fruſtra Redemtor & Vindex vocaretur.* Hactenus nihil, quod non ad Noviſſimum diem referendum ducas. Senſim tamen defluit deinceps ad alium conſpectum, *Etiam ſi poſt pellem meam* corroſam, *vermes hoc* reliquum corpus *exederint, nihilominus ſpero me viſurum* adhuc *Deum*, & *viſurum in carne mea*, hoc eſt, *poſteaquam inſtauratus fuero.* Clarius adhuc, multis interpoſitis, *Ceterum quando Jobus dicit, ſe viſurum Redemtorem ſuum carne ſua, intelligit ſe in novum ſtatum inſtauratum iri, poſtquam exeſa fuerit pellis; atque etiam oſſibus conſumptis nihil integri remanſerit: nam vel ſic ſe in integrum reſtituendum, ſicut prius erat, & adhuc Deum in ſua carne viſurum.* Dubites forte, an non ad *Beatam Reſurrectionem*, & *inſtaurationem* illam *glorioſam* reſpiciatur; præſertim ob hæcce mox ſubnexa: *Ita confitetur Deum ſatis fore potentem ad ipſum inſtaurandum, etiamſi ipſum penitus conſumſerit, & in abyſſum uſque demerſerit. En qua conditione debemus ſperare in Deum, ut quum nos in ſepulchrum projecerit, ſciamus eum nobis manum porrecturum* &c. Attamen de *temporali* quoque *Reſtitutione* cogitaſſe, percipias ex illo membro, *Oculi mei intuebuntur ipſum, & non alium. Nempe cum mihi hanc perſuaſionem indiderit Deus, fore, ut mihi priſtinum vigorem reddat, totus ab illo pendebo: non oportet amplius vager, aut fluctuem, diſtraharve huc vel illuc; ſed illi ſoli adhæream neceſſe eſt.* Item ex illo: *Quamvis Lumbi mei defecerint in ſinu meo*; h. e. *quamvis nulla in me ſit virtus, aut vigor:* quin imo *quamvis ita angar, & excrucier ſub manu Dei fulminantis, ut nullæ amplius in me vires ſint, intuebor tamen Deum oculis meis, & illi totus ad-*

adhærebo; *& ſcio quod adhuc videbo vindicem & Redemtorem meum*, *poſtquam me ita conſumpſerit.* Jam viciſſim credas, de *præſentis ſeculi vita reſtauranda* unice agi; idque confirmatur hiſce, *Verum quidem eſt*, *Jobum de Reſurrectione expreſſe*, *& abſolute*, *non loqui: nihilominus tamen Verba non poſſunt exponi*, *niſi agnoſcamus*, *Eum Deo voluiſſe tribuere potentiam*, *quæ in communi ordine naturæ non cernitur.* Apparet ita fluctuaſſe noſtrum *Calvinum* inter hanc, & illam expoſitionem, ut receptiſſimam de *Reſurrectione ultima* non omnino quidem excluſam voluerit, ſed alteram tamen *Jobo* directe obverſatam fuiſſe arbitretur. Ego ne in hac quidem *Hypotheſi* quicquam reperio ſatis ſolidum; ſed contra omnia coacta, & a ſimplicitate phraſium alieniora. גאלי חי Transſeat pro *Deo æternum vivente:* ſed 1. *Ultimum ſuper pulvere ſtaturum*, iſtoc ſenſu nunquam concesſerim. Aliquis adhuc color fuiſſet, ſi in priori adſpectu manſiſſet, ubi Deum repræſentat conſumtis mortalibus omnibus permanentem, & in *pulverem* vires ſuas exerentem, ad novam vitam infundendam illis, qui ad nihilum redacti videbantur. Sed nego ullo pacto veriſimile, ut *Ultimus ſuper pulvere ſtaturus* dicatur Deus, quod *Jobum penitus eroſum*, *& ad pulverem* quaſi *exeſum in integrum reſtituere valeret*; vel *& reſtituturus eſſet.* 2. *Poſt pellem eroſam*, *reliquum corpus*, quin & *oſſa*, *abſumta* concipere, *citra mortis diſſolutionem*, *cum bona ſpe reſtitutionis in integrum*, non intelligo qui fieri queat, aut quo fundamento nitatur, pro *Oeconomia præſentis vitæ.* Recurrit quidem *Calv.* ad *Dei potentiam*, at quæſtio non eſt nunc, quid poſſit Deus, ſed quid in *Jobo* certiſſime eſſet effecturus. 3. *Ex carne mea videbo Deum*, nihil aliud adferre, *quam reſtituar in integrum*, *& videbo adhuc Deum meum*, *mihi reconciliatum*, *& faventem*, non admodum ſpecioſe aſſumitur. 4. Nil incommodius, quam quod *oculi mei intuebuntur Eum*, *& non alium*, opponatur *diſtractioni*, & *vagationi*; quaſi antea obnoxius fuiſſet Noſter iſti vitio. Mitto alia minus apta. Nec aptiſſimum 5. illud, *quamvis lumbi defecerint in ſinu*, de quo latius ad *Vſ.* 27. Pro cumulo ſit 6. quod contra hanc *ſpem Jobi* diſputatum ſupra. Nempe ea vel *certa* fuit, vel *incerta.* Certam fuiſſe non dixeris, niſi ad *Extraordinariam revelationem* jubeat ire, quæ rationes tibi tuas peſſime conturbaret. Incerta, tantam fiduciam parere non potuiſſet, tantamque vim aſſeverationis ridiculam ferme reddidiſſet.

Ibid. Peculiarem curam ſibi depoſcit haud paullo mollior expoſitio Rev. *Crinſozii*, qui *Calvini* ſententiam ita amplectitur, ut eam reddiderit favorabiliorem, in elegantiſſima verſione Gallica, quam nemo ſine voluptate legat. *Stare ſuper pulvere*, Ei eſt, *ſub finem certaminis adverſus inimicos decertati* a Noſtro, *ipſi apparere ad gratiam*, *& liberationem.* In *Vſ.* 26. eandem *apparitionem extraordinariam* aſſumit, *qua* Noſter *Deum viſurus eſſet in carne ſua*, *poſtquam* ulcera *pellem ejus eroſiſſent.* Dein *Vſ.* 27. reſumit, *Ego meiſmet* tunc *oculis ipſum viſurus ſum*, *& non alius pro me: Viſcera mea commovebuntur in medio mei:* præ gaudio, Scil. *poſtquam prædictione mea implementum nacta*, *vos dicetis*, *quare ipſum perſecuti fuimus*? Sic nempe *Vſ.* 28. cum ſuperioribus contexendum cenſuit, *Radicem verbi in* Jobo *inventam*, declarans de *fundamento* hujus *ſpei* & *fiduciæ.* Hunc ſenſum & ſimpliciſſimum autumat Vir Doctiſſ. & convenientiſſimum *Cap.* 14: 14. 15. ubi *clariſſime hanc ipſam ſpem* Jobi *conſignatam* putat, de *futura aliqua Dei apparitione*, *qua ſe ipſi*, *ut aliis Patriarchis ſæpe*, *manifeſtaret.* Eodem ſpectare putat *Cap.* 23: 10. Poſterior locus quam parum faveat, infra oſtendetur. Prior quam non *clarus* in hanc rem, aut ſpem, cernas ex iis, quæ ibi diſcuſſa. *Calvinus* tamen iſtum textum quoque retulit ad *ſpem reſtitutionis*, qua ſe *Jobus* ſolabatur; ſed non video Eum cogitaſſe de *Extraordinaria Apparitione.* Eam ſibi promiſiſſe *Jobum*, nuſquam apparet. Ne potuit quidem eam ſibi promittere, citra *peculiarem* iterum *Revelationem*, ad quam non putem virum judicioſiſſimum eſſe venturum. Multo minus eam tanta cum aſſeveratione prædicere ſuſtinuiſſet Noſter, *Hypocriſeos*, & *vanæ gloriationis* manifeſtus futurus, per omnem ſeculorum memoriam, ſi iſta forte ſpes haud ſucceſſiſſet. Placidam veritatis diſcuſſionem, pro candida virtutis ſuæ indole, haud ægre, ſcio, feret, Vir politiſſimus, prout Noſtra quoque ſub examen vocari, nunquam ægre feremus.

Ibid. Accedo ad *quartam opinionem*, cujus mentionem facit idem *Rever. Crinſoz.* in *præf.* ubi monet quoſdam, ut *Hieron.* vel *Auctorem Comment. ad Jobum*, ejus nomine veſtitum, velle, *Jobum Spiritu Vaticino actum*, *inſtaura-*

rationem ſuam ſpectaſſe ut typum Reſurrectionis. Addit, *ſe lubenter in hanc ſententiam deſcenſurum fuiſſe, ſi eam conciliare potuiſſet cum ratiociniis Cap.* 14. Nimis videlicet Ei adhæſit illud *vocare*, & *reſpondere Cap.* 14: 15. quæ aliter ſumenda vidimus. Similiter quæ *Vſ.* 19. *Ibid.* extant, contrarium plane inferentia. Sed vel ſic liberum fuiſſet, illam ſimul Sententiam adoptare, ſi modo *reſtitutio in integrum* aliquid fundamenti haberet; nam ut patet ex prægreſſis, *Calvinus* illuc inclinaſſe videtur. De *Hieron.* alia res eſt; quippe qui ſolam *Reſurrectionem Ultimam* ante oculos habuit. Sic enim ille ad *Vſ.* 23. *Quoniam a nullo homine potuit ſolatium invenire, convertit ſe ad Deum, & reſurrectionem futuram prophetat in ſpiritu, ubi pro his malis præmium ſit recepturus. Et hæc duris inſculpta lapidibus optat inſcribi, ut ſermones Prophetiæ in ætates ſeculorum prolixiores permaneant.* Ad *Vſ.* 25. deinde. *Hoc igitur clypeo Eccleſia, quæ incarnationem Unigeniti Dei veram confitetur, & Reſurrectionem mortuorum veriſſime credit futuram, ſe munit, & inimicos ſuos debellat. Ubi ſunt illi, qui dicunt, nos in reſurrectione alia corpora habituros? audiant iſtum virum dicentem.* Quem viſurus ſum Ego ipſe &c. *Ego ipſe Job, qui in ſtercore jaceo, & totus vulnerum ſanie computreſco: Ego, inquam, jam corruptus, atque vulneribus diſſolutus in hac carne mortali, incorrupta reſurrectione futura glorificatus, videbo Deum. Et ut exprimeret ipſius ſui corporis inſtaurationem, idcirco ait, Et oculi mei conſpecturi ſunt &c. Repoſita eſt hæc ſpes in ſinu meo. Conſummata ſunt omnia in ſinu meo.* Vides nihil de *Reſtitutione præſentis vitæ* additum, nam *ipſius corporis inſtaurationem* haud dubie intelligit *de eodem, non diverſo corpore, reſurrectionem.* Eam tamen phraſin occaſionem præbuiſſe Viro Doct. levioculi erroris ſuſpicarer.

Ibid. Defluxi tandem ad *Quintam & Vulgatiſſimam Sententiam*, quæ nobilem huncce contextum applicat ad *fidem in Meſſiam*, & *ſpem beatæ Reſurrectionis.* Eam hic conſignatam tenet non dubius jam *Hieron.* in *Ep.* ad *Pamm.* a *de Pined.* laudatus, itemque *Caſſiod. Auguſtin. Cyprian. Gregor.* ab eodem producti. Ex *Judæis* quoque *R. Samuel Marrochianus*, quin judice *Cocc.* ipſe *Chaldæus.* Conſimiliter *Gloſſa Ordin.* & *Lyran.* itemque ex Recentioribus, omnis Communionis, qua *Pontif.* qua *Proteſt.* longe plurimi, & tantum non omnes. Hi circa Rem ipſam amice concinentes, circa phraſes, earumque genuinam faciem; nec non circa ſcopum, quo *Magnifica hæc teſtatio mentis* edita; in magna diſſenſione verſantur, per quam tamen *Hypotheſi* ipſi nihil decedit, quum Veritas ſuum jus teneat, etiamſi forte in ea enodanda dexteritas noſtra ceſſarit. Præcipuas opiniones ut attingam, Commentarii hujus ratio exigit. I. De *Hieronymiana verſione* fatetur Cl. *Cler.* ſi *recta* ea eſſet, *rem planam* fore; nunc *eam* æquo eſſe *audaciorem.* Sane illud, *in Noviſſimo die de terra reſurrecturus ſum*, nullo colore defendi poteſt, quicquid conentur *de Pined.* & *Bolduc.* quorum ille יקום *tranſitive* ſumi poſſe tendit, ut ſit *ſuſcitabit*, videl. *me*, pro quo *reſurrecturus ſum* rite ſit ſubſtitutum: hic vero *Jobum* in 3. *Perſ.* ſemet deſignaſſe cenſet. Eruditionem quoque ſuam perdidit *de Pined.* quum multis perſuadere laborat, ſpeciatim *intentam illam Reſurrectionem Sanctorum*, quæ *Chriſto reſurgente* facta, cujus & Noſter fuerit particeps. Cordatius *Vavaſſ.* & *Codurc.* ex *Hebræo* fonte agnoſcunt, *Et noviſſimus ſuper terra ſtabit*, de *Ultimo Judicio* agi ſimul agnoſcentes, & quidem per *Filium Dei*, verum generis noſtri *Goëlem.* Eſt tamen dilutius, quam par, illud *ſuper terra ſtare*, in quo *Reſurrectionis*, & *judicii noviſſimi* nota haud evidens. Hinc II. nonulli auſi, *& ultimus ſuper pulvere reſurget*; i. e. *homines ad unum omnes.* Vide Not. B. & *Jun.* Alii III. *Et noviſſime ſuper pulverem ſtabit*, vel *ſurget* Goël. Hoc *Munſt.* & *Clar.* applicant ipſi *Chriſto, qui factus primitiæ dormientium.* Etiam *Caſtalio* ad *Chriſti reſurrectionem* traxit *quam hominum reſurrectio ſequatur.* Conf. iterum *Jun.* IV. In vicinia horum verſatur *Schmid.* cui אחרון eſt *Epitheton Chriſti*, qui *poſterior homo* dicatur, vel *ſtaturus*, vel *ſurrecturus ſuper pulverem*, non in *judicio ultimo*, ſed *quum e mortuis ſuper terras rediret redivivus*, citra ullum *tropum*, ut diſerte addit: rejiciens eos, qui *pulverem figurate* ſumendum cenſuere. Ait *conciſam* eſſe *Locutionem*, quæ ita ſit ſupplenda, *Et* novi *poſtremum* illum, *quod futurum quidem ſit, ut in terra jaceat, mox tamen ſuper terram ſit reſurrecturus.* Audax profecto ſupplementum, quod fruſtra ex priore membro exſculpit, ſic converſo, *Novi Redemtorem meum, quod vivat, vitam divinam nempe, a morte inſuperabilem.* Putaret aliquis,

quis, Eum in priori Colo *Divinitatem Meſſiæ* ſpectaſſe, & in poſteriore *Humanitatem ex morte æternum revicturam.* Sed alia Viri Docti mens, qui גאלי חי de tota *perſona* θεανθρώπως accepit, in quo *illud principium vitæ indiſſolubilis* agnoſcat Noſter, *ex quo ipſe Mortuus, pro nobis mortem ſit victurus, & reſurrecturus; Jobum deinde & omnes fideles ex mortuis reſuſcitaturus.* Secundum hanc expoſitionem non video, quid valeat, *ſuper pulverem ſurget*, ad nudam *Chriſti reſurrectionem* ita reſtrictum, *ſine ullo tropo:* nam & hoc, & majora adhuc, jam primo membro ſubjecerat. Fruſtra id per *epexegeſin* excuſatur; quæ frequens in noſtro Libro: nam ſi *tropus nullus* ſit, in poſteriori illa parte, ſenſus longe infra priorem partem ſubſidet, atque adeo *nullus* erit. Sed en V. nimis forte *Tropicum* quid, quod Cl. *Cocc.* adriſit, *ſtabit ſupra pulverem*, ut *hoſtem proſtratum ad pedes*, *coll.* 1 *Cor.* 15: 26, 27. vel &, *ſtabit contra pulverem, tanquam vindex mei, me, jure pulveris & mortis abolito, & carcere Mortis ſpoliato, aſſerens, repetenſque.* Hoc *Schmidius* vocat *ſe torquere*; cujus *ſimplex* mihi longe *contortius.* Nil aliud ſane vidit, voluitque, *Cocc.* quam quod *Belgis* VI. viſum fuerat, *Glorioſe appariturus eſt ſuper omnes homines in pulverem redactos, ad eos judicandum, ſuoſque in vitam æternam introducendum.* Hanc ut *miram expoſitionem* in *Noſtris*, & *Deodato*, iterum notat Cl. *Schmid.* neſcio quid humani hic paſſus, quod Filiolam ſuam nimium amplexaretur: nam eadem plane mens *Doctiſſ. Lutheranorum.* Cl. *Mich. conſiſtet ſuper pulvere victor, & ſuperſtes, poſtquam mors omnes abſorpſerit; omnibuſque hoſtibus proſtratis, imo omnibus hominibus ſub mortis jura redactis, ſe glorioſum exhibebit, bonorum æternus ſtator & vindex.* Hæc ille ex *Calovio* ſuo, *Spanhemioque* noſtro, expreſſit. Commodiſſime, & ad rem; a quo ne illi quidem alieni eſſe poſſunt, qui *ſtare ſuper pulvere ultimum*, volunt figuratum a *Palæſtra*, vel *Arena depugnantium*, ut ſit, *Victorem perſtare.* Id quidem *juſto ſubtilius* denuo pronunciat *Cl. Schmidius*; ſed nihil ei placere potuit, cui jam ſuum nimis placuerat. Ego id in medio relinquo; quamvis non magnopere diſpliceat, ſi modo ritus tam antiquus, ut illuc alluſum ſtatuatur; ita tamen ut *Victorem perſtare ſuper pulvere*, ſeſe referat ad illum diem vel maxime, *in quo Mors abſorbebitur in victoriam.* Illuc omnia nos vocant, quin trahunt. *Calvinus* huc concedat neceſſe, ſi bene ſupra evictum, non poſſe *Reſtitutionem hujus vitæ* intendi. Verba ejus priora illuc ſponte feruntur. Adde & hæc. *Nobis ſimiliter credendum, quum corpus projectum fuerit in ſepulcrum, & ibi tanquam in nihilum redactum, nihilominus in ultimo die id eſſe inſtaurandum* &c. &c. Ipſe quoque *Grotius* huc accedere debebit, etiamſi גאל חי *Deum* eſſe *Patrem*, demus; *qui Victor ſuper pulvere ſtaturus ultimus*, in *Vindictam* & *Liberationem ſuorum*, nuſpiam opportunius, illuſtriuſque, concipi poteſt, quam *in Ultimo illo Die*, præmia & coronas pro meritis cuique diſpenſaturus per *Filium*, cui omne *Judicium*, *Vindiciaſque* Electorum, tradidit. Quid ſi & *Cl. Clericum* illuc redigere poſſimus, ut in ſenſum noſtrum de *ultimo judicio* deſcendere cogatur? Ejus *Paraphraſis* ſic habet, *Novi me a Deo aliquando ex hiſce ærumnis liberatum iri, eumque Æternum eſſe, & judicia ſua, in hoc pulvere, exſequutioni mandaturum.* An non vel cœco, excluſa ſpe *Liberationis temporalis*, cui Locum nullum relictum vidimus, apparent *Noviſſimi Diei* non *Veſtigia*, ſed *ſigna*, atque *indicia* manifeſta? Largiar quicquid poſtulatur. גאל חי *Redemtor vivus*, erit *Deus Æternus*: אחרון erit *tandem aliquando*, ſive *noviſſime*: על עפר יקום erit, *ſtabit in pulvere* Liberator, & Vindex; cum oppoſitione ad *eos qui pulvere tecti ſunt, atque in ſepulchro jacent.* Sed jam viciſſim concludo, vel vanos hos eſſe ſine ſenſu ſonos, vel *Illuſtrem* illum *Diem Reſurrectionis* ſub phraſibus hiſce deſignari. In quamcumque ergo partem ſe quis converterit, nunquam effugiet, quominus *Redemtor Vivus*, & *Ultimus ſtans ſuper pulvere*, pertineat ad *publicas Vindicias Innocentiæ Jobææ*, qui quum *nomine & titulo Nocentis in pulverem mortis* ſe *deſcenſurum* eſſe exiſtimaret, præclariſſima tamen conſcientia ſubnixus, *Coronam* ſibi *Juſtitiæ repoſitam eſſe* declaret, quam & publice ſibi imponendam tandem fore a *juſto* orbis *Judice*, eodemque generis humani *Vindice*, certo certius cum ipſe credat, tum a poſteritate quoque credi cupiat. Huc ſpectare præmiſſum apparatum, ſupra adſtructum, ſive mecum

cum *Saxum ſepulcrale* intelligas, per *Pathos* ſumme *Tragicum*; ſive in alio quovis *Monumento perenniore* pedem figere lubeat. Hoc jam adſpectu nemo facile ambigat, potiſſimum *Goelis*, & *Goëlis Vivi*, appellatione intelligendum eſſe *Meſſiam*. אחרון *Myſticam* illam vim hic poſſidere, qua *Meſſias* vocatur a Judæis *Goël Acharon*, ut *Moſes*, *Goël Riſchon*, incertius, nec veriſimile, quia iſta oppoſitio tempore *Jobi* necdum nota. Hic ipſe tamen locus iſti Titulo animam miniſtrare potuit; & hoc voluiſſe putem *Cl. Reim*. Non etiam auſim urgere Antitheſin inter *Adamum primum*, & *poſtremum*, *qui in poſtremos mundi dies promiſſus*, quod Cl. *Schmid.* fecit. Plauſibilius adfertur ex *Eſaj.* 41: 4. & 44: 6. אחרון ut *Divinitatis Character*, quem *Meſſias* ſibi vindicet in *Apocalypſi*. Videſis *Cl. Mich. Reim.* Sed & hoc liberum eſto, nam *Divinitas*, & *vis vitæ indiſſolubilis*, in חי ſatis expreſſa. Addit Cl. *Cocc.* 1. *poſtremum* appellari *Vindicem*, quod *ita Noſter ſit, ut nunquam, uſque ad finem, nos deſerat.* 2. Quod *ſuperſtes ſit futurus omnibus hoſtibus*, quin & 3. *poſtremus in vita manſurus*; *ut quum omnia Mors occupaverit jam, ipſe immortalis Dominium exerceat in Mortem, & Arcem, vel Carcerem Mortis, Pulverem.* Hæc nihil habent, quod a Scopo, adfectuque præſenti *Jobi*, abludat: & tamen ſenſui ſatisfactum iri putem, ſi cum *Doct. Belg.* ſimplicius quis malit, *Noviſſimusque ſuper pulverem adſtabit*, pro *in die Noviſſimo.* Iſtum uſum *Adjectiva* in ſtylo ſublimiore inducere ſolere, neminem fallit. Porro *ſtabit contra pulverem*, quod *Cocc.* proponit, ex קום על *Eſaj.* 31: 2. nimis videtur argutum; ut merito ipſe prætulerit *ſtabit ſupra pulverem*: hanc meam *Carnem* inde *Vindicaturus*, *Carcere Mortis ſpoliato.* Hunc adſpectum *Jobo* obverſatum in voce עפר *pulvis*, cognoſcere eſt ex ipſiuſmet ore: nam *Cap.* 7. *Vſ. ult.* dixerat, *Jam nunc in pulvere cubabo*, vel ut nos maluimus, *in pulverem procumbam*: Itemque, commotiore adhuc adfectu, *Cap.* 17. *Vſ. ult. Omnia mea mecum ad clauſtra Orci deſcendent*, *atque dejecta*, quin *abjecta*, & quaſi *prodita*, *ſuper pulvere jacebunt.* Relege *Ibid. Vſ.* 12: 13, 14, 15. &c. & non ambiges, quin ad illum *pulverem Mortis* oculos nunc reflectat Noſter, *ſuper quo*, vel *ſupra quem* potius, *ſtaturus* ſit *Goël*: *ſtaturus*, inquam, cum *imperio*, *Majeſtate*, & *ſuprema poteſtate*, ad *ſuos Vindicandos*. Hanc vim & *generatim* tenuit verbum קום *ſtetit*, quatenus *imperium* & *auctoritatem* ſignat; & *ſpeciatim* obtinuiſſe videtur, cum relatione ad *Vindicem præpotentem*, qui eleganter *ſtare ſuper oppreſſis*, vel *ſupra eos*, dici potuit, quum *ad eorum Vindicias ſeſe præſentem* exhiberet. Idem hicce adſpectus manere poterit, etiamſi cum *Doct. Belgis* malles, *conſurget ſupra pulverem*; nam & *ſurgere* eſt *Vindicis*, *præſentiſſimam opem ferentis.* Plenius tamen & ſignantius cenſerem *ſtabit*.

Ibid. Adſtringam longiorem hanc diſquiſitionem ex *Scopo* & *Nexu*. Ad *Vſ.* 23. ſubmonui minus feliciter a Viris Doctis calculos hic poſitos videri. Certe *Mercero* & *Druſio* nihil æque offeciſſe putem, quam quod exiſtimarent, *Jobum* in hiſce *Confeſſionem fidei* exhibuiſſe, *oppoſitam* Amicorum *Calumniis*, *quaſi Deum non cognoſceret*, ex *Cap.* 18: 21. Id & *Coccejo* adhæſit, *Videtur*, inquit, *reſpicere ad Verba Bildadi Cap.* 18: 21. Non tamen hæret in *fide providentiæ*, ſed ad *Fidem* & *ſpem in Deum per Meſſiam* eſcendit, quæ *fides* utique cum *cognitione*, & *ſcientia*, ſit conjuncta &c. Hac anſa explicuit ὁ πάνυ de πληροφορίᾳ τῆς πίστεως, & *animo fiduciæ pleno*, *ex viſione anticipata*, medium membrum *Vſ.* 27. de quo infra diſpicietur. Cl. *Schmid.* ita cardinem figit. *Vult Jobus oſtendere*, *quam immerito ab Amicis in numerum impiorum referatur*, & *quam merito ipſis ſuccenſeat*, *quum Fundamentum fidei de Meſſia mortem devicturo*, *ſuaque per illum Reſurrectione*, *firmum & illæſum retineat.* Iterum. *Videtur de hac Redemtoris vita*, *ſuaque Reſuſcitatione*, *propterea ex inſtituto loqui Jobus*, *quia pro Impio habebatur*, *qui omnem ſuam ſpem in hac vita poneret*, *nec Reſurrectionem ſperaret*; *unde & tantopere queritaretur ob jacturam temporalium* &c. Nil mirum, ſi Vir Doctiſſ. illam *Hypotheſin* premens, hoſce *Articulos Fidei*, quantum pote, multiplicarit, atque ex hoc *Vſ.* ſpeciatim elicuerit tum *Mortem piacularem*, tum *Reſurrectionem Sponſoris*, quæ ſit *fundamentum* & *cauſa reſurrectionis fidelium Vſ.* 26. & 27. deſcriptæ. Conſimile *Symbolum fidei* ferme conceperat *Munſt. Teſtatur*, inquit, *Job ſumma Capita religionis*, *peccatorum Condonationem per in-*

26 ואחר עורי נקפו־זאת ומבשרי אחזה אלוה׃

27 אשר

26 Et poſtquam cutim meam pertuderint ad hunc modum; omnino ex carne mea adſpiciam Deum.

27 Quem

incarnandum Filium Dei, *carnis Reſurrectionem*, *& vitam æternam.* Talis *Confeſſio* non valde quadrat ad *Adſectum*, quo Noſter nunc totus ardet, inflammatuſque rapitur, non utique ſimpliciter ad *Fidei* ſuæ veritatem declarandam, quod & aliis verbis feciſſet, & longius proſecutus eſſet, exemplo *Cap.* 12. & 31. ſed ad *publicam Teſtificationem conſignandam Conſcientiæ præclariſſimæ*, *quæ ne in media* quidem *Morte*, & *execratione Dei*, *hominumque*, *ſub qua ſe occubiturum credebat*, *Innocentiam ſibi ſuam eripi pateretur.* Hocce *candidum* non minus, quam *Candens & ignitum* pectoris puriſſimi *Pathos*, multis in locis eluceſcere vidimus. Inſpice præſertim *Cap.* 6: 8, 9, 10. & *Cap.* 13: 13, 14, 15, 16. nec dubitabis idem hic *illuſtrius* adhuc *celſioreque ſpiritu* enunciatum: quatenus nunc oſtendit fortiſſimus Heros, ſe ne ſic quidem *Clypeum Integritatis ſuæ e manibus dimittere*, ſed *certo certius Goëlem* expectare, qui *Optimam Cauſam* ſit *Vindicaturus in Ultimo Judicio*; atque in Solemni illa panegyri *innocentiſſimum pronunciaturus*, quem ut *Nocentiſſimum* omnes *damnarant*, atque *abominati* fuerant. Vides Materiam aptiſſimam *Cippo*, aliove *Monumento ſepulcrali*, ut in eo eminentibus Characteribus conſignata extet ad *perennem* omnium ſeculorum *memoriam.* Si צור ad *ſepulcrum* directe referendum dubites, *Sepulcralis inſcriptionis* adſpectus tamen manebit, quum utique poſt *Fata ſua* hæc a poſteritate legi, cognoſcique, voluerit Noſter; ideoque *in Petram* ea *inſculpi* tam ardenter optaverit. Proxime ad hunc ſcopum acceſſerunt illi qui volunt, *Jobum* ab omnibus derelictum, profiteri, ſe tamen *ſolatio*, & *melioris ſpei fundamento*, *non deſtitutum.* Recte; ſi modo recte explicetur de *immota illa ſpe*, *in ultimum diem defixa*; quod *unicum*, *extremumque*, *ſolatium* ſibi animoſiſſime nunc vindicet.

Verſ. 26. Novi fluctus circumagunt interpretes: etiam eos, qui *Reſurrectionis ſpem* hic agnoſcunt. Reliqui, quod pace Magnorum virorum dictum eſto, navem confringunt. Vide modo quæ jam ex *Grot. Merc. Calv.* &c. &c. ad prius Colon ואחר עורי נקפו זאת delibata *vſ. præc.* Maxime devius abit Cl. *Cler* in נקפו ſibi fingens *plagas* & *Vulnera* nunquam *Jobo* inflicta. Cur non potius ſubſcripſit *Jarchio*, ad ſocios ſic referenti, *At illi*, *poſt plagam cutis meæ*, *me adfligere & vexationibus ſuis perfodere non ceſſant.* Rectius *Periz. Ralbag*, *Nachman.* ad *Ulcera* & *Dolores* applicant, quibus *poſt pellem* eroſam, totum *corpus* atque *oſſa* ipſa eſſent *confodienda*, & *conterenda.* Hos ſecutus *Merc.* inducens tamen ſub נקפו *vermes ex ulceribus genitos*, qui *corpus*, & *oſſa*, *in pulverem redigant*, *& velut in fragmina excutiant*, *poſt cutem eroſam.* Eundem conſpectum premit *Calvin.* Mireris, tantam vim & Emphaſim verborum non perſuaſiſſe, de *deſtructione* & *abolitione totius corporis per Mortem* agi: Ne illi quidem, qui hic *Reſurrectionem* inveniunt, in membro hocce enucleando inter ſe conveniunt. Nam I. non valde iterum feliciter *Vulgatum* defendit *de Pined.* quem tamen *Luth.* & *Tigur.*, itemque *Caſtal.* ſecuti, in hunc fere ſenſum, *Et poſtea cute mea circumdabuntur hæcce.* Illa notio repetitur a יקף cujus *Hiph.* הקיף *circumdare.* At עורי נקפו זאת *Cute mea circumdabuntur hæc*, membra, poſtquam computruere, tam durum ut ferri nequeat. Durius, quod ſimplicius viſum Cl. *Schmidio*, *Et poſt cutem meam circumdabuntur hæc.* In hac ſententia, non valde liquida, 1. *Poſt cutem meam*, Viro Docto valet, *poſteaquam cutis mea eſſe deſierit* i. e. *quum cutis mea erit putrefacta.* 2. In נקפו *circumdabuntur* repetere jubet עורי ut ſit, *poſt cutem meam* putrefactam *circumdabuntur hæc*, caro & oſſa mea, *illa cute mea.* Nollem talia pro *Optimis* commendari, quæ non bel-

belliſſime digeſta; quis enim 1. concoquat *poſt cutem meam*, pro *poſtquam totus fuero putrefactus* & *conſumtus*? Ingrata quoque 2. repetitio illa *cutis circumdandæ* denuo. 3. Talis *circumdatio* non continetur in verbo יקף. Illa *obductio* per קרם expreſſa *Eſech.* 37: 6. Nec molle 4. *circumdari cute* pro *reviviſcere* & *reſurgere*. In *Eſechiele* alia res. Ibi præcedit *oſſium commotio*, *per Spiritum vitæ*; *inductio nervorum*, & *carnis*; addita tandem *Cutis ſuperinductione*. Hæc omnia ſupplenda nunc eſſe, in vocula זאת, gratis ſupponitur; ac proinde non video huic opinioni quicquam loci relictum. Infelicius adhuc II. pericopam hanc terſiſſe videtur Cl. *de Dieu*, a נקף *adhæſit*, in *Dial. Chald.* & *Syr.* aſſumens, forma *Pihel*, *ſequi facere*, in hunc ſenſum, *Et poſt cutem meam facient ſequi hoc*, *quod ex carne mea videbo Deum.* Mavult tamen, *facient ſequi hoc*, *quod Redemtor meus perſtiturus ſit ſuper terram.* Duriſſime iterum 1. *poſt cutem meam*, pro poſtquam *cutis mihi mea adempta*, vel *ceſſare facta*; quorſum trahitur *Chaldæi* interpretamentum מן בתר דאתפח משכי quod alii vertunt *poſtquam inflata cutis mea*; nullo ſenſu; quum ſit reddendum, *poſtquam crepuit*, ſive *diſſiluit rupta Cutis mea.* 2. נקפו זאת *facient ſequi hoc*, languidiſſime, ſive זאת retroagas, ſive promoveas. 3. *præt.* pro *fut.* precario nunc adſciſcitur. 4. *Imperſonale* illud omni caret gratia; quæ in *repetent animam tuam abs te*, maxima. Contorta quoque III. Verſ. *Jun.* & *Trem. Et poſtquam* Vermes *confoderint iſtud* corpus meum, *evigilante me*; &c. Monetur in notis *Hyſteron proteron* eſſe in verbis, quod Viris Doctiſſ. nemo conceſſerit; etiamſi liberalius daretur עורי ad Thema עור *evigilavit* non invita *Grammat.* revocari. Longius arceſſitum IV. dixerim & illud Cl. *Gerh.* & *Varen. Et poſt excitari* vel *evigilare meum*, *exſcindentur iſta*: quaſi cum *Reſuſcitatione ſua*, *conſummationem*, *exſcidiumque rerum*, innueret *Jobus.* Hoc merito improbatum a Cl. *Michael.* Doct. *Belgæ* V. cum pleriſque, *Et* quum *poſt cutem meam perroſerint hocce*, nempe *Vermes*; ut deſcribatur *univerſi corporis abſumtio*, *cujus carnem*, & *oſſa*, *poſt cutim eroſam*, *depaſcantur* vermes, נוקפים *perforantes*, & *tanquam pertundentes*. Hanc vim verbo נקף ſubjecere longe plurimi, etiam Cl. *Guſſ.* Cl. *Cocceio* tamen *deſtringere* potius ſonat: unde per *conſtr. dupl. accuſat*: mallet VI. *Et poſtquam cutim meam deſtrinxerint hoc.* h. e. *totam cutim.* Commodius foret, quod & tentat, *hoc* quicquid reliquum *Cutis*, cum contentione. Sed ita עורי זאת jungi debuiſſent. In *Lex.* tertia facies proponitur, quoad *hoc*. Doct. *Hill.* apud Cl. *Mich.* *Ac pone cutem meam etſi deſtrinxerint hanc* carnem *ab oſſibus*, *non aliter atque arborum ramorumque cortices* & *alburna deſtringuntur.* Laudatur in hanc notionem *Æthiop.* נקף *deglubſit*, *decorticavit*; quod ſic ſatis aptam præbet imaginem; ſed אחר ita *localiter* ſumtum nervo caret. Cl. *Reimar.* molliore ſtructura, *Et* quum *poſt cutim meam deſtrinxerint hocce*, quicquid reliquum carnis, oſſiumque. Amiciſſime conſpirat cum *Verſ. Belg.* niſi quod pro *perrodere* ponatur *deſtringere.* Haud negem *Deſtrictionem Cutis Carniumque* ſat commodam; ſed נקף fortiorem tenuiſſe ſignificationem oſtendunt *Origin. Hebr. Cap.* 12. ubi *paragr.* 9. hunc locum quoque attigi, atque ad mentem *Belgarum* expoſui. Fatendum tamen, ſenſum eſſe rotundiorem, quam periodum ipſam. 1. primo enim τὸ *quum*, extra textum adſciſcitur. 2. iſta gradatio, qua a *Cute eroſa* pergitur ad *carnem*, *oſſa*, *medullaſque*, ſpecioſior forte, quam ſolidior. 3. זאת δεικτικῶς pro *carne*, & *oſſibus*, non tam clarum, commodumque, ut nefas ſit de alio cogitare. 4. Fieri vix poteſt ut עור *Cutis* hic non veniat latiore illo uſu, quem indicavi ad *Cap.* 18: 13. ubi *Vectes Cutis* vidimus pro *toto Corpore*, *ejuſque firmiſſimo robore*; cum formula proverbiali *Arabum*, qua *Cutis lacerata* frequentatur, pro *toto homine graviſſimis plagis confecto*, vel & *Morte deſtructo*, atque *abolito*. Pluſquam veriſimile 5. ad illam ipſam Comminationem *Bil-*

Bildadi reſpexiſſe Noſtrum, ſub placida conceſſione, in hanc mentem, *Et poſtquam Cutem meam* graviſſimis plagis *contuderint*, & *confecerint*. Poſſem jam cum Cl. *Cocc.* ſubſumere *quoad hoc*. Poſſem *Cutem meam hoc*, per appoſitionem. Poſſem denique *Cutis meæ hocce*, quod nunc cernitis tam miſere excarnificatum; quodque a Morte ulterius depaſcendum, & deſtruendum. Sed ſimpliciſſimum forte, וזאת *ad illum modum. Taliter*, qualiter & *nunc experior*, & *ulterius ſum experturus*, ſecundum veſtras comminationes. Illuc jam rem deductam ſpero, ut terram ſub pedibus ſatis firmam, tutamque, quivis ſentiat; atque in עורי נקפו agnoſcat cumulatiſſimam imaginem *Mortis* & *Deſtructionis*, qua totus homo *contunditur*, & *confringitur*, a ſummo ad imum, *cum diſſipatione partium*, *ſub ictibus violentis*, *quæ caput*, & *oſſa ipſa comminuant*. Iſtam verbi vim pluribus adſtruxi in *Origin.* Mirifice etiam ſic quadrat *Imperſonalis* poſitio verbi noſtri, *Et poſtquam cutim meam contuderint in hunc modum*. Pro *poſtquam ego ita contuſus*, & *ſæviſſimis* ſub *plagis confectus*, *enectus*, *diſſolutus*, *diſſipatus fuero*. Vides nihil excluſum, ſed omnia, cum præſentia, tum futura, ſponte incluſa; *plagæ lethales*, *Ulcera*, *vermes*, *Mors ipſa*, *longum incubitura*, & *vectes cutis depaſtura*; quin *hæc omnia ipſius Dei manu*, velut offenſi, *inflicta*. Ultimum hocce abeſſe non debere, colligas ex *Cap.* 18: 13. ubi *Mors formidoloſiſſima* & *horroris plena* deſcribebatur: Itemque ex *Cap.* 17: 12, 13, 16. Concitatior *Jobi* ad fectus idem exigit; qui quum ſe *ex Morte per Goëlem vindicandum* dicit, utique non *ſimplicem mortem* intellexiſſe videtur, ſed *graviorem illam*, *quam cum Infamia*, & *horrore publico*, *ſibi ſubeundam* credebat, quamque ſæpius in præced. ut *horrendam*, *infandam*, *intolerandam*, graviſſimis coloribus pinxit; quum alias nil magis in votis haberet, demta iſta formidoloſa facie, quam huncce portum invehi. Si roges in quo conſiſtat iſtud *Horrendum*, ſi anima *Jobi*, poſt mortem, in ſinu Dei requieturam ſeſe ſperare poterat; reſpondebo, hujus *Libri Oeconomiam non tranſcendendam*, ut crebro commonui: deinde viciſſim rogabo, num vir bonus, piuſque, juxta habere debeat, *laudatuſne*, an *illaudatus*, *occumbat*? & *expiretne inter fulmina*, & *maledictiones Dei* vel *apparentes*; an contra *inter amplexus* quaſi, & *Oſcula Numinis*, finiatur? Sentis quid *Jobum* conturbare potuerit, quin & debuerit; quamvis Fidem in vitam meliorem, mox poſt mortem, fideli pectore foveret. Vides quoque quid Eum impulerit, ut ad *Reſurrectionem*, & *Vindicias corporis in pulverem diſſoluti* ſeſe elevaret; quum revera in hac *Teſtificatione* non privata, & occulta, ſed publica, & manifeſta, eſſent ſpectanda. Hæc opponenda duxi Cl. *Clerici* argumentationi, qui ad hunc locum iterum colligere voluit, *Jobo incognitum* fuiſſe *ſtatum animarum* poſt mortem, quia *cum alterius Vitæ cognitione nunquam adeo æſtuaſſet*. Equidem ne *Chriſtiani* quidem *fortiſſimi fidem*, *de vita beatiore*, ſic explorari fas eſſet, nec putem quemquam facile inventum iri, qui ſub tam diuturnis, tam atrocibuſque plagis, non ſimiles querelas funderet, abſque ut *ſtatum animarum* propterea vel ignorare, vel in dubium vocare, cenſeri poſſet.

Ibid. Ad poſterius Colon quoque, tanquam ad ſcopulum, adhæreſcunt illi, qui negant de *Reſurrectione* agi. Paraphraſis *Merceri* erat, *Ex adflictione Carnis meæ tanta cerno & contemplor Dei potentiam*, *quin & ſummam in me beneficentiam* &c. Itane vero & *beneficentiam*? Non illuc progreſſi *Rabbini*, quibus ſe ducendum dedit; *Periz.* enim ita tantum ϑεωρῶ[illegible], *Conſiderans carnem meam video exiſtentiam Dei & potentiam ejus*: item *Nachman. Quando video*, *carne mea abſumta*, *me vivum adhuc*, *video potentiam Dei in creaturas*, &c. At *Ab. Eſra* אחזה אלוה הנגעים שיחדש עלי *Videbo Deum*, eſt, *plagas quas in me innovabit*. Eodem acumine & R. *Sal.* אחזה משפטים *videbo judicia*, addens אלוה *Deum*, adferre לשון משפט ויסורים *ſignificationem Judicii & punitionum*. Conſimiliter R. *Levi* quem ſecutus *Vatabl.* Hos omnes confutatos dedit Cl. *Cocc.* magna rationum vi, & evidentia; quamvis hæc ipſa recenſuiſſe, ſit refutaſſe. Paulo ſpecioſius Cl. *Cler. E* aut *in Carne ſua Deum vidit Jobus*, *cum in turbine ei locutus eſt*. Ill. *Grot.* ſimplicius poſuerat, *Deum propitium experiar*; ad eandem tamen *apparitionem* reſpexiſſe Eum, dubitari nequit. *Calvino* nihil aliud ſonat, quam *in novum ſtatum inſtaurabor*. Hæc ſupra ſatis diſcuſſa. Apud Cl. *Michael.* reperies, qui vertendum autuma-

27 Quem ego adſpiciam mihi, oculique mei videbunt, & non alieni: conſumuntur renes mei in ſinu meo.

אשר אני אחזה־לי ועיני ראו ולא־זר כלו כליותי בחקי׃ 27

28 Nam

כי 28

marit, *ſuper* vel *propter carnem meam experiar Deum*; incertus ad futuram, an ad præſentem vitam referendum ſit; quæ *Hypotheſis* fluctuabunda, a Viro *Doctiſſ.* ibidem pluribus delineata, ſimulque redarguta, ex diverſis opinionibus cinnum confecit haud ſane concinnum; quamvis *Manifeſtationem Innocentiæ Jobææ* lubens admiſerim; ex mente Ejus *poſt mortem* demum *proferendam*, & quidem in *ultimo* & *illuſtri* illo *die*. Non ergo eſt ſimplex *confeſſio Articuli fidei*, ſed *declaratio ſolidiſſimæ expectationis*, quam *Innocentia*, & *Integritas vitæ*, Ei in mediis Dei plagis ſuggerebat, dum oſtendit, *repoſitam ſibi apud Deum Juſtitiæ Coronam*; quæ *Capiti* nunc *diris* omnibus *obruto*, *publice* foret *circumdanda*. Hoc adfectu dictum, *Sane ex carne mea videbo Deum.* Aliquantulum ſcrupuli movetur 1. per ו, quod quibuſdam *copulativum*; aliis *conſecutivum*, pro, *tunc.* Cl. *Cocc.* malebat poſitum pro גם, *Etiam.* Non addit, quo reſpectu. Voluitne, *etiam* ego, *cum reliquis Deum viſuris*? An, *Etiam ex carne mea*, quum *Anima* jam ante *ad Dei viſionem* fuiſſet *admiſſa*? In eo nil nimium. Nec tamen illam veritatem ex contextu noſtro urgere ſuſtinerem. Doct. *Belg.* omiſerunt, ut *Vaw* redundans. Aliis placuit, *Tamen ex carne mea.* Vide Clar. *Mich.* & *Reim.* Mihi rotundiſſimum viſum, quod nemo neget frequentiſſimum ſimul, *ſane*, *profecto*, *omnino.* Adi *Nold. Conc. part. n.* 11. Jam מבשרי 2. quibuſdam *in Carne mea*, rectius ab aliis elatum *ex carne mea*, *rediviva* videlicet, quantumvis עור, χρὼς, *Cuticula* hæc *mortalis*, omnibus modis contuſa, conſciſſa, ac dilacerata fuerit. Clariſſimum indicium *Reſurrectionis*; unde & *eadem corpora revictura* merito collectum. Nempe *Reſurrectio*, quam credimus, *Carnis*, non pugnat cum dotibus excellentioribus, quibus Corpus illud mactandum, ut ex ψυχικῷ reddatur πνευματικόν. Plura non addo, ne Theologicum ingrediar campum. Adiſis *Cocc. Spanhem.* &c. &c. Geminam *Carnis* vim captavit *Bolduc.* qui *primo* & *hiſtorico ſenſu* intelligi ait *carnem mortalem*, & *actualiter patientem*; *quæ*, noviſſimo die, *ad immortalem vitam* ſuſcitanda ſit. Ferri poſſet, ſed parum neceſſaria illa ſubtilitas, niſi idem intendat, quod Apoſtolus 1 *Cor.* 15. *Hoc corruptibile, induet incorruptibilitatem* &c. *Caro*, omnino eſt *Caro Rediviva*, oppoſita *Cuti*, in qua inerat *mortalis*, & *actualiter patientis corporis*, ſignificatio. *Ex hac carne* 3. *viſurus eſſet Deum* Reſtricte Cl. *Guſſ.* ſub Lit. מ p. 446. *Col.* 2. *Ego habitans in Carne mea, ex ea, tanquam ex domicilio, adventantem, & adfulgentem Redemtorem cernam, dum me, ſocioſque meos, redimet ab ultimis tyrannis.* Laxius alii, *Videbo & tum, in judicio, & poſtea in Cœlos receptus, Redemtorem meum*; quem per אלוה hic deſignatum plerique ſtatuunt, quia metuiſſe videntur, ne alias *Videre Deum ex carne*, parum quadraret. Sed ille ſcrupulus tanti non erat; qui enim *Deum viſuri ſunt*, *ut Eſt*, in cœleſtem gloriam admiſſi, utique *Eum ex Rediviva ſua Carne ſunt viſuri.* 1 *Joh.* 3: 2. *Matt.* 5: 8. *Hebr.* 12: 14. *Pſ.* 16: 11. & 17: 15. Hunc latiorem conſpectum placuiſſe video *Coccejo*; quem ſequendum cenſeo. α. quia nil obſtat, quominus latitudo hæc ſumatur; jam vero latiſſimus quiſque ſenſus præferendus. β. אלוה abſolute, magis quadrat in *Deum*, quam in θεάνθρωπον. γ. *Deus humana natura indutus*, *Vindex* ac *Redemtor* generis, nomine *Goël* jam expreſſus. δ. Ejus officium ſuos, e poteſtate Mortis vindicatos, *Deo* ſiſtere,glorioſe conſummandos. ε. Sæpe Deum ſibi Inimicum, ſeque a Facie Dei excluſum, conqueſtus erat Noſter; quod haud dubie de *præſentis Vitæ ſtatu* intelligendum. Appoſite ergo nunc ad *Vitæ Futuræ ſtatum* recurrit, ubi ſe quoque *Dei Facie intimaque communione fruiturum*, pro haud dubio tenet. ς. Manca utique ratiocinatio

tio *Cl. Schmid. per* אלוה *optime Meſſias intelligitur; Hunc namque deſiderabat Jobus videre in Reſurrectione, quem non viſurus erat in hac vita.* An hæc ergo cauſa deſiderii? Non debent talia loco huic explanando adhiberi, quæ omnia redderent ſuſpecta. Si receptior opinio magis alicui arrideat, habebit in *reſtrictione adſpectu* Cl. *Guſſetii*, quo eam defendat, atque ad *Adfectum Jobi* accommodet.

Verſ. 27. Repetitur illa *Viſio Numinis præſentiſſimi*, & *faventiſſimi*, atque ita repetitur, ut appareat Noſtrum extra ſe raptum veluti, exultare, ac triumphare, in mediis ſuis angoribus. Cl. *Clerici* commentatio habet, *Iteratio hæc clarius & ἐμφατικωτέρως ſpem Jobi exprimit, ne ſocii putarent, figurate hæc dici, & neſcio quid aliud ſpectari.* Id revera eſt neſcio quid. Pejus adhuc *Rabbini*, *Quia ego ſolus video mihi* dolorem meum &c. *& non alienus.* Hoc ſecure nimis receptum a Doct. *Merc.* ut ſupra viſum. Quam non felix quoque *Calvin.* in hoc *Vſ.* enucleando ad *Vſ.* 25. oſtenſum. Argutiuſcule τὸ אשר אני a *Jun.* & *Trem.* datum, *idem qui ſum* &c. Cl. *Cocc.* ambigit inter *quod*, cum relatione ad ידעתי *Novi Vſ.* 25. & inter *Quem.* Poſterius præponendum. *Quem Ego* Deum, *Videbo mihi.* De θεανθρώπῳ exponi patior. Mihi tamen multo commodior, & uberior, videtur ratio, quam *Vſ.* 26. ſum ſecutus. Nempe oppoſitio fit conditionis *præſentis*, & *futuræ*, in hunc ſenſum, *Quem ego videbo mihi*, non amplius adverſarium, fulminaque jaculantem, ſed *propitium*, ſed *a partibus meis ſtantem*, ut *Cocc.* habet, ſed *ſua me gratia, quin & gloria colluſtrantem.* Verti etiam poſſet, *Quem ego videbo meum*, monente & *Cocc.* quod nemini ſagaciori diſplicebit, quum omnia quæ ab aliis adferuntur, includat; atque ad *Adfectum* præſentem *Jobi* mirifice quadret. *Meum* in omnem æternitatem, *nunc non ſatis meum*; atque *omnia* tunc *bona in me effuſurum*, *depulſis omnibus malis.* Sentis, credo, אלוה non eſſe ipſum *Goëlem*, nam illum hoc ipſo tempore *ſuum* vocare ſuſtinuerat *Jobus*, Spiritu Fidei animatus, quum *Deum* ſibi *hoſtem* factum opinaretur.

Ibid. Alterum colon, non caret ambiguitate; ſive verba ſpectemus, ſive rem. Plerique I. continuari putant deſcriptionem *Viſionis beatæ*, quam ſibi fidei plenus vindicet Noſter, reſumto, *Et oculi mei videbunt*, *& non alienus*, vel, *& non alterius*, vel *& non aliud quid*: triplici enim modo fere illud ולא זר converti video, Poſterius ſequitur Cl. *Frank.* ut ſit, *non aliud Corpus*, *alia caro*, *alius oculus.* Idem *Deodato* viſum fuerat. Doct. *Belg.* eundem ſenſum ex *priore* adſciverunt. Conferas *Jun.* & *Trem.* Medium maluiſſe videtur Cl. *Mich.* quaſi diceretur, *non alterius hominis* oculi, mihi dandi pro meis. Cl. *Schmid.* prius, *& non alius*, ſive *alienus*, ita explicat. *Non credo tantum in genere Reſurrectionem, in qua Redivivi fideles viſuri ſint oculis Chriſtum Deum, & Redemtorem ſuum: ſed ſpeciatim de me ipſo idem credo.* Id ſuperioribus præferrem. Sed commodius ſic exibit in *Genit. Et oculi mei videbunt*, *& non alterius* tantum. Subeſſe putem aculeum in Amicos, qui *ſibi* ut *pietatem*, ita *partem in Dei communione*, præ *Jobo*, aperte ſatis arrogarant. In hos nunc illud appoſitiſſime jactum putem, *Oculi mei*, *& non alterius tantum*, O Amici, *qui vobis hoc præ me arrogare videmini*, *miſero ad tenebras relegato ſempiternas.* זר pro *alter ate Prov.* 27: 2. &c. Suſpicabar aliquando, quod etiam *Bolducio* adriſit, *& non alienum*, nempe Deum, qualem ſe nunc mihi oſtendit *alieniſſimus* a me *factus.* Sed languet, poſt illa quæ præceſſerunt; & עיני τὸ ולא זר ita opponitur, ut *ſubjectum videns* deſignari appareat. Teneo ergo *Non alterius* tantum *hæc erunt gaudia*, *ſed & mea*; quod ita enunciatum, in Amicos paululum reflectatur, ac recidat, neceſſe eſt. Longiſſime hinc diverſus *Cocc.* qui II. medium hoc membrum trahit ad *Viſionem fidei*, qua *Jobus* teſtetur ſe *illam Dei viſionem Beatificam prævidiſſe*, *præſenſiſſe*, *prægustaſſe.* Idem fere placuiſſe video *Codurco*, prius quoque colon illuc deflectenti, dum ita reddit, *Quem etiam mihi adſtantem contemplor*; per Fidem; *ipſemet vidi hiſce oculis*, *& non alius.* Moviſſe putem Viros Doctiſſ. τὸ ראו in *præt:* prolatum, *Viderunt*; ſimulque decorum putarunt, ut πληροφορία τῆς πίστεως in hac ſerie reluceret. Utique *Cocc.* diſerte *Jobo* attribuit *Animum plenum fiducia*, & πληροφορίᾳ, eoque applicat, *Oc-*

Oculi mei, *non alterius*, ut ſit, *non nitor alterius ſenſu*, *ſed meo.* Expoſitio nihil habet abſoni; præſertim *Cocceji* illa, medium tantum colon huc revocantis; quia ſic grata exiſtet Varietas, luſuſque haud invenuſtus inter אחזה מבשרי *Videbo ex carne mea Deum*; & עיני ראו *Oculi mei viderunt* Eum; quod & *Vident Eum* enunciare poſſes; ut jam *tenebras*, & *anxietates* omnes *Oculus Fidei* quaſi *perrumpat*, ſeque in Beatam iſtam Viſionem Seculi Futuri immittat. Exiſtimarem tamen, quicquid pro hac opinione a me adductum, magis ſpecioſum eſſe; quam ſolidum; atque omnino priorem ſententiam præferrem, ut præcedenti filo *cohærentiorem*; quod alias præter expectatum abrumpetur: ut *aptiorem* quoque ad voculas ולא זר, quæ gratia & emphaſi fere carebunt alias: denique ut *pleniorem* ad phraſin ראו עיני *Videbunt Oculi mei*, quæ *proximam* Dei *contemplationem* & *fruitionem* infert, ſi nihil obſtet. Atqui non obſtat forma ראו, etiamſi ſimplex ſtatuas *præteritum*, quippe quod præmiſſo *futuro*, ejuſdem poteſtatem plerumque ſequitur, *Job.* 5: 16. *Eritque tenui ſpes*, *at improbitas* קפצה *conſtringet os ſuum.* Clarius *Ibid. Vſ.* 19, 20. *In ſex anguſtiis*, יצילך *eximet te* &c. *in fame* פדך *liberabit te a morte* &c. Subtilius quod nunc dicam, ſed tamen dicendum, ut anſa porrigatur ulteriori examini. *Arabum* Critici tradunt, quum *præteritum* pro *Futuro* locatur, ut لعنك الله *Maledixit tibi Deus* pro *Maledicet*, vel *Maledicat.* لا فض فوك *Non fractum eſt os tuum*, pro, *Non frangatur*, *non confundaris unquam*; Itemque, *non confunderis*: in talibus, inquam, vel *votis*, vel *aſſeverationibus*, per *præteritum* enunciatis, *indubitatam rei certitudinem* denotari, quæ tam certo *ventura* ſit, ac ſi jam *eveniſſet*. Ad eam rationem, *improbitas conſtrinxit os ſuum*, valebit, *certo certius conſtringet.* Item *Redemit te a morte*, erit, *certiſſime redimet.* Similiter, *& oculi mei viderunt*, pro, *certo certius videbunt.* Plerique Viri Docti *Vaw converſivum præt. in fut.* adſciſcunt, quod volunt etiam *intercedente* alio *vocabulo* vim ſuam exerere poſſe, ut וראו עיני & ועיני ראו eodem jure gaudeant. Id clarius evictum vellem. A literarum noſtrarum Cultoribus ulterius eam in rem inquirendum.

Ibid. Ad poſterius membrum multa iterum fluctuatio. *Doct. Merc.* ſuæ Hypotheſi ſerviens, I. *Quod addit de Renum intra ſe conſumtione*, *ad vim doloris oſtendendam pertinet*, *ad intima uſque penetrantis*, *nec tamen ſpem in Deum extinguentis.* In vicinia *Calvin.* ita nectens, Quamvis *Lumbi mei defecerint in ſinu meo.* Redi ad *Vſ.* 25. Pariliter *Genev.* & *Piſcat. Quamquam virtus mea ſit conſumta & abolita.* Eadem mens Cl. *Cler.* Quamvis *morbi vis ipſa mea viſcera adjecerit. Jun.* & *Trem.* ut novam querelam attexuere, *Tamen conſumuntur renes mei* &c. Ex *Rabbinis* hæc profluxerunt, qui & *Renes Jobi vere conſumtos*, *atque egeſtos fuiſſe* nugantur. *Ill. Grot.* II. refert ad *Indignationem Jobi ob maledicta* Amicorum, *per quam intima ejus vorentur* veluti. De eo mox plura. *Erud Criuſoz.* III. cum ſeq. *Vſ.* ſic connexuit, *commota erunt viſcera mea in medio mei*, *quum vos*, *prædictione mea adimpleta*, *dicetis*, *quare perſequebamur eum?* Dicere non habeo, quid per *Commotionem viſcerum* intellexerit Vir. Doct. adfectumne gaudii vehementioris, an pietatis teneerioris erga Amicos, culpam agnituros. Sed quicquid fuerit, neutrum *Linguæ Hebr.* genio congruens, nec *Renes conſumtos* ulla alia, mihi nota, ſic transfert. Durior quoque connexio & commixtio duorum verſuum. Eam tamen & alii aſſumſere, inter quos Cl. *Schmid.* IV. *Lutheri* veſtigia premens, *Conſumti ſunt renes mei in ſinu meo*; *quod dicitis*, *quomodo perſequemur Eum?* &c. &c. i. e. *Indignor vobis*, *& ſuccenſeo* propter perſecutionem veſtram, qua me vexatis, *adeo ut præ indignatione fere conſumar.* Citat ex *Pſ.* 73: 21. *Pungi in renibus* pro *indignari.* Idem fere obverſatum *Grotio:* putatque *Schmid.* nexum illum nil habere coacti, quin *partic.* כי *Vſ.* 27. eum exigere, nec non כי, pro quo aliæ ſententiæ כן cogantur adſciſcere. His quantum tribui debeat ad *Vſ.* ſeq. pateſcet. Rationem ex hoc ipſo *Vſ.* petitam, quod *abruptus* ſit *ſermo*, *cum anteced. non connexus*, diluerunt *Doctiſſ.*

28 כי תאמרו מה־נרדף־לו ושרש דבר נמצא־בי׃

28 Quod jam dicatis, quid perſequimur eum? & Radix cauſæ inventa in me.

29 גורו

29 Ti-

ctiſſ. Frank. Michael. Reim, quibus unice arridet, quod V. *Belg. Cocc.* aliique complures tenent, *Deſiderium vehementiſſimum obtinendi tanti boni.* Non dubites, ſi attendas ad formulam כלתה נפשי *Conſumta eſt anima* præ deſiderio *Pſ.* 84: 3. & כלו עיני *conſumti ſunt oculi mei Pſ.* 119: 82. 123. Loca adducta jam a Cl. *de Dieu.* Solide ergo *Cocc.* כלה ſequente עין vel נפש *deſiderium ingens, flagrans, & conſumens ſignificat.* A *tabe* & *intabeſcendo* eam ductam ſcias. Signatiſſime *Pſ.* 84: 3. נכספה גם כלתה נפשי *Impalleſcit, quin intabeſcit anima mea.* Nempe כלה ſpeciatim *conſumtionem tabis* adfert. Apud Latinos *palleſcere*, & *tabeſcere deſiderio*, nemini ignotum. Adde *Pſ.* 143: 7. כלתה רוחי *Tabeſcit Spiritus meus.* Si hanc vim phraſeos attendiſſet *Codurc.* nunquam dixiſſet, *Verba eſſe exultabundi, & fidei ſenſu ſummum perſentiſcentis gaudium.* Aliud eſt *gaudium fidei*, aliud *flagrantiſſimum deſiderium renes* velut *conſumens, longa tabe:* quod nunc ſufficere poteſt non ſolum, ſed & debet, niſi extra oleas ire lubeat. *Vulgatus* expreſſerat, *repoſita eſt hæc ſpes in ſinu meo.* Non opus cum Cl. *Capel.* aliam Lectionem aucupari; quum ſenſum potius, quam verba, ſpectaſſe videatur: ut כליות *Renes* pro *deſiderio* & *ſpe* capiantur; כלו pro *conſummari*, ac *compleri.* Ita ſaltem *de Pined.* at *Bolduc.* recurrit ad כלא *Recondidit, ſub cuſtodia poſuit*, quod non adeo placet: quin nec interpretatio ipſa habet quo placeat, quum duriuſcula utique ſit phraſis, *Completi ſunt Renes mei in ſinu meo*, pro *deſideria mea in corde tanquam pretioſum theſaurum, repoſita, aſſervo; ſpemque reſurrectionis nunquam dimittam, abjiciamve.* Ita fere *de Pined. Bolduc. Vavaſſ. Vulgato* quidem fidelem operam præſtantes, ſed Linguæ genio parum litantes, qui *Renum conſumtionem* poſtulat, qua *Jobus* ſe *ardentiſſimo deſiderio boni* illius *fruendi contabeſcere*, inſinuabat. Paronomaſia venuſta כלו כליתי, quum *Renes* ab hac ipſa Radice כלה *Originem* habeant, alibi aperiundam. Ceterum quæſtio moveri poſſet, pertineantne hæc ad *Carmen*, quod *Jobus* voluerat *Saxo inſculpi*; an per modum *Ejaculatorii voti* eidem ſubnectantur, ad præſentem ejus adfectum indicandum? Ego poſtremum ita admitto, ut prius tamen potiſſimum intendi autumem; videturque omnino concinnius, ut hæc ipſa partem faciant *Inſcriptionis Sepulcralis*; nam & *Mortuo* ita *fas* eſt *loqui e ſepulcro, Scio Redemtorem meum vivum*, &c. *Renes mei conſumuntur in ſinu meo; atque flagrantiſſimis deſideriis ejus apparitionem accelerari exopto.*

Verſ. 28. Mirifica & hic varietas verſionum. I. Cl. *Schmid.* continuari putat filum *vſ. præc.* ſuſceptum, *Indignor quod dicitis, quomodo perſequemur eum? cum tamen radix verbi inveniatur in me.* Ei *Radix* verbi, eſt *Fundamentum fidei*, quin ipſa *Confeſſio antecedens.* מה *Quomodo?* refert ad *conſilia*, quibus in acerrimam *Jobi* perſecutionem conſentiebant. Adfine eſt quod Cl. *de Dieu* tentavit. Cl. *Cler.* II. contrario fere adſpectu. *Quin dicitis, cur eum inſectamur? cum radix Verbi inveniatur in me.* i. e. *Quin definitis me vexare, cum videatis verbum divinum in me tam altas radices egiſſe.* Confer *Pagn.* & *Merc.* qui per *Radicem Cauſæ* intelligit *innocentiam Jobi*; quamvis aquam Ei hæſiſſe liqueat. Doct. *Crinſoz.* III. *Quum dicetis prædictione mea impleta, cur perſecuti fuimus eum?* Cum vos facti veſtri pœnitebit. IV. Cl. *Cocc. Nam*, confido, *dicetis, quid perſequimur illum? Siquidem radix ſermonis invenitur in me.* Exiſtimat indicari *finem Confeſſionis, quod ſperaret amicos benignius ſecum acturos. Per Radicem ſermonis* intelligit *Fundamentum* παῤῥησίας; *cu-*

ſus *Radix* iterum *Fides in Servatorem.* Præcl. *Belgæ* V. *profecto dicere deberetis, Cur perſequimur eum? quum Radix verbi in me inveniatur.* i. e. a meis partibus ſtet *veritas* & *firmitas* noſtræ *cauſæ*, ac *controverſiæ.* דבר pro *Lite*, ſat frequens. *Radix Litis* non ineleganter pro *firmamentis* ejus, *validiſſimoque vincendi fundamento.* Ambigunt tamen in *Not.* an non potius ad *Confeſſionem fidei* reſpiciatur. Cl. *Spanh.* addit, *ſiquidem ſermo ille meus qui Goëlem profiteor* &c. &c. *in me Radicem habet. Non ex ore illa fluunt, ſed ex corde. Eſt in me fides illa radicata.* Cl. *Frank.* & *Mich.* VI. cum *Vſ.* ſeq. cohærere cenſent ſic, *Quoniam* vero *dicitis, quam perſequemur eum?* &c. *Timete vobis, &c.* Non abſimiliter Cl. *Keim. Quodſi dicturi eſtis dehinc, quam perſecuturi ſumus eum ad Orcum uſque noſtris comminationibus? quum tamen Radix verbi*, ſive *Spes beatæ Dei viſionis in me ſit. Timete potius vobiſmet ipſi &c.* Hi omnes *Radicem verbi, in bonum*; alii eandem *in malum* poſitam cenſuere. Hinc VII. *Vulgat. Quare ergo nunc dicitis, perſequamur eum, & radicem verbi inveniamus contra eum.* Sic נמצא in *fut. Kal*, & בי in בו convertitur. Explicatur de *criminandi*, & *condemnandi anſa, quam Amici contra Jobum captabant.* Catalogum Veterum & Recentiorum ita ſentientium dabit *de Pined.* ipſe tamen *in bonum* magis propenſus. Ferri ſane nequit τὸ נמצא in *Kal.* & בי pro בו merito diſplicuit quoque *Bolducio*, item *in bonum* inclinanti; & *Radicem verbi* capienti, de *Veritate quæ a parte Jobi ſteterit.* Aſt *Codurc*: VIII. *Radicem verbi* exponit *Cauſam jurgii*; cum ſeq. *Vſ.* ita copulans huncce, *Cum vero dicatis, quomodo illum perſequemur? & cauſam jurgii in me extare: Cavete vobis* &c. Hic ſenſus ſatis aptus; quem tamen ſibimet veluti invidit, addens, *Obſervandum, cum Treſviri controverſiam facerent ei de Religione, eum ſummam ejus propoſuiſſe, quaſi controverſiæ fundamentum. Eſt autem tota Religio Fides Chriſti & Spes reſurrectionis. Hæc quæſtionis Radix.* Sic relabitur ad *bonum ſenſum*, & confundit omnia, admiſcens ea, quæ nunquam inter *Jobum* & *Amicos* controverſa; *promiſſusne* eſſet *Goël*, cum *mortuorum Reſurrectione.* Ad *Codurci* illud proxime accedit IX. quod mihi ſub ma-nibus ſe dat, *ſi dicturi* nunc *eſtis, quam perſequemur eum! quum Radix litis inveniatur in me, Timete vobis a facie gladii &c.* דבר pro *Lite, Actione*, longe tritiſſimum; ipſumque verbum דבר ſæpiuſcule hoc uſu judiciali a nobis auctum. *Radix Cauſæ*, pro *Materia litis, criminationis, condemnationis*, etiam nihil habet, quod a natura Linguæ abludat. Scilicet eſt phraſis anceps, quæ & *in bonum*, & *in malum* ſe dat, pro occaſione. *Radicem verbi* pro *Fundamento fidei*, vel & pro *Confeſſione prægreſſa*, nunquam valde probavi. *Fundamentum* παῤῥησίας, & *bonitatem cauſæ*, ejuſque *firmitatem* a parte *Jobi*, promtius admitterem, ſi *in bonum* tendat noſtra formula. Sed vide an *Radix litis inventa in me*, non pronius ſit *in malum.* Quænam ea *radix*? omne illud unde Amici hactenus *Jobum Improbum* eſſe, aut *Hypocritam*, evincere voluerant. Intelligeſis *Dei plagas tam extraordinarias*, ſimulque *Jobi vehementiam*, & *contumaciam*, ut ajebant Cenſores, *in ſemet defendendo, Deumque ipſum criminando.* Hæc, Amicorum judicio, juſtiſſimam Cenſuris materiam præbebant, ac propterea *Radice litis* in Jobo *inventa, ac deprehenſa*, a Caſtigationibus nihil remiſſuri, dicere poſſe videbantur *Quam perſequemur eum!* Fateor tamen ne hoc quidem ſatis rotundum mihi videri; & illud *quam perſequemur eum!* pro *quam vehementer eum ſumus exagitaturi*, & *diris omnibus territuri*! nimis immite, neque ad *vſ.* ſeq. ſatis accommodum. Ergo X. tandem ita ſenſum conſtituamus, qui & *vſ.* 29. reddet clariorem. *Quod autem dicitis*, vel *dicatis, quid perſequimur eum? & Radix litis inventa in me: Metuite vobis a facie gladii* &c. Haud dubie reſpicitur ad *vſ.* 22. *Quare me perſequimini, ut Deus? & de carne mea non ſaturamini?* Hoc nunquam conceſſiſſent Amici. Reſumitur propterea, *Dicetis haud dubie, in quo injuriam tibi tam atrocem inferimus?* Utique *non perſequimur innocentem*, ſed *nocentem caſtigamus.*

מה ſæpe eſt *inficiantis*, vel *factum elevantis.* Supra *Cap.* 11: 2. מה יצדק *Quid juſtus eſſet homo cum Deo?* 1 *Sam.* 10: 27. *Quid ſervabit nos hicce?* Sed vel ſine exemplis res indubitata; cum *Quid* interrogatione enunciatum, omnibus in linguis negare amet. Negationis ratio

29 גורו לכם מפני־חרב כי־חמה עונות חרב למען תרעון שדון׃

29 Timete vobis a facie Gladii; quia excandeſcentia, *inter* crimina gladii: ut ſciatis quod judicium ſit.

ratio erat *Radix litis*, unde non *perſecutionem* ſed *juſtam reprehenſionem ſe exercere* colligebant Cenſores. Dicet aliquis, ſic non בי, ſed בו ſcribendum fuiſſe, *Quid perſequimur eum? & radix litis inventa in eo.* Id tamen neminem moretur; nam revera בי hic multo ſignatius, quam בו, quum *Jobus perſonam Accuſatoris* in ſe ipſum velut transferat, Amicorum nomine ſemet taxans, *quum Radix litis extet in me.* Hanc *perſonæ mutationem Merc.* aliique complures agnoverunt: unde anſa data Cl. *Schmid.* ad ſuam *Hypotheſin* præ aliis commendandam, quod ipſi ea opus non ſit. Præſtitiſſet, ut ea opus habuiſſet.

Verſ. 29. Sine nexu cum ſuperiore *vſ.* plerique, *Metuite vobis a gladio* ultore Dei, ſatis conſtanter. Sequens colon non item. Id *Mercero* eſt. 1. *Quia ira* vobis a Deo imminet: *iniquitates gladii*, veſtræ hæ iniquitates. Addit *conciſam & truncam* eſſe *orationem ob iram.* Tentat quoque, 2. *Quia indignatio* Dei in vos *ob iniquitates gladii*, quæ gladium merentur. Idem a *Coccejo* ſic conceptum; *Nam æſtus ſunt delicta gladii*, i. e. *perſecutio innocentium & fidelium excitat æſtum* & *ardorem iræ divinæ* &c. Eodem tendit *Schmid. Quia ira* obveniet *iniquitatibus gladii.* ל ante עונות aſſumit. Alii interſerunt על, quod Doct. *Belg.* placuit, *Nam ira* Dei eſt ſuper *iniquitatibus gladii.* Cl. *Cler.* non multum diverſe, *Quia ira in delicta gladio* pœnas ſumet. Rotundius *Codurc. quia ultio peccatorum gladius eſt.* Venuſte *Crinſoz. Quia ultor delictorum gladius eſt.* Structura tamen haud patitur. Argute 3. Cl. *de Dieu*; *Quia ira, O iniquitates, gladius eſt.* Intelligit cum Superioribus *iram* Dei, *quæ gladius eſſe* denuncietur iniquitatibus. Hebræi, docente *Merc.* referunt 4. *ad iram quam Jobo cierent* Amici; *quæ* ſit *ex iniquitatibus gladio vindicandis.* Sequitur *Vatabl.* intelligens *irritationem*, ſive *provocationem ad iram.* Commodius 5. qui *iram* ipſorum Amicorum notari putant, qua in *Jobum* deſæviebant. Huc *Pagn.* & *Piſc.* collinearunt, *Quia ira* eſt ex *iniquitatibus gladii.* Similiter fere Cl. *Reim.* in *Paraphr. Nam ira*, quæ proximum perſequitur, ut vos me, eſt *magna iniquitas*, *quæ meretur gladium.* Nempe, monente & Cl. *de Dieu*, עונות poſſet ſignare *magnam iniquitatem*, ut בהמות, חכמות, &c. &c. Huic ſenſui palmam dandam cenſeo, niſi quod malim, *Nam ira*, *iniquitates gladii*, hoc eſt, apud Deum cenſetur עון פלילי *Homicidium*, *gladio ultore*, & *Morte*, *dignum. Ira*, *iniquitates*, per appoſitionem. Obſervo inſuper חמה *æſtum naſi*, *iram*, complecti ſimul *ferociam*, & *inſolentiam ſuperbam*, prout אף *Naſus* eandem latitudinem recipit. Appoſitum ergo Vocabulum, ad *ſævum* illum & *iratum impetum*, quo in miſerum invecti fuerant Amici, deſignandum. Hunc meritiſſimo jure in iis taxat Noſter, quum *ſuperbe* nimis, & *irate* cum ipſo diſputaſſe cenſeri debeant, etiamſi *meliorem Cauſam* habuiſſent. Supponamus enim, revera שרש דבר *Radicem litis in Jobo inventam*; cumque ab Hypocriſi non intactum plane fuiſſe: ne ſic quidem Legitima ipſis Cauſa fuiſſet, tam vehementes & acerbas in ipſum cenſuras exercendi. Ita ipſe *Jobus* ratiocinatus eſt *Vſ.* 4. 5. hujus *Cap.* quorſum rediri velim. Optima ergo concluſio, duobus verſibus poſtremis inter ſe connexis, in hunc ſenſum, *Quod ſi prætexatis nullam eſſe perſecutionem*, *quum ego culpæ ſim affinis: ſciatis vos vel propter præfervidam illam vim*, *iramque*, *qua in me ſævitis*, *capitale crimen incurrere.* Illuſtris Character *Theologiæ Jobææ*, quum *iram*, *odiumque*, *homicidium* eſſe inculcat.

Ibid. Poſtrema nunc ſponte fluent. Nimis dure *Jarch.* שדון explicat שוד פורענות *Vaſtationem ultionis divinæ*, a שדד, quod ſic in-

intranſitive debuiſſet eſſe locatum. Int. *Germ. Myſticus*, *Vaſtatorem Univerſalem* convertere ſuſtinuit; ad שׁדים *Dæmones* reſpiciens: at Cl. *Reim. ut ſciatis eſſe judicem*; vel *judicium*, ut reliqui omnes, poſt *Maſorethas* qui שַׁדִּין vel lectum invenerunt in quibuſdam Codicibus, vel certe legendum cenſuerunt. Idem tamen in שׁדון etiam continetur, ſive cum *Cocc.* ſtatuas דון eſſe *infin.* in *Kal*; ſive recurras ad veterem Linguam, quæ דון & דין promiſcue potuit uſurpare pro *Judicio*, ut מדון *contentio*, & מִדִין. *Præf.* שׁ æque *patach.* recipit, ac *Segol* Conferendus cum hac pulchra clauſula Elenchus *Cap.* 13: 8. 9. quo Amicis ſimiliter denunciata fuit Dei juſta vindicta, ſi vel cauſam Dei nimis fervide & inconſiderate defendiſſent.

CAPUT VIGESIMUM.

Verſ. 1. ET reſpondit Zopharus Naamathæus; dixitque.

2 Profecto cogitationes meæ me æſtuare faciunt; & propterea quod promtitudo mea in me.

3 Elen-

Verſ. 1. ויען צופר הנעמתי ויאמר׃

3 לכן שעפי ישיבוני ובעבור חושי בי׃

3 מוסר

Verſ. 1. Ad *Eliphazi* & *Bildadi* imitationem, poſt brevem introductiunculam, qua ſe ſacro velut inſtinctu agitatum, mera Oracula fuſurum innuit, tertius Ce:ſor ſupra necdum adeo acerbus, & ipſe effunditur in declamationem multo vehementiſſimam, atque figuris aliis ſuper alias congeſtis exaggeratam. In ea, tanquam extra controverſiam poſitum, & ipſius *Jobi* experientia comprobatum, aſſumit, *Momentaneam* eſſe *improborum felicitatem*, *eoſque in altum tolli*, *ut graviore mox lapſu ruant*. Hinc vela laxans evehitur in deſcriptionem impietatis, vitio indulgentis, & perennem ſibi felicitatem promittentis; cui tamen propter inſatiabilem opum cupiditatem, & pauperum oppreſſionem, in ipſo culmine fortunatum, votorumque, triſtis veniat occaſus: atque pernicies atrociſſima, necopinato immiſſa, ita incumbat, ut male parta, pejus mox dilabantur, improbuſque, infinitos inter dolores, Res, ſpes, opeſque ſuas omnes ſecum peſſime periiſſe experiatur. Hæc omnia in *Jobi* caput vibrari, & revolvi, ut res ipſa dictat, ita ab omnibus Interpretibus tenetur; ſi a Cl. *Cocc.* diſceſſeris; qui omnes Amicorum ſermones ad *Conſolationem Jobi* directos autumat; atque has graviſſimas orationes ſpeciatim ſuſceptas cenſet, a Tresviris, *Cap.* 15. 18. 20. ut demonſtrarent *Jobum* non eſſe *improbum*; nec pro *hoſte* puniri a Deo. Iſta *Hypotheſis* in cauſa fuit, quod non felicius in Libro hocce commentando verſari potuerit magnus Interpres, qui alias haud dubie feliciſſime pleraque expediviſſet.

Verſ. 2. Abruptius exordium. Cl. *Cocc.* ad ſuam *Hypotheſin* reddit, *Ideo cogitationes meæ reducunt me in ſcenam*, ut qui, deſperato fructu, decreveram ſilere, denuo loquar. *Ideo*, videlicet, *nunc repetere ſe dicit conſolationem ſuam*, *quia iſtam ſpem Fidemque teſtaretur Jobus*, *& quia mentionem faceret judicii. His enim præſuppoſitis*, *non dubitabat ſe liquido demonſtraturum*, *quantum interſit inter improborum & proborum conditionem.* Ergo ex mente Cl. Viri *Conſolatoria* eſt *oratio* hæc, quæ *Jobo* erigendo adhibita, ut agnoſceret *ſe*

non

non ut improbum a Deo *puniri*; ſed ut *virum probum*; quippe qui nec talia crimina commiſiſſet, nec talia judicia experiretur. Mirum, hanc cogitationem tantopere adhæſiſſe præclaro Interpreti, quum nihil directius pugnet cum univerſa ratione aggrediendi hinc, defendendi & refellendi illinc; in quâ niſi noſtra, quæ & omnium, *Hypotheſis*, obtineat, mera confuſio, & ignoratio Elenchi, acerrimos hoſce pugnatores inter ſe colliſiſſet: & *Jobus* inprimis ingratiſſimus fuiſſet mortalium, qui ſe a Deo hominibuſque deſertum, atque adeo pro *Nocente*, & *Improbo* traductum, clamitaret; ſi Amici *probitatem* & *religionem ejus* nunquam in dubium vocaviſſent; atque eum non pro *improbo* plecti evincere ſtuduiſſent. Alibi latius paulo ea de re diſſeretur. Nunc tantum moneo, *ideo* ſic connexum, eſſe plane *precarium*, quum Alii longe aliter cum *præced.* nonnulli & cum *ſeq.* illud copularint. Apud *de Pined.* quatuor invenio diverſos nexus ex *præced.* quorum nullus ſatisfacit. Apud *Schmid.* totidem alios, non magis commodos, Ipſius hic eſt, *Quoniam conſumtos conquereris renes inde, quod nos te perſequamur, & ad Judicium Dei, gladiumque ultorem provocas, Ideo cogitationes meæ me impellunt ad reſpondendum.* Ad *ſeq. Vſ.* reduxit *Merc. propterea quod reprehenſionem confuſionis meæ audio.* Non leniter ſane. Miror non placuiſſe, quod jam R. *Levi* dederat, לכן per באמת *profecto* convertens, quem *Pagn.* ſecutus. Cl. *Schmid.* id rejicit, לכן *in ſua natura relinqui debere* arguens. Atqui relinquitur; nam ita *Jer.* 5: 2. *Et ſi, vivit Jehova, dicant*, לכן *profecto jurant falſo.* Adde *Num.* 16: 11. Accedit *Etymon*, quum לכן valeat *pro certo.* Id tamen nimis preſſit *Bold.* convertere auſus, *Ad rectitudinem revelationes meæ reſpondere facient me.* Alterum interim uſum frequentiorem eſſe haud negem, pro quo ſi quis tendat, accedam nexui Doct. *Belg. Quia Judicium eſſe recte mones, nobiſque ratio reddenda coram ſanctiſſimo Tribunali, ideo neutiquam ſilebo; neque tibi blandiar; ſed libere, quæ ſentio, eloquar* &c. &c. Id habet vehementiam, & pro *Exordio* aſperioris cenſuræ ſat commode arripi potuit.

Ibid. Ad שעפים obſervatum a Viris Doctiſſ. *Cogitationes graviores, quæ cor diſtrahant*, ſignari. Vide *Merc.* & *Cocc.* Addit *Schmid.* quod prima fronte ſubtilius videri poſſet, *Cogitationes non tam ſuas, quæ in poteſtate ſua eſſent, quam divinitus ſuggeſtas, eum deſignare voluiſſe, quod cogitationes ſuas quodammodo a ſe ipſo diſtinguat.* Ratio iſta me parum moveret, ſed movet vis genuina vocabuli in *Cogitationibus totum Cor occupantibus*; ac præſertim *Ecſtaticis*, ut ad *Cap.* 4: 13. jam inſinuatum; quorſum remitto. Exiſtimabat videlicet *Zopharus* ſe *Cauſam Dei defenſare*, ac propterea *vehementem* illum *motum*, quo animabatur, hac voce expreſſit. Pro *Divinitus inſpiratis*, *Eum cogitationes haſce ſuas jactitaſſe*, cum Cl. *Schmid.* dicere non auſim. Confer & *Bolduc.* Mihi, quod poſui, ſufficere videtur.

Ibid. In ישיבוני aliquid interioris elegantiæ. Plerique dant, *Reſpondere me faciunt*, vel *cogunt.* Alias, השיב *redire fecit* eſt ſimpl. *reſpondit.* Sic duplex foret tranſitio, ut in ירק *Gen.* 14: 14. *expromere fecit.* Cl. *Cocc.* maluit, *Reducunt me in ſcenam.* Id paulo quæſitius; quemadmodum & *Merceri*, *Revocant me*, pro *me incitant ad reſpondendum.* Aliorum, *Reſpondent mihi*, vel *reſpondeant mihi*, minus adhuc rideret. *Vulgatus* miro exemplo, *Cogitationes meæ variæ ſuccedunt ſibi.* Videtur & ipſe captaſſe vim *revocandi*, & *reducendi ultro citroque*, atque ita *animum diſtrahendi*, *cogitationibus varie ſibi ſuccedentibus.* Si שוב *Redire*, pro *ultro citroque ire* adhibuiſſent *Hebræi*, non incommodum cenſeri poſſet, *cogitationes meæ me ultro citroque faciunt ire.* Major Linguæ copia forte nos expedire poſſet. Apud *Arabes* ثاب שוב *Rediit*, inter alias gloſſas offert in *Piſcina*, aut *puteo*, *novum confluxum aquæ, quo ad marginem uſque impleatur.* Item *part. præſ.* ثايب *Rediens*, ſpeciatim deſignat *Æſtum aquæ denuo increſcentis:* dicitur inde بير لها ثايب *puteus*

3 Elenchum qui mihi ignominioſus audio: ergo Spiritus ex prudenti conſideratione mea reſpondere faciet me.

3 מוסר כלמתי אשמע ורוח מבינתי יענני׃

4 Sa-

4 הזאת

cui rediens eſt; apud *Tauriz.* ad *Hamaſ.* nec non بئر ثايب *puteus rediens*, pro, *novo adfluxu aquarum creſcens.* An hac figura dictum? *Profecto Cogitationes meæ me denuo æſtuare faciunt, itaque cor ita implent, ut me continere nequeam amplius.* Id nemo neget & grande, & ſeriei aptum. Idem verbum שוב *rediit*, alio flexu tranſlatum fuit ad *aquam decreſcentem*, & *reſidentem*; unde formula שב אפו *rediit naſus ejus*, pro *ira ejus detumuit & reſedit.* Id meæ conjecturæ adeo non obſtat, ut eam nonnihil etiam adjutet; nam & *æſtus rediens* apud Latinos geminam induit faciem, *creſcentis* alteram, alteram *decreſcentis.* Talia infinita in Linguis.

Ibid. Præruptum quoque ſeq. Colon. Nimis libere *Vulgat. Et mens in diverſa rapitur.* Exprimere voluit *trepidationem* & *feſtinationem*, quæ בי חוש ineſt. Plerique hinc, *Et propterea feſtinare meum in me*, ut tibi reſpondeam læſus. Ita & Doct. *Belg.* At *Merc.* placebat, *& propter feſtinationem meam in me*; eodem ſenſu. Mollius reddere voluit Cl. *Cler.* inſerto *Et quidem quantocyus*; quod nimium. Ad *ſtudium promtum* & *alacre Jobo ſubveniendi* flexit Cl. *Cocc.* dans, *& propterea quod feſtino in me.* Cl. *Schmid.* ita ſtruxit, *& quidem propter feſtinare meum* quod *in me.* i. e. *propterea quod ſentio me divinitus ad reſpondendum urgeri & impelli.* In hanc mentem apta quoque eſſet illa notio *Rabbinica* חוש, quam *Pagnin.* & *Reg.* adſcivere, *& propter ſenſum meum in me*, a R. *Levi* hauſtam; qui tamen traxit ad *ſenſum læſionis* ex *caſtigatione acri*, de qua *Vſ.* 3. Aliter adhuc *Ramban* apud *Merc.* nec non R. *Salom. ſilentium* plane extra oleas arripiens a חשה. Ego in *Juvenil.* ſymbolam quoque contuli; vertens, *Et propter inquietudinem meam quæ in me eſt.* Eam vim *Arabes* agnoſcunt ſub חוש حاش, quod in *Camuſo* exponitur فزع وانكمش واسرع *Terrore inquietus*, *& præproperus fuit*, *& feſtinavit.* Referebam tunc ad *terrorem ex judicio Dei injectum*, ſecundum nexum vulgarem; eamque explicationem non eſſe alienam a natura *Ling. Hebr.* vel ex Cl. *Guſſ.* percipias, qui eam ſub חוש quoque propoſuit. Non videtur diſplicuiſſe Cl. *Michael.* ut nec *Doctiſſ. Hoſm.* & *Reim.* Interim *cohærentiam* illam non adeo certam, ſupra vidimus. Si ergo לכן malles *profecto*, licebit חוש *feſtinationem* accipere pro *feſtino*, *promtoque impetu*, ad injuriam a ſe repellendam, veritatemque defendendam. Hanc ſibi *promtitudinem* appoſite ſane vindicaret *Tſopharus*, oſtendens ſe minis *Jobi* non conterritum, quominus denuo ipſum aggrediatur, atque pro meritis caſtiget. Cave alienum putes a genio Linguæ, nam & انكمش *præproperus fuit* ſæpe ad *ſtrenuitatem* & *promtitudinem* in rebus gerendis transfertur. Huc pertinet حوش الفؤاد in *Hamaſ.* pro *Acri* & *præſtrenuo.* Uſus Biblicus concinit; nam חושים *Celeres Num.* 32: 17. ſunt *ſtrenui*, *promtique*: & *Pſ.* 119. 60. חשתי *feſtinavi*, *& non tergiverſatus ſum*, eandem vim *ſtrenuæ promtitudinis* palam exerit. Doct. *Crom.* aliud adhuc tentavit ab حاش *increvit* flumen, ut ſit, *propter exundantiam cogitationum*, & *intelligentiæ.* In *Originibus* enucleatius hæc exe-

exequar; ubi حوش Med. *Vaw & Je*, cum חוש examuſſim convenire oſtendetur. בעבור pro *propterea* abſolute, non ſuccurrit; pro *propterea quod*; *Eo quod*, extat *Mich.* 2: 10. Hinc poſſes, *Et propterea quod feſtinare meum in me*. Poſſes etiam, *Et* quidem *propter feſtinare meum in me*, ex uſu tritiſſimo vocis. *Quod promtus ſim*, ac *ſtrenuus*. A talibus non temperatum in hoc congreſſu, videas ex *Cap.* 12: 2. 3. & 13: 3. quod ipſum forte anſam dedit animoſiori huic dicto.

Verſ. 3. Commotum Stomachum Viri præfert certe ſubnexa ratio; *Caſtigationem ignominiæ meæ audio* &c. Id plerique explicant de *acerba* illa *increpatione Sociorum*, qua ſæpiuſcule uſus *Jobus*. Ipſe quoque *Cocc.* quamvis cum *Hypotheſi* ejus id parum conſiſtat: *Jobus quidem cum objurgatione me & ſocios meos caſtigat tanquam Hypocritas*, *& Acceptores perſonæ*; *tanquam ſtultos*, *tanquam Ludificatores &c. ſed nihilominus dicere pergam.* Si jam חושי adfert *promtiſſimum ſtudium conſolandi*, quo uſi antea Amici, uſurus adhuc *Tſopharus*, & ingratiſſimus, ut antea dicebam *Jobus*, qui *Conſolantes Amicos* tam aſpere objurgarit; & *Jobo* longe juſtior *Tſopharus*, qui injuſte increpitus, a *conſolando* non ceſſarit. Sentis *promtum ſtudium ſeſe defendendi*, *& injuſtas objurgationes refellendi*, in חושי; bono conſilio a nobis receptum. Ad ſuam tamen mentem, quæ & noſtra olim, ſic adcommodat Cl. *Guſſ.* ut quum *timore judicii ſe ad reſpondendum adduci* dixiſſet Cenſor, ſubſumat, *Audirem flagitii mei correptionem*, in illo judicio Dei, ſi nunc tacerem. Hoc longe nimis petitum. Fateor tamen ſtructuram hujus *Vſ.* non adeo expeditam. Nam aliis commodius viſum cum *Vulg. Luth*, &c. *Audiam* lubenter *ſi me arguere poſſis vel cum probro meo.* Cl. *Cler.* cum *Interr.* *An audiam caſtigationem mihi ignominioſam*? Cl. *Schmid.* receptiori opinioni obmovet τὸ מוסר, quod potius *ſolidam confutationem* deſignet, quam *reprehenſionem*, *objurgationemque*. Hac ſpecie ductus ad *Auditum internum*, & *inſpirationem divinam* deflexit verbum שמע, hoc ſenſu; *Audio & percipio diſtinctis mihi verbis ſuggeri divinitus caſtigationem*, *& confutationem ignominiæ* ſive *calumniæ meæ: quam mihi ſociiſque impegiſti.* Non infiteor, שמע ad *auditas revelationes* ſe dare poſſe; ſed eas hic jactatas tam ſignate, & diſerte, haud veriſimile, nec temeritatis illius *Tſopharum* alligare auderem. Traxit *Virum Doct.* illud nimium, in quod *Vſ.* præc. jam inciderat: ut & מוסר *juſtam* plerumque *redargutionem* ferens. Talia tamen non nimis urgenda. In malum utique venit *Jer.* 10: 8. *Hoſ.* 5: 2. Inhæreo ergo primæ interpretationi, & ſperno conjecturam *Juvenil:* qua כלמה ex كلمة *ſermo* interpretabar olim; motus difficultate conſtructionis. Ad eam levandam nunc obſervo, vix fieri poſſe, ut non reflectatur ad *Cap.* 19: 2. *Hiſce decem vicibus* תכלימוני *Ignominia me adficitis.* Reponit *Tſopharus*, *Audio* enimvero *Increpationem ignominiæ meæ*, *qua mihi ſociiſque ignominioſa* atque *illiberalia facta objectantur.* Poſſet quoque *Adfixum* ita reſolvi, *Audio increpari me de ignominia per me illata* miſero & adflicto. *Pronom. poſſeſſ.* æque *agentis* eſſe, quam *patientis*, neminem fallit. Malim tamen ſuperius illud; quod paulo aliter adhuc adplicuit *Erud. de Pined.* in *fut.* efferens; *Audiam increpationem contumelioſam mihi*, *eamque nihil morabor*, *ſed veritatem ſtrenue tuebor.* Utrumque ad חושי כי ex noſtra mente explicitum, peræque quadrat.

Ibid. Iterum variatur. *Merc.* bifariam. *Et ſpiritus ex intelligentia mea reſpondebit mihi*, vel, *& ſpiritus intelligentiæ meæ*; ut מ *Genitivum* indicet. i. e. *Ingenium meum*, *quod in me præſtat & excellit ad intelligendum*, *reſpondebit pro me.* Non multum abeſt *Cocc.* dans, *& ſpiritus ex conſideratione mea reſpondet mihi.* Id ita exponit: *Quum conſidero diligenter rem*, *tum ſpiritus*, *ſive motus animi*, *& fiducia ingens in me exoritur*, *atteſtans veritati cauſæ.* Illuc ferme collineat *de Pined.* Fortius *Piſc.* aſſumens *Spiritum S. qui ex intelligentia*, *non ex iracundia*, *pro ipſo ſit reſponſurus.* Placuit Doct. *Belgis*; nec non *Schmidio*; qui & בינה de *intelligentia Divinitus indita* interpretatur. Huc inclinat & *Bolduc.* Neu-

4 Sane hoc cognoſti, inde mihi ab ævo; inde a quo poſitus mihi homo ſuper terram:

5 Quod

4 הזאת ידעת מני־עד מני שים אדם עלי־ארץ׃

5 כי

Neutrum ſequi auſim. Audaciuſcule Cl. Cler. per *Interr.* & *Spiritus*, *ſine intelligentia mea*, *reſpondebit mihi*? i. e. *homo imperitus mihi eruditione non æquiparandus:* vel *adfectus mentis ea dictans Jobo quæ non intelligo.* Liberius quoque *Tigur.* *Tametſi me conſcientia conſolabitur.* Mihi רוח *Spiritus* pro *motu animi vehementiore*, cum *fiducia optimæ cauſæ*, ſatis arridet; malim quoque cum *Kimch.* ex *Hiph.* *Reſpondere facit me:* & quidem מבינתי *ex diligenti & prudenti conſideratione mea*; non autem ex *ira*, aliove *turbido adfectu*. Totam ſeriem ſic conſtituerem. *Audio equidem correptionem ignominiæ meæ: at ſpiritus ex prudenti conſideratione mea reſpondere me faciet.* Si *reſpondebit mihi* malis, non inelegans fatebor. Videtur ſubeſſe aculeus in *Jobum*, cui inerat רוח *motus animi vehementior*; ſed non מבינתו *ex prudentia* oriundus, ut autumabat Corrector.

Verſ. 4. Ad הזאת cum *Interr.* acceptum multa exiſtit hæſitatio. *Merc.* 1. *An hoc noſti a ſeculo.* &c? i. e. *Hæc ſane te noſſe oportebat. An hoc ignoras?* Alii 2. inſerta negatione, *An non hoc noſti? Utique ignotum tibi eſſe nequit.* Cl. *de Dieu* 3. id merito rejiciens, mallet, *An hoc ſciviſti a ſeculo?* &c. *Ignarus es hujus rei, ideoque a nobis docendus.* Languide. Miro flexu *Cler.* 4. *An hoc*, quod dicis, *noſti ab æterno*, ut Deus, *aut certe ab eo tempore, quo creati homines?* Eandem putat irriſionem, quam *Cap.* 15. 7. vidimus. Coacte. Arceſſitius adhuc *Schmid.* 5. *An hoc noſti ab æterno* &c? *Omnino non noſti hoc ab æterno. Ego vero, tanquam Dei æternus Spiritus, id novi in æterno Dei decreto conſtitutum.* &c. Supponit videlicet, hæc eſſe *Verba* ipſius *Sp. S.* quem præced. *Vſ.* per רוח intelligebat, atque *teſtimonium pro Æternitate* ejus nos hinc *lucrari* poſſe autumat. At parum firmus hic tibicen; & talibus documentis plus perdit Veritas, quam lucratur. *Cocc.* 6. *An hoc notaſti ab omni ævo* &c? *Videris tibi omnia obſervaſſe. Age ergo, vide an hoc etiam ſatis perpenderis.* Non diſplicet. Preſſius 7. *Belg.* *Noſtine hoc?* i. e. ut puto; *Utique ipſemet noſti, & exploratum habere potes ac debes.* Id cum *num.* 2. citra ſupplementum convenit; eſtque ſenſus ille reliquis eatenus præferendus, quod *Tſopharus* omnino ad ipſius *Jobi ſcientiam*, & *experientiam*, provocare videatur. *Merc.* in ſecund. opinionem inclinans deinde, ה pro הלא producit ex 1 *Sam.* 2: 27. Sed ibi *He* adfirmat potius, quo uſu nihil quoque plenius, aptiuſque, heic loci, ut 8. proponere auſim. *Ecce* vel *Sane hoc cognoviſti.* Redi ad *Cap.* 4: 6. 21. *Vulg.* cum adfirmatione ſimiliter *Hoc ſcio* &c. qui ידעתי legiſſe debuit.

Ibid. Alius ſcrupulus circa cohæſionem cum ſequentibus. Doct. *Belg.* enim cum *Jun.* & *Trem.* ſic ſeriem digeſſere, *Noſtine hoc? Inde a ſeculo* &c. *jubilationem improborum eſſe e propinquo.* &c. Eſt trajectio & ſtructura paulo incommodior. Cl. *Schmid.* itemque *Cler.* nimis argute זאת cum מני עד copulaſſe vidimus: copulationem ipſam tamen admittendam cenſeo cum *Cocc.* qui זאת ידעת מני עד jungendum ſubmonet, ita reddens, *An hoc notaſti ab omni ævo?* &c. *Quod jubilatio improborum e propinquo eſt.* Inſerendum tunc *ab omni ævo ita ſe habuiſſe rem.* Noſtra mens parum, aut nihil, hinc differt. *Ecce hoc cognoſti*, & *exploratum, perſpectumque habes:* tanquam *inde a ſeculo* conſtitutum, ſancitumque, *inde a quo poſitus ſuper terram homo.* *Quod* &c. Vocabulum שים *ponere* recte ita reſolvi oſtenderunt Viri Docti; quibus tamen dare nequeo eſſe idem cum השים. Eſt *infin.* in *Kal.* ex *forma quieſc. Med. Jod.* Patitur quoque *Analogia* ut ſit *partic. paſſ.* in *Kal*, quando directe haberemus, *ex quo mihi poſitus homo* &c. י *Paragog.* ſic reddendum cum

5 כי רננת רשעים מקרוב ושמחת
חנף עדי־רגע׃
6 אם־יעלה לשמים שיאו וראשו
לעב יגיע׃
7 כגללו

5 Quod jubilatio improborum ſit ad breve ſpatium: & gaudium Hypocritæ uſque ad momentum.
6 Si evecta fuerit in Cœlum celſitudo ejus; & caput ejus nubes attingat.
7 Si-

cum eleganti pleonaſmo, inſinuatum ſæpius.

Verſ. 5. Inſignis *Arabiſmus* in phraſi מקרוב *e propinquo*, jam in *Juvenil.* indicatus. Rectiſſime *Cocc. Ex propinquo quod eſt, longum non eſt, ſed breve.* Addit aliquid venuſtum quidem, ſed argutius paulo: *Gramen in tecto, Culmus in petra, vigorem adoleſcendi ex propinquo, non ex profundo, habent. Non firmis ſtat radicibus* gaudium improbi, & *facile retorreſcit.* Non abſimiliter *Grot. ut torrentes ex propinquo nati non diu durant. Flumina ab alto & longinquo ruunt.* Adde *Codurc.* Alii ſubtilius quoque, *E terra, non e cœlo.* Acute *Merc. a brevi*, exponit, *non a longo tempore fuiſſe dici poteſt*: quod Cl. *Clerico* eſt, *e rebus quæ proxime contigere:* quaſi diceret, *non diu gaudent mali; nec proinde habent rationem gaudendi ob rem quæ olim contigerit.* Sic naſceretur *terminus a quo* & *ad quem*, atque *E brevi ad momentum* exiſtere diceretur felicitas illa. Huc & Doct. *Belg.* tendunt, quum inſerunt *Fuit e propinquo*, adductis & *Diis e propinquo*, *Deut.* 32: 17. *nuper natis*, *Dieux de trois jours* ut *Mercerus* ait. Ferri poteſt, nam phraſis *Arabica* adfert بعد عهده *Longum fuit tempus ejus* in aliqua re; pro *vetus* fuit *poſſeſſor ejus.* Contra قرب عهده *propinquum* fuit *tempus ejus* in re*: eam non diu tenuit.* Concinnius tamen puto מקרוב ad *futurum* referre, ut idem ſonet quod עדי רגע; nec tamen cum Cl. *Schmid.* ſupplendum עד, quaſi plenum eſſet עד מקרוב. Sentias ex *Haririi Conſ.* 25. ubi مزنة الصيف *Nubem æſtivam* dici notat *Schol.* التني لا تدوم وتقشع من قريب *Quæ non durat; ſed diſcutitur e propinquo:* מן קריב. i. e. *intra breve ſpatium.* Ita & hic, *Tinnulus cantus improborum intra breve ſpatium.*

Verſ. 6. Omnia expedita. יעלה melius ex *Kal*, quam ex *Hiphyl.* שיא deſignare *Verticem* nimis ſecure accrederetur Cl. *Clerico.* Reliqui vel *Elationem*, vel *ſuperbiam*, vel *celſitudinem*, *excellentiam*, *dignitatem* expreſſere. Radix ponitur נשא *Analogia* vix permittente. Ex forma שוא *Pſ.* 89: 10. colligi poſſe videtur, duplex fuiſſe *Thema* נשא & שוא pro *in altum tolli.* Sic יצא & צוא *micuit* &c. &c. &c. Sed hæc minutiora. *Celſitudinem faſtuoſam* denotari apparet; cum qua conjungere licet hocce ſubtilius *Schmidii* obſervantis, notari proprie *motum rei ſeſe ſurſum extollentis*; ut ſit, *ſi motus ejus, quo ſurſum aſſurgit, adſcendat in Cœlum.* Alterius membri magnificentiam in *phraſi proverbiali*, *Nubes Capite tangere*, e *Græcis Latiniſque* illuſtrare nil attinet. Notum *Lyrici* illud, *ſublimi feriam ſidera Vertice.* Pulchre *Senec. Thyeſt. Act.* 5. *Vſ.* 1, 2. 4.

Æqualis aſtris gradior, & cunctos ſuper
Altum ſuperbo vertice attingens polum,
Dimitto ſuperos: ſumma votorum attigi.

Apud *Homerum* non ſemel, τοῦ γὰρ κλέος οὐρανὸν ἵκει: unde οὐρανοῦ ψαύειν *cælum attingere* dicuntur omnia, quorum *gloria* aut *Celebritas ſumma.* Vide *Plut.* in *Demetr.* p. 898. *Soph. Oed. Col. Vſ.* 372. &c. &c.

Verſ. 7. Vehementer dictum כגללו *ſicut ſtercus ejus in æternum peribit.* Minus commode

Hie-

7 Sicut ſtercus ejus in purum putum peribit; qui eum adſpectabant, dicent, ubinam ille!

8 Sicut ſomnium avolabit, & non invenient eum: & auſugiet ut viſum noctis.

9 Ocu-

7 כגללו לנצח יאבד ראיו יאמרו איו:

8 כחלום יעוף ולא ימצאהו וידד כחזיון לילה:

9 עין

Hieron. Quaſi ſterquilinium in fine perdetur. Non placet acumen *Erud. de Pined. pungi Jobum in ſterquilinio ſedentem.* Id valde incertum, nec vero ſimile. Omnino גֵּלֶל ut גָּלָל pro *ſtercore* poſitum, ad *contemtum & ignominiam*, recteque illuſtratum ex 1 *Reg.* 14: 10. בערתי *Eliminabo poſt domum Jeroboami, quemadmodum quis* יבער את הגלל עד תמו *eliminat ſtercus donec conſumtum ſit.* Obſervari velim ad illum locum בער بعر *Arabibus* eſſe *ſtercus camelinum orbiculare*: ejuſque *ſynonymum* eſſe جلّة גלה pro גללה *fœmin. form.* quod apud Cl. *Gol.* exponitur *ſtercus animalis globoſum.* Vides originem a גלל *volvit*; quod ſpeciatim quoque *Arabibus* tritum pro *ſtercus camelinum collegit*: nec non اجتل אגתלל pro אתגלל *ſtercus collegit ad cremandum*: vel *foco imponendum.* Conf. *Eſech.* 4: 12. ſtructuramque ſignatam גללי צאת אדם *Globos excrementi humani.* Inſuper obſervandum, grave illud verbum השמיד *eliminare, exterminare,* ἐξολοθρεύειν, quod in *exſcidiis improborum* amat uſurpari, a *verrendo, everrendo*, in hanc notionem ſecundariam videri deveniſſe: qua anſa *ſcopas everritionis*, ſive *exterminii* figuravit *Eſai. Cap.* 14: 27. Graviſſime ergo enunciatum, *ſicut ſtercus ejus peribit* לנצח *in æternum.* Cl. *Cocc.* maluit *Etiam atque etiam, ſine intermiſſione, perpetuo, uſque ad extremum.* Pulchre quadrat, quod jam alibi ex *vera* Verbi *Origine* protuli, *in purum putum.* Quomodo hinc *Æternitatis* notio ſuccreverit, alibi pandetur. Eam hinc neutiquam excludimus: ſed jucundum luſum qui ex proprietate exiſtit, non negligendum duximus. ראיו *Videntes eum*, non *ſimplicem* deſignat *adſpectum*, ſed cum *admiratione* conjunctum. Adiſis *Cocc.* In איו *Ubi ille*! inſigne pondus, & decus; quo *ſubita & plenaria ruina improbi* ſignatur, cum *ſtupore* inde omnes *inceſſuro.* Ceterum *ſtercoris* imaginem refugiens *Nachmanid.* a *volvendo* ſub גלל ad *Viciſſitudines fortunæ*, & *ſubitas cauſas ruinæ*, vocem traxerat. Conſtructio non patitur. Cum ea melius conſtat, quod in *Juvenil*: mihi arridebat, *prout excellentia ejus* vel *Majeſtas eſt*, &c. ex جلال *Dignitas eminens, gloria* &c. Simile quid obverſatum τοῖς LXX ὅταν γὰρ δοκῇ ἤδη ἐστηρίχθαι, τότε εἰς τέλος ἀπολεῖται Eum adſpectum nemo neget ſpecioſum. Cum *Linguæ Hebrææ* indole eundem conſiſtere, ex *Originibus* pateſcet, quum جلّ *Magnus & illuſtris fuit, Eminuit dignitate ac Majeſtate*, ad *Harmoniam* revocabitur cum גלל *Volvi. Syrus & Arabs* ad גלגל *Turbinem* videntur reſpexiſſe, dantes, *ſicut procella*; nam & عجاج quo *Arabs* utitur ſignat *pulverem*, aut *fumum*, *turbine rotatum.* Id alieniſſimum. Nec alterum illud meum defendo; atque in receptiſſima vertendi ratione penitus acquieſco; quod *Vehementiæ*, & *commotioni* Cenſoris unice reſpondeat; atque גלל pro *eminentia* nihil inferret, quod non *Vſ.* præc. ſatis expreſſum.

Verſ. 8. Pulcherrimæ imagines, quibus va-

9 עין שזפתו ולא תוסיף ולא־
עוד תשורנו מקומו :
10 בניו ירצו דלים וידיו תשבנה
אונו :
11 עצמותיו

9 Oculus perſtrinxerit eum, at
non addet: quin nec locus ipſum
ſuus cernet amplius.
10 Filii ejus gratiam ambient e-
gentium: & manus ejus ſuum ipſi
reddent dolorem.
11 Oſ-

vana, *fugaxque felicitas* depingitur. *Proverbiale* quid ſubeſſe, agnoſcas ex *Homer. Odyſſ.* 11: 206.

> Τρὶς δέ μοι ἐκ χειρῶν σκιῇ εἴκελον ἢ καὶ ὀνείρῳ,
> Ἔπτατο ———
>
> *Par levibus umbris, volucrique ſimillima ſomno.*

Iterum *Vſ.* 221.

> ψυχὴ δ' ἠΰτ' ὄνειρος ἀποπταμένη πεπότηται.
>
> *Anima tanquam ſomnium avolans volitabat.*

Adde ex *Pind. Pyth.* 8: 135. ἐπάμεροι *Diei unius ſumus. Quid aliquis? Quid nullus?* σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωποι, *Umbræ ſomnium homines.* Hiſtoria *Saladini* ſic clauditur a *Bohadino*; *ſed anni illi hominesque ſimul expirarunt, atque haud ſecus ac ſomnia avolarunt.*

Verſ. 9. Aliquid interioris venuſtatis in verbo שזף captatum, ſagaciter deprendit Cl. *Cocc.* Recurrit *Cap.* 28: 7. ubi item in *Oculo*. Et ſemel adhuc *Cant.* 1: 6. *Conſpicatus eſt me ſol*, שזפתני. Merito ex his locis aſſumta notio *intuendi*, *conſpiciendi* &c. ſed ſimul moneri potuiſſet, & debuiſſet, ex tribus illis parum aut nihil de *interna* & *primaria indole Radicis* conſtare. *Avenar.* eam eruere ſatagens dedit, *ſpectare directis oculis*; conferre jubens שקף ut cognatum. Vi ingenii ductus *Cocc.* adſumſit *perſtringere*; quod videret agi de *viſu rapto* veluti, ac *momentaneo*. Eleganter inde expreſſit, *perſtrinxerit eum oculus*, *non addet*. Licet etiam ſic, *perſtringet eum oculus*, *& non addet*. Ad momentum *apparebit*, moxque *diſparebit*. Grandiloquentia iſta Cothurnum decet; ac præſertim Orientalem. Redeatur ad *Cap.* 7: 8. Pulchre quoque figuratum *Cant.* 1: 6. *perſtrinxit me ſol*, pro *radiis ſuis uſſit*. Non tamen e floſculo Latino *ſtringere viſu*, ſatis juſta concluſio שזף aſſimiliter *ſtringendi* proprietatem obtinuiſſe. Ecquid ſentis deſiderari auctoritatem diſertam *Dialecti*? Eam ſi addidiſſet *Cocc.* rem indubiam effeciſſet. Sciatur ergo *Arabum* شسف, שסף & شزب, שזב, quin & شصب, שצב, nec non شطب, שטב; itemque شظف quod eſt שצף apud *Eſaiam*, continere vim *rigoris penetrantis*, atque adeo *perſtringentis*. Sed hæc alibi enucleanda. Poſterius membrum minus recte ſub *Ellipſi* redditum a *Jun.* & *Trem.* *Neque amplius contemplabitur eum* עין oculus in *loco ejus*. Anſam dedit תשור *fœm:* cum מקום *maſc.* non bene cohærens. *Merc.* reliquique fere מקום hic *fœmin.* poſitum cenſent; nec refragor; ut ſit, *Neque eum ultra intuebitur Locus ejus.* Confer *Cap.* 7: 10. ubi figura explicita. Negari *reſtitutionem*, cenſent plurimi, ex illo ipſo loco: ſed ex *Cap.* 8: 18. intra *ſubitaneum interitum* ſubſiſti poteſt. Quid ſi *Apoſtrophen* eſſe dicamus? *Neque videbis eum amplius*, *Locus ejus*! Sic *Enallage* generis haud indigeremus. Tales converſiones grandior ſtilus adfectat.

Verſ. 10. Eſt in hiſce duabus ſententiis quod præpediat; neque ſatis rotunde cum *præced.* & *ſubſeq.* cohærere videatur. Diverſitas interpretationum præterea rem reddidit impeditiorem; vel potius varietas illa orta eſt ex vario nexu, quem ſibi quiſque fecit. Erud.

de Pined. I. cenſet *pergere Zopharum ad enumeranda incommoda, & ſupplicia, quibus improbus obruitur, cum ſemel illius felicitas cœpit declinare: inprimiſque poni Filiorum miſeram conditionem; in quibus parens ipſe crucietur & puniatur.* Inhæret autem *Vulgato*, qui dat, *Filii ejus atterentur egeſtate; & manus illius reddent illi dolorem ſuum.* Prius membrum cum *Hebræo* fruſtra conciliare ſtudet. De poſteriore mox videbitur. *Cocc.* II. exiſtimat *Tſopharum* delineare a *Vſ.* 6 ad 28. *Converſionem triplicis boni improborum in malum:* & quidem *αα. ſublimitatis per dejectionem*, *Vſ.* 6 11. *ββ Lucri ac quæſtus verſionem in malum Vſ.* 12--19. *γγ. Luxus repreſſionem Vſ.* 20--28: Sub *αα.* ponit 1 *privationem ſublimitatis Vſ.* 7. 8 9 hoc in verſu 2. *tenuitatem liberorum*; & 3. *Dedecus atque ignominiam ipſius Elati.* Prius ergo membrum ita convertitur a Cl. Interp. *Filii ejus propitiabunt tenues*, i. e. *Magnum erit iis, amicos habere tenuiſſimos hominum.* Poſterius ſic, *Et manus ejus reddent ſubſidia ipſius*; vel *ipſius ſufficientiam:* h. e. *vel laborando, vel mendicando, ſufficient quo vitam toleret.* Sumit און pro הון ex *Hoſ.* 12: 9. ſed ibi luculentior vis, quam ut huc aptari queat: nec infelicem facile dixerim, cui *ſuæ manus reddant ſufficientiam victus*, utique *laborando*. De *mendicando* alia res eſt. Sed non crediderim *Mendicationem* iſta phraſi poſſe deſignari. Cl. *Schmid.* III. ſupponit, *duo genera impiorum deſcribi. Prius eorum qui in ſublimitate ſua plane non conſiſtunt, ſed ſtatim dejiciuntur. Vſ.* 6--11. *Alterum eorum, qui aliquamdiu in felicitate & ſublimitate ſua conſiſtunt Vſ.* 12--28. In *priori* illo *genere* poſt *Altitudinem Vſ.* 6 expoſitam, ſubſumit *Lapſum celerem Vſ.* 7. *Totalem Vſ.* 7. 8. *irreparabilem Vſ.* 9 *depauperantem* tum *ipſum*, *tum filios. Vſ.* 10. Ex hac *Hypotheſi* prius colon, *filii ejus placabunt pauperes*, argute admodum exponit *opprimentur viciſſim, atque ita contentos reddent pauperes* a patribus eorum *oppreſſos*, *qui Dei juſtitiam laudabunt, ob talionem.* Poſterius item, ad *patres* ipſos relatum, hoc pacto, *imo manus ipſius reſtituent opes ipſius.* Obſervat און, quod aliis ſonat, *bona per vim rapta*, ſimpliciter potius capiendum pro *Opibus*, quas *jure poſſideat Impius*, & quidem *manibus* atque *labore proprio partas:* unde argutiore iterum ſenſu elicit, *improbum ipſum cogendum fore ad reſtitutionem manibus ſuis faciendam, non tantum per ea quæ rapuit, ſed etiam per ea quæ ipſius ſint jure.* Mihi tota hæc *Analyſis Schmidiana* non feliciſſime digeſta videtur; & explicatio nimis ſubtilis. Videamus IV. *Merceri* explanationem, cui a pleriſque ſubſcriptum. *Filii ejus placabunt pauperes, quos ſcilicet eorum pater diripuerat; vel alioqui eo paupertatis adigentur, ut eorum quoque pauperum gratiam ambire cogantur, quos tum ipſi, tum parens eorum, antea contemnebant, & opprimebant.* Similiter alterum, *Et manus ejus reddent robur ſuum* i. e. *violentiam*; quaſi dicat, *Bona vi parta, & pauperibus erepta, reddere cogetur improbus etiam dum vivit.* Addit, *Manus ejus* a quibuſdam reductum ad *filios*, pro *Manus eorum reſtituent ejus violentiam, ſe tamen ſimpliciter malle de ipſomet improbo.* At quomodo? *Non intellexerim*, inquit, *quod ipſemet reſtituat a ſe rapta propriis manibus tantum, quam quod pœnas ſit daturus ſuæ violentiæ, punitus juſto Dei judicio, vel in ſe, vel in ſuis filiis.* Alii malunt *reſtitutionem propriis manibus factam in judiciis*, ubi *furti* & *peculatus ſit damnandus*. Cl. *Cler.* Criſin exercet, *forte pro* ידיו *non male legi poſſe* ידיהם *Manus eorum*, ut referatur ad *Filios*. Semet tamen reprendit, addens, *ſed quod Filii faciunt etiam poſt Patris mortem, ipſe facere videtur.* Mira ratiocinatio! Non iſta conditione tenuerim ידיו, ſi jam *Mortuus* inducatur *improbus*. Longe diverſus hinc V. *Codurc.* in poſteriori colo, quod reddere auſus fuit, *Manus ejus opes ejus dilapidabunt*; quaſi *reverti facient* valeret *emittent*, & *diſſipabunt*. Facilius concoquere poſſem quod Doct. *Hoſm.* VI. in nova verſione Germanica expreſſit, *Et propriæ manus ejus ſubvertent ejus opes.* Sed & hoc merito ſepoſitum a Cl. *Reimar.* qui *Merceri* expoſitionem ſequitur, niſi quod און cum *Cocc.* malit pro הון *ſufficientia*; per quam nunc *opes raptæ* deſignarentur. Dubitat interim an ab אָוֶן *iniquitas* potius ſit derivandum, quod & a *Merc.* notatum, ut ſint *opes iniquæ.* Sane durum admodum *Robur* pro *injuria*, *violentia*, *opibus vi & manu partis*, quod *Mercero* quoque non lubenter conceſſerim. Sed nec און pro הון

meo

meo quidem judicio, ſatis opportunum. *Iniquitas* commodius ſe dare poſſet ad *inique parta*, ſi ageretur de *Reſtitutione eorum*, *quæ fraude*, *& ſcelere*, *quæſita*. Sed vereor ſecure nimis aſſumtam iſtam *Reſtitutionem*, de qua *vſ.* 14. 15. grandibus figuris demum agitur, multo utique commodius, quam in hac ſede, ubi nihil adhuc præceſſit, quod huncce ſenſum invitare queat. Hæc ipſa difficultas moviſſe videtur Cl. *Schmidium* ad *duo genera improborum* introducenda; quod paucis putem placiturum. Ad *miſerias* improbitatis enarrandas progrediens *Zopharus* hoc *vſ.* & *ſeq. generatim* complectitur, quod deinceps *ſpeciatim* eſt amplificaturus; atque inſinuat *improbum una cum poſteritate ſua perpetuæ maledictioni ſubjacere*, *ſibique ſuam ſuorumque perniciem propriis manibus ſtruere*, *ita ut in vita*, *& in morte*, *divina ipſum ultio perſequatur*. Eodem artificio uſum vidimus *Eliphazum*, *Cap.* 15: 20. *Omnes dies ſuos parturit ſibi improbus* &c. Ad eam rationem, VII. *Manus ejus redire facient dolorem ejus.* Hoc duplicem admittit adſpectum. א. *Manus ejus rependent dolorem ejus*, i. e. qui alios *dolore adfecit*, *concuſſit*, *oppreſſit*, *viciſſim dolore adficietur*, *atque graviſſimas pœnas incurret.* Hoc *Latino Interpreti* placuit; quin & τοῖς LXX. qui dedere, Αἱ δὲ χεῖρες αὐτοῦ πυρσεύσαισαν ὀδύνας. Docte id expoſitum a *de Pined.* *Impius ſuum ſibi rogum ſtruere*, *ſuamque flammam accendere*, *qua cruciandi ſint &c.* Sed iſtud πυρσεύειν unde ſub שׁוב? Reſpexiſſe eos putem ad שׁבב *arſit*, & שׁביב *flammam*, quaſi תְּשְׁבֵינָה. *Chaldæus* quoque exhibet, וידוי משלמן תקוף צעריה *Manuſque ejus rependunt vim doloris ejus*; quod eodem redit Confer jam *de Pined.* ejuſque *Paraphraſin*, ubi hunc ſenſum luculenter expreſſit. Nihil hic deſidero; & tamen non poſſum, quin proponam, ב *Manus ejus tributum pendent ſuum ipſius dolorem.* השׁיב abſolute *penſare tributum*, 2 *Reg.* 3: 4. & 17: 3 ידים *Manus* pro *operibus*, *machinationibus*, *artibus malis*, paſſim in Sacris. Preſſius pro *avaritia*, & *violentia*, hic ſumi poſſent. Illæ Dominis ſuis *reddunt tributum*, quum per fas, per nefas corradunt, quicquid poſſunt. Hoc jam grandi cothurno convertitur ad אונו *dolorem hujus divitis avari*, *cui ſuæ ipſius manus theſaurum iræ congerant*, *tanquam tributum*, *aut ſtipendium.* אָוֶן pro *dolore*, habuimus *Cap.* 18: 12. Ab אָוֶן poſſet etiam adſciſci *pœna iniquitatis*, ut *Pſ.* 94. וישב עליהם את אונם *Et redire fecit ſuper eos iniquitatem eorum*; & *& per malitiam eorum exſcindet eos &c.* Quicquid eligas, habes *Eſaianum* illud: *Cap.* 3: 11. *Væ improbo* כי גמול ידיו יעשה לו *quoniam quod manus ejus foverunt*, *fiet ei.*

Ibid. Ex hiſce jam prioris Coli ſenſum facilius dijudicare eſt. In eo depingi putem *extremam* & *abjectiſſimam* cum *vilitatem*, tum *inopiam*, *Domus* paulo ante *præpotentis*, atque *opulentiſſimæ*; ita ut *Clientes Clientum* fieri cogantur, quin *mera mendicabula*, qui patrociniis ampliſſimis modo floruerant; atque ita ſub Patris ſui ruina per juſtam Dei vindictam veluti ſepeliantur. *Jobo* adhuc dirius quid evenerat; cui omnes Liberos unus dies nece βιαλάτῳ extinxerat. An hoc ipſum oblique nunc tactum, *a minori ad majus* argumentando, aliorum judicium eſto. Aliud adhuc in mentem venit, quod a genio Linguæ non abhorret: ut דלים *Attenuati*, *miſeri*, ſeſe referat ad בנים *Filios*, qui *contenti fore* dicantur, *ſuaſque fortunas laudaturi*, ſi liceat *ipſis* eſſe *tenuibus*, atque *in ſumma paupertate vitam prorogare.* Nempe רצה *acquieſcere*, eleganter adhibitum fuit, ut στέργειν, pro *contentum eſſe*, illo uſu *Euripidæo* in *Phœniſ.* 1679.

Τἀμ' ἐγὼ στέρξω κακά

Mea ego amabo mala

Id eſt, *patienter feram*, *iiſque velut contentus acquieſcam.* Sic *Cap.* 14: 6. explicui, *Donec* ירצה *acquieſcat ut mercenarius diei ſuo*; ejuſque *mala* utcumque *toleret.* In *Pihel* nuſpiam alibi recurrente, eandem vim *intranſitivam*, ſed *intenſiorem*, retinere licet, in hunc ſenſum, *Filii ejus* στέρξουσι πένητες, vel πτωχοὶ *contenti erunt inopes.* i. e. *præclare ſecum agi putabunt*, *ſi nil durius quam extremam inopiam ſubire cogantur.* Conf. *Soph. Oed. Col.* vſ. 6. Subeſt, ut ſentis, acumen gran-

11 Oſſa ejus implebuntur ſignatis ejus; & cum ipſo ſuper pulvere cubabunt.

11 עצמותיו מלאו עלומו ועמו על־עפר תשכב׃

12 Si

12 אם־

granditate hujus Libri dignum, præ quo languet aliorum, *Filii ejus current mendici*, tanquam a רוין; itemque *Vulgati*, *Filii ejus atterentur egeſtate*, ſive *egeni*, tanquam a רצין, invita utrumque Grammatica. Ex noſtra verſione *Egeſtas* iis eſt *minimum malorum*, quod timendum habent; quippe quos ultio cœleſtis gravius ſæpe exequatur; uti in Familia *Jobi* triſtiſſimo documento comprobatum autumabat Cenſor. Conj. *Pihel* tam crebro *vim intranſitivam* obtinet, ut juſtus inde ſcrupulus nequeat moveri. Rem tamen, ut par eſt, in medio relinquo.

Verſ. 11. Magnifica vis orationis, quæ granditate ſua velut præſtringit. Ambigitur ad *Culpamne improbi* pertineat, an ad *pœnam*. Circa עלומים quoque dubium incidit, quum alii *peccata juventutis*, alii *peccata occulta* vertant. Denique ad תשכב hæſitatur, quod cum עצמות *oſſibus* nectunt nonnulli, nonnulli cum עלומיו. *Ramban* נפש *animam vitalem* ſubaudit. *Cocc.* inſerit *Id*, quaſi *Neutrum* foret. Ejus verſio I. ſic habet, *Oſſa ejus implentur juvenilibus ejus, & id cum ipſo in pulvere cubabit.* Ad *Culpam* ita reducit, ut aliquid *pœnæ* admiſceat; *quartum gradum dejectionis* eſſe ſtatuens *in ipſius permanente vana cupiditate*; quod ſit *miſerrimum* & *maxime ridiculum*. Nempe *ita infatuatus eſt priſtino ſplendore, ita faſcinatus puerilibus cupiditatibus honoris, gloriæ, exiſtimationis, ut in penitiſſimis medullis ejus nihil niſi vetus illud honoris ſpectrum, & ſpes quædam evectionis, & dolor dejectionis, & indignatio comtemtus reperiatur; adeo ut* κιττωελζόμενος *etiamnum, & alta ſpirans, aureoſque ac vernantes dies ſomnians, animam exhalet.* Hanc eſſe *Græcorum* & *Latinorum frequentiorem Interpretationem*, monuit *de Pined.* prius membrum ita exponens, *Non ſecus quam oſſa medullis plena ſunt, quibus humectantur; ita mores impii jam inde ab adoleſcentia ita penetrant in medullas, ut vel ſenex centum annorum factus, confectus, aridus, quod ad vitia inolita ſemper maneat adoleſcens, integer, plenis oſſibus: medullitus amans iniquitatem.* Alterum Colon ſic explicat, *Non prius ceſſare peccata quam vitam, ſive cupiditatem non ante mori, quam ipſe moriatur; quin vitia, quæ amavit vivens, cadaver comitari in ſepulcro, ibique cum ipſo accubare, ut eum tandem ad Tribunal ſupremum deducant atque meritas de ipſo pœnas repoſcant.* Contraxi, quæ ipſe fuſius. Similia habent *Vavaſſ.* & *Bolduc.* qui poſterior *Dormire in pulvere* argutius tamen detorquet *ad ſepulturam plebejam & ignobilem*, quod refutare nil attinet. Sed II. apud *de Pined.* proponitur aliorum ſententia, de *pœna* magis agi quam de *culpa*; ſenſumque ſimpliciter eſſe, *præteritæ Vitæ crimina improbo eſſe luenda per ſupplicium ad oſſa & medullas penetraturum.* Additur, *hæc ipſa oſſa e ſepulcro fore refodienda in pœnam flagitiorum.* Poſterius hocce ſecutus eſt Cl. *Cler.* in *paraphraſi* exhibens, *oſſa ejus ſpargentur* refoſſa, *ita ut pœnas veluti luant ejus adoleſcentiæ flagitiorum.* Idem עֲלוּמָו legere mallet in *ſing.* creditque עלום dictum fuiſſe *peccatum adoleſcentiæ*, & quidem *fœm. gen.* quo pacto demum cum תשכב recte conveniret. Et emendatio infelix eſt, & explicatio coacta: nam de *oſſibus refoſſis in pœnam improbitatis* ſermocinatum *Tſopharum*, ne ſpeciem quidem veri habet; prout nec phraſis iſti ſenſui adcommodata. Criſi iſti occaſionem dedit, quod *Merc.* תשכב revocans ad עלומיו, ſubaudiat חטאת *peccatum adoleſcentiæ*, vel & גזלתו *rapina ejus*; quæ valde arceſſita. Prius autem membrum *Doctiſſ.* ille *Commentator* refert *ad pœnas delictorum, quæ toto tempore adoleſcentiæ ſuæ commiſit, cum robore ac vigore potentiæ omnes opprimeret; ob quæ tandem graviſſime ſit adfligendus, dolore ad oſſa uſque penetrante.* Poſterius ſic declarat, *omnes ejus oppreſſiones cum ipſo peribunt.*

Hoc

Hoc Locutionis vim neutiquam explere videtur. Etiam עלומים pro *peccatis adoleſcentiæ* ſive *Juvenilibus* ſumtum, non admodum placet, quia vel nimis reſtringemur, vel ad argutias deveniemus, quale illud Erud. *de Pined. Senex adoleſcens* &c. Potior mihi ratio eorum, qui *occulta peccata* dederunt ex *Pſ.* 90: 8. Sic *Pagn. Luth. Belg.* &c. *pœnam* maxime ſpectantes, *culpa* tamen non plane excluſa. Eodem tendit *Schmid.* in *Vſ.* præc. *manifeſta crimina oppreſſionis & rapinæ*, hic vero *occulta* notari cenſens; quaſi inculcaretur *& Occulta* illa *ſuam pœnam habitura*; *quippe quam ſecum in oſſibus circumlaturus, & tandem ſepulcro illaturus ſit* improbus, *ut partim in hac vita vel morſu conſcientiæ, vel tabificis morbis, medullæ ei in oſſibus conſumantur: partim poſt mortem quoque ultionem Numinis experiatur, in anima mox, deinceps vero in reſurrectione mortuorum; peccatis quoque cum cadavere, cui incubuerant, reſurrecturis quaſi.* Prius, ſive *pœnam in vita*, ex priori: poſterius, *poſt mortem*, ex poſteriori membro elicit. Conſtructionem ſic enodat, ut עלומים ſit pro חטאת עלומות, & dein *ſing.* תשכב per *diſtributionem* apponatur, *Et cum eo cubabit ſuper pulvere unumquodque peccatorum ejus occultorum.* Similiter Doct. *Belg.* in *Not.* tamen ſubdubitantes *unumquodque oſſium* malint, *an peccatorum*; re, ut monent, eodem recidente. Cl: *de Dieu* præfert עצמתיו תשכב; tentans etiam עמו, pro אשר עמו *Et quod cum ipſo eſt, ſuper pulverem jacebit.* Id eodem ſenſu mactat *Vir Doct.* non tamen pari gratia. Indubitata ſtructura, עלומיו תשכב *Signata ejus crimina cum ipſo cubabit*, pro *cubabunt*, ex *Arabiſmo* ſolenni, quo *plurali maſcul.* additur verbum *ſing. fœm.* Obſervavit hoc ipſum Cl. *Mich.* & ſimillimum dedimus *Cap.* 14: 19. תשטף ספיחיה, complura daturi ad *Cap.* 39: 14. & 41: 12. quæ loca nullum ſcrupulum relinquunt. עלומים quo jure *ſignata*, *obſignata*, vertam, dabit *Lib. de Def.* pag. 167. Cl. *Cocc. Pſ.* 90: 8. reddit *ignorata noſtra.* Alii malunt *occultata noſtra*; *quæ intus clauſa gerimus.* Heic loci notari putem *Crimina Hypocriſeos velo tecta*, & *clanculum patrata.* Illa pulcherrime *Obſignata* vocitantur, *ſigillo* velut *ſecreti clauſa hominibus.* Hiſce *plena oſſa* induci puto, ad *gravitatem culpæ* ſimul & *pœnæ conſignandam.* Culpæ, quatenus ea *medullas* ipſas *inſederunt*, atque longa peccandi aſſuetudine, ac ſuavitate, *oſſa perbiberunt.* Pœnæ, quatenus in iiſdem eſt materia ſeveriſſimæ Ultionis, quæ & *in vita*, & *in morte*, *Hypocritam premet*, *omni maledictione eum obruens.* Hac facie *oſſa* abſolute ſunt *oſſa plagis divinis confracta* ac *contuſa.* Confer ſupra *Cap.* 7: 15. & *Pſ.* 51. 10. nec non *Pſ.* 22: 18. Addo *oſſa per mortem deſtructa*, ut *Eſech.* 32: 27. ubi *Iniquitas oſſibus ipſis incubare* dicitur *eorum*, *quos ad Orcum uſque perſequitur.* Hunc ampliſſimum conſpectum ſuadet, tum vehementia *Tſophari*, tum ſequens illud, *Cumque ipſo ſuper pulvere cubabunt.* Nimis dilutum, *finientur ipſo finito*: imo vero *pœnæ ejus*, *ipſo finito*, *non finientur*; *ſed & ultra mortem oſſibus ejus adhæreſcet maledictio*; *quando in peccatis ſuis impœnitens expirare mavult Hypocrita, quam ea pœnitentiæ lacrymis eluere.* Ecquid ſentis *Jobum* pungi, quem *Cap.* 11. ad *pœnitentiam* cohortatus fuerat *Tſopharus*; cujuſque acrem ſui defenſitationem *impœnitentiam* interpretabantur Amici? Reſpici quoque autumem ad phraſin *Jobæam Cap.* 17. *Vſ.* ult. *ſpes opeſque meæ omnes ſuper pulvere cubabunt*, vel *proditæ jacebunt.* Imo vero, inquit Caſtigator, *Hypocritæ ſignata crimina cum ipſo ſuper pulvere cubabunt, & meritiſſima ei incumbet ignominia, ad memoriam poſteritatis ſempiternam cineribus ejus inuſta.* Hoc graphice depictum *Eſech.* 32: 24. 27. 30. וישאו כלמתם את יורדי בור *portant ignominiam ſuam cum deſcendentibus in foveam. Juſto Dei judicio ignominioſe occumbunt, & exemplum præbent venturis ſeculis graviſſimi exitii, ſuppliciique.* Hunc ſenſum univerſa Diſputatio *Jobi* & *Amicorum* exigere videtur; atque omnino tenuerim *ignominioſam* illam *mortem*, quam tantopere horrebat *Jobus*, hiſce coloribus delineari. An ulterius tetenderit *Tſopharus*, & eadem *Crimina* in Judicio Ultimo quoque *reſurrectura*; *improbumque damnatura eſſe*, inſinuare voluerit, definire non auſim: nec tamen video cur abnuatur, quum res ipſa id facile ſuggerat. Eo pronior ſum hanc in mentem, quod ſic refuta-

futa-

12 Si dulce fuerit in ore ejus malum; occultaverit illud ſub lingua ſua.

13 In-

12 אם־תמתיק בפיו רעה יכחידנה תחת לשונו׃

13 יחמל

futari videatur *Gloriatio* illa *Jobi*, qua *Goëlem ſuper pulvere ſibi ſtaturum* dixerat, cui Fiduciæ opponit *Crimina impœnitentis Hypocritæ pulveri maledicto adhæſura in omnem æternitatem; atque contra eum in Magno illo die teſtatura.* Ingentes animorum motus, quibus Certamina hæcce decertata, grandia omnia cogitare jubent. In ſequentibus occurrent illuſtres figuræ, quæ hanc explicationem ulterius commendare queant.

Verſ. 12. Inſignis *Allegoria*, aliquot Verſibus decurrens; in qua omnes continuari ſtatuunt Deſcriptionem ante ſuſceptam. Cl. *Schmid.* ſolus, quod ſciam, diſſentit, *Confuſionem non exiguam* inde *oriri* cauſſatus; quod modo *de Morte impii locutus Tſopharus, nunc iterum de vivo ageret; itemque de reſtitutione bonorum, mox eandem operoſe proſequeretur*, Exiſtimat itaque *duplex genus impiorum* inductum. Alterum, *quorum felicitas durabilis non ſit, ſed momentanea, Deo eos ἐπ' ἀυτοφώρῳ confundente*: de quibus actum putat huc uſque. Alterum, de quibus novus ſermo nunc inſtituatur, *quorum felicitas aliquamdiu duret, pœna tamen tandem veniente, & tarditatem gravitate compenſante.* Iſta *diſtinctio* non video 1. qui conſtet cum *Vſ.* 4. in quo Generalem Theſin agnoſcit *Schmid.* qua *omnium Impiorum Felicitatem momentaneam eſſe* aſſeveratur. 2. Arctior eſt *relatio* per *adfixum* ‍ו בפיו ad *Vſ. præced.* quam ut de *diverſo genere* cogitetur. 3. Scrupulos a Viro Doctiſſ. motos facile eſt levare. Nam *Vſ.* 10. non agi de *Reſtitutione bonorum* ibidem viſum; *Vſ.* 11. autem inſinuatur tantummodo, *Hypocritæ* etiam *poſt mortem* ſua *crimina incubatura* eſſe, ob *impœnitentiam*, atque *inolitum* peccati *amorem*; qui ei, & in vita, & in morte, theſaurum iræ ſit accumulaturus. Eſt ergo in duobus illis verſibus *propoſitio* argumenti, mox fuſius deducendi, grandibuſque figuris, ac luminibus, depingendi. Commodiſſimum autem nexum miniſtrat idem ille *inolitus, altiſſimeque radicatus, amor peccati*, qui *pœnitentiæ* omnem aditum præcludit, atque *Hypocritam* ita faſcinat, & ineſcat, ut *Cupiditatem* ſibi *ſuam* eripi nòn patiatur, ſed eam pro *dulciſſimo pabulo mordicus retineat*, atque *appetere, ligurrire, glutire*, non ceſſet, quantumvis inde revocetur, atque tanquam a peſtifero non minus, quam blando veneno, deterreatur.

Ibid. Ad *Allegoriæ* hujus enucleationem ante omnia conſtituatur neceſſe eſt, *Vitiumne ſingulare* enotetur, ſuiſque coloribus pingatur, an *amor peccati in genere.* Doct. *Merc.* I. *opum cupiditatem* deſcribi autumat, *in quibus parandis ſummam voluptatem capiat improbus, quas avide nimis hauſtas, revomere ſumma cum ignominia cogatur.* Ejus explanatio ſic fere decurrit, *ſi dulcuerit in ore ejus malum*, ut *mel*, aut *mellitus cibus, atque præſuavitate ſub lingua illud occultet, ac retineat aliquamdiu; eique velut parcat, nolens ſtatim in ſtomachum demittere, quo diutius guſtus ſuavitate fruatur; nec dulcedine ejus captus, malum illud relinquat; ſed prohibeat illud*, i. e. *cobibeat, contineatque intra palatum ſuum. Tum malum illud, quod ei ſuave erat, ut cibus, in viſceribus ejus convertetur in ſel aſpidum, atque præſentiſſimum ei fiet venenum.* &c. &c. Hæc pulchre & judicioſe digeſta, nemo neget; *Allegoriæ* tamen *partes* enucleatius tractari potuiſſent. Iis preſſius II. inſtitit, ex eadem Hypotheſi, Cl. *Cocc.* qui a *Vſ.* 12. ad 20. deſcribi putat *Lucri* ac *quæſtus converſionem in malum*, & quidem אא *per malam conſcientiam Vſ.* 12--14. בב *per Ejectionem non naturalem. Vſ.* 15. גג *per Fruſtrationem conatus reparandi Vſ.* 16--19. Ad hoc filum רעה eſt *Avaritia*, ſive *concupiſcentia oculorum*, qua qui laboret *oculum malum* habere dicatur. *Lucrum turpe* nomine לחם *panis* deſignatur. *Abſcondere malum illum quæſtum ſub Lingua*, eſt *eundem non exſpuere*, ſed *in fauces demittere*, ac *deglutire*, & quidem *occulte*, atque *ſubſpecie iuris, ut non deprehendatur, ſed os aperire poſſit* h. e. *libere loqui*, & *negando rem diſſimulare*; quæ vis thematis כחד. *Indulgere iſti*

lu.

lucro, *nec relinquere*, eſt *illud non ex faucibus rejicere*, ſed *contra ſuſpiciones*, *vel admonitiones*, *retinere*, *atque apud ſe fovere*, *injuriam factam abnegando.* Porro *continere intra palatum*, ne quis extrahat, eſt *pugnare quantum poteſt, defendere*, *excuſare*, *quin convictus nihilominus non emendare.* Subtiliuſcule poſtremo *Vſ.* 14. ita hiſce annectitur, *ſimul cibus ipſius in viſceribus ejus mutatur*, *ſimul eſt amaror aſpidum in medio ejus* H. E: *Cum lucrum turpe convertitur in ſubſtantiam*, *ſuumque incipit videri*, *ſtatim exiſtit in ipſius medio fel aſpidum*, ſive, *pudor*, & *conſcientiæ accuſatio*, *quæ hominem inquietat.* Egregie, nec tamen ubique æque bene, nec plene, præſertim *Vſ.* 15. ubi *duo genera avarorum* induci autumat, *Coacervantium ut prodigant*, & *incubantium.* Alii III. omnia hæc traxere ad *libidinem voluptatum*, anſa arrepta ex עלומים *præc. Vſ. voluptates juveniles* iſta voce deſignari opinantes. Ita fere *Codurc.* nec non *de Pined.* qui tamen ambigit IV. inter *turpem libidinem*, & *gulam*, interque *avaritiam cum ambitione conjunctam.* Similiter *Bolduc.* pronior tamen in *famem* & *ſitim voluptatum*, omnemque *pravam cupiditatem.* Cum *ſcelere omni bona inique parta* complectitur *Vavaſſ.* Ab his parum, aut nihil, differt *Schmid.* jungens *Avaritiæ*, *ambitionem*, *cupiditatem gloriæ*, *ſuperbiam*, & *ſimilia vitia*, *quibus impii emergunt*, *diteſcuntque*, *iſta ſua potentia abutentes ad pauperes opprimendos.* Diverſus V. & plane ſuus eſt Cl. *Cler.* ad *Maledicendi libidinem* cuncta referens, quaſi deſcribererur *inde ab adoleſcentia nequitiæ deditus*, *cui ſermones nequam ſint ſuaves*; *quique eos ſemper paratos habeat*, *veluti ſub lingua ſua reconditos*, *ut depromat quotieſcunque velit. Vſ.* 13. porro, *Parcit ei* &c. *Non ſubito omnem nequitiam velut evomit*, *ſed in tempus & occaſionem ſervat.* Et *Vſ.* 14. *In male adfectis corporibus alimenta ipſa fiunt morbida. Similiter qui maligno ſunt animo omnibus quæ audiunt*, *noruntque*, *abutuntur in perniciem aliorum*, *& ad ſuam ipſorum nequitiam confirmandam. Vſ.* 16. deinde ſignificari putat, *Qui malis ſermonibus paſcitur*, *perire & ipſum ſimili calumniarum genere*; *atque a viperis*, id eſt *calumniatoribus*, *morderi.* Hæc ſic ſatis rotunda; niſi *Vſ.* 15. interturbaret, quem Vir Doct. de *divitiis nimis avide comparatis*, *moxque reſtituendis*, *aut amittendis* explicat; cuique aptiora, quæ in *Paraphraſi* ſtringuntur. *Vſ.* 12. *Fallacibus verbis male facta emollit. Vſ.* 13. *Neque omnia profert quæ cogitat*, *ſed malefacta*, *quibus non ſine voluptate indulſit*, *diſſimulat. Vſ.* 14. *Verum id quod rapuerit mutabitur in rem noxiam. Vſ.* 15. *quaſi panis initio gratus mutaretur in venenum. Vſ.* 16. *Et quaſi aſpidum virus hauſiſſet.* Hæc *primæ* & *ſecundæ ſententiæ* adfinia, cui & ego *palmam* tribuendam cenſeo, quod talem *improbi potentis*, *& divitis*, *tabellam deformaſſe* videatur Cenſor, in qua *lineamenta* quoque *ſua* agnoſcere poſſet *Jobus.* Jam vero *Avaritiæ* maxime, eamque comitantis *injuſtitiæ*, *immiſericordiæ* in pauperes, *vexationis*, ac *rapinæ*, ſuſpectus apud Amicos fuiſſe videtur. Hæc crimina diſertis Ei verbis objiciet *Eliphazus Cap.* 22: 5--10. ubi רעה *malitiam* quoque adhibitam cernas, in prima acie; oppoſitam *Bonitati liberali*, & *Charitati in pauperes.* Ubi tamen oculos conjicio in *Apologiam Cap.* 31. *longumque* illum *Catalogum criminum*, a quibus ſe *immunem intactumque* conteſtatur Noſter, vix auſim reliqua *vitia* & *flagitia* excludere, quæ *Hypocriſis* in occulto patrare ſolet; quamvis principem locum *Cupiditati divitiarum*, illi *vitiorum* omnium *Nutriculæ*, concedere non dubitem.

Ibid. Admodum profundi ſunt ſenſus, quos *Allegoriis* intexere, atque inludere, ſolent Orientales. Quæ ex Cl. *Cocc.* ſupra jam adduxi, pauculis exceptis, ſolida ſunt. Nonnihil tamen addendum. Ac primo quidem *Os* ſeſe refert ad *Appetitum*, & *Os* illud *internum*, quod *inhiat rebus*, atque *iis frui geſtit.* Attigere *de Pined.* & *Bolduc.* Extat Emblema hoc *Pſ.* 81: 12. *Dilata os tuum*, *& implebo illud.* Item in malum, *Prov.* 30: 20. *Adultera comedit*, *& abſtergit os ſuum.* Iterum *Prov.* 20: 17. *Dulceſcit alicui panis mendacii*; *at mox os ejus impletur ſcrupis.* Ita & hic, *artes*, *fraudeſque*, רעה *dictæ*, *dulceſcunt in ore corrupto illius*, *qui avidiſſime divitiis inhiat*, *quibus magis magiſque ineſcatur*, ſimulque *depravatur*; *ad injuſtitiam ſumma cum voluptate exercendam*, *morſuſque*, *ſi forte antea aderant*, *conſcientiæ extinguendos.* Secundo *malum ſub lingua occultatur* trifariam. 1. *quum non expuitur*, *ſed tanquam bolus delicatus aliquamdiu in ore retinetur*, *ut deinde in fauces jucundius deſcendat*; quorſum *Cocc.* meditatio præibat. Aſſimilia quoque dedit *de Pined.* Minus placet

13 Indulſerit illi, & non reliquerit illud; ſed cohibuerit illud in medio palati ſui.

13 יחמל עליה ולא יעזבנה וימנענה בתוך חכו :

14 Ci-

14 לחמו

cet *Bolduc.* ad *anxiam dubitationem* mentis applicans, inter *voluptatem*, & *mortem æternam* pendentis, velitne *hamum vorare* an non? 2. *Quum fraus ſtudioſiſſime celatur*, *tanquam* לחם סתרים *panis clandeſtinus*, *eo delicatior quo occultius illo frui datur. Prov.* 9: 16. Hic a *de Pined.* adduntur *blanda* & *pacifica verba*, *quibus impius pauperes*, *quos exſorbet*, *delinit.* Credo eum voluiſſe quod nunc dicam, 3. *Quum lingua illa fraudibus dedita*, *nil tamen niſi virtutem*, *integritatem*, *juſtitiamque reſonat.* Videſis & *Bolduc.* qui ſecundo loco apoſuit *Characterem Hypocritæ* eſſe, *indigum virtutibus verbis abundare*, & *nil niſi ſancta*, *pura*, *caſta loqui.* Non poſſum quin 4. adnectam *audacem criminis negationem*, per *mendacium*, quin & *perjurium.* Omnibus hiſce vitiis proximum a ſe haberi *Jobum*, aperte ſatis innuit Cenſor, quem ſupponebat *obſtinata impœnitentia abnegare quicquid criminum ante in occulto patraſſet.*

Verſ. 13. In hunc ſenſum ſubditur, יחמל עליה. Coactius eſt, quod tentat *de Pined.* quaſi *parcit illi* referretur ad *fictam miſericordiam* erga pauperem oppreſſum. Ne quidem ad rem, *parcit illi iniquitati*, pro *ſibi parcit mille modis peccatum extenuans*, & *excuſans*, quod idem ex aliis adducit. Rectius, quod & ipſe tandem amplectitur, *Parcius agere* cum peccato, *neque ſtatim tranſmittere* aut *deglutire.* Huc *Merc.* tendebat ſupra: quem plerique ſecuti. *Cocc.* & *Cler.* *indulgere vitio* habent. Eodem redit *Schmid.* cui *parcere* eſt *vehementer approbare* & *delectari*, ut ſit *Conſeq.* pro *Antec.* quod *iis parcamus*, quæ nobis *grata* & *jucunda.* Etiam *Bolduc.* *lætari*, & *delectari* aſſumſerat. Hæc non multum abeſſe poſſunt a vero, nec tamen rem plane conficiunt. Ex خمل *mollis* & *tenera fuit res*, dedi in *Juvenil. Delicatum reputat illud*; *habet illud pro* خميل חמיל, quod in *Camuſo* eſt ما لان من الطعام *quicquid molle & delicatum de cibo.* Duo interim obſtare videntur; primum, quod notio hæc minus *Hebræa*: alterum, quod conſtructio parum reſpondeat. Prior ſcrupulus nullus; nam *parcere*, *clementia uti* in חמל, a *Molli* & *tenero* propagantur, ut in *Clavi Dial.* p. 228. 229 oſtenſum. *Avenarii* acumen eandem proprietatem *Mollitiei* exſculpſerat ex affinitate literarum inter חמל, per tranſpoſitionem מחל, & Latinum *Mollis.* Id merito neglectum, quamdiu tam *fluxa arena* notionem hanc ſuſtinebat; nunc *firmior* eam *ancora* fundat. Alter ſcrupulus manet, nam חמל על *intranſitive* valet *Mollis fuit ſuper aliqua re*, i. e. *ei indulgenter pepercit.* In noſtram mentem *Hiphyl* יחמיל debuiſſet adhiberi, עליה tamen ne ſic quidem quadrante. Teneatur ergo, quod in explorato, *Mollis eſt ſuper illo* malo, *eique delicate ac tenerrime indulget*; *eo ſemet oblectans.* His ſi addideris, *tanquam molli ac delicato cibo*, חמיל, nihil alienum feceris nec a genio Linguæ, nec a ſerie Allegoriæ. Jam vero *Mollis eſt ſuper cupediis ſuis*, tum qui *eas diu in ore retinet*, *ad ſuavitatem* penitius *deguſtandam*; tum qui *bolo per fauces trajecto*, *dulcedinem* tamen *retractat* quaſi, atque *aliquamdiu in ore verſat*, ac *volvit*, *ægerrime eam dimittens.* Talis erat Ligurritor ille apud *Athenæum*, qui ſibi *collum gruis* optabat, & *guttur trium cubitorum*, ut longius ei ſuaviuſque deliciari liceret. A *litera* ad *Spiritum* hæc transferre facile eſt; ob oculos enim ponitur indoles *Hypocriſeos*, & *improbitatis*, quæ *ruminari* amat, & tanquam *in os e ventriculo revocare*, *dulces* ſuos *bolos*; ſeque identidem *deliciis* illis *paſcere*, tacita mente ac cogitatione voluptatem hauſtam volutando, vel & eandem apud alios commemorando, deque ea triumphando.

Ibid.

14 לחמו במעיו נהפך מרורת פתנים
בקרבו :

15 חיל

14 Cibus ejus in viſceribus ejus mutabitur : fel aſpidum in inteſtinis ejus.

15 Opu-

Ibid. Hoc ipſum luculentius adhuc exprimit ſequens, *Neque derelinquit illud*; ad quod illuſtrandum olim quoque producebam *Arabum* عذب *Abſtinuit*; *reliquit cibum præ ſiti*, *faſtidiove.* Id nihil aliud, quam *Gloſſa*, & *Notio peculiaris* verbi עזב, cujus pars ſub عزب, alia ſub عذب, continetur. Nemo utique neget hac in ſede עזב *reliquit*, ad *cibos* tranſlatum, *faſtidii* ſignificationem ſecum ferre, ex *repletione nimia oriundi*; quale quid *Arabes* huic verbo ſubjeciſſe diſcas ex *Gjauhario.* يقال اعذب نفسك عن كذا اي اظلفها عنه والعذوب من الدوابّ وغيرها القايم الذي لا ياكل ولا يشرب وكذلك العاذب *Dicitur Animam tuam abſtinere fac ab ea re*, pro *tempera ab ea*; *quo uſu* עאוב *de beſtiis aliiſque venit*, *quum ſtant & nec edunt*, *nec bibunt. Similiter &* עזוב. Habes ex genio Linguæ priſcæ, quod Cl. *Schmid.* ex conjectura promſit, עזב *mite eſſe vocabulum pro exſpuere & abhorrere.* Cl. *Crom.* ad aliam notionem & عذب reſpexit, *dulcis fuit aqua*; cujus *deriv.* عذب eſt *cibus ac potus leniter in gulam deſcendens.* Præcedens quoque יחמל contulit cum حمل *collegit fructus*; quaſi ſenſus eſſet, *impium quidem malitiæ fruges colligere*, *verum has non facile per gulam deſcenſuras*, *ſed hæſuras in palato.* Hæc minus matura, quod nimis maturarit Vir Doctiſſ. haud ſatis attendens, vel maxime *facilem per gulam deſcenſum* nunc requiri; qui *nullo plane faſtidio*, *nulla repletione*, *tardetur.* Admirabilis imago ad *inſedabilem Avaritiæ*, aliorumque vitiorum, *ſitim*, ac *famem* delineandam. Ineſt quoque in hac ipſa phraſi *Ruminatio*, & *Jucunda* illa *revocatio præteritorum*, quatenus *nunquam malum faſtidit* mala mens, eo ardentius ſitiens, quo affluentius haurire datur: & vel præteritis immorari geſtiens; in argumentum *ſummæ corruptionis*, cum *impœnitentia* connexæ.

Ibid. Adhuc alio lumine Orationis idem illud inſignitur, *Cohibeatque illud in medio palati ſui.* Minus commode *Vulgat. Celabit in gutture.* Hoc *Vſ.* præc. expreſſum. Cl. *Schmidio Continere intra palatum* eſt *cavere ne quid ore excidat*, i. e. *ne quid forte felicitatem minuat.* Non placet. Magis ad rem, quod *Cocc.* dat de *crimine defendendo*, *excuſando*, *quin obſtinatius retinendo.* Huc facit quod מנע partim ſit *cohibere*, partim *defendere*, ac quaſi *in poteſtate ſua retentare*, *ne elabatur*, vel *eripiatur.* Allegorice חך *palatum*, deſignat *mentis judicium.* Vide ſupra *Cap.* 12: 11. *Cohibet* ergo *intra palatum cupedias* ſuas, Ligurritor, quum *ſuavitatem* earum *Erudito*, ut *Arbiter* loquitur, *palato diſcernit*, dijudicatque, ut quid gratiſſimum ſit decernat. Hoc fit, *glutito* jam *bolo*, linguam *ad palatum admovendo*, atque *ſubtilius ſuccum* in ore *reliquum explorando*; ac *relambendo.* Conſimiliter *peccator intra palatum mentis relambit*, ut ſic dicam, *ſuum* בצע *cupidinem*, *quæſtumque gratiſſimum*; ejus *dulcedini immorans* atque *inhærens*, neque inde ſe divelli patiens.

Verſ. 14. Subtilius eſt, quod Cl. *Cocc. Cibum in viſceribus mutatum* capiat, *Converſum in ſubſtantiam.* Redi ad *Vſ.* 12. *num.* II. Simplicius eſt illud *Merceri*, ibidem exhibitum, *Cibus ille* in ventriculum demiſſus *ita mutatur*, *ut fel aſpidum in interaneis ejus eſſe videatur.* Id a plurimis receptum. Nec tamen ſpernenda ratione *Pagninus*, *Cibus ejus convertitur in eſcam malam.* Nempe נהפך *inverti*,

 ſæpe

15 Opulentiam deglutiit, ſed evomet eam: e ventre ejus expellet eam Deus.

15 חיל בלע ויקאנו מבטנו יורשנו אל:

16 Ve-

16 ראש־

ſæpe gravem adſciſcit poteſtatem, pro *Alterari*, atque *in malum converti.* Geminum eſt *Pſ.* 32: 4. *Succus meus inverſus eſt*, *ſiccitatibus æſtivis.* Sic malim quam *in ſiccitates æſtivas.* Intelligit *æſtum exſiccantem* & *exurentem iræ divinæ*, quo *ſuccus* ejus *alteratus* & *corruptus.* Ait ergo *Tſopharus*, id quod *Hypocrita* pro *cibo jucundiſſimo*, quin & *ſaluberrimo* eſitat, quum *in viſcera demiſſum eſt*, jamque *votorum compos* ſibi videtur factus, *ſubito immutari* atque *inverti*, ita ut *Mortem illa in illa fuiſſe* experiatur. Ad *Exegeſin* adjectum, *Amaror aſpidum in ventre ejus.* Id male tractum a *Niceta* in *Caten.* ad *nocendi libidinem*, & *venenatam* velut *indolem*, *quæ virus ſuum in alios evomit.* Omnino inſinuatur, ipſi improbo *exitialem* fore ſuam *aviditatem*, *in bilemque ac amarorem merum ei convertendum eſſe*, *quicquid pro dulci glutierat*; *haud ſecus ac ſi venenum hauſiſſet.* Non auſim quidem excludere *conſcientiæ morſus* quos Cl. *Cocc.* reſpexit; præcipue tamen *Maledictionem divinam* ſpectari autumem, quæ in *viſceribus Divitis*, jam *Beati*, ut imaginatur, atque *ad ſummam votorum perducti*, incipit ſævire, Eique omnem ſuam *felicitatem male partam convertere in materiam pœnarum graviſſimarum.* Juſto ſubtilior *Schmidius* diſtinguere jubet inter *panem*, i. e. *Bona legitime poſſeſſa*, *quibus* etiam *maledictio immittatur*; & inter *opes abſorptas* i. e. *male parta Vſ.* ſeq. Putabatne *panem* non poſſe venire *in malum*? Quid ergo *panis clandeſtinus*? *Prov.* 9. Omnino tenendum quod monuerat *Merc.* τὸ ἀλληγορούμενον *cum ipſa allegoria confundi*; hoc eſt, *per panem intelligi id quod impio pro pane eſt*, & *quo ſe implere geſtit.*

Verſ. 15. Solide *Merc.* *ut ſummo cum cruciatu cibus*, *qui ſuavis videbatur*, *revomitur*, *ſi venenoſus ſit*; & *longe plus dolor in revomendo ſentitur*, *quam voluptatis acceptum*, *ſic ei accidet*, *qui opibus hinc inde congerendis oblectatus fuerit.* Non video, qui diſſentiant, niſi quod Cl. *Cocc.* aliquid diſtinctius profert, *placet dividere*, inquit, *ſenſum*, *ut Colo: Avarorum duo genera ſunt. Alii coacervant ut prodigant. De his primum Colon. Alii ut incubent. De his alterum. Sed & huic multis modis neceſſitatem adfert Deus*, *opes congeſtas egerendi.* Scrupulos nonnullos adverſus hanc ſubtilitatem reperies apud Cl. *Schmid.* Eſt revera longiuſcule petita; nec ſatis exputo fundamentum hujus diſtinctionis. Forte *prodigalitas* elicita ex verbo קוא *Vomere*; ut *Sordes*, & *triparca parſimonia* ex בטן *venter*, unde *vi expellatur*, quod *avariſſime* erat *ingeſtum.* Nos receptæ explicationi acquieſcimus, & קוא *Revomere* referimus non ad *Luxuriam prodigam*, ſed ad *Judicia Divinitus immiſſa*, *quibus male parta iterum extorquentur*, *multo cum cruciatu*, *injuſtis poſſeſſoribus.* Confer hanc in rem, quod de *Origine* hujus verbi indicatum in *de Def.* pag. 189. Non neceſſe eſt, ut de *reſtitutione illa quæ apud Judicem fit*, cogitetur; nam ea in *Jobum* noſtrum minus quadrat; ut nec in alios *improbos oppreſſores ſemper* convenit. At ſemper, & ubique, verum, *male parta*, *male dilabi*, atque *Judicem Supremum miris & occultis modis illa ex Ventre*, i. e. *ſtabili ac tranquilla poſſeſſione rapacium expellere*; *in prædamque*, atque *hæreditariam ſortem* veluti alieniſſimis concedere. Hæc obiter ad voces בטן & הוריש, ſecundum interiorem *Allegoriæ* venuſtatem. Ad verbum הקיא multa congeri poſſent; nam & *Cic.* in *Piſ. cap.* 37. dixit, *Devoratam pecuniam evomere*: notumque illud Comici in *Equit.* 1145. Κλέπτοντας πάλιν ἀναγκάζω ἐξεμεῖν ἅττ' ἂν κεκλόφωσί μου. *Fures cogo revomere quæ mihi ſurpuere.* Sed in re obvia nil opus exemplis. Ad mentem *Cocceii*, ſi ea alicui ideret, revocari poſſet dictum *Cynici*, apud *Laert.* p. 338. θεασάμενος, ἐπὶ ἀσώτου οἰκίᾳ ἐπιγεγραμμένον, πράσιμος, ἤδειν, εἶπεν, ὅτι οὕτω κραιπαλῶσα, ῥᾳδίως ἐξεμέσεις τὸν κεκτημένον. *Cum vidiſſet prodigi cujuſdam domus inſcriptum*, Venalis, *ſciebam*, inquit, *Te ita crapulæ deditam Dominum tandem evomituram.* Figuratiſſime ſic enunciatum foret, *Dives ille*, *ejuſque Domus*, *omnia quæ per avaritiam abſorpta*, *revomere cogetur per luxuriam*, *crapulamque*, *cui ſerviet.* Sed nec in *Jobum* id re-

16 ראש־פתנים יינק תהרגהו לשון אפעה׃

17 אל־

16 Venenum aſpidum ſuget; occidet eum lingua viperæ.

17 Neu-

recideret, nec *Allegoriæ* ſuſceptæ ſatis commode reſponderet. Omnino hic depingitur *ſubita* illa *direptio*, & *diſpoliatio opulentiæ Jobææ*, ex qua *Ultorem Deum evigilaſſe adverſus avarum Raptorem*, haud dubie collectum fuit ab iis, qui ſiniſtris ſuſpicionibus miſeros gravare ſolent.

Verſ. 16. Magna interpretationum diverſitas in re plana. Languide *Periz.* I. *Loco ciborum optimorum, quibus olim fruebatur, comedet cibos noxios.* At *Nachman.* II. *Lac quod ſuxit & a quo ablactatus eſt, vertetur ipſi in venenum.* Obſcure dictum præfatus *Schmid.* explicat *de Lacte materno in venenum velut commutato.* Commodius fuerit, ſi *figurate* accipiatur, illo ſenſu quem *Merc.* III. expreſſit; *Venenum aſpidum ſuxiſſe videbitur*, qui talem cibum ſumſit, *in ejuſque alvo videbitur fuiſſe lingua viperina: virus exitiale quod eum perimet.* At *Schmidio* IV. dure ſonat *ſuget*, pro *videbitur ſuxiſſe*; & *occidet*, *videbitur occidiſſe.* Mavult itaque *verba accipere, ut habent*, i. e. *mortem ex morſu venenatorum animalium.* Hoccine *ſugere venenum aſpidum*? Non expectaſſes, ſat ſcio, tantum *literæ rigorem* in perpetua *Allegoria*; & tamen *Vir Doct.* hoc colorare voluit, *notare* jubens, *haud abſurdum, ut variæ calamitates & mortes hic coacerventur, quæ omnes in unum hominem cadere non poſſint (qui enim aſpidis morſu occiſus, quomodo pateretur reliqua quæ ſequuntur?) Tſopharum enim non de uno loqui individuo, ſed de impiis in genere, ex quibus unus ictu aſpidis pereat; alter gladio occidatur; Tertius reſtituere rapta cogatur &c.* A tali *Hypotheſi* non multum lucis oriri potuit, ad figuras noſtras illuſtrandas. Cl. *Cler.* V. *morſum occidentem viperæ* deflexit ad *calumnias, quibus male periret* viciſſim, *qui venenum aſpidum ſuxerat*, i. e. qui *malis ſeſe ſermonibus oblectarat.* Simile quid in *Catena Nicetæ.* Paulo propius ad *Allegoriam* inſtitutam Cl. *Reim.* VI. *Pauperum ſanguine ſe pavit, ideo venenata beſtia*, i. e. *homines mali ipſum male perdent.* A *Pſyllis* tractum proverbium cenſet, qui *venena exſugere* ſolebant. Obſtant, quæ *Vir Doctiſſ.* ipſe facile ſentiet, non pauca. Incommodius multo quod VII. *Germ. Verſ. Hoſm.* dat, in *Jobum* & *Amicos* intortum, hoc ſenſu, *Tu plane virulentus in nos, ideo & nos in te virulenti.* Cl. *Cocc.* VIII. diverſam longe viam ingreſſus, in hoc *Vſ.* & tribus ſeq. invenit *Fruſtrationem conatuum reparandi fortunas lapſas*; unde profectus, ita *Allegoriam* evolvit; *Avaros deinceps, poſtquam jacturam fecerint bonorum, non jam ſub colore juſtitiæ, & clam, lucrari; ſed apertius & ſine pudore, (cupiditate ſcilicet efferata) atque ita operam dare rebus pernicioſiſſimis, ne Criminibus quidem parcendo; nec conſcientiæ cruciatum ac dolorem curando: qui etiamſi tantus ſit, ut videatur mortem allaturus, nihilominus cupiditatem haud ſedari.* In eum ſenſum adducitur *Deut.* 32: 33. *Venenum ſerpentum vinum eorum* &c. *Ingurgitant ſe atrociſſimis peccatis, quæ animam ſæviſſimis morſicationibus laniant.* Ex hac explanatione *Venenum aſpidum ſugere* tantundem erit ac, *ab atrociſſimis* etiam *peccatis, efferata cupiditate, non temperare*: cui *culpæ* annexa *pœna*, ut *Lingua viperæ occidatur* ſceleſtus, atque *morſibus conſcientiæ dilanietur.* Adfine eſt illud *Pinedæ* IX. *Quando*, o impie! *ſitis & eſuris alienum ſanguinem*, & *pauperum ſubſtantiam quando lambis, quando ſugis, ſcito te venenum exſugere, quale in Aſpidum capite, ore, dentibus, lingua, reſidet, & quale etiam habet Lingua viperæ. Quare dulcedo iſta tuæ rapinæ, & pravæ voluptatis omnino tibi exitialis futura eſt* &c. Alluſum cenſet Vir Literatiſſimus in ראש *Caput*, ad id, quod de *Viperis* tradidere Veteres, *Fœminam libidine agitatam Maſculi Caput ſugere, quin totum ſorbere, ac deglutire; eamque deinceps tales luere pœnas, ut ei viciſſim viſcera a ſuiſmet fœtibus erodantur.* Nota fabula, quam huc applicitam nollem. *Bolducius* X. ut *violentam* perſtringens hanc *interpretationem*, aliquid *violentius* dediſſe videtur, quamvis *Legitimum ſenſum* ſe dare credat. Reſpici autumat, ad id quod de *Aranea* refert *Plin. L.* 10. *eam ſe librare filo in caput Serpentis, præſentemque ei necem infligere morſu ſuo.* Quaſi diceret *Tſopharus*, *Impius* eſt *velut aranea ſedens in inſidiis, & caput aſpidum ſugens, mordenſque; hoc eſt, pauperum tenuiorumque fortunas inſatiabili cupiditate ſorbens.* Vide jam pœnam. *Eveniet* autem,

17 Neutiquam videbit rivos fluviorum torrentium mellis atque butyri.

17 אל־ירא בפלגות נהרי נחלי דבש וחמאה׃

18 Red-

18 מ׳שיב

ut aliquis eorum quos ita exſuxit, licet ſit tantum vera, i. e. *non tantæ potentiæ, ſed mediocris fortunæ, illum ſua Lingua occidat*; *a Magiſtratu juſtitiam efflagitans* &c. &c. Lepida commenta, a quibus tanta cum fiducia venditandis temperari ſaltem potuiſſet. Meo judicio nimis ſubtiliter limatur, quod per ſe teretem fundit ſenſum; cuncta enim hæc ad *pœnæ* & *maledictionis aggravationem* manifeſto feruntur. Si probari poſſet *Adagium* extitiſſe, *Qui ſugit venenum aſpidis, Eum occidet Lingua viperæ*, nil commodius ſimpliciuſque cenſerem, quam quod XI. habet *Doct. Crinſoz. Qui peccato indulget, inhiatque, mala illa peſte male peribit.* Sed nihil ſimile vel proferri video, vel extitiſſe credibile, quum *oppoſitio* inter *venenum aſpidis*, & *Linguam viperæ*, nulla appareat; ſed una eademque *peſtis* potius, per accumulationem, conſignetur. Concludimus itaque XII. figuras haſce *gravitatem pœnarum*, & *maledictionum* depingere, quæ improbo ſint *adhæſuræ*, *in ejuſque medullas* ac *viſcera ſeſe inſinuaturæ*; *ſub quibus, haud ſecus ac veneno diriſſimo in venas diffuſo, infinitos inter dolores expirare* tandem *cogatur*. Hanc vim *Emblematum* noſtrorum multis evincere ſupervacuum. Hoc unice intendi, ſeries arguit, nec non forma *futurorum* יינק & תהרג, *ſuget, occidetque*; in quibus ineſt tum *præſentis*, tum *venturi mali* ſignificatio. Huc quoque ſpectat *congeries acerbitatum, mortiumque*; prout *Vſ.* ſeq. congeritur quicquid *Benedictionis* ac *Felicitatis*: ac proinde *cumulus omnis Maledictionis* hoc verſu comprehenſus. Nihil aliud interim dedi, quam quod *Merc.* cum eoque Doct. *Belgæ*, plurimique, dederant. Neſcio cur Cl. *Schmidio* illud *Merceri*, *videbitur ſuxiſſe* &c. nimis *durum* ſit viſum. Metuebatne *rem ipſam* ſic tolli? Atqui *Comparantis* hoc erat, non *minuentis*. Ne dixit quidem *Merc. videbitur occidiſſe eum Lingua viperæ*, quamvis ſatis intelligi potuiſſet; ſed, *videbitur in ejus alvo fuiſſe Lingua viperina*, i. e. *Exitiale virus, quod eum perimet.* Locutionem eſſe *figuratam* innuit Magn. Commentator: at Cl. *Schmidio* jam *Literalis facies* nimis cœperat placere.

Verſ. 17. Pulcherrime continuatur *Allegoria*, atque *Veneno aſpidum quod ſugendum erit* improbo, opponuntur *Rivi fluminum torrentium mellis & butyri, quos nunquam ſit viſurus.* Hunc nexum, communi fere calculo firmatum, Cl. *Schmid.* deſerere coactus fuit, ob anguſtias in quas ſe *Vſ.* præc. induerat. Cenſet nempe, nunc *aliud genus malæ mortis, & interitus, ſubjungi, in quo impius ad extremam indigentiam redigatur, donec tandem peſſime pereat gladio & arcu lethali, aut ſimilibus.* Alias *Tautologiam* evadi vix poſſe veretur; ſed ejus nullum periculum, ſi filum modo dextre evolvatur. Quid, quod ſtylus Orientis in exaggerationes profuſus, eandem rem aliis aliiſque figuris expolire, ſummæ deputat laudi, ac virtuti? Retrahere debuiſſent Virum Doctiſſ. ab Hypotheſibus ſuis haud levia ſane incommoda, quibus ad omnem verſiculum premitur. Vide modo *Paraphraſin. Poſtquam alius ad ingentem hujus ſeculi felicitatem pervenit, non tamen dabitur illi videre rivos fluminum torrentium mellis & butyri.* i. e. *non attinget faſtigium firmæ & conſtantis felicitatis terreſtris*; *ſed antequam eo perveniat, ſiſtetur in curſu, quin retrocedet: mox cogetur etiam reſtituere quæ rapuit vſ. ſeq. & majora ſubinde decrementa experietur*; *donec reddatur plane egenus*; *tandemque miſere per gladium, arcum, & ſimilia, pereat.* Nimio acumine *rivi fluviique mellis* &c. explicantur de *ſumma felicitate, quæ ſimul conſtans ſit & firma*, cum oppoſitione ad *felicitatem* aliam, *ingentem* quidem illam, ſed non æque *cumulatam* ac *durabilem.* Hanc diſtinctionem in *bonis terreſtribus*, quatenus *iis frui poſſunt improbi*, haud intelligo. Rogo, quænam ſit *ingens* illa *felicitas* improbi, nec tamen *ſumma*, *ad faſtigiumque perducta*? præſertim quum & *ingentem*, & *ſummam* illam, a *Benedictione Dei* abſtraxerit, quam *Merc. Cocc.* aliique hic potiſſimum ſpectare jubebant? *Coccejus* dupliciter exponi poſſe monet. *a. Improbos dum vanas divitias ſectantur, veras, ſolidas, ſpirituales,*

ac

ac cœleſtes negligere, *atque amittere.* Hoc tamen minus ſcopo idoneum cenſens, mavult *b.* per *fluvios mellis ac butyri* intelligere *bona terreſtria ex benedictione Dei provenientia*, *quibus pii ſoli abundaturi ſint: impii vero neutiquam.* Eodem fere modo *de Pined.* calculos ponit; nam quum verbulo dixiſſet *Gregor.* & *Philip.* referre hos *fluvios* ad *Bona ſpiritualia gratiæ*, & *gloriæ*, *quibus impius omnino cariturus ſit*, ſubdit, *certius eſſe*, *quam ut probatione egeat*, *de Bonis temporalibus hæc accipi*, in *primo*, & *literali ſenſu*; *quod ſecus extra Chorum ſaltaret Tſopharus*, *& potius rem Jobi ageret*, *quam ſuam.* Ejuſdem elegantem *Paraphraſin* apponere, operæ pretium erit, quod interiorem vim phraſium in ea ſimul pandere voluerit. *Poſtquam impius ex rapina numeroſiſſimos ovium greges collegerit*, *armenta quoque pinguium vaccarum*, *ac camelorum*; *poſtquam item multa prædia ex præda comparaverit*, *nullos poterit ſibi fructus percipere.* Non videbit ipſe, *neque fruetur incredibili illa* copia lactis *ex uberibus fluentis inſtar* Rivulorum; *non* butyro *bovillo in magna copia expreſſo*; *non alvearibus* mella *fundentibus: non promtuariis plenis atque redundantibus inſtar torrentium perennium.* Non multo aliter *Merc.* obſervans *Flumina mellis & butyri* pingere *ſummam omnium rerum ubertatem*, *copiamque bonorum*, *tam humana induſtria*, *quam ſine ea*, *provenientium*; dein ſubjungit: *ſignificatur*, *impium non fruiturum ea Domini benedictione*, *quæ piis promiſſa eſt*, *bonorum ubertate nempe*, *qua pii*, *etſi egentes*, *ſæpe fruuntur tamen per benedictionem Domini*; *ex qua fit ut pauca illis ſint magnæ copiæ inſtar*; *cum impii etiam in media affluentia egeant*, *juxta illud*, *tam deeſt avaro quod habet*, *quam quod non habet: vel quia omnia quæ rapuerunt ſint illis tandem cum ſummo dedecore auferenda.* Hæc nec diſplicent omnino, nec per omnia placent. Poſtrema præſertim minus commoda; nam *nec egeſtas* quam *avari patiuntur in mediis copiis*, huc quadrat; nec *amiſſio raptorum bonorum.* Priora magis ad rem faciunt, ut & illud quo ratio redditur *duplicati Regiminis* in נהרי נחלי, *fluvii torrentium*, ſive *fluvii qui ſimul ſint torrentes*, quibus deſignetur *ubertas bonorum confertim*, *certatim*, *& affatim veniens piis*, *eoſque præ copia obruens*, *quam impius non ſit viſurus.* Habemus jam aliquid, quod Magnitudini exaggeratiſſimæ harum phraſium reſpondere incipiat; ac tale quid ſpiret, ad quod improbis nunquam adſpirare, ac pervenire, detur. Ea eſt *Abundantia bonorum ex perenni vena Benedictionis Divinæ ſcaturientium*, *quæ poſſeſſores ſuos vere reddunt divites*, *ac beatos: quæque iis totidem ſunt pignora cœleſtis favoris*, *largius uſque & uſque eos inundaturi*, *atque felicitate omni expleturi.* Elucet hinc, quorſum tendat pompoſa congeries, *Non videbit Rivos fluviorum torrentium mellis ac butyri*, per regimen continuatum, in quo, ſingulari artificio, aquarum ad inſtar, vocum dignitas excreſcit, ac velut exuberat, quum פלגות *Rivis* annectuntur נהרי *fluvii*, iiſque iterum נחלי, *Torrentes rapidiſſimi*; ut ita *excreſcens identidem magnitudo Benedictionum* tanquam viva in tabella repræſentaretur. Cl. *Cocc.* eandem tenens conſtructionem, ordine inverſo vim vocum exequitur, ut *Torrentes* נחלי notent *exuberantiſſimam copiam bonorum*, & נהרי *fluvii*, ſive *fluxus perennes*, *conſtantiam* ἐπιχορηγίας, quæ פלגות *amnibus*, ſive *rivis* excepta, ad multos derivetur. Quo conſilio Cl. *Cler.* verterit, *Non videbit in rivis flumina & torrentes mellis ac butyri*, non exputo. Planior ratio *Merc.* & *Schmid.* per *Appoſitionem*, *Non videbit rivos*, *flumina torrentium mellis* &c. Id datum Accentui ſecanti ad פלגות; ſed vel cum majore interſtinctione continuatio regiminis obtinere poterit, ſi pauſa facta ad, *Non videbit Rivos*; reſumatur, *fluviorum* inquam *torrentium mellis* &c. אל *Ne*, ut לא, ſæpe ſimpliciter negare creditur. Sed fortius quid ubique captari jam monuere Viri Doctiſſ. Heic loci אל יראּ *Ne videat*, vel *Ne viſurus ſit*, idem valet ac, *Abſit ut videat*, vel, *ne credat ſe unquam viſurum: Minime ſe viſurum ſciat.* Confer *Cap.* 5: 22. *Minime timueris. Abſit timeas.* Sat elegans alias *Apoſtrophe*, quam inducit verſio *Jun.* & *Trem.* *Ne ſpectet*, ut ſit *increpantis*, & *vanam* ejus *expectationem ludificantis.*

Ibid. Videndum reſtat *Cœleſtiane bona* his magnificis coloribus depicta ſint, an *Terreſtria.* Poſteriora illa primum locum hic occupare, facile conceſſerim; ſed priora non

pe-

18 Reddet mercedem *ſurreptam*, nec deglutiet; prout opulentia erit, reſuſio ejus fiet; & non exultabit.
19 Quia

18 משיב יגע ולא יבלע כחיל
תמורתו ולא יעלס :
19 כי־

penitus excluſa vellem; nam *Emblemata* illuc per ſe feruntur, eo adſpectu quem modo expoſuimus. Eodem quoque tendit *Hypotheſis Tſophari*, reliquorumque ſociorum, *arctiſſimo nexu inter ſe cohærere Benedictiones Temporales & æternas*; atque *Felicitatem veram in Terris inchoari, per abundantiam omnium bonarum rerum, quas Deus largiter effundat in bonos; dum mali omnibus malis conflictandum habeant, donec peſſime pereant.* Expende Viri orationem *Cap.* 11: 13. & ſeq. eamque huic Baſi ſuperſtructam ſenties, ut & illas, quas *Cap.* 8. & præſertim *Cap.* 5: 19 26. habuimus; ubi *Aurei ſeculi felicitas* deſcribitur, *poſſidenda in terris*, a Veris Dei Cultoribus, iiſque *excellentiorem Hæreditatem oppigneratura.* Non ergo quod ab Erud. *de Pined.* objiciebatur contra ſenſum ſublimiorem, *extra chorum* nunc *ſaltat*, nec *cauſam Jobi* potius *agit*, quam *ſuam*, Cenſor; quippe qui *Jobum* hoc ipſo dicto acerrime pungat; eumque *ab omni Vera Felicitate* repellat. Cl. *Cocc.* ſimili ſcrupulo obhæſit, alias in hanc partem ſatis propenſus, *Quandoquidem*, inquit, *de eo conveniebat inter Jobum & Amicos, quod improbi, eo ipſo quod improbi, ſint miſeri, & quod pii maximorum bonorum ſpiritualium fiant participes (de quibus bonis Job: C. 19: 25. magnifice erat locutus) conſentaneum non eſſe videtur ſcopo Tſopharis, ut demonſtret, impios carere ſenſu cœleſtium bonorum.* Multa ad hæc haberem: ſed verbulo tantum dicam: *ſtatum Controverſiæ* longe diverſum eſſe, *Jobus* enim per *Adfectum* tendebat, *probos Improboſque juxta haberi* a Deo, quin imo *Improbitatem florere, jacente probitate.* Contra Amici per ἀμετρίαν τῆς ἀντιλογίας nitebantur, *Bonos ſemper bonis temporalibus magis magiſque augeri, donec ad conſummatiſſimam felicitatem pervenіant.* Hoc, ut experientiæ adverſum *Cap. ſeq.* refutari videbimus. Inde tamen nunc *Tſopharus Jobum* premit, atque ex Calamitatibus ei immiſſis colligit, ipſum eſſe *improbum*, ac proinde nihil eſſe quod *ullam* ſperet *felicitatem*, quam nec *viderit* unquam, nec *viſurus ſit*; utpote *iræ & Maledictionis Divinæ* manifeſtus, quæ in *Caput noxium* uſque & uſque ſit incubitura, & unde *venenum aſpidum* ſit *ſucturus*; a *Torrentibus deliciarum Dei* penitus excluſus; nullamque partem ac ſortem habiturus in iis bonis, quibus *Benedictio Cœleſtis vere pios & beat* nunc, & in poſterum *beabit.* Suſpicor quoque hocce *Minime viſurus eſt*, opponi *Fiduciæ Jobææ Cap.* 19: 26. 27 *Qua ſe Deum* tamen tandem *viſurum* eſſe *ſuis oculis* gloriatur. Hoc ab æſtu diſputandi non alienum. Nec tamen plus quam ſuſpicor.

Verſ. 18. Salebroſiſſimus locus. Rejiculum plane I. quod ex *Cajetan.* adduxit *de Pined.* quaſi ad *ſordiſſimæ avaritiæ deſcriptionem* adderetur, *Quum reddat laborem*, i. e. *mercedem laboris iis qui in vineis agriſque laboraverunt, tantopere angi improbe avarum, ut concedendo non deglutiat, neque cibo ac potu delectetur. Quumque permutet aliquas res, aut juſto pretio emat, non tamen lætari, eo quod nummos ſuos minuerit.* Hæc merito ut minuta Vir Doctiſſ. repudiat; genuinum ſenſum II. contendens, *Nihil abiturum impune quod non pari, dignoque, ſupplicio adficiatur: ita tamen, ut temporalis voluptatis, quæ ex peccato percepta eſt, ſupplicium, & cruciatus, æternus ſit.* Eum certe expreſſit *Vulgat. Luet quæ fecit omnia, nec tamen conſumetur; ſecundum multitudinem adinventionum ſuarum, ſic & ſuſtinebit.* At liberius hæc verſa, quam par, ne ipſi quidem Doctores Pontificii inficias eunt; *de Pineda non devorabit* imperſonaliter ſumtum autumante, pro *non devorabitur*: at *Vataſſore* quaſi ex *Niphal* יִבָּלַע hoc exſculptum cenſente. Reliqua non mollius in hunc ſenſum inflectuntur. Eum propterea deſerens *Bold.* III. exhibet, *Lucrum iniquum quo diteſcere ſperabat* improbus, *non deglutiet; ſed reſtitutio ei facienda erit ad æqualitatem omnium bonorum ſuorum.* Admodum argute tractat כחיל תמורתו *ſecundum ſubſtantiam, permutatio ejus erit.* i. e. *ſententia judicis cogetur reſtituere, tantam vim pecuniæ male acquiſitæ, ut omnes ejus facultates in ſummam judicatam ve-*

veniant impendendæ. Addit ſe *alias interpretationes* velut *nothas*, & *illegitimas*, ſubiicere. Nimis ſuperbe & confidenter. *Mercerus* ſaltem laudari potuiſſet ut ὁμόψηφος; ſic enim ille IV. *Reddet facultates labore multo partas*, *nec corraſas abſorbebit* diu fruens iis; *juxta robur* i. e. *opes permutationis ſuæ* reddet rapta, *nec exultabit* de illis. *Juxta Opes permutationis* explicat, *juxta menſuram opum quas rapuit, vice rerum jam mutata: ut cum ante alios ſpoliarit, nunc & ipſe ſpolietur.* Vel cum Hebræis, *Quia pro opibus quas rapuit, ſuas ipſe dare cogetur.* Huc & Doct. *Belgæ* accedunt; qui יגע *laborem* malunt *de opibus aliorum labore multo partis* accipere, quam *de facultatibus quas ſibi rapiendo, & radendo*, non ſine labore, *convexerit* improbus. Addidit *Merc. Quod ſupra figurate dictum ſub Allegoria cibi qui evomitur, nunc ſimpliciter & recta oratione dici.* Id *Tautologum* fore metuentes alii, V. alia plane via tentarunt, *Repetens laborem, non abſorbebit tamen; vel compenſationem opum ſuarum, non exultabit tamen.* Ita *Jun.* & *Trem.* in hanc mentem; *Etiamſi poſtea laboret ſedulo, & ſuo labore lacunam damni, a Deo illati, expleturus ſibi videatur, opeſque amiſſas compenſaturus, fructum tamen non percipiet, ne raptim quidem, ac non gaudebit eo.* Volunt *Hypallagen* eſſe in חיל תמורתו *opes permutationis*, ſive *compenſationis ejus*, pro *compenſatione opum.* Parilia habet Cl. *de Dieu.* Doct. *Crinſoz.* hunc adſpectum eleganter expreſſit, liberiuſcule ולא יבלע *& non deglutit*, convertens, *etiamſi frugaliſſime victitet.* Et nos in *Juvenil.* dabamus liberius, *Multum laborat, ſed non perficit*; ex uſu ꝑ בלע بلغ apud *Arabes*: ſequens autem Colon ſic; *Et ſecundum ſtrophas, arteſque; commercio ſuo non exultat.* Mea quidem hæcce plane ſperno, in ſpongiamque ire jubeo: aliis quoque conatibus illis non multum tribuo; quum fruſtra ſupponatur *induci Improbum ruinas ſuas reſarcire laborantem.* Doct. *Schmid.* VI. *Tautologiam* evadi non poſſe cenſens, niſi *diverſum genus improborum* aſſumatur, propterea novi ſermonis initium capit *Vſ.* præced. quaſi *improbo creſcenti* negetur *ſummum* tamen *faſtigium, firmitaſque fortunarum.* Huic *primæ remoræ*, *alterum* nunc *gradum* fortunæ retro labentis annectit, quod *Talem impium mox timere deſinant homines; quin undiquaque adoriantur, ut quæ rapuit reſtituere cogatur, ad quod quidem ille adigatur, non pro ratione raptorum, tantum, ſed etiam duplo, atque adeo quadruplo.* Ejus verſio ſic habet, *Reſtituens erit laborem* aliorum, *nec rapiet* amplius ad ſe: *Secundum opes compenſationis ejus* reddet, & *non gaudebit.* Formulam כחיל תמורתו declarat, *tantum, quantum rapti juſta compenſatio, ſecundum rigorem Legis, exigit*, vel *duplo*, vel *quadruplo.* Simile quid, nec tamen idem, invenio apud *Codurc.* qui VII. ſe *locum obſcuriſſimum*, & ab Interpretibus *infuſcatum* magis, quam *elucidatum, facilem lucidumque facturum* præfatus, hunc ſenſum effert, *improbum reſtituturum mercedem retentam, & luiturum pœnas, atque* ἀντίλυτρον; quod per חיל תמורתו putat deſignatum; quaſi dicas nempe *opes permutationis ejus*, i. e. *pretium quo ſemet redimere cogitur.* Placet in hoc conamine, quod יגע *Laborem pauperis* interpretetur, ſive μισθὸν τῶν ἐργατῶν τὸν ἀπεστερημένον *Jac.* 5: 4. nam id inter *Crimina graviora*, quæ *vindictam Dei provocent*, ſemper habitum, atque infra etiam recenſitum *Cap.* 24. III. *Grotio* eadem ſedet ſententia, commodius adhuc VIII. ita vertenti, *Reſtituere cogetur* in judicio *retentam mercedem laboris, ne ea frui poſſit*; *pro facultate compenſabit omnia* damna data, *ne lætetur* furto. Cl. *Cocc.* IX. hiſce vicinus valde, niſi quod *Laborem improbi ipſius*, accipiat de *opibus qua bene qua male partis per laborem*; *quas omnes ei erepturum ſit judicium repetundarum.* Subtiliſſime autem verſatur in כחיל תמורתו, *ſecundum copiam permutationis ejus*, quaſi duplici ſenſu polleret, atque indicarentur *opes, partim in quærendo commutatæ cum omnibus fluviiſque mellis*, i. e. veris bonis: *partim in judicando commutandæ cum injuria quam fecit.* Cl. *Reim.* hinc non multum abeſt; כחיל תמורתו reddens *ſecundum vim omnem juris repetundarum.* Hoc & *Schmidius* intendebat, quamvis aliter phraſin enucleans. Rarum ac mirum, quod apud *Calvin.* X. reperio, *ſecundum vim* ſive *ferociam mutationis ejus*; i. e. *quamvis videatur Deo inſultare, omneſque limites quos poſuit mutare ac mo-*

movere, *omnia violenter miſcens ac turbans*, *tandem tamen vindici Deo pœnas pendet.* Hæc ille pluribus, Concioni apta, Commentatioui noſtræ minus. Cl. *Cler.* quid voluerit, vix capio; *Reſtituet laboris mercedem*, *nec eum abſumet*, & *quidem pro portione opum ſuarum*, *nec gaudebit.* Hæc prima fronte interpretationi *Grotianæ* reſpondent; *paraphraſis* tamen & *Commentarius* aliud ſuggerunt, *improbum perſoluturum quidem mercedem laboris*, *nec tamen fructu ullo gaviſurum*, *pro ratione pretii quod ex opibus ſuis perſolverit.* Obſcure, mihi ſaltem. Cl. *Crom.* XI. aquam hærere interpretibus, nec immerito, obſervans, poſteriori membro hanc faciem dat, *Certe copiam frumenti ſui* reſtituere eum oportebit, *nec guſtabit.* Id *pronum* ac *facile* cenſet, quum מור مـار *Arabibus* valeat *commeatum frumenti attulit*: & עלס علس ſit *bibit*, *edit*, *guſtavit.* Et mihi præcedenti לא יבלע *non deglutiet*, ſuccinere aliquando viſum ולא יעלס *Neque guſtabit*: ſed abſterrebat עלס aliter uſurpatum infra *Cap.* 39. Faveo tamen conjecturæ, neutiquam pœnitendæ, quum תמורה *permutatio* & *commeatus*, ex uno fonte fluxerint; & *guſtare*, *edere*, *bibere*, a *letando* derivari potuerint. Attamen vehementius quid requiro, & illud *non guſtabit* quamvis *grave* videri queat, revera *leve* eſt, & *languidum*, ubi de *Reſtituendo rapto* agitur. Eſt adhuc aliud, quod explicationibus omnibus, quas percenſui, officit; *eas* nempe *pœnas* hic *pingi improbæ avaritiæ*, *avaræque improbitatis*, quæ in *Jobum* ſimul quadrent, atque ipſi, domuique ejus, cum maxime incumbant. Hoc in omnibus *aggreſſionibus* Amicorum eandem incudem tundentium, vidimus obſervatum, quippe qui tela ſua vel directe, vel oblique, ſemper in Noſtrum torſerint: atque eas improborum Calamitates in medium contulerint, quarum Exemplum in ſe ipſo quoque deprendere poſſet *Jobus.* Jam vero Noſtro *Repetundarum judicium nullum* utique *a quoquam intentatum*: ac proinde quæ hic de *Reſtitutione bonorum raptorum in foro humano* adducuntur, ſcopum, ſeriemque contentionis, minus ſervant. Quid ergo? locumne hactenus impervium fatebimur? Id quidem haud dedecet prudentem interpretem; nec tamen XII. deſperem aliquid commodius; ad quod prægreſſi conatus prælucent; præſertim qui III. IV. VII. & VIII. loco propoſiti. Nempe expeditiora erunt omnia, ſi a *Foro ſoli*, adſcendamus ad *Forum poli*, atque ad *Extraordinarium* illud *Judicium*, quo Noſtrum *omnibus bonis* uno die *evolutum*, *repetundarum* veluti *pœnas juſtiſſimo oppreſſorum Vindici perſolviſſe* pronunciabant inclementes Cenſores. Hoc ipſum *Vſ.* 15. indicari cœptum, & *allegorice* deſcriptum, exornatumque, nunc pertexitur, clarioribuſque verbis conſignatur. In his יגע eſſe *Mercedem operariorum*, quo Improbus avarus fraudaverit דלים *egenos*, *tenueſque*, ex *Vſ. ſeq* liquere putem; qui haud dubie arctiſſime cum hocce eſt copulatus. Sic יגיע כפים *Labor manuum* pro *Mercede* משכרת *Pſ.* 128. 2. Hoc *Gen.* 31: 7. 41. eſt החליף משכרת *fruſtrari mercedem*, pro quo יגע ſubſtitui poſſet. Crimen a ſe depellet Noſter *Cap.* 31: 39. atque *Cap.* 24: 11. 12. inter capitaliſſima atro carbone notabit. Illam *mercedem deglutire* ſolent *divites avari* ac *præpotentes*, quorum numero *Jobum* accenſebant Amici. Hoc *Vſ.* 15. erat inſinuatum in חיל בלע, niſi quod ibi latior adhuc conſpectus *inſatiabilis opum cupiditatis.* Nunc preſſius ſubſumitur ratione *Mercedum defraudatarum*, id non ultra permiſſurum Deum, ſed illuc tandem adacturum Raptorem, ut quod injuſte hauſit, juſtiſſime ſimul ſemelque *reddat* ac quaſi *revomat.* Hoc fit in *Foro Cœli*, quum Extraordinariis calamitatibus, *Fulminibus*, *Ruinis*, *incendiis*, *graſſaturis*, *Cædibus*, *male parta jam non* lentis viis *male dilabuntur*, ſed *uno* velut *ictu diſſipantur.* Hoc ipſum expreſſum crediderim per formulam כחיל תמורתו *ſecundum opulentiam*, *permutatio ejus*; vel &, *fluctuans illius viciſſitudo.* Ad *Cap.* 15: 31. habuimus vocem תמורה, ejuſque *Originem* in *motu reciprocato*, unde *Mutationis*, & *permutationis* ſecundaria vis ſuccreverit. Si *primariam notionem* teneamus, hic ſenſus exiſtet, *pro magnitudine opum* aderit *flu-*

19 כי־רצץ עזב דלים בית גזל
ולא יבנהו :

19 Quia concuſſos dereliquit pauperes ; domum ſpoliavit , & non ædificavit eam.

20 Pro-

20 כי

fluctuans viciſſitudo, per quam cuncta ſubito *dilapſa fluant*, atque *evaneſcant*: ſic *adſ.* in תמורתו rediret ad חיל *opes*. Hoc poſteriori explicationi *Cap.* 15: 31. concineret. Priori magis reſponderet preſſior uſus ἀλλάγματος, ἀνταλλάγματος, qui occurrit *Cap.* 28: 17. & *Lev.* 27: 10. 33. *Ruth.* 4: 7. in hunc ſenſum, *pro magnitudine opum* erit *illius permutatio*, compenſatio, *adſixo* ad יגע *Mercedem laborum* redeunte. Hoc eſt, *Pro iſta* præſertim *fraude*, & *rapina*, Deo *exoſiſſima*, *omnibus opibus mulctabitur*, quæ ipſi *uno momento*, per ſingulare Judicium, *adimentur*. Nempe *male parta etiam juſtas opes contaminant* quaſi, *ac conſumunt*; quique *mercede pauperum intercepta cumulos auri argentique* ſui *adauxit*, illos omnes ſubito *dirui*, ac *diſſipari* cernet, in prædamque viciſſim Raptoribus aliis concedi. Habes quod *Jobum* directe feriat; ejuſque caſum pingat. Non obſtat חיל *forma constructa*, unde *opes permutationis* alii dedere: nam & in *abſoluto* חֵיל enunciatum, diſcas ex *Eſai.* 36: 2. & 2 *Reg.* 18: 17. Conſimiliter לֵיל *Eſai.* 21: 11. & *Cant.* 7: 10. Structura plena dediſſet, כחילו כן תהיה תמורתו, *prout opulentia eſt*, *ſic erit permutatio ejus*; ut *Hoſ.* 4: 8. כרבם כן חטאו לי. Id conciſum in כחיל תמורתו, quod reliquæ granditati hujus Libri conſonum. Ultimum ולא יעלם citra *Ellipſin* hinc, quam *Merc.* illinc *Pleonaſmum*, quem alii inducunt, limpide nunc fluit, *Et non exultabit*, non gaudebit rapto, ſed contra, *ſemet direptum ſpoliatumque dolebit*. Μείωσις magnum pondus ferens.

Verſ. 19. Nudis jam verbis exprimitur crimen *Vſ.* 15. & 18. notatum; ſimulque *ratio redditur ſeveriſſimæ vindictæ, improbo Raptori incumbentis.* Neſcio tamen quid ambagium & hic quæſitum a Viris Doctiſſ. qui non tantum *Culpam rapinæ* & *oppreſſionis*, ſed & *pœnam* ſimul hinc exſculpendam cenſuere. Iſta mente I. Doct. *Merc.* *Quia attrivit*, *reliquit tenues* ; *domum rapuit* , *neque ædificabit eam.* Cenſet hoc dici juxta maledictionem Legis , quod *licet improbus domum rapuerit*, *quaſi in ea habitaturus & eam ſibi concinnaturus*, *id tamen præreptus immatura morte*, *vel & ad inopiam adactus*, *expulſuſve*, *facere impediatur.* Eodem ferme II. redit *Schmidius*; *Quia attrivit*, *aut ope deſtituit pauperes*, *ideo fiet quidem ut domorum potiatur* , *quas ipſi pauperes vel vendere*, *vel relinquere coguntur* , *non tamen permittet Deus ut eas ædificare in ſuum uſum*, *multo minus ut inhabitare poſſit.* Duo facit crimina in priori membro; *Atterere*, aut *ſaltem deſtituere ope*; quod rectius *Mercero* fuerat, *ita atterere homines ut eos tenues relinquat.* Similiter *Cocc.* III. *Non prius deſtitit vexare homines*, *quam exueret bonis*, *tenueſque relinqueret.* *Rapere autem domum dicitur de omni manifeſtaria occupatione alieni*, *ſive fiat ſub ſpecie juris ſive non.* *Neque ædificat*, porro, *vel ad pœnam referendum eſt*, *vel ad peccatum*, *ſive ut ſit exegeſis* κατ' ἀντίφρασιν, *ſive ut ſit connexum : nimirum*, *quod domum rapuit non ædificaturus.* *Fit enim ſæpe* , *ut potentiores pauperibus domos eripiant*, *& dein per neglectum collabi ſinant.* Poſterius hocce nimis argutum: in quo tamen ſibi unice placuit *Bolduc.* hunc IV. conſpectum præbens , *Confregit pauperem*, *domum ejus in pignus capiendo* , *quæ ſola*, *forſitan*, *tota ejus ſubſtantia: quam deinde inanem & neglectam corruere ſiverit*; *unde & miſer ille debitor plane dirutus fuerit.* Ulterius adhuc evagatus, *Jura Emphyteuſeos violata* hinc elicit; *ob quæ improbus tandem ſententia Judicis cogatur*, *ſub obligatione omnium facultatum*, *damna pauperi illata reſarcire*, *ac reparare.* Dubium V. *culpamne* intenderit Cl. *de Dieu*, an *pœnam*, ita ſtruens, *quando confregit*, *dereliquit tenues*, *domum rapuit*, *non ædificabit eam.* Crediderim tamen *pœnam*, ſenſu

Mer-

20 Profecto non experitur liquide defœcatum in ventre ſuo: delicias ſuas non excludet partu.

21 Ni-

20 כי לא־ידע שלו בבטנו בחמודו לא ימלט׃

21 אין־

Merceriano; quem *Clar. Mich. & Reim.* quoque amplexi. Propius adhuc *pœnam* captavit VI. *Deod. Quia attrivit* alios, *ideo relinquet* poſt ſe *egenos* filios &c. Præivit *Ab. Eſra*, qui dat עזב במותו *relinquit in morte ſua tenues* filios. Sic ſequentia quoque ad *Domum ipſius improbi everſam* pertinerent. Hoc VII. adſcitum a *Codurc.* in hunc modum, *Quandoquidem attrivit, deſeruit inopes; domum diripit, non ædificat illam. Qui malis artibus quærunt divitias*, vel *rapina* nempe, vel *avaritia*, non ſuccurrendo egenis, *Domum ſuam non ædificant, ſed deſtruunt.* Id & mihi aliquando in mentem fuerat. Series tamen iis magis favet, qui omnia ad *Culpæ exaggerationem* referunt: inter quos VIII. *Vatabl.* ſic: *Quia adeo attrivit res aliorum, ut eos ad paupertatem redegerit; & quia domos rapuit quas non ædificaverat.* Meminit *Merc.* Secuti ſunt Doct. *Belgæ.* Idem placuit *Erud. Vavaſſori*, qui ait, *eſſe Vulgarem rationem loquendi*, pro, *diripuit domum in quam nihil neque operæ, neque impenſæ, contulerat:* proat populariter dici ſolet, *Extruxiſtine domum hanc, quod eam ita deſtruas?* Acutius, vereor, quam ſolidius. Mihi certe IX. fortius ſonat *Vulgatus*, *Quoniam confringens nudavit pauperes; domum rapuit, & non ædificavit eam.* Rectiſſime I. רצץ עזב tanquam *unum crimen*. Qui duo captant, ſpecioſe illi quidem, ſed minus nervoſe. *Attrivit deſeruit*, ſolemni Hebraiſmo, pro *atterens deſeruit, abjecit, nudosque reliquit*, ſine ulla miſericordia. דלים. ſunt vel *pauperes facti* vexationibus perpetuis potentioris; vel, quod malim, *tenues*, & *impotentes* qui propter *impotentiam*, ut *Terent.* ait, *non negligi* tantum ſolent, *ſed & injuriis* potentiorum *patent.* En aliud *Cicer.* pro *Muræn.* 28. *Ad ſalutem innocentium, ad opem impotentium, ad auxilium calamitoſorum*; unde hunc uſum *impotentis*, in tranſitu, confirmare liceat contra delicatiores quoſdam, qui ab eo reſiliunt. Solide 2. *rapuit, & non ædificavit*, per figuram *Orientalibus* protritam, qua ornant; & augent. Geminum germanum. *Pſ.* 28: 5. יהרכם ולא יבנם *deſtruet eos, & non ædificabit eos.* Exempla Biblica ὅσαι κόμαι. Apud *Græcos* & *Latinos* conſimilium larga ſeges. Miror aliud quæſitum a *de Pined.* Hæc eſt illa *Exegeſis* κατ' ἀντίφρασιν, quam Cl. *Cocc.* obiter tetigiſſe vidimus. Ejuſdem meminere & *Belg.* in *not.* A *Jun.* & *Trem.* ea *pluraliter* ſic expreſſa, *Domos diripuit, non extruxit eas*; per ſane commode; nam בית *collective* poſitum eſſe, dubitari nequit. Conſentiunt *Grot. Cler. Crinſoz.* His criminibus contactum cenſaiſſe Noſtrum Objurgatores, videbimus infra *Cap.* 22: 6, 7, 8, 9. Eadem *Cap.* 31. non ſemel a ſe removebit.

Verſ. 20. Nihil toto hoc capite obſcurius: ambigiturque iterum, *peccatum* deſcribatur, an *ſupplicium*; an *utrumque* ſimul. Cl. *Cocc.* 1. ad *peccatum* omnia trahit, & ſpeciatim ad *Luxum.* Supponit, incipere hic *tertium modum*, quo improborum Fortuna e ſummo culmine ad imum revolvatur, *Luxuriem* videlicet, & quidem אא *per paupertatem ex illa conſequentem Vſ.* 20: 21. בב *per ſumtus inevitabiles Vſ.* 22. גג *per morbos inde provenientes Vſ.* 23: 24. 25. דד. *per ademtionem mediorum luxuriæ plagis extraordinariis. Vſ.* 26. 27. 28. Non rotundiſſime hæc diviſa, ac digeſta, quilibet ſentit. Ex hac *Hypotheſi Vſ.* noſter ſic convertitur, *Quandoquidem non eſt conſcius tranquillus ventri ſuo; in deliciis ſuis nihil ſinit evadere.* שלו *Tranquillus*, pro *voluptario, & deliciis carnis ſecure indulgenti*: ut *Pſ.* 73: 12. & *Eſech.* 16: 49. Is *non conſcius ventri ſuo*, quatenus *non conſiderat modum ventris ſui, & fines naturalium deſideriorum; ſed gulæ ſuæ inſervit:* ac proinde *nihil deliciarum, quas appetit ſibi, gulæque ſuæ, negat. Omnibus inhiat. Ab una voluptate in aliam provolvitur: in volutabro ſuo hæret.* Habent hæc, quod ſeri-

ferire poſſit. Duriora tamen ſunt, collata præſertim cum *Hebræo*; nam בבטנו לא ירע *Non conſcius eſt ventri ſuo*, dari poſſe, neutiquam ex *Jer.* 38: 24. comprobatur. Deinde *modum naturalem ventris ſui ignorare*, ſic expreſſum, non concoquo. *Non Conſcium ventri ſuo* intelligerem potius *ſobrium*, *& frugalem*, quam *luxurioſum*. Poſterius quoque Colon non molliter fluit. In *crimine* etiam hinc eruendo laboratum a Cl. *Cler.* II. qui præfatus, nec veterum nec Recentiorum quemquam quicquam veriſimile protuliſſe, hunc eſſe ſuſpicatur ſenſum; *Quia* improbus ſe *non animadvertit tranquillum in ventre ſuo*, nec cupiditati ſuæ ſatisfactum, *non ſatis ei fuiſſe pretioſa* alienæ domus *rapuiſſe*, *ſed & ſolo eam æquaſſe.* Sic *Rapinæ avaræ* annecteretur *ſævitia impotens*, in domibus pauperum deſtruendis. Id unde *Veriſimile* viſum Viro Docto, non invenio. Mihi longe plauſibilius ſaltem, quod *Hieron.* dedit III. *Nec eſt ſatiatus venter ejus*, *& cum habuerit*, *quæ concupierit*, *poſſidere non poterit.* Hæc quomodo cum *Hebræis* conſentiant, nemo dixerit, ait Cl. *Cler.* Atqui prius Colon ipſe iſtoc ſenſu mactat. Poſterius quoque ſat promtum, ſi בחמודו לא ימלט ſumas, *id quod concupiſcit*, *non eripiet*, aut *tutum præſtabit ſibi.* Sic *Tigur.* fere. *Neque conſervare poterit res optatas.* Itemque *Nicet.* in *Caten.* *Eorum quæ adeptus eſt poſſeſſionem non retinebit incolumem.* Malebat intranſitive *Bolduc.* *in deſiderio ſuo non evadet*, eodem ſenſu. Eidem primum membrum ſonat, *Quia non novit pacem in ventre ſuo*, i. e. *quia habet impacatam ingluviem* veluti *ac Cupiditatem*, quam *ventris* nomine ſignatam cenſet. *Druſ.* in hanc mentem, *Quia non novit abundans in ventre ſuo*, *optatum ſuum non eripiet.* Habes *crimen*, cum *pœna* annexa. Eodem tendit IV. *Merc.* *Quia non novit tranquillum in ventre ſuo*, quia nunquam pacato & tranquillo animo eſt, ſed perpetuo inſatiabilis, *optatiſſima quæque ſua non eripiet*, neque iiſdem fruetur. Conſentiunt *Piſc. Belg. Deod. Grot. Crinſoz. Reim.* &c. *Syrus* & *Arabs* huc quoque revocandi. Paulo aliter *Schmid.* V. *Quia ventrem habet implacatum*, & inſatiabilem, ideo *per deſiderabilia ſua non eripiet* eum ventrem. i c. *ſe ipſum. Ne quidem pretioſiſſimis rerum expiare & avertere poterit pœnas in ipſum venturas.* Id præcedenti interpretationi non prætulerim. R. *Salom.* VI. per חמוד intelligit *cuticulam nitidam*, & *bene curatam*, ex *Pſ.* 39: 12. in hanc mentem, *Quod ventrem habuerit nunquam pacatum*, *ſatiatumque*, *ſed cuticulam ſuam laute & largiter ſaginarit*, *ideo non ſervabit nitidam illam & optatam ſpeciem.* Veſtigiis inſtitit *Chaldæi.* Non valde ad rem. Alienius VII *Nachmanides*, *Non noſcet inter filios ventris quemquam tranquillum*; *quin ne optatum quidem ſuum excludet*, *atque in lucem edet. Filios quos tam vehementer optat*, *non procreabit in flore ætatis rapiendus.* Figuratius ex *pariendi* notione, quæ ſub מלט, tentatum a Cl. *de Dieu.* VIII. *Quando non novit tranquillum in ventre ſuo*, *pro deſiderio ſuo non pariet.* i. e. *Etiamſi parturierit*, *non tamen pariet*, *quod optat.* Revocatur ad conatum res ſuas inſtaurandi; quem & verſui 18. ineſſe putabat Vir Doct. Diverſiſſimo adſpectu *Jun.* & *Trem.* IX. *Nam nihil experitur tranquilli in ventre ſuo: cum re deſiderabili ſua non proripit ſe.* Refertur ad *infirmitatem corporis*, & *pœnam quæ evadi non poterit.* Hauſtum ex R. *Levi*; a quo & *Vatabl.* ſtat, *Certe non agnoſcet tranquillum*, i. e. ſanum quippiam, *in ventre ſuo*, *ſed mirabiles in corpore ſuo ſentiet ægritudines: nec quicquam eorum quæ in deliciis habet*, *ſervabit ſibi.* Id in *Verſ. Anglic.* expreſſum, & quidem ſic, ut *pœna* hæc ſubnectatur *Crimini Vſ.* 19. Proximus hiſce X. *Codurc.* *Ideo non ſentiet quietem in ventre ſuo*, *nec quicquam ſervabit de eo quod appetiverat.* Addit, *continuari Metaph. ab Helluonibus*, *qui repentinis ſæpe morbis corripiuntur: ut conſimiliter improbus*, *aliena bona deglutiens*, *inteſtinis torminibus cruciandus* dicatur, *cum dejectione & vomitu:* Pergit; *per illa tormina intellige turbas civiles*, *bella inteſtina*, *odia domeſtica*, *atque omnia civitatum & familiarum vitia*, *quibus Res publ. & privata in pejus ruit.* Laudo quod *Allegoriam* teneat; & *tormina ventris nimium ſeſe onerantis* inducat: ſed *turbas civiles* & alia, quæ huc adducta, minus probarem; niſi quatenus per accommodationem quoque illuc extendi poſſet, quod pro ſcopo præſenti reſtrictum ad *extraordinaria damna*, *caſuſque acerbiſſimos*, quibus tum *Fortuna*, tum *perſona improbi*, poſtquam ſeſe intemperanter replevit atque oneravit, iterum ſeſe veluti exonerare

21 Nihil reſiduum *manſit* vorationi ejus; propterea Nihilum parturiet Fortuna ejus.

21 אין־שריד לאכלו על־כן לא־ יחיל טובו׃

22 Quum

22 במלאות

rare cogitur: cupiditatis, & ingluviei inexplebilis, pœnis tandem, agmine facto, ingruentibus, atque improbum miſere diſcruciantibus, donec ſub ira, & maledictione Dei conſumatur. Ut hunc ſenſum XI. ulterius commendem, obſervo יְשָׁלֵו ex *origine* ſua ſonare *liquide defæcatum, ſine fæcibus opimum & eliquatum.* Hoc late adſtructum *L.* 2. *Origin.* Sic perpulchre locatum foret, *Nam non experitur liquide defæcatum in ventre ſuo*, ſed contra turbida, fæculenta, & mille doloribus fœta, omnia quæ pro *pinguibus*, & *opimis bonis*, tam avide haurire ſolebat. Nihil horum ſibi שׁלוה *tranquillitatem*, & *curis vacuam felicitatem* attuliſſe ſentiet, ſed *anxietatem*, *cruciatus viſcerum*, & *tormenta infinita*; quæ tum *vivo*, tum *mortuo*, *adhæreſcent*. Connecterem hocce כי *Nam*, cum *Vſ.* 18. nec non 15. & 16. ut iiſdem pro amplificatione ſubſerviat, verſibus 17. & 19. per *Parentheſin* inſertis. Poteſt etiam propior copula peti ex *Vſ.* 19. ſi כי pro *Certe* ſumatur, ut ſupra *Cap.* 8: 6. *Quoniam* &c. *domum rapuit &c. Sane non experitur eliquatum in ventre ſuo.* Utrumque ad *pœnam* tendit, in quam & forma loquendi pronior. Eodem fertur poſterius Colon, in quo animi pendeo. Non male quadrat illud, *optatum ſuum non eripiet*, ſed omnem prædam, atque adeo omnes in univerſum opes, graviſſimis ſub cladibus, perdet. Blanditur interim, *Optatum ſuum non excludet partu*; nam ut *num.* VIII. ſubmonui anceps eſt verbum מלט, cujus *Pihel* & *Hiph.* transferri amat ad *fœtus partu editos*, *alvoque prolapſos*. Videſis *Eſaj* 34: 15. & 66: 7. Iſti ſenſui lucem ferre poſſet *Jer.* 17: 11. *Gallinago incubat ova, & non excludit fœtum: ſic parans opulentiam injuſte &c.* Vel &, *incubat ova quæ non peperit.* Per *optatum non excluſum*, intelligerem *ſpes felicitatis eluſas*, *creſcentiſque Domus potentiam in partu* ipſo *interceptam*, atque *extinctam*. Sentis tela, quæ in *Jobi* caput recidant. Si quis limpidius quid dederit, gaudebo: nam ne in hoc quidem ſenſu penitus conquieſco.

Verſ. 21. Novi fluctus. Cl. *Cocc.* I. ad *Luxum*, & *diſſipationem bonorum* ſic applicat. *Ejus quod edit nil reliquum facit. Gurges eſt. Omnia abſumit: nec manet bonum ejus.* Doct. *de Pined.* II. ad *Vulgatam*, *Non remanſit de cibo ejus, & propterea nihil remanebit de bonis ejus*; obſervat, *Cajetanum* retuliſſe ad *ſordidam avari parſimoniam quæ reliquias ciborum nullas faciens*, & tenuiſſime ſuſtinens, *amiſſione tamen bonorum puniatur.* Sed convenientius autumat, ut de *Luxuria inexplebili*, & *guloſitate* explicetur, *qua nihil non expetat ad comedendum: atque de voluptatibus oblatis nihil prætermittat.* Hæc duo tetigit & *Vavaſſ.* *Nullæ reliquiæ, ſive tenuitate ciborum, ſeu voracitate comedentis.* Addit *de Pined.* III. Utrumque colon commode accipi poſſe de *Extrema paupertate, ad quam redigendus ſit improbus.* Hoc *Mercero* unice placuerat, danti, *Non erit reſiduum cibo ejus*, ſed omnibus bonis ſpoliabitur, talionis lege, ut qui nihil aliis reliquum fecerat, nihil reliquum habeat. *Propterea non expectabit bonum ſuum.* Nihil erit quod in bona ſua ſperet, e quibus nihil ſupererit. Nempe חול *Manſit* exponitur; itemque *expectavit.* Addit, R. *Salom.* & *Levi* hoc ultimum malle, *non proſperabitur bonum ejus*: R. *Periz. non corroborabitur*, vel *multiplicabitur*; a חיל quatenus vel *proſperitatem* vel *multitudinem* & *robur* notat. Confer *Druſ.* eadem redditurum. Itemque *Jun. Piſc. Deod. Belg.* Huic ſententiæ accedit, eamque *primæ & ſecundæ*, abſque dubio præferendam pronunciat *Bolduc.* ut *impio poſt ſoluta debita ne quidem remanſurum* dicatur *quod comedat, ac proinde non eſſe quod bona ſua iterum fœnus ei aliquod parturire poſſe ſperet.* Reſpicit ad חול *parturivit*, unde & *Vatabl. Non parturiet bonum ejus.* Conſimiliter *Codurc.* itemque *Guſſ.* in *Comm.* L. H. *Opes ejus nihil parient. Steriles erunt, & decreſcent paulatim, donec omni-*

no

no deficiant. Id lentum hac in ſede. Miro acumine IV. *Tigur. Cibo illius non aderit vis nutriendi* &c. quaſi שריד *Reſiduum* pertineret ad *id quod in corpus e cibo ſe diffundit ad alendum.* Ad *avaritiam in pauperes* V. cum *Jarchio*, *Grotius* & *Codurcus*; quibus *nihil reliqui facere* dicatur improbus. *Coccejus* hoc ipſum *luxui* adjunxit, qualis nempe illa *Diviti Epulonis*, vel *micam Lazaro* invidentis. *Schmidius* VI. *Non fuit reſiduum* quod, vel *reſiduus quem ederet*; *ideo non manebit bonum ejus.* Exponit de *Bonis pauperum*, vel & *ipſis pauperibus*, ab improbo *devoratis.* Eodem modo & *Cler.* niſi quod pro *non manebit*, mallet, *non faciet ut bonum ejus maneat ac perennet.* Hoc redit ad meum illud in *Juven. non adminiſtrabit bonum ejus*: quod nec tunc valde probavi, & nunc plane improbo. *Angli* ſupplent, *ideo bonum ejus* nemo homo *curabit.* Ut ex hac fluctuatione, ſi pote, emergamus, obſervari velim, שריד non eſſe *omne reſiduum*, ſed *ſuperſtitem ex clade.* Vide modo *Num.* 21: 36. *Jer.* 31: 2. *Job.* 18: 19. & 27: 45. Hoc anſam dedit VII. interpretationi *Syri*, & *Arabis*, *Non elabetur quiſquam ex proſapia ejus* &c. quo exemplo & alii, VIII. apud *Merc. Non erit reſiduus ei*, vel *ſuperſtes*, *hæres bonorum* &c. Hæc parum commoda. Aptius ad ſeriem, quod dedit *Schmid.* Vide tamen IX. an concinnius exiturum ſit, *Non eſt ſuperſtes* elapſus *vorationi ejus*: *propterea non parturiet Bonum ejus.* שריד ubique *maſculine* venit, pro *elapſo ex clade communi*: nec cauſa eſt, cur *Neutrum* credamus; quum ad דלים *tenues* a potente divite exhauſtos, *Vſ.* 19. ſponte ſemet referat. Iſta *vexatio* hic vocatur אֱכֹל *Comeſtio*, *devoratio*, forma *infin. Conſtr.* Habes uſum *Pſ.* 14: 4. אכלו עמי לחם אכלו. Apud *Arabes*, præſertim regnat notio; quibus אכל اكل *comedit*, in genere eſt *turpe lucrum captavit*, vel *paravit*: in ſpecie *concuſſione* & *vexatione ſubjectorum uſus eſt* princeps. Invaluit hinc abſolute מאכול ماكول *Comeſus*, pro *ſubdito populo*; & آكل *Edentes*, pro *principibus*, qui δημοβόροι βασιλεῖς Poëtæ. Pariliter אוכל آكل *part. præſ. Comedens*, apud Cl. *Gol* exponitur پادشاه *Rex*, *quod edat vectigalia & tributa.* Itemque *Tyrannus devorans & exhauriens ſubditos*: nec non مستاكلة *part* 10. *Qui alienas opes appetunt*, *exhauriuntque.* Hæc, ad prius membrum, ſcrupulum nullum relinquunt. Poſterius non æque expeditum. Nam *Non parturiet bonum ſuum*, ſumi poſſet, ut *Vſ.* præc. *Optatum ſuum non excludet partu*, variata phraſi: poſſet etiam, caſu recto, *Bonum ejus non parturiet*, non edet fructum illum quem ſperaverat; ſed omnis ejus *Fortuna* veluti *abortietur.* Ita verbum noſtrum occurrit *Eſaj.* 45: 10. *Quid* תחילין *parturires*? i. e. *partu excluderes*? Habes *Figuram* grandem, & Cothurno dignam. Sed en altiorem adhuc, *propterea Bonum ejus parturiet Nihilum*, τὸ μηδέν. חול & חיל ſignificant ὠδίνειν *dolore cruciari*, præſertim ex *partu*: nec non *parturire.* Pulchre *Soph. Trach.* 328.

> Ἀλλ' αἰὲν ὠδίνουσα συμφορᾶς βάρος
> Δακρυῤῥοεῖ δύστηνος —

> *Sed ſemper calamitatis onus parturiens,*
> *Diffluit lacrymis miſera.* —

Id eſt *calamitatis onere prægravata*, & *doloribus acerrimis excruciata.* Supra *Cap.* 15: 20. etiam *figuratum* vidimus, *Omnes dies Improbus ſibimet parturit.* Malum ſibi fovet intus, paratque, mox gravi dolore erupturum. Sic *Bonum ejus parturiet Nihilum*, τὸ μηδέν, *Tragice* ſonaret, *Fortuna ejus graviſſimos inter cruciatus ad Nihilum redigetur*, *idque pro fœtu omni* tandem *pariet*, atque *excludet.* Uſum iſtum *ſubſtantivum* ꝟ לא adſtruxi *Cap.* 4: 6. 21. atque ad *Cap.* 22: 20. novis exemplis inſtruam. Optio difficilis interim, inter *Fortunam non parturientem* quicquam boni; & *inter Fortunam parturientem Nihil*, h. e. *ruinam*, & *interitum ipſum.* Utrumque Linguæ genio congruum: poſterius tamen eidem, nec non ſtylo grandiſono, congruentius.

Verſ. 22.

22 Quum completa erit complo-ſio ejus, arctum erit ipſi: omnis plaga ærumnoſi invadet eum.

23 Erit

22 במלאות ספקו יצר לו כל־יד עמל תבואנו :

23 יהי

Verſ. 22. Necdum Brevia & Syrtes ſuperavimus. Cl. *Cocc.* I. ex ſua Hypotheſi cogitat, de *ſumtibus* Luxurioſo *inevitabilibus*, *per quos ſemet exhauriat*; *atque in media opulentia* ac *copia egeat*. Verſio ejus habet, *Quum plena eſt ſufficientia ipſius*, *arctum ipſi eſt: omnis manus ærumnoſi invadit eum.* Id ita declarat. *Fac hominem voluptarium non depauperari*, *ſed in omnem ætatem copias ſufficientes habere: vel ſic in arcto erit. Multorum opera indigebit*, *conſequenter & multa ora implenda ei. Dolet ſibi tot ventres farciendos. Quanquam hic non tantum operarum*, *ſed & miſerorum*, *mendicorum*, *ac furum manuariorum officium*, *quo levetur iſte locuples onere opum*, *intelligere poſſumus.* עמל *opifex.* χειρώναξ. *Jud.* 5: 26. Ergo *Omnis manus opificis invadet eum*, dari potius debuiſſet, ſed *Ærumnoſi* datum, ut & *Opifices*, & *Miſeri*, ac *Mendici* una voce comprehenderentur, ex Ambiguo. Cur *Furum manuarium officium* adjectum eſſet, non capiebam; quum in mentem venit, & *Fures*, ſuo more, ac modo, eſſe *dexterrimos Opifices.* Hæc ne quidem Doct. *Interpreti* ſemper placuiſſe crediderim. Apud *Iſid. Clar.* II. reperio aliquid non minus arceſſitum: *Cum ſatiatus fuerit*, *& abundaverit ſupra modum*, *anxius erit: etiamſi acceſſerit ei omnis manus laborans. Etiamſi omnes homines laborant in ejus commoda.* Aliter III. eidem uſui & עמל obhæret *Perizol. Quum plena erit indigentia ejus*, *in arctum redactus nullum non tentabit opificium* victui quærendo. Ne mirere שפק *indigentiam* reddi, quum *ſufficientiam* & *opulentiam* aliis deſignet: nam *ædificandi*, *deſtruendi*, *quadrata rotundis mutandi* nullus erit finis, quamdiu quilibet ſibi *Clavim Linguæ Hebrææ* vindicabit, hoc eſt, *ex ſerie orationis*, quam ſibi format ipſe, *conſtituere volet verborum ſignificationes.* Percipias plenius ex *Bolducii* conamine, qui IV. dare auſus, *in replendo ſtrictum ſuum*, *anguſtia erit ei.* Supponit ille, Radicem ספק & שפק proprie notaſſe, *ſtrinxit*, *reſtrinxit ſe*, quod & locorum inductione nemini, quam ſibi, perſuaſiſſe eum putem. Aſſumit deinde שפק ſignificare *Reſtrictionem*, & *egeſtatem*; ſenſumque hunc fabricat, *Etiam maximo cum labore ac ſudore vix poterit habere quod ad ſtrictam naturæ ſuſtentationem ſufficiat.* In altero membro non minus ſibi indulget, יד עמל reddens *Manus Laborans* vel *Laborantis*, activa poteſtate, pro *affligentis*, & *dolorem inferentis*; ut ſit, *omnis manus laborantis invadet eum*, id eſt *omnis manus laboris ac doloris*: prout *Manus iniquitatis*, ſupra *Cap.* 8: 4. & *manus mali Hab.* 2: 9. *vim* & *potentiam* inferunt. Calx ad *Vulgati* lectionem linendam, qui habet V. *Cum ſatiatus fuerit*, *arctabitur*, *æſtuabit*; *& omnis dolor irruet in eum.* Eam *de Pinedæ* acceptam ferre potuiſſet, qui item *omnis manus laborem facientis*, lectum ſuſpicatur, pro *omnium calamitatum ac laborum vis*, *atque potentia.* Crederem potius כָל־יַד עָמָל legiſſe *Hieron. Omnis manus laboris*, pro *omnis labor dolorque*; vel, ſi lubeat, *omnis vis dolorum.* Addit *de Pined.* tamen, *Non inepte Manus laborantis accipitur a R. Levi*, *de manu pauperum*, *& mercenariorum*, *quos* impius *ſua mercede fraudavit.* Hæc eſt VI. Vulgatiſſima ſententia, a *Merc.* propagata per plurimas verſiones; ad hunc ferme modum, *Cum expleta fuerit ſufficientia ejus*, *ſibique faſtigium & cumulum proſperitatis attigiſſe videbitur*, tum *arctum erit illi: omnis manus laborioſi*, ærumnoſi, *veniet illi. Adorientur eum pauperes ab illo ſpoliati.* Ita *Belgæ* &c. Cl. *Schmid.* priorem partem tenens, in poſteriori mallet VII. יד pro *plaga*, ut ſit, *omnis plaga*, ſeu *calamitas*, *ærumnoſorum veniet ſuper ipſum.* Idem eleganter a *Tigur.* expreſſum, *Omnibus partibus laborioſi hominis fungitur. A Vatabl.* habemus VIII. *Cum ſatis habebit* &c. *invadet eum manus illius qui paratus ad injuriam inferendam.* Conf. *Angl. Jun.* & *Trem.* &c. Hoc a Doct. *Crinſoz.*

ſoz. adſcitum, *omnes qui rapto vivunt invadent eum.* Illuſt. *Grot.* IX. diverſiſſima ratione, *Cum ſe impleverit ad ſatietatem, concupiſcet: omnis manus laborantis invadet eum.* i. e. *feſſus erit quaſi multum laboraſſet.* Ad יצר pro *concupiſcentia Gen.* 28: 21. reſpexit: quaſi eſſet, *Concupiſcentia ipſi.* Poſteriora non intelligo. Aliter adhuc X. *Codurc. ubi expletus fuerit plauſus ejus, concupiſcentiæ ejus,* i. e. ubi ad ſatietatem & faſtidium concupiſcentia ejus erit expleta; tunc *invadet illum manus oppreſſoris.* Nimis liberaliter ſumit, *Rationem interpunctionis, verborum proprietatem, rationem ac gratiam ſermonis Hebræi poſtulare, ut* יצר *ſit nomen, concupiſcentiam denotans.* Mihi hæc conſtructio nil minus quam venuſta, ac gratioſa; quæ ad hanc mentem ita proceſſiſſet במלאת ספקו ויצרו. Rotundius quidem dari potuiſſet, *ubi expletus erit plauſus ejus, concupiſcentia ei* erit: ſed nimis molle vocabulum יצר quam ut ad *inſatiabilem cupiditatem avari Raptoris,* hac in ſede, adplicetur; quocunque tandem modo ſtruxeris. *Grotii* interim verſio illa ſubjicit mihi XI. quod tentatum a Cl. *Crom.* ex صفق *latus,* & صفاق *peritonæum, ſi impleverit latus,* pantices, ventrem ſuum. Reliqua non tangit Vir Doct. Voces parum aptas iſti ſenſui ſenties, ubi dixerim صفق eſſe *latus colli* quia *plauditur* manu: صفاق περιτόναιον, *membranam ventris,* pro *panticibus* uſurpatam, non liquere. Revera tamen ספק & صفق, ut & سفق, unam conſtituunt Radicem, quæ eſt *percutere manu, plaudere, complodere.* Inde ספק proprie *complosio,* ut recte monet *Cocc.* in *Lex.* ex *Job.* 36: 18. *ſufficientiam* inde ductam ſuſpicatus. De eo mox plura. In *ventre farto & diſtento cibis,* ſed *Allegorice,* oculum quoque defixit *Vavaſſ.* verſioni *Vulgatæ* innixus; a qua non abludunt LXX. Elegantius quid dedere XII. *Chald. Syr.* & *Arabs,* quod expendi meretur; *Quum impleta erit menſura ejus, talio exigetur ab eo;* vel *rependetur ei, quod menſus eſt: omniſque manus injurioſi veniet ſuper eum.* Huc trahi poſſet *Arabum* صفّق *transfudit* vinum de *vaſe* in *vas;* quaſi dicas cum *ſonitu, & plauſu repercuſſo defudit.* Id tamen iſti *figuræ* firmandæ non ſatis idoneum. Obſtat quoque יצר לו, *arctum erit ei,* non ſatis reſpondens; quum *refundetur, in ſinum reddetur,* vel tale quid, ſubjungendum fuiſſet. Non prætermittendum XIII. quod Cl. *Guſſ.* ſub ספק in medium dedit; *complodendi* vim Themati ubique adſtruens, *ſufficientiamque,* ut ex *Chaldaica Dial.* repetitam, explodens. Et recte quidem *Eſaj.* 2: 6. *Fœtibus alienorum* ישפיקו *applaudunt,* vel *in ſignum admirationis,* vel *in ſignum fœderis, imitationemque religionis.* Sua ſibimet lumina obſtruit, qui *Dialectos* excludit: en enim id ipſum ſub صفق *plaudere, complodere,* ſpeciatim in *emtione, inauguratione, contractione, fœdere* &c. Coactius 1 *Reg.* 20: 10. pro, *ſi* ישפק *ſufficerit pulvis Samariæ ad pugillos turbæ me ſequenti;* ſubſtituit, *ſi pulvis Samariæ plaudet plantas militum meorum;* eoſque *capere poterit ad pedem ibi ponendum.* שעלים *pugilli* hic neutiquam mutandi in *plantas pedum:* nam admirabiliter figuratum eſt, *ſi pulvis Samariæ poterit applaudere pugillis militum mea veſtigia ſequentium:* id eſt, *neutiquam pulvis ille manus eorum implere poterit, cum iiſque veluti complodere, ut illi pugillis ſuis pulverem capiant, & pulvis ſe capi ac teneri patiatur.* Hoc tamen tantundem fere eſt, ac, *Non ſufficiet ille pulvis tali velut contractui inter ſe, & pugillos:* ac proinde *ſufficientiam* ex *Hebraica* ditione ejicere non auſim cum Cl. *Guſſ.* eamque *Syriacam* tantum facere: eſt enim, ut apparet, poteſtas ſecundaria *Hebræis* æque ac *Syris* domeſtica, a *reſpondendo* ac *replaudendo,* ut ſic dicam ducta. Interim ac ſi ſatis evictum foret ספק *Hebræis* non fuiſſe *ſufficientiam,* noſtro contextui hanc faciem tribuit, *Cum perennabit conſtanter percuſſio ejus, anxietas erit ei.* Significationem iſtam ex *Job.* 34: 26. præmunierat:

rat: itemque *Cap.* 36: 18. Succinunt iterum *Arabes*, quibus صفق primario eſt, *percuſſit cum ſonitu repercuſſo.* In poſteriori membro cenſet indicari, *improbum illum manibus defatigatis, tam ſuis, tum amicorum, non poſſe levari*: יד עמל ſic eſſet *Manus laborans* ſive *defatigata*, & תבוא *officium* ſignaret, *auxiliumque*, quod fruſtra ferre conaretur laſſa. Id argutum nimis. Prius non plane rejiculum; quamvis a *Merc.* ſit rejectum, qui ex *Ab. Eſra* jam monuerat, nonnullos noſtrum שפק *ictum*, ſive *percuſſionem* interpretatos, *paſſive*; ut ſit, *in die quo percuſſus fuerit* &c. Atqui ipſe *Merc.* infra *Cap.* 36: 18. dabit, *Ne forte impellat te* בשפק *percuſſione, plaga tibi inflicta*; ubi & *Cap.* 34: 26. in eandem mentem adducit; *ſufficientia* & *abundantia rerum*, quam alii volebant, viciſſim ſepoſita. Fateor duo illa loca me magnopere movere, ad quæ ſi huncce revocemus, habebis, *Quum plena aderit exploſio ejus*, & expulſio ignominioſa per ictus, & plagas, Divinitus infligendas, *arctum erit ei: Omnis plaga ærumnoſi veniet in eum.* יד *Manus*, non *active*, ſed *paſſive*; ut *num.* VII. viſum, cui palmam defero hac in parte. Non *una manus* & *plaga* Dei, ſed *omnes ſimul* in huncce improbum *concurrent*, eumque conſtituent עמל *miſerrimum & ærumnoſiſſimum mortalem*, juſtitiæ Divinæ Exemplum aliis futurum. Id in *Jobum* mire quadrat; ſimulque amice conſpirant *exploſio*, & *Manus* ſive *plaga*, qua quis *exploditur*, & *proſtituitur* tanquam in *Theatro*, *in loco ſpectantium*, ut *Cap.* 34: 26. recurret. Sic vincere tandem videbitur fortaſſe hæc ſententia: ſaltem obſoletæ, ſpretæque, aliqua gratia acceſſerit. Ut interim Cl. *Guſſetio* non conceſſimus *ſufficientiæ* notionem *Hebræis* fuiſſe incognitam, palmam præcedenti dubiam facere poterit XIV. hic adſpectus. *Quum impleta fuerit ejus complosio*, tunc *arctum erit ei: Omnis plaga ærumnoſi ſuperveniet ei.* Hoc eſt, *in ipſo culmine felicitatis infeliciſſimus ſubito evadet.* שפק *Complosio*, gratulantis ſibi, ac triumphantis, quod omnia ſuper Votis fluant. Ita haberemus *ſufficientiam*, prout eam Cl. *Cocc.* a *plauſu* ductam arbitrabatur; *eo quod homo plaudit, quum quod vult obtinuit*: atque *Septimæ* expoſitioni calculum adderemus. En tamen XV. pretioſiorem adhuc uſum *Arabiæ* ſub صفقة *complosio*, quæ & سفقة per *ſin*, prout سفق & صفق per omnia conveniunt. Vide *Clav. Dial.* p. 262, 263. Duo ſubſtantiva a quibus loci hujus explanatio uberior pendet, non comparent in *Lex. Goliano*. Uſum proverbialem iis additum didici ex *Haririo*, *Conſ.* 21.

يتباهي بغبون صفقته

Gloriabatur quod adeptus eſſet complosionem ſuam. Quod *Votorum compos* eſſet factus, *multumque lucri corraſiſſet.* Contra *Conſ.* 34.

ولم ازل اتاوه لخسر صفقتي.

Et non deſtiti ingemiſcere ob jacturam complosionis meæ. Quod *votis* nempe *excidiſſem*, & *lucro ſperato.* Eſt *Metaph.* a *complosione manuum inter contrahentes*, uti in *emtione & venditione*: qua anſa صفقة مغبون *complosio decepti* teritur pro *gravi damno*, & contra. Vim *Proverbialem* ſubeſſe innuitur quoque in *Camuſo*, ubi inter formulas enotatum

صفقة خاسرة ورابحة.

complosio damnoſa & *lucroſa*, i. e. *Negotium tale* vel *tale.* Similiter *Gjauhar.* صفقت

له بالبيع والبيعة صفقا اي ضربت يده بيدي ويقال ربحت صفقتك للشراء وصفقة رابحة وصفقة خاسرة.

Complodere in inauguratione, fœdere, contractu, eſt, quum manum alterius mea manu percutio: unde dicitur, Lucroſa fuit complosio tua, in emtionem, venditionem; item Lucroſa complosio; aut damnoſa. Proverbialiter ſcilicet in *Negotio* quocunque, quod vel *ex votis cadit*, vel *contra.* Idem valet سفقة, שפקה; ספקה, quod a *Gjauhar.* omiſſum, ſuppletur in *Camuſo*,

اعطاه سفقة يمينه بايعه واشتراها.

23 יְהִי לְמַלֵּא בִטְנוֹ יְשַׁלַּח־בּוֹ

חֲרוֹן אַפּוֹ וְיַמְטֵר עָלֵימוֹ בִּלְחוּמוֹ׃

24 יִבְרַח

23 Erit *tamen* quo ventrem impleat; mittet *enim Deus* in ipſum æſtum naſi ſui; & pluet ſuper illum quo veſcatur.

24 Fu-

واشترلها بصفقة واحدة ببيعة

Exhibuit ei comploſionem dextræ ſuæ, id eſt, pactus eſt cum eo, & contraxit quid. Item, Emit, vendidit, illa duo una compoſione, pro uno contractu. Ex hoc jam fonte בִּמְלֹאת שִׂפְקוֹ *Quum completa erit compoſio ejus*, cum dignitate proverbii veteris, gradum, credo, ſuum obtinere poterit, in illam mentem, quam *num.* XIV. ſatis declaravi. Addo tantum *Lucri* undique *conquiſiti & corraſi cumulum*, hinc ſponte quoque redundare, cum *votorum omnium ſumma completa:* quæ ipſa mox convertenda ſit *in materiam graviſſimæ Punitionis, Ultioniſque Cœleſtis*, omnes ſuas *copias* veluti, & *plagas*, in hominem immiſſuræ, ad eum peſſime eradicandum. Ad hoc filum, ſequentia jam ſua ſponte ſunt decurſura.

Verſ. 23. Quam magis Hypotheſin non bene jactam quis premat, tam magis a vero aberret neceſſe eſt. Hinc iterum magna & multa divortia ſententiarum. Cl. *Cocc.* I. cogitat de *Morbis ex luxuria natis*; ſic vertens, *ſit ſufficientia ejus ad explendum ventrem ipſius, mittit in ipſum æſtum iræ ſuæ, & pluit ſuper illa in carne ejus.* Hoc eſt. *Opulentia ejus cedat eo, ut ventrem ſuum expleat; ne ſic quidem lætitiam nactus eſt propriam & ſolidam. Deus enim morbis perſequitur voluptatem, & ipſum Liguritorem, atque adeo delicias in carne ejus, & ſubſtantia, in quam converſæ ſunt, conſumit ira ſua.* Obſerva 1. ſubjectum prædicationis extra *Vſ.* reſumi; *Cupedias, cibum, ſufficientiam.* 2. יְהִי לְמַלֵּא capi pro, *ſit ut illa impleant.* 3. עָלֵימוֹ item referri ad *illa quæ ventrem farciunt.* 4. לְחוּם ex *Arabico* idiomate adſciſci pro *Carne*, & quidem *Hominis*, prout ſane *Homo* vocitatur ذو لحم *Carne præditus.* Præiverat *Grot.* dans, *impleat ventrem quantum velit* &c. &c. Deus *depluet ſuper ipſum, id eſt carnem ejus*; addenſque لحم *Arabibus* eſſe *carnem.* Semet onerat illud, *ſuper ipſum, id eſt carnem ejus*, quod evitare voluit *Cocc.* עָלֵימוֹ propterea ad ipſos *cibos* reducens, *in carnem & ſubſtantiam* voluptarii converſos. Coactius. *Merc.* II. ambigit inter *carnem & cibum*, ita ſeriem nectens, *ſi ſit unde ventrem expleat*, in ipſo cumulo proſperitatis & ſaturitatis, *immittet in eum* Deus *incandeſcentiam iræ ſuæ: & pluet ſuper eum in carnem* ſeu corpus *ejus:* vel potius, *in cibum quem ſibi pararat*; id eſt, *opes jam congeſtas. Quaſi dicat, & in ipſum, & in cupedias ejus aut opes, indignationem ſuam effundet* Deus, *tanquam pluviam vehementem cui reſiſti nequit.* Monet alios בִּלְחוּמוֹ cum *Vulg.* dediſſe *Bellum ſuum.* Hujus ſenſum III. executus eſt *de Pined.* cum voto enunciatum, *utinam impleatur venter ejus ut emittat in eum iram furoris ſui, & pluat ſuper illum bellum ſuum.* Exponit, *Utinam jam impius quod facturus eſt prædæ, faciat cito, & impleat menſuram ſuæ improbitatis, ut pro meritis ſupplicium ei rependatur.* Hæc ille multis: potuiſſet tamen aliquid commodius ei in mentem venire; quin *Hieron.* vel quiſquis ille, aliud ſuggeſſit, de quo infra. *Codurc.* IV. *Quando ventrem ſuum impleverit*, ſeque ſaginarit, *iratum* Numen *pluet ſuper illum ubi ipſe devorabitur*; ſulfur & ignem. Supponit eſſe *infin.* a לחם *Veſci:* vel & *partic. paſſ.* ut ſit, *in abſumtum ejus*, i. e. *res abſumtas.* Hæc dura. *Bolduc.* V. *faciet pluere ſuper eum in cibo ejus*, vel *in devoratione ejus*, i. e. *etiamſi habeat unde manducet* &c. *Mittet tamen in eum mala multa & ægritudines, velut imbres.* Prædurum; ſubleſtum tamen, nam *de Pineda* jam dixerat, ſi a *Vulg.* diſcedendum eſſet, malle ſeſe, *in manducatione ſua*; ſubtilius id ipſum explicans, *dum adhuc eſca in ore; fulgurabit, & pluet ſuper ipſum, Divina juſtitia.*

 Pau-

Paulo mollius VI. Doct. *Belg.* *Adſit aliquid quo ventrem implere queat, immittet Deus in eum æſtum iræ; & depluet ſuper illum in cibo ejus.* Ex conceſſione, ac ſuppoſitione, *Eſto, ſi forte ita ſit, tum illud fiet, ut cibus ei ſuus nihil proficiat.* Id tamen *Piſcat.* improbaverat, quod hic ſermo ſit de eo qui bonis abundat; ita VII. vertens, *Quum impleturus eſt ventrem ſuum* &c. *Pluet ſuper illum dum adhuc veſcetur.* Similiter *Caſtal.* *Dum in explendo ventre ſuo occupatur,* Deus *laxans in eum ardorem iræ ſuæ, compluit epulantem.* Pari elegantia *Crinſoz.* adhibita tamen conditione, *ſi tantum fuerit, unde deliciis adhuc indulgeri queat.* Ea non ſatis accommoda, ad Ejuſdem Viri Doct. opinionem, *reſpici ad Liberos Jobi inter convivandum oppreſſos.* Quid veri forte ſubſit, deinceps parebit. *Schmid.* in priore membro *Belgis* noſtris propior, contendens *eſſe ad implendum ventrem, indigentiam* potius quam *abundantiam* ſignificare; unde hunc ſenſum VIII. ſtatuit, *ſi vel tantillum impio ex bonis ingentibus ſuperfuerit, quo famem ſedare poſſit, tamen id ipſum maledictum iri.* Iſtam maledictionem ſic captat in fine, *& pluet ſuper eum in carnem,* vel *per Chylum ejus.* In ימטר *pluet* repetit *excandeſcentiam*; & deinde multis probare nititur לחום hic eſſe *carnem*, ſive *corpus*, ut *Zeph.* 1: 17. quin imo iſtic loci *Chylum* potius ſignificari, qui *effundi* queat: quaſi *comeſtum* aut *concoctum*, a לחם *comedit.* Quid non invenit acumen doctum, ſuis ſeſe conjecturis permittens, ſine ulla Linguæ Veteris auctoritate! Manſiſſet ſaltem in idea, quam ex *Dialecto Arabum* *Grot. Cocc.* aliique, firmarunt. Mihi interim ne *Carni* quidem, ſic ſumtæ, nunc locus videtur, quod עלימו בלחומו *ſuper eum in carnem*, vel, ut aliis placuit *in Carne ejus*, nunquam ſine argutia poſſit explicari. Sic ſumtæ dixi, quia ſi pro *cibo* capiatur, ſuus ei locus relictus. Nempe *Jun.* & *Trem.* IX. dedere, *Quum eſt impleturus ventrem ſuum, immittit in eum* Deus *æſtuantem iram ſuam*, quam *depluit in eum loco cibi ſui.* Da, *loco carnis ſuæ*, idem manebit ſenſus, & ſatisfiet *Parall.* *Zeph.* 1: 17. *Effuſus eſt ſanguis eorum, & caro, ut ſtercus.* Intellige *carnem mactatam* ac *conciſam, quæ eſcæ inſerviat.* Iſtam vim *Arabes* ſub لحوم & لحم attendere ſolent, unde *Prov.* لحوم على وضم *Carnes ſuper Caudice laniōnio*; in *magnis ſtragibus & lanienis præliorum.* Verte ergo apud *Zephan:* *Et Carnes mactatæ eorum* quæ ſimul *dapes volucrium ac ferarum.* Ad eam rationem & hic, *loco eſcæ* aut *dapium ejus*; *ut ſint ei in dapes.* Exputare nequeo, qui factum, in his omnibus interpretationibus, ut tam tenaciter, in priore membro, *literæ* ſit adhæſum; quum *Allegoria* manibus, oculiſque, ſeſe ingereret. Relege veſtigia, & ſenties, ſive *Abundantiam* notari dicas, ſive *indigentiam*, ſive *medium conditionem*, iſti *repletioni ventris* magna incommoda ineſſe. *Allegoricum* ſenſum X. tentavit *Cajet.* hoc pacto. *In illum jam plenum rapinis, & ingurgitatum, deſæviet ira Cœleſtis* &c. vel etiam, *Erit dum ita replet ventrem, corripietur ſupplicio divino, eſca adhuc in ore ejus exiſtente.* Id cum *Vſ.* 21. ad mentem noſtram explicito, pulchre cohæreret, *Nullus reliquus* evadit, *quem non comedat* Δημοβόρος &c. *Erit ergo dum ita implet ventrem ſuum* &c. בלחומו *interea dum veſcitur, vorat, depaſcitur omnia* &c. Subſcriberem enimvero ſi vel בלחומו, vel יהי למלא *ſit* vel *erit ad implendum*, ita reſolvi poſſe crederem. Cl: *Cler.* qui item *Allegoriam* tenet, mallet, *Quando repleverit ventrem ſuum*; i. e. *Cum ſe ſatiaverit præda, ſeque Divitem eſſe putabit, Deus eum ſpoliandum tradet aliis.* Legit autem בלחומו *Bilchomo*, pro *Bilchoumo*, cenſetque eſſe *infin.* in *Kal*, *in Comedere ejus, quum Comedit.* Obſtant iidem ſcrupuli. Alias verbum לחם æque ac אכל in iſtam *Metaph.* ſat pronum; ut *Prov.* 4: 17. לחמו לחם רשע *Edunt panem improbitatem*, per appoſitionem, vel & *panem improbitatis.* Apud *Arabes* لحم ſpeciatim eſt *carnivorus fuit*, quod in Δημοβόρῳ noſtro aptum ſatis eſſet: ſed reliqua parum favent. Figurate quoque omnia cepiſſe putem XI. *Hieronym.* in verſione *num.* III. propoſita, *utinam impleatur venter ejus* &c. ubi in *Comm.* ſubditum, *ventrem* hic eſſe, ut ſuperius, *capacitatem* & *ſinum animæ.*

Qua-

Quaſi diceret, *quia jam cogitationibus iniquiſſimis plenus eſt*, *uſque ad ſummum oris ſui blaſphemia cumuletur.* &c. In *Gloſſ. Ordin.* & *Lyran.* commodius, & clarius, votum hoc exponitur de *termino peccandi*, *poſt quem Deus prodeat ad puniendum.* Illud tamen *utinam* valde languidum; nec *votis* agit *Tſopharus*, ſed *minis*, ſed *pœnis* præſentiſſimis. Aliqua cum fiducia perſuadendi proin exiſtimo, reddendum eſſe, *Erit quod ventrem ejus impleturum ſit*, atque de *penitiſſimo ſenſu iræ divinæ in viſcera*, & *penetralia ventris deſcenſuro*, explicandum, ſecundum *Allegoriæ* perpetuum, atque ſummo artificio huc uſque pertextum, filum. Ejus ſingulas partes repetere nil attinet; præcipue *Vſ.* 15. reſpiciendus, & *Vſ.* 18. cum proximis *Vſ.* 21. 22. in quibus omnibus palpare eſt contexturam *criminum* & *pœnarum*, in *Jobum*, ex mente Cenſoris, recidentium, ſub *Allegoria Hominis alta* velut *voragine ventris*, per fas, per nefas, *omnia deglutientis*; cui tandem *reddenda*, & uno momento *revomenda* eſſent, quæ *inſatiabiliter hauſerat*, & *devorarat*; rebus ejus *e ſummo ad imum ſubito revolutis*, atque *opulentia compleiſſima*, in *calamitatem luctuoſiſſimam* ſubito converſa. *Erit* tamen, ſubſumitur Sarcaſtice, *Erit quo ventrem* iſtum, jam *vacuum*, *expleat*, *exſaturetque*; *immittet* videlicet Deus *in ipſum*, tanquam *nova fercula*, *novos miſſus*, שלחן *dictos*, *æſtum Naſi ejus*; *depluetque ſuper eum*, quod fit *loco dapium*, vel *cibi ejus.* Qui *Allegorias* primis labris deguſtavit, ſentit nihil hic eſſe, quod non vel *Græcia*, *Latiumque*, admittat, nedum *Oriens*, talibus unice deditus. Ex Genio gentis & Linguæ ſuæ *Muhamm. Alcor.* 2. 169. *Profecto qui occultant quod Deus revelavit*, & *pro re vili illud mutant*; اوليك ما ياكلون في بطونهم الا النار. *illi non edent in ventribus ſuis niſi ignem. Igne ſolo Ventres ſuos replebunt.* Notandum, præceſſiſſe ibi præcepta de *non comedenda morticina*, *aut porcina carne*, *ſanguine* &c. unde anſa captata ad gravem hanc figuram inducendam. Adde *Sur.* 56: 54. &c. de *damnatorum ſupplicio*, quod *eſuri ſint de Arbore ſpinoſiſſima*, *Zakoum dicta*, فمالئون منها البطون & *impleturi inde ventres*; *inſuperque bibituri aquam ferventem*, & *quidem bibitione ſitientium*, *ſeque prementium*, *camelorum*. Iſta Arbor Tartarea deſcribitur *Sur.* 36: 65. diciturque *Enaſci ex imo inferno*, *germina habens tanquam Capita Dæmonum*; *quibus impii Ventres ſuos ſint repleturi.* Hæc *Allegorice* dicta; ſaltem ex veteribus *Allegoriis* tranſſumta. Tale eſt illud *Salomonis*, *Prov.* 18: 20. *Ex fructu oris cujuſque ſaturabitur venter ejus:* Id eſt, *quilibet fructum oris* & *operis ſui percipiet*, pius *benedictionem* & *vitam*, impius *maledictionem* & *mortem*, ut in *Vſ. ſeq.* ſubnexum.

Ibid. Ad Grammaticam rationem paucula. יהי *Erit*, cum *aſſeveratione*, ut *Pſ.* 72: 17. מלא בטן *implevit ventrem*, adferre *indigentiam*, neutiquam probari poteſt ex *Luc.* 15: 16. quum ibi γεμίσαι τὴν κοιλίαν referatur ad *famem rabidam*, quæ quovis modo *expleri* geſtiat. Idem *Prov.* 6: 30. in מלא נפש *implere animam*, i. e. *appetitum vorandi*, obtinet: quod per ſe μέσον, nec *indigentiam* ferens, nec *abundantiam*, ſed in utramque partem ex æquo pronum. Quid facerent Viri Docti, talia loca urgentes, *Pſ.* 17: 14. *Theſauro tuo occulto imples ventrem eorum.* Apparet, hoc pendere a circumſtantiis. *Venter replendus* hic nihil aliud eſt, quam *inexplebilis cupiditas*, *aviditaſque vorandi*, *ſatianda*; ſcilicet, per id quod additur, κατὰ σπαραγμὸν. Sub יְשַׁלַּח *immittet* recte exauditur *Deus*, ſcelerum vindex. Is tamen non expreſſus, niſi *Vſ.* 15. *E Ventre ejus expellet eas opes abſorptas Deus.* An non vel inde agnoſcitur noſtrum *Vſ.* cum illo cohærere, illiuſque *Allegoriam* admirabili oppoſitione detexere? Ad שלחן *miſſus ferculorum in menſa* alluſum ſuſpicor: nec tamen urgeo. Hoc certius, שלח *effuſum impetum* ſecum ferre. בו nihil aliud notare poſſe, quam, *in Eum* improbum, non vero *in illum cibum*, vel *in illo tempore*, per ſe nunc patet. חרון אפו *Æſtus naſi Dei*, ſignat *procellam iræ*, *e cœlo demiſſam.* Conf. *Pſ.* 18: 9. 16. Hæc *procella* traxit *Imbrem*, in ימטר, qui ſic abſolute poſitus in textu *Allegorico*, nemini obſcurus eſſe poteſt, ſuggerens quippe *vim pla-*

24 Fugiet ab armatura ferri; trajiciet eum arcus æneus.

יברח מנשק ברזל תחלפהו 24
קשת נחושה׃

25 De- | שלף 25

garum cœleſtium, *denſo agmine*, *& vehementi impetu*, *obruentium*. In עלימו hæretur, quod *ſuper illum* reddunt plerique, quia מו *ſing.* & *plur.* complecti traditur. *Nachmanid.* diſſenſit, & *ſuper illos homines* maluit, per *Enallagen*. Cl. *Cocc.* dedit, *ſuper illos cibos*, ſecundum ea quæ *num.* I. viſa. *Guſſ.* in מו ſequitur *Nachmanidem*, quod hic non de *uno*, ſed de *pluribus* agatur; unde & בלחומו reſolvit, *in carne cujuſque eorum*. Cl. *Vitr.* ad *Eſaj.* 53: 8. communem opinionem tuetur, & מו tum ibi, tum alibi, ſat clarum cenſet in poteſtate *ſingulari*; citans inter alia *Job.* 22: 2. ubi Cl. *Cocc.* pluribus in contrarium diſputavit. Et nobis ibi aliquid diſcutiendum veniet. Mea ſic habet ratio, מו ad *cibos* nullo jure referri, ad *plures* parvo; quod nimis dura ſit *Enallage*, qua a בו venitur ad מו, ut mox redeatur ad לחומו. Ergo vel *ſingul. vim* tenebo: vel tentabo, *ſuper illa*, nempe *æſtum naſi*, qui cum *vento procelloſo*, *fulmina* & *tonitrua* offert. *Super illa* ergo *depluet* Deus, ſive quod hæc *tela* e Cœlo *jacta*, conſequi ſoleant *imbres*; ſive *inter illa*. Simplicius tamen fateor *ſuper illum:* ea *conſtructione*, qua *Pſ.* 11: 6. *depluet ſuper improbos ſulfur*, *ignem*, *laqueolos*; *& ventus æſtuum peſtiferorum portio calicis eorum*. *Ventri implendo* videlicet, ut hic, בלחומו *in dapes ejus*; id quod *in Cibum ei*, vel *carnem cedat*, *longe diverſam ab illo* לחם *Cibo*, *quo ſeſe farcire & ſaginare ſolebat carnis & ſanguinis* miſerorum avidiſſimus ille Δημοβόρος. Ad *iræ Divinæ tempeſtatem*, qua *Jobi fortuna*, & *domus*, uno die *convulſa*, alludi, ſatis liquet: ſpeciatim ad *Epulantes Liberos* alluſum, de quo redi ad *num.* VII. dicere non auſim. Magis eſt, ut referatur ad *Infinitos* illos *dolores* & *cruciatus*, quos *Jobus*, ſemel *fulmine iræ Divinæ*, ut putabatur, *tactus*, deinceps ſubiit, & cum maxime in *viſceribus* & *medullis ſævire* ſentiebat. Poſſem quidem Aliorum *in Carnem ejus*, pro in *corpus ejus*, adaptare meæ ſententiæ. Poſſem quoque *adſ.* ad *Deum* relato, *Bellum ſuum*; ob *Vſ.* ſeq. vel commodius adhuc, *impugnatione ſua:* ut *Pſ.* 35: 1. coll. *Pſ.* 7: 14. ſed longe malim quod dedi.

Verſ. 24. Creditur proverbiale eſſe dictum, quale illud, *incidit in Scyllam*, *cupiens vitare Charybdin*. Inde prius per conditionem ſuſpendi ſolet, *Effugerit* &c. vel *ſi effugiat* &c. Varie applicatur. Cl. *Cocc.* I. ad *Luxuriæ mala* reduxit, & *Morbos* inde *oriundos*; quos cum *armis* ac *telis* comparari autumat. Addit, *Arma alia ſunt* ἀγχέμαχα, *quibus cominus*, *alia* τηλέμαχα, *quibus eminus pugnamus*. *Proprii & peculiares morbi cominus oppugnant*. *Epidemii eminus*; *ut ex Homero nota* βέλη ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος. Ergo, *Detur eum evadere morbos*, *arte Medicorum*, *nihilominus Peſtilentias*, *& Epidemia mala non effugiet*, *quia voluptatibus fractus & enervatus*, *vim eorum non fert*. Non expectaram hic *Peſtilentias*, probis improbiſque juxta incumbentes, eoſdemque promiſcue rapientes. Doct. *Merc.* II. generalius, *ubi ſe putarit leviora pericula effugiſſe*, *in graviora incidet* &c. &c. Ita *Judæorum* & *Chriſtianorum* univerſus ferme Chorus. *Ramb. Ralb. R. Periz. Munſt. Vatabl. Pagn. Jun. Piſc. Belg. Genev. Tigur. Diod. Calv. Grot. Druſ. Cler. Crinſoz. Reim. Mich.* &c. Itemque *de Pined. Bold. Codurc. Vavaſſ.* qui una fere voce, ac mente, tenent eſſe *Adagium*, quale illud, e *Fumo*, *in ignem*; *in Scyllam e Charybdi*. Vellem propius quid produxiſſent Viri Doctiſſ. nam hactenus quidem non video, qui *Armatura ferri* minus deſignare queat, quam *Arcus aheneus*. Colores tamen conquiſiti; nam 1. Cl. *Cler.* נחושה *Chalybeum* potius vertendum eſſe monens, hanc dat *Paraphraſin*. *Conabitur certum copiarum atque armorum genus fugere quaſi formidoloſius*; *ſed propterea non magis evadet*, *quam ſi vitatis militibus ferrea arma gerentibus*, *incideret in eos qui Chalybea gererent*. Speciosius 2. quod Erud. *de Pined.* habet, *ſi gladium cominus fugiat*, *eminus illum transfiget ſagitta arcu æreo emiſ-*

emiſſa. Similiter *Vavaſſ.* Illuc & *Cocc.* alludebat ſupra. Majore adhuc ſubtilitate 3. *Bolduc.* priora *arma* a *fronte*, poſteriora *tela* a *tergo* concipit, in hunc ſenſum, *Quod ſi impius fugerit ab armis Dei ferreis quæ a fronte feriunt; quin imo & eundem intactum pertranſierit Arcus Dei Chalybeus, quo eminus & a tergo pugnat; aliud tamen exitium mox ei venturum*, quod *Vſ.* ſeq. deſcribi cenſet. Contortiſſime, quaſi utrumque membrum ex *Conceſſione* poneretur; & תחלף non eſſet *transverberare*, ſed *tranſire intactum*, quo nihil abſurdius heic loci. Alia Paradoxa Viri *Vſ.* 25. ſequentur. *Hieron.* ὑποβολιμαῖος ad h. l. ita 4. argutatur. *Si ſocios & miniſtros Diaboli fugiat, incurret in ipſum principem tenebrarum; & cum ſint illi rebelles in malitia, fortes & duricordes tanquam arma ferrea; in pejorem tamen authorem totius mali, velut in arcum æneum, impinget; quem puto ideo hoc loco Arcum nominatum, quia vel maxime ex inſidiis & dolo inopinantes interimere non deſinit.* Additur *Vſ.* ſeq. *Æri, metallo diutino, comparari diabolum, quod aliqua ſenectute non conſumatur, neque ad occidendum deficiat. Fulguratio* ברק ibidem trahitur ad *transfigurationem in Angelum lucis.* His quid pretii ſtatuendum, nemo non ſentit. Sobria magis, quæ *Gregor. Philip. Bed. Thom. Aquin. Gloſſ. Ordin. Nic. de Lyr.* aliique *Allegorici* 5. de *malis præſentis & futuræ vitæ* habent; quaſi *prius* membrum ad *priora*, *poſterius* ad *poſteriora* pertineret. *Fugiet arma ferrea* i. e. *pœnalitates præſentis vitæ, quæ feriunt viſibiliter & de prope; & irruet in arcum æreum* i. e. *pœnas Gehennæ quæ feriunt inviſibiliter & a longe.* Atqui *pœnæ vitæ præſentis* recenſentur vel maxime, ac proinde potuiſſent commodius, *tum in hoc, tum in futuro ſeculo graviſſimas experietur pœnas, ex armamentario Dei adverſus Eum depromtas.* Non tamen meam facio ne hanc quidem argutiam, nam *Armaturam ferri minus* quid ſonare, quam *Arcum æneum*, haud ſimile veri, quum נשק inferat *Panopliam*, & *gravia* potius *Arma*; ut *Arcus* ad *levia* per ſe magis fertur, quæ tamen & hic in ſuo genere formidoloſiſſima, tum quod *Aheneus* inducatur Arcus hicce, tum quod *Sagittarii*, in Oriente, ſæpe *acie ipſa terribilius imminent*, ac *nube telorum inevitabili infeſtiſſime incumbunt.* Ergo *Armatura ferri*, eſt *Acies* ipſa, *gravibus armis horrenda*, cui *copias auxiliares* veluti *adjunctas* cenſeo ſub Emblemate *Arcus ænei.* Partem veri vidit Cl. *Schmid.* III. obſervans, *Cadere ferro, & cadere arcu*, ad *unam belli Calamitatem* ſeſe referre, in quo *gladii* & *arcus* uſus ſit. Infelicius calculum poſuit, quum ad *Literam* id intelligendum opinatur, quaſi hic depingeretur *interitus improbi per arma bellica.* Redi ad *Vſ.* 17. ubi ad initium reperies quid Virum Doct. implicuerit. Bene interim monuit יברח *fugiet*, non *effugium* inferre, quod præcedentes interpretationes ſupponebant, ſed *cladem*, quæ mox *cædem* trahat. Ita planiſſume *Cap.* 27:22. Errare iterum eundem puto quum תחלפהו etiam de *fuga* exponit, in hanc faciem, *Fugiet ab Armatura ferri; ſugere faciet eum Arcus æneus.* Errore quoque non vacat, quod *Abſtracta* pro *concretis* mallet, i. e. *Arma* pro *Viris armatis*, & *Arcum æneum*, pro *Validis* & *peritis ſagittariis.* Id alibi non repudio: hic non alia de cauſa adſcitum, quam quod ad *mortem armis humanis, non Divinis, inflictam*, inclinare cœpiſſet viri ſententia. Nobis jam IV. per aliorum conatus via emunita, ad genuinam vim *Allegoriæ*, ſic conceptæ. *Fugiet* fractus *ab Armatura ferri; tranſverberabit eum Arcus æneus*, vel, ſi mavis, *Chalybeus.* Aperitur *Armamentarium Cœlorum*, atque *formidoloſiſſima illa Arma*, quibus ſcelera & improbitates vindicat Deus, expromuntur. Conſimilem ſcenam dabit *Pſ.* 7: 13. 14. *Si non reſipiſcit* improbus, *gladium ſuum acuit*, Deus, *Arcum tendit, & aptat; eique inſtruxit inſtrumenta mortis, ſagittas ſuas parat ut ſint ardentes.* Ita pulchre *Cocc.* niſi quod ultima ſic quoque poſſis, *& ſagittas ſuas exercet ſane ardentiſſimas*, vel *flammantes.* Nihil tritius in ſacris, ac præſertim in noſtro Libro. Vide *Cap.* 6: 4. 10. & 16: 12. 13. 14. & 19: 11. 12. Huc quoque *Cap.* 15: 14. & 19: 14. pertinet, ubi *Regis Armati, & omni mole bellica prementis*, imaginem habuimus; in *Calamitatibus* divinitus *immiſſis.* Sexcenta talia proſtant apud ſcriptores Orientales. Ex *Nawabig* adduxi in *Exc.* ex *Iſpah. p.* 6. *Quum irruunt Sagittæ fati, defluunt annuli Loricæ conſertiſſimæ.* Hoc ita quoque enunciare amant, *Quum Arcus inviſibilis Fati tela calamitatum jaculatur; clypeus qui tegat, nullus, nullum datur effugium.* In *Hiſt. Sarac.* p. 239. *Chalypha Abdolkerymus*, qui

qui ſe غلاب الغدر *Victorem Fati* aliquo verſu inſolentiſſime dixerat, mox retroacta fortuna coactus fuit, hoſce ſibimet applicare.

فلما بلغت النجم عزا ورفعة
وصارت رقاب القوم اجمع لي رقا
رماني الردا سهما فاخمد جمرتي
فها نداني حفرتي عاطلا ملقا

Cumque aſtra tangerem gloria & celſitudine,
Et facta eſſent colla omnium populorum mihi ut lutum.
Jecit me Arcus Exitii ſagitta; reſtinxitque prunam meam;
Et nunc ecce vocat me foſſa mea nudum ornamentis, *projectum.*

Ita legenda & vertenda, quæ ſummus noſter *Erpen.* paulo aliter, quippe cui colluctandum fuit cum Cod. MS. in verſiculis præſertim impuriſſimo. رق in *Lexicis* exponitur *Servitus*, *ſtatus mancipii*; & *terra mollis atque expanſa.* Copulam horum dabit *Pſ.* 18: 42. ſimulque lucem hinc accipiet. *Prunam vivam* ſubito *reſtinctam* refer ad *Cap.* 18: 5. الردا notat *Exitium grave*, alicui *injectum Lapidis inſtar:* notat quoque قوس *Arcum*, unde Cl. *Erpen. jecit me arcus tanquam ſagittam.* Omnino, *jecit in me arcus ſagittam*, requiritur, ubi *Arcum Exitii divinitus ferientis* intelligendum, res ipſa monſtrat. Illum *Arcum* intendit & *Harir. Conſ.* 8.

لكن قوس الخطوب ترشقني
بمصيبات من هاهنا وهنا

Sed Arcus rerum adverſarum evibravit in me graves caſus ab hac & illa parte. Grandi ſpiritu *Ibn Doreid:*

لو كانت الاحلام ناجتني بما
القاه يقظان لاصماني الردي

Si ſomnia ſecreto dixiſſent mihi ea quæ
Incurro vigilans, uno jactu me confeciſſet
Exitium.

Id eſt, *terrore mortuus fuiſſem, ſi ſomniaſſem antea, eventura mihi, qualia nunc fero.* Ad eandem *Allegoriam*, & *Gladios*, ac *Arma* traducunt. *Harir. Conſ.* 25. فجرد بي الدهر

سيوف الغدر وشن غارات الرزايا
الغبر ولم يزل يسحتني ويبري

Deſtrinxitque in me Fortuna gladios fraudis ſuæ, &, immiſſis turmis prædatricibus calamitatum graviſſimarum, me eradicare & exſcindere non ceſſavit. Finio in illo *Hudeilitæ:*

وللدهر ايام رغاب كلومها

Nam Tempus dies habet, quorum profunda vulnera.

Ad verbum יברח *fugiet*, ſenſu illo graviore quem amplexus ſum, revocandum videtur, quod *Arabes* frequentant ſub *partic.* 2 *Conj.*

ضربه ضربا مبرحا

inflixit illi ictum vehementiorem, Metaph. ab iis qui *fuſi fugatique.* Hoc tamen haud ſatis exploratum. Ad תחלף optime collatum jam *Jud.* 5. 26. ubi confarta quatuor verba, in *atrociſſimam plagam*, qua *Siſera transverberatus*, cum inſigni gradatione, *Tutudit*, *contudit caput ejus*; *altius hauſit*, & *trajecit tempus ejus.* Iſte uſus tractus a *pertranſeundo*, atque ita *poſt ſe relinquendo* quaſi. Sic *tranſabiit telum*, & alia, apud Poëtas. Non eſt ergo *Hiph.* ſed *Kal*, & *Dithyrambice* ipſe *Arcus Æneus* dicitur *tranſabire corpus altiſſimis plagis*, quum proprie *tela* tantum *tranſadigat.* Interim in eo conſiſtit magnitudo Figuræ. Mollius alicui videri poſſet, *faciet tranſabire eum Arcus*, nempe *ſagittam.* Sed prius cum grandius, tum commodius ad ſtructuram.

Ibid. Reſtat aliquid ſcrupuli, quod non tam alias explicationes premit, quam meam. Nempe *Vſ. præced.* introducebam *improbi ventrem replendum theſauris iræ Divinæ* &c. eo-

25 שלף ויצא מגוה וברק ממררתו
יהלך עליו אמים ׃

25 Deſtrinxit, & exiit de medio corpore; & acies fulgurans e folliculo fellis ejus: abit; ſuper eum terrores.

26 כל־־

26 Om-

eoque etiam applicui illud בלחומו *in Cibum ejus*; ſeponens, *in oppugnationem ejus*; quod tamen hiſce *figuris bellicis* magis conſonum; cum quibus nec prior pars, *Erit* tamen *quo Ventrem impleat*, ſatis conſpirare videtur. Hos nodos ſecarem, non ſolverem, ſi *Allegoriam* immutari dicerem. Vera ſolutio hæc, quod *vulnera*, & *plagæ* in *viſcera adactæ*, non male reſpondeant *rebus noxiis in ventrem demiſſis*, *eumque diſcruciantibus*. Sic *Amrou Ibn Keltoum* inter ſeptem Celebratiſſimos *Arabiæ* Poëtas,

نزلتم بمنزل الاضياف منا
فعجلنا القرى ان تشتمونا
قرينكم فعجلنا قراكم
قبيل الصبح مرداة طحونا

Acceſſiſtis ad nos loco Hoſpitum, vobiſque cibum maturabimus; ne vituperetis nos: Hoſpitabimur vos, cibumque vobis maturabimus, vel ante auroram, Saxum omnia commolens.

Monet ibi *Scholiaſt.* eſſe *Allegoriam*, qua *Bello ſævo*, *ſæva vulnera inflicturo*, dicantur *excipiendi hoſtes*, *quod fines accedere auſi fuiſſent.*

Verſ. 25. Magnifica amplificatio; in qua enucleanda multum variatur. Cl. *Cocc.* I. omnia revocat ad *vim peſtilentiæ*, ad quam *Arcum æneum* inflectere cœperat; quaſi diceretur, *ſimul eduxit Deus e pharetra ſua* ברק *telum ſulgidum Peſtilentiæ*, *ſimul ex corpore* exanimato *exit*: *Id* autem *telum abit e felle*, i. e. *e loco & ſede fellis*, *cum terribili fulgure.* Refertur ad *Pœnam necis ſubitariæ*; *qua luxurioſus in peccatis ſuis mori cogatur.* Quam multa obſtent, jam ſatis perſpectum cenſeo. Generaliore ſenſu II. de *Pined.* in *Paraphr.* *Pertranſibit igitur per corpus illius jaculum divinæ ultionis*, *& mortifero veneno tincta ſagitta*, *quam terrificus ille Jaculator e pharetra ſua ſplendentem ac Scintillantem depromſit: ſimulque gladium eduxit fulguris inſtar*, *cum terrore coruſcantem*, *quem in illius viſcera adiget*, *vaſculum ſellis vulnere lethali diſrumpens.* *Tinctus itaque felle palleſcet gladius*, *multoque terribilior efficietur*, *ut qui ore & colore ipſo mortem acerbiſſimam improbo denuntiet.* Hæc ille *Hebraizantium* veſtigiis inſiſtens, quamvis & *Vulgatum* defendere conetur. Is III. habet, *Eductus*, *& egrediens de vagina ſua*, *& fulgurans in amaritudine ſua: vadent & venient ſuper eum horribiles.* Suppletur ad *participia* illa *Gladius*, aut *telum.* גוה *corpus*, *vaginam* quoque notare poſſe, nunc, & olim, creditum; vel quod גו ſit *Medium* cujuſque rei; vel quod *vagina* ſit velut *corpus gladio*, *intra quam continetur.* Poſtrema ratione utitur *Merc.* cujus IV. ſententia hæc eſt; *Emergit* ſive *ſtringitur* telum, gladiuſve, *& exit e corpore*, i. e. vagina, vel pharetra, *& fulgur* i. e. *acies gladii*, *e felle ejus prodit.* *Super eum ſunt terrores.* Exiſtimat שלף eſſe *intranſit*: ex *Pſ.* 129: 6. quamvis vim *tranſit.* alibi agnoſcat, ut *Ruth.* 4: 7. Adde in *gladio Jud.* 8: 20. & 9: 54. & 20: 25. & 1 *Sam.* 17: 51. Unde commodius haud dubie V. *Doct. Belg.* *Educet* gladium, *& exibit de corpore.* Supplent in textu *Aliquis*, in not *Deus*; quod prima fronte nihil differt, quum tamen ſi *Aliquis* aſſumatur, *Literalis* potius *ſenſus* exiſtat: manente *Allegorico*, ſi *Deus* reſumatur, qui & *Vſ.* 23. jam ſupplendus fuit. Minus placet VI. *Jun.* & *Trem.* *Stringentis gladius exit e corpore*, *& coruſcus e felle ejus: abeuntem invadunt terrores.* i. e. *dum iſta effugit*, *ruit in alia.* Languide. Languidum quoque & argutum nimis VII. quod tentavit Cl. *de Dieu*, ad *impium* trahens τὸ שלף, qui *tranſverberatus arcu æneo*, *Extrahat* illud telum, *ita ut e corpore ejus exeat*, *acieſque e felle ejus*: is ta-

men

26 Omne genus tenebrarum repoſitum pro reconditis *theſauris ejus*: conſumet eum ignis non ſufflatus: depaſcetur reſiduum in tentorio ejus.

26 כל־חשך טמון לצפוניו תאכלהו
אש לא־נפח ירע שריד באהלו׃

27 Re-

27 יגלו

men ne ſic quidem liberatus eſt; ſed יהלך *abit*, *ſuper ipſum terroribus* exiſtentibus. Idem ferme obverſatum III *Grot.* Hoc eleganter expreſſum a *Doct. Crinſoz. Quod ſi extrahere ei daretur* telum, *ita ut e corpore exiret*, *neque acies remaneret in plaga profundiore*, *nihilominus expoſitus erit diverſis terrorum generibus.* Sed quis, trajectis vitalibus, evadit tamen, extracto telo? Mortem potius hoc ipſum accelerat. Id *Codurco* ob oculos fuit; ita reddenti VIII. *Educet* transfixus ille ſagittam *e corpore* confoſſo; & *exibit e corpore*; & *coruſcabit de felle ejus: venient in illum terrores*, *nempe Mortis*; *quæ ut plurimum miſſionem ſanguinis conſequitur*, *ubi ferrum e vulneratorum corporibus educitur.* Nititur uſu verbi שׁלף in *ferro extracto* ex ventre *Jud.* 3: 22. unde locum noſtrum lucidiſſimum fieri opinatur. Vellem clarius id oſtendiſſet, nam mihi multa in his obſcuritas. *a.* Neſcio, velitne *proprie*, an *improprie*, hæc intelligi. *b.* Si *improprie*, ut ſeries poſtulat, non capio, quomodo *Telis Dei confixus*, *ea extrahere* dici poſſit. *c.* Gravat ſeſe, *educet*, & *exibit e corpore*, de ſola *extractione teli. d.* Quæſitius, *coruſcabit de felle ejus* telum, pro, *in illud immergetur*, *ut ſtillet & coruſcet eo. e.* Conſtructio ultimi coli incommoda, nec explicatio ſatis plena. Adſine quid IX. repetio apud *Syrum* & *Arabem*, *educentur & extrahentur inteſtina ejus*, & *folliculus fellis ejus findetur* &c. Hoc *Allegoriæ* paulo aptius, nec tamen Linguæ conveniens. Longiſſime inde deflexit X. Cl. *Schmid.* in hunc ſenſum, *Quin* ipſe impius *educet* gladium ſuum, & *exibit per corpus* illius, & *acies e felle ejus* prodibit, venientque *ſuper illum* morientem *terrores futuræ condemnationis. Hoc fiet*, *quum vel ex deſperatione gladio ſuo incumbet*, *ut Saulus*; *quod perſequentes effugere non poſſit*: *Vel quum*, *ex ſingulari Dei judicio*, *gladius ille quem eduxerat ad defendendum ſe*, *in ipſum convertitur*, & *ipſius corpus*, *non hoſtium*, *quos ferire cogitabat*, *penetrat.* Si talia adverſus *Jobum* promiſiſſet Orator, *Andabatarum* more pugnaſſet. *Literali* ſenſui hic nullus plane locus: minime omnium tali. Nec Cl. *Crom.* XI. rem expedit, aſſumta notione verbi سلب *traxit* ſpolia, *rapuit*, unde offert, *rapuit*, *ſed exibit de corpore*, eo ſenſu, quo ante, *revomenda quæ ſorpſiſſet.* Non convenit, etiamſi שׁלף *extraxit* iſta vi auctum quoque fuiſſe concedatur, filo *Allegoriæ*, ad finem nunc decurrentis, deſcriptione ſæviſſimarum plagarum, quæ per *Arma Ultricia iræ Divinæ* confertim infligerentur. Mirum in modum hæc *arma* nobis hebetat, quæ acuere voluit, *Bolduc.* XII, hunc ſibi ſenſum confingens, *Educta eſt*, & *egreſſa a tergo* Dei ſagitta, quæ hominem, quum *Arma ferrea* & *Arcum Chalybeum intactus effugiſſet*, *nihil tale ſuſpicantem* trajecerit inſtar *fulguris* &c. Alluſum ſine dubio pronunciat ad *morem Parthorum*, qui etiam quum fugiunt, telis a tergo miſſis fauciant. Nec *decorum Schema*, nec *aptum.* גוה tamen, ut גו, pro *tergo* facile admitto, hanc loci faciem XIII. amplectens, *ſtrinxit* Deus, cum relatione ad *Vſ. præc.* tum *Gladium*, tum *Sagittam*, & *exiit a tergo* Impii; *acies inquam fulminans e felle ejus. Abit* in malam rem. *Super eo terrores.* Nempe יצא ἅπ. λεγ. repetitum, ex uſu ſignato, 2 *Reg.* 9: 24. Poſſem quoque, *acies fulminans e felle ejus tranſabit.* Sed יהלך per ſe ſtans, novum addit pondus, ſub notione *pereundi*, quam reperies *Cap.* 14: 20. & 19: 10. & 27: 21. מררה *Fel*, vel & *Folliculus ejus*, *Hepati adhærens*, includit omnia *vitalia.* Reſpicitur ad *figuras* ab ipſo *Jobo* adhibitas, *Cap.* 16: 13. 14. 15. quæ nunc in ipſum retorquentur. Habebamus

mus ibi *Renes trajectos*, *cum effuſione Fellis in terram.* Inde anſa data ad depingendum graviſſimum exitium, quo improbus Raptor, *deſtricto* velut *ultore* Dei *gladio*, feriendus, & letalibus plagis transverberandus foret; ut haud ſecus ac is, quem telum tranſfabiit, terræque affixit, ſummos inter dolores ac cruciatus ſpiritum exhalare cogatur. Sentis in rem præſentem vel maxime nos deduci, atque *Aciem fulminantem* hujus *Gladii*, ſub oculis *Jobi*, ita *vibrari*, ut ſimul in ipſius caput ictus terribiles recidant.

Verſ. 26. Necdum e fluctuatione emerſum. Cl. *Cocc.* I. hæcce deflexit ad *Ademptionem mediorum luxuriæ per plagas extraordinarias.* צפונים cum R. *Salom.* intelligit *theſauros*, *fulcra voluptatis.* חשך טמון trahit ad *tenebras occultas illis theſauris recondendis.* Conſtruit dein has voces cum *Nominat.* אש, in hanc ſeriem, *Omnes tenebras abſtruſiſſimas pro theſauris ejus peredit ignis non eventilatus: depaſcitur ſuperſtitem in domo ejus.* Id ita exponit; *Maledictio Dei tanquam ignis*, *ſine ventilatione*, *ſine hominum ope*, *coortus*, *miris modis conſumit abſtruſiſſimos theſauros ejus*, *per omnes tenebras quibus occulebantur. Situs*, *curculio*, *mures*, *glires*, *neſcio quid non corruptelæ*, *reditus ejus populantur. Pecunia in ſumtus erogatur. Fœnus non redit. Aliis modis accidi-tur* &c. Hæc tenuia, pro gravitate præſentis diſceptationis. Conſtructio quoque adfectatior, *omnes tenebras comedit ignis* &c. Mollius fuiſſet, quod R. *Salom.* voluiſſe videtur, *Omnes tenebras calamitatum incubituras in ejus theſauros. Vatabl.* II. maluit, *Omnes tenebræ*, *& omnia mala*, *manent eum*, *propter occulta peccata ejus.* Utrumque non immerito rejectum a *Merc.* ita III. reddenti, *omnes tenebræ* adflictionum *abditæ ſunt*, vel *erunt*, *latebris ejus*; *quaſcunque quæſierit latebras*, *ubi ſe tutum fore putet*, *nil proderit*; *ubique occurrent majores calamitatum tenebræ.* Plurima puncta tulit hic ſenſus, in cumque conſentiunt *de Pined. Vavaſſ. Codurc. Bolduc. Calvin. Genev. Angl. Belg.* &c. *Druſ. Grot. Cler.* &c. Hoc ipſum grandius conceptum IV. ab aliis, *omnes tenebræ abſconditæ pro latibulis ejus*; h. e. *nullum habet latibulum*, *ubi tutus ſit*, *& tenebris tectus*; quaſi *tenebræ abſconditæ*, per ſpeciem *Oxymori*, eſſent, *diſcuſſæ*, *diſſipatæ*, *fugatæ*. Cl. *Reim.* V. hac figura aliter utitur, צפונים capiens pro *Domeſticis*, & *intimis*, ex *Pſ.* 83: 4. in hanc mentem, *Omnes tenebræ* ubi quis latere poſſet, *abſconditæ erunt*, & negatæ, *iis qui ejus ſunt familiæ.* Sic חשך *Tenebræ* deberent notare *latebram*; quum alias hoc in Libro deſignent *horribiles miſerias*, ut *Cap.* 15: 22. 30. & 3: 4. & 23: 17. Hinc *Syrus* & *Arabs*, *omne malum repoſitum ejus proſapiæ* &c. quod ex poſteriori Colo & mihi aliquando mentem pepulit. Doct. *Hoſm* VI. *Omnes reconditiores tenebræ* & miſeriæ *ſunt* deſtinatæ *ejus ſecretis.* i. e. *occultis criminibus*, quod *num.* II. ſuccinit. Eleg. *Crinſoz.* VII. *Quicquid triſte cogitari poteſt*, *mentem ejus volvet:* quaſi צפונים ſignaret *abditos receſſus mentis*; quem uſum ſine exemplis recipere non auderem. En tamen VIII. vicinum quid in *Hieronymi* nomen mentito *Comment. Tenebræ in hoc loco ſunt peccata*, *ſive commiſſa ab impio*, *ſive committenda* &c. *quæ ideo in ſecretis mentis ejus abſcondita eſſe dicuntur*, *quia illis favet*, *eiſque plurimum delectatur.* Ita & alii *Myſtici* veteres *Tenebrarum opera mente concepta* hinc exſculpſere; aliis tamen paulo rectius de *pœna*, & *anxietate conſcientiæ* cogitantibus. Cl. *Schmidio* IX. *omnes tenebræ abſconditæ ſunt occultis ejus*, videtur referendum ad *ſtatum Animæ poſt mortem.* Supponit nunc agi de *ſupplicio inviſibili* illius, qui *Vſ.* præced. *ſuomet gladio perierat.* צפונים ergo explicat de *Anima*, *& quæ ad eam pertinent*, quæ hoc nomine ſignetur, tum quod *inviſibilis* ſit, oppoſita corpori, *viſibiliter* extincto: tum quod eidem *occulta peccata* inhæreant; tum quod *digna* ſit *tenebris æternæ damnationis mergi.* Totus conſpectus ſic habet, *Tenebræ infernæ*, *in quas abit moriens*, *jam pridem reconditæ ſunt animæ ejus Tenebricoſæ*, *& occultis criminibus obrutæ*, *inviſibiles porro pœnas luituræ per ignem ſufflatum Gehennæ*; *poſteris ejus omni calamitate eradicandis.* Verum eſt *Ignem* huncce *non ſufflatum* a *Chald.* & *Sal. Jarchio* directe ad *Gehennam* eſſe reductum. Veteres *Chriſtianos* de eodem *igne irreſtincto* hic cogitaſſe, certa res eſt, quorum ſubtiliores ſpeculationes dabit *de Pined.* longiuſcule hanc in materiam evectus. Prudenter tamen monitum a *Merc. Non reſpici cum hic*, *tum alibi*, *ad futuram vitam*, *ſed tantum agi de Exitio*,

quod Deus impiis in hac vita immittit, deque Exemplo in eos edito. Hoc *poſtulatum Merceri* vocans *Schmid.* contendit *per occaſionem de altera vita aliquid aliquando dici; quod veriſſima demum hujus temporis calamitas ſit, quæ in æternam calamitatem terminatur.* Id non negaſſet *Merc.* qui *cognitionem vitæ futuræ*, & *ſtatus animarum poſt mortem*, *Jobo* & *Amicis* in ſolidum relinquens, *improborum miſerias temporales, æternis compleri demum, & cumulari*, ultro largiretur. Inde tamen non efficitur, directe, & aperte, hunc contextum de *tormentis Animarum in Gehenna* eſſe explicandum, quum utique plerique per *ignem* intelligant *Maledictionem Dei*, aliis quoque ad *ignem fulminum* reſpicientibus. Ajo quoque, quod hic de *ſupplicio inviſibili ſolius Animæ* intertextum vult Vir Doct. & violentum eſſe, & abſurdum. Violentum; quia צפונים ad *Animam occulto in ſtatu, occulta ob peccata, occultas pœnas luentem*, trahere, nulla Linguæ ratio permittit. Abſurdum; quia de *toto* adhuc *Homine* ſermo; quem fruſtra *Gladio ſuo transfoſſum* ſibi finxit *Schmid.* ad *Vſ. præc.* quum *Tſopharus* pingat improbum *Gladio Dei transfixum*, hiſce in Terris, in quo ipſum *Jobum*, tanquam in ſpeculo, aut Tabella ad vivum expreſſa, ſemet recognoſcere velit. Huic ſcopo, reliquoque filo convenientius mihi videtur X. hocce, *Omnes tenebræ reconditæ in theſauros ei: abſumet eum ignis*, qui *non ſufflatur* &c. Hæc pro cumulo prægreſſis impoſita, denunciant *iræ Divinæ infinitam quandam vim*, & *molem*, *cum qua improbus colluctandum habeat, ſemperque ſit habiturus, ubi ſemel in Manus Dei cœpit incidere.* חשך *Tenebræ anxietatum* & *miſeriarum.* כל חשך *Quicquid tenebrarum* dici poteſt; tum in hac vita; tum in futura, cui ſane ſuus quoque locus, per legitimam conſequentiam. טמון *Abſconditæ*, pro *theſauro* puta, ex uſu inſigniore verbi טמן in *Theſauro*, vel *penu recondito.* Vide *Eſaj.* 45: 3. & inprimis *Jer.* 41: 8. Similiter צפן in *Theſauris* crebrum, ut *Prov.* 13: 22. & *Pſ.* 17: 14. De *theſauro iræ* explicui נצפנו *Job.* 15: 20. eademque vis *Cap.* 24: 1. recurret. Ergo לצפוניו *in theſauros ejus*; vel & in *penum*, *theſauroſque ciborum*; eadem *Allegoria*, qua *Vſ.* 23. Conferendum dictum *Jac.* 5: 3. *Theſauros vobis congeſſiſtis*, O Divites avari! *in ultimis diebus: Theſauros* videlicet *iræ*. Habes *Ibid.* πῦρ *ignem carnes Avari depaſturum*; quod contonat noſtro, *Comedet eum ignis non ſufflatus*; vel potius, *qui non ſufflatur*; *forma præter.* ut recte monet *Schmid.* Nobiſcum ſtant in priori parte *Jun.* & *Trem.* *Omnes tenebræ reconditæ ſunt in repoſitis ejus*, i. e. *aſſervatis ei a Deo*: ſed diverſi abeunt in altera, *Conſumet eum ignis non accenſum flatu*: i. e. *ſtipulæ* aut *ſtupæ inſtar ſponte ardentem*, ut *Jeſ.* 1: 31. Argute nimis, & exiliter; quum *Ignis* qui *non ſufflatur* habeat aliquid formidoloſiſſimum. Eſt nempe *Periphraſis* inſignis, ſive *Fulminis*, quod *Æſch.* in *Prom.* 358. eſt Ζηνὸς ἄγρυπνον βέλος, *Jovis telum vigilans*, inſtar *ignis pervigilis ſopiri aut extingui neſcium*: ſive *mali morbi viſcera exurentis*, & *depaſcentis*; ſive generalius, *iræ* & *maledictionis Divinæ*, *corpus* ſimul & *animam conſumentis*; atque *perenni*, ac *pervigili* velut, *flamma*, *conſumturæ in æternum.* Cuncta hæc in *Jobum* examuſſim quadrant, quem hiſce *ignibus* tactum, ulteriuſque perdendum, inclemens cenſor judicabat. Ad figuram noſtram proxime accedit *Æſchyl. Prom. Vſ.* 879. ubi *Oeſtrum doloris* vocat ἄρδιν ἄπυρον *telum non igne humano, ſed Divino, ſæviens.*

Ibid. Poſterius colon non omnino exemtum difficultati. Plurimis a ירע in *Kal* cum *Merc.* placuit, *Male habebit reſiduus in tabernaculo ejus.* Non ipſe ſolum male perdetur, ſed quiſquis in domo ejus ſuperſtes, propter eum male habebit. Alii a רעע in *Niph. Atteretur, confringetur:* quamvis R. *Periz.* ex *Kal* dederit, *conteret* ignis *reſiduum* &c. Alii denique a רעה ex *Niph. depaſcetur reſiduus* &c. Cuncta hæc diſcuſſa a *Merc.* qui etiam ſubmonet, quoſdam שריד ad ipſum *impium* referre, ut ſit, *ipſe Reſiduus in ſuo tabernaculo, omnibus abſumptis, adfligetur*; idque in *Jobum* ab iiſdem dictum cenſeri, qui *ſolus e ſuis ſuperſtes*, graviſſime diſcruciabatur. Conferatur quoque *de Pineda*, huc acclinis, & *Vavaſſ.* cum *Bolduc.* qui ſuaviludiis ſuis hic iterum indulgens, *Sacrum Jobi tabernaculum* fingit, *frequentia deſtitutum*; quaſi Ei exprobra-

27 יגלו שמים עונו וארץ מתקוממה
לו׃
28 יגל יבול ביתו נגרות ביום
אפו׃
29 זה

27 Revelabunt cœli iniquitatem
ejus; & terra inſurget in eum.
28 Apparebit proventus domus
ejus: Bullientes æſtus, in die naſi
ejus æſtuantis.
29 Hæc

braretur, tanquam *Sacerdoti*, quod *Sacra* ſua minus *celebrata*, quin *deſolata*, experiretur. *Jarchio* שריד eſt *Lot*, *in tabernaculo ſuo*, i. e. *uxore*, *male habitus*. Hæc relatu indigna, nedum refutatu. *Superſtitem* vocari ipſum *Jobum*, ratio Linguæ non permittit, quippe in quem cum maxime *univerſæ domus ruina incumbebat*, quique *ſub ea obtritus* quaſi *jacebat*. Ne illi quidem recte, qui *poſteros* intelligunt, vel *hæredes*. Multo minus conceſſerim *Mercero*, *rem familiarem reſiduam* hac voce deſignari. Conſtans uſus ejus, in uno, pluribus, qui *communem cladem fuga elapſi*. Hinc talis naſcitur conſpectus, ex *fut. Kal* a רעה, *Ignis iſte depaſcet Reſiduum*, ſi forte, & *Elapſum*, *in tentorio ejus*. Hoc eſt, *internecione delebitur univerſa* talis hominis *familia*, *atque nulli plane cladem huic Domui incumbentem evadere concedetur*. Si תרע ſcriptum eſſet, cum תאכלהו ad אש pertinere, omnes vidiſſent; ירע tamen rite poſt אש, quod *communis* eſt *generis*, reſumtum, quia לא נפח *non ſufflatur*, in *maſculinum* jam inclinarat. Talia multa colligi poſſent. Si quis ex *Niph.* malit, *Depaſcetur*, illo igne, *Elapſus in tentorio ejus*, non intercedam; nam ſimillimum extat *Gen.* 7: 22. יִמַּח pro יִמָּחֶה *delebitur*. Id certiſſimum, νέμεται ſive *Act.* ſive *paſſ.* ſplendidiorem efficere orationem; atque cum præc. membro ſuavius convenire.

Verſ. 27. Nulla in verbis ambiguitas; quæ rite modo nectenda. Nimis reſtrictum I. quod *Cocc.* habet, *Cœlum & terra, tanquam Teſtes, in ipſum Judicis ſententiam exequuntur. Cœlum ei in æs; terra in pulverem vertitur: ſterilitate punitur. Pecuaria ejus de cœlo tanguntur vel fulmine, vel peſtilentia, aliiſque morbis.* Cognatum quid dedit *de Pined. Cœlum & terra ſterileſcent adverſus impium* &c. Ex *Nicet.* idem adfert *ignem cœleſtem quo armenta conſumta, & Ventum, quo Domus concuſſa* &c. *Bolduc.* qui *ignem non ſufflatum Vſ.* præc. de *Rubigine ſegetes depaſcente* exponi poſſe cenſuerat; eodem inclinat, latiorem tamen hunc conſpectum adjungens, *undique mala in ipſum ingruent, eumque impium eſſe teſtabuntur.* Huc tendit II. *Merc.* in hiſce. *Deo irato creaturæ omnes velut inimicæ ei futuræ, & velut in eum armandæ, ut & e cœlo cum eo pugnetur, & e terra.* Cl. *Schmid.* III. difficultatem movet, *quomodo denuo de Impio tanquam vivo*, & *in domo ſua conſtituto*, agatur, *cum modo occiſus* fuerit *inductus* &c. Fruſtra: nec dubium, quod & *Merc.* aliique inſinuarunt, ad *Jobum* ipſum aperte digitum intendi, adverſus quem *Cœlum & Terra* veluti *conſurrexerint*. Speciatim retundi putem *Jobi* confidentiam *Cap.* 16: 18. 19. ubi *Terram & Cœlum Innocentiæ oppreſſæ* citarat *teſtes*. Imo vero, inquit Objurgator, *& Cœlum pœnis inauditis tibi inflictis Teſtimonium contra te tulit, atque occulta tua crimina revelavit: te Nocentiſſimum arguens: & Terra, ſimiliter contra te inſurgit, quum te probi juxta improbique condemnent; atque tellus te amplius ferre* recuſet: *dignum* videlicet, *qui quantocyus exſcindaris* Hæc nimis *dura* videri poſſent, ſic in *Jobum* jacta: & ſunt ſane; ſed in hiſce Certaminibus verba *duriora* ubique volant; quæ *molliſſima* tamen cenſebant Socii, eo quod *Jobum* ſemet *obduraſſe* adverſus Deum putarent; cujus *contumacia* ſeveriſſime comprimi & contundi mereretur.

Verſ. 28. Plus difficultatis habet hæc clauſula, quam prima fronte apparet. *Merc.* I. cum pleriſque dat, *Migrabit germen*, vel *proventus domus ejus, & miſere diſſipabitur: defluent & decurrent ejus reditus omnes, vel per malam adminiſtrationem, vel alio aliquo modo* &c. In hac ſententia נגרות *Judæis* ſunt *a-*

quæ effuſæ, per *Ellipſ. præp. comparativi.* Alii cum *Merc.* ſubaudiunt ex יבול *proventu*, טובות *Bona*, vel תבואות *Reditus*: quæ parum limpida. Ne *fortunæ* quidem *migrantes*, ac *dilapſuræ*, valde quadrant, quod ſupra jam *omnibus fortunis exſpoliatum* habuerimus Raptorem. Minus adhuc convenire putem II. *opes deſtillantes ac diffluentes e domo luxurioſa*, ob *cœlum & terram* ſubſidia negantes, per *ſterilitatem*, quorſum tendit Cl. *Cocc.* Vicinum eſt quod *Chald.* נגרות trahat ad *oleum & vinum diffluens*. Longius abit Cl. *Schmid.* III. cui נגרות *defluentia*, miro acumine, cum יבול ita conjungere placuit, ut hoc ad *terram* relatum, ſignet ejus *proventum*; illud ad *Cœlos* reductum, notet *pluviam*, *rorem*, & *alia cœlitus influentia*, ac *defluentia*, *proventibus terræ augendis.* Repetere conſtructioni expediendæ jubet verbum יגל, ex priori membro, ut poſt, *Migrabit proventus Domus ejus*, ſubſumatur יגלו נגרות *Migrabunt defluentia, in die iræ ipſius: adfixo* ad *impium* relato *paſſive.* Vereor ut necdum intelligas. *Migrabunt defluentia*, eſt *pluvia, ros*, atque *aliæ benedictiones influentiæque cœlorum ſubtrahentur.* Vult enim deſcribi nunc *Effectum ejus quod Vſ. præc. dictum, cœlumque hoc pacto revelare iniquitates improbi, creaturis cœleſtibus, & terreſtribus, veluti conſpirantibus, ad ejus fortunas evertendas.* In נגרות *pluviam, rorem*, & reliqua, nunquam captaſſet *Vir Doct.* ſi *genuinam vim Linguæ* ſatis perſpectam habuiſſet, quæ longe longeque diverſum quid ſuggerit, de quo ſtatim. Quam dura quoque repetitio illa יִגְלוּ *Migrabunt*? Quam incommoda denique tum expoſitio, tum connexio? quæ cum prægreſſa ſerie rerum nulla ex parte cohæret, ne ſecundum eas quidem meditationes, quas ipſe *Schmid.* ſecutus fuit. Ait quidem, *ſummatim Vſ.* 27 28. *colligi, quæ hactenus de impio dicta ſunt.* Sed *ſumma* illa *conſummatior* utique & *cumulatior* concipi debuiſſet, ſi magnitudini materiæ præmiſſæ reſponſura eſſet. Non reſpondet quoque, quod IV. *Vatabl.* aliique יבול *germen* traxere ad *poſteritatem in exilium ituram*; quum *Domui* huic ne quidem שריד *ſuperſtitem* ullum *manſurum*, ſed ad internecionem uſque omnes fore delendos, modo ſit inſinuatum. Mitto יבול pro *poſteritate*, & alia, parum liquida. Examinanda V. *Verſ. Vulg. Apertum erit Germen domus illius: detrahetur in die furoris Dei* Ibi *Hieron.* fictitius habet, *In judicio Dei, quando impius condemnandus eſt, non ſolum omnes cogitationes cordis ejus; verum etiam principia interfectarum cogitationum Deo pandenda* &c. *mitteturque tunc & detrahetur in tenebras exteriores.* Similia invenies in *Gloſſ. Ordin.* Longe aliter *de Pined.* ſic commentans, *Revelabitur germen domus*, eſt, *cognoſcent omnes unde impio tot fructus*, & *tanta bonorum abundantia: ex fraude* videlicet, *& rapina.* Vel etiam, *Fructus & proventus, quos condiderat, quoſque pauperibus negaverat, aperientur & patebunt omnibus, cedentque in ſuſtentationem pauperum.* Ad alterum, *detrahetur* &c. obſervat נגרות videri inferre *fluxum præcipitem*, vel *diſtrahi defluendo:* addens, *forte reſpici ad vaſtationem domus quæ fit a milite furente, horrea & Apothecas ingrediente, dolia vertente, frangente vaſa omnia, oleum, vinum, liquida, effundente* &c. Prius membrum ad mentem priorem *de Pinedæ* accipiens *Bolduc.* ne ex eo profeciſſe videretur, in poſteriori ita eum taxat, *Tantum abeſt*, inquit. *ut verbum* נגר *violentiam ſonet*, (*quod quidam Recentiorum inculcare conatur*) *ut potius quietum, ſilentioſum, & imperceptibilem fluxum notet: atque denotetur, impium imperceptibiliter facultates ſuas de die in diem amittere. Notat etiam diverſas fluxionum vias; nempe unus creditorum habebit vineam, alius agrum* &c. *hoc fures, illud ſcortum trahet ad ſe, ut tota ejus ſubſtantia, per uſuras & rapinas quæſita, detrahatur, vel verius diſtrahatur.* Vides ſibi plus Juris in *Ling. Hebr.* adſciſcere Commentatores, quam in ullam aliam cuiquam Erudito permiſſum, quum quilibet ferme ſuas ei *ideas, formaſque*, ſubjiciat, vel aliquid hinc inde arripiat, quod deinceps bona fide non tantum, ſed & fidenter, pro vero tradat. Rectiſſime *violentiam*, & *fluxum præcipitem* Themati נגר tributum eſſe, percipias ex *Lib. de Def.* ubi vim *bullientis fervoris* ei vindicavi ex نغر. Vide *pag.* 63: 64.

29 זה חלק־אדם רשע מאלהים
ונחלת אמרו מאל׃

29 Hæc portio hominis improbi a Numine; & hæreditas rerum ipſius a Deo.

64. 68. 69. Dedi ibi נגרות noſtrum, *torrente æſtu raptas* & *avectas fortunas*, communem calculum ſecutus, agi hic de *opulentia retro ſublapſa*, & *aquarum more dilapſa*, ex 2 *Sam.* 14: 14. Obſtant interim ſcrupuli ad *num.* I. moti; quos ita forte tollere eſſet, ut pro clauſula ſubnectatur, *Domus improbi cum opulentiſſimo proventu*, *migrans* veluti *in longum perpetuumque Exilium*, atque *Torrentium aquarum more præcipiti impetu avecta.* Hoc ſuperiorem contextum non indecenter forte clauderet, atque cum *Vſ.* 24, 25, 26. ſatis pulchre connecti poſſet; quatenus *Domui*, *cui Deus vim & molem ſuam bellicam immiſit*, *nihil aliud reliquum quam Migratio omnis felicitatis*, *omniumque fortunarum Exilium* veluti, cum *perpetua diſſipatione*, & *evaſtatione.* Hunc adſpectum juvat nonnihil formula *Cap.* 42: 10. *Dominus* שב את שבות *reduxit abductionem*, ſive *Captivitatem Jobi.* i. e. *Collapſas ejus res inſtauravit*: ad quam rationem *Exilium*, hic pro *ruina* & *ſubverſione* ſignanter veniret. Ita נגרות vel ad יבול ſeſe referret, *collective*; vel aliud aliquid ſuppleret, veluti אוצרות, *theſauri*, תבואות *reditus*, &c. nam כנגרות, pro כמים נגרים *inſtar aquarum præcipiti æſtu fuſarum*, quod *Codurc.* unice verum putat, nimis durum. Ne illa quidem mollia; unde mihi VI. firma adhæret ſuſpicio, longe aliam Faciem textui huic addendam; *Manifeſtabitur*, *aperietur*, *promicabit*, *proventus Domus ejus*; *exæſtuantes fluctus* iræ *in die Naſi ejus.* Non debuiſſet *Schmid.* ad *impium* deflectere *adſ.* in אפו, quum *Vſ.* 23. habuerimus חרון אפו *Æſtum Naſi* Dei. Inde *cibum ventri farciendo largiter ſuffecturum* tamen, Sarcaſtice dictum vidimus. Eodem Sarcaſmo יבול *proventum Domus impiæ* vocari ſuſpicor עברות *effervefcentias Naſi Divini*, quas grandi vocabulo נגרות *cum ſonitu & ſtrepitu exæſtuantes* inducit vehementia *Tſophari.* Ita *Jobus* vocem intellexiſſe videtur, *Cap.* 21: 30. *Diem effervefcentiarum* memorans. *Cap.* 40: 10. habebimus *effundere effervefcentias Naſi.* Si has נגרות abſolute vocari poſſe contendam, nil nimium tetendero; quum vel directe, vel comparate, *Aquas effuſas* hic intelligant omnes. Eo promtior hic uſus, quod אף *Naſus* eum ſponte ſuggerere videatur. *Æſtuantes fluctus* Naſi, *in die Naſi.* Hic eſt *perpetuus proventus*, *reditusque Domus improbæ*; *theſaurus* inquam *iræ*, *in diem iræ*; ad *Rom.* 2: 5. Vox Ἀποκαλύψεως *Ibid.* nec non *Cap.* 1: 18. Ἀποκαλύπτεται γὰρ ὀργὴ θεοῦ ἀπ' οὐρανοῦ &c. cum noſtro יגל *Revelabitur*, *Exprometur*, ſuaviter concinit. Poſſes & tranſitive, *Revelabit* Deus *proventum Domus ejus*; eodem jure quo *Vſ.* 23. Malim tamen *intranſitive*, prout *Arabibus* جلا non tantum eſt *Revelavit*, ſed etiam *clare & manifeſte patuit.* Id in *proventu* terræ etiam uſurpatum, colligas ex *Prov.* 27: 25. גלה חציר *Apparuit gramen*, *conſpecta eſt herba.* Illuc cum gratia alludi potuit, *Manifeſtus promicabit proventus Domus ejus*, immenſa *moles iræ divinæ* uſque & uſque ſuper ipſum *effundenda.* Finem facerem, niſi religioni eſſet ſubticere; נגרות etiam ſumi poſſe ut *Pſ.* 77: 3. ידי נגרה *plaga exæſtuans*, *ſanguine bulliens*, ex iis quæ *pag.* 66. de *Def.* dedi. Nempe הגיר על ידי חרב *Pſ.* 63: 11. *Jer.* 16: 21. *Eſech.* 35: 5. eſt *facere bullire vulneribus & ſanguinem eructare*, ut *Ibid.* reperies. Hinc נגרות poſſent eſſe *Vulnera exæſtuantia*, ſecundum *Allegoriam Vſ.* 24: 25. expoſitam. Prius longe prætulerim, quippe quod clariorem præbeat conſpectum non *præſentis* tantum, ſed & *Futuræ iræ*; quam quidem ego ab hiſce phraſibus ſeparare non auderem, ſic conceptis, ut utrumque genus pœnarum amplecti videantur. Hoc tamen non nimis urgendum, ex reſponſione, & refutatione *Jobi* pateſcit; quæ

quæ circa *præſentes* & *Viſibiles pœnas* tota occupatur. Difficultas inde oriunda, ad *Cap. ſeq.* reſolvetur plus vice ſimplici.

Verſ. 29. Epiphonema decentiſſimum, quod non parum firmat, cum *præſentibus*, *reſpectum* quoque *ad futuras pœnas*. Nempe magna cum virtute orationis חלק *Lapillus*, *portio hæreditaria*, & נחלה *Hæreditas lectiſſima*, transferuntur nunc ad *ſupplicia*, & *pœnarum* veluti *perpetuam poſſeſſionem*, quam *ceraet* improbus, atque in quam tanquam *Hæres* immittetur. Nihil hic difficile, niſi נחלת אמרו, quod *Cocc.* l. poſt *Merc.* eſt *Hæreditas a Deo addicta*, *decreta*, *definita*; ſatis venuſte. Id in *Angl. Verſ* etiam eleganter expreſſum per *appointed*. Aliis *Hæreditas ſermonis ejus* placet II quod exponitur de *Blaſphemia*, vel *impie* & *inſolenter dictis*, in *Deum*, in *Homines*. Vide *Genev. Belg. Codurc. de Dieu* &c. Speciatim hic pungi cenſet *Jobum* noſtrum *Bolduc.* quod de *Re* ipſa, & *improbitate* admitto; de *verbis* nunc minus quadrat. Subtilius III. *Schmid. Hæreditas famæ* & *magnitudinis ejus*. Magis arridet, quod addit, *ſermonem nunc includere propoſitum animi*, & *totum vitæ inſtitutum*. Nec abludit a vero, quod *de Pined.* IV. ſimpliciſſimum cenſet, אמר pro *Negotio* accipiendum. Certe apud *Arabes* أَمْرٌ אֶמֶר cum *ſermone*, complectitur *Rem*, *negotium*, *ſtatum*, *conditionem*, uſu longe & late diffuſo, quem exemplis nonnullis illuſtraſſe operæ pretium. *Hiſt. Tam.* p. 7. فعيرته بما كان عليه من اول امره وحاله *Et exprobravit ei priſtinam ejus rem*, *ſive conditionem*, *ac ſtatum*. Et p 51. ثم ما ادري امره الي ما ذا ال *Reliquam ejus rem quo evaſerit ignoro.* Similiter امر ابتداء *initium Rei*, aut *Negotii* alicujus, frequentatur apud Hiſtoricos, pro *fortunæ* & *vitæ publicæ* initio; itemque انقطع امره *Abruptum eſt ejus negotium*, pro *periit*, *occidit*, &c. *Harir. Conſ.* 25. اعتبروا بما بدا من ضري بباطن حالي وخفي امري *recognoſcite ex eo quod de miſeria mea apparet*, *interiorem ſtatum*, & *occultam rem meam*. Infinita talia paſſim proſtant. Sic *Hæreditas rei ejus* ſive *negotii ejus*, commodiſſimum fundit ſenſum; in quo tuto acquieſcitur; quod & דבר *Verbum*, ad *Rem*, & *Negotia*, ſeſe extendat, & נחלת דברו ſimili elegantia efferri potuiſſet.

COM-